Filosofia

NALE
VITT. EMANUELE
4
L
7

14 ~ 13.6.24.

FRANCISCI VALLESII,

DE SACRA PHILOSOPHIA,

SIVE DE IIS, QVÆ IN LIBRIS ſacris phyſicè ſcripta ſunt,

LIBER SINGVLARIS;

Cui ſubiunguntur duo alij, nempe
LEVINI LEMNII *de Plantis ſacris,*
ET
FRANCISCI RVEI *de Gemmis.*

EDITIO SEXTA
Correctior, & iuxta Indicem expurgatorium reformata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



LVGDVNI,
Sumptib. IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
& MARC. ANT. RAVAVD.

M. DC. LII.

AD
PHILIPPVM II.
Hiſpaniarum, Indiarum Regem potentiſſimum, Dominum ſuum,

FRANCISCVS VALLESIVS Couarrubianus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

CVM tibi me meáque omnia debeam (Rex potentiſſime,) *non poſſum librum quempiam in lucem emiſſurus, de vllo alio patrono cogitare. Nam cùm me tua Maieſtas deterret, ea benignitas, & beneuolentia, quam in primis expertus ſum, inuitat. Tanto igitur nomini dicatum volo librum de ſacra Philoſophia. Videbitur certè, éſtque munuſculum tenue, tamen argumentum non indignum, eſt enim de iis quæ in ſacris libris occurrunt, quæ ad Philoſophiam pertinent: quo ſolo nomine qua tua eſt in res omnes ſacras pietas, recipere non dedignaberis. Pondus meis humeris impar eſſe ſcio, tamen conatus tales haudquaquam poſſunt eſſe inutiles. Nam ſi quàm maximè videbor in re*

PROOEMIVM

De iis, quæ ſcripta ſunt Phyſicè in libris ſacris, ſiue de ſacra Philoſophia.

QVAM plurima occurrunt in libris ſacris ad naturam pertinentia, quæ plerique ſic cenſent accipienda, quaſi ſanctiſſimus Dei ſpiritus, nihil ad naturam pertinens nobis voluerit interpretari; ſed omnia ad ſalutem animarum referens, iuxta humanas ſententias Philoſophorum, aut etiam vulgarium hominum, propoſuerit. Veterum Philoſophorum plerique, ad quorum manus ſacri libri peruenerunt, eos legebant velut alia quæuis Philoſophica monumenta, atque adeò ipſa Iudæorum & Chriſtianorum dogmata, velut ſingularis cuiuſdam ſcholæ Philoſophorum, examinabant, certabantque, de eorum probabilitate conferentes cum aliis dogmatis, quæ fuerunt innumera. Ego diuina hæc eloquia minimè ad naturæ interpretationem ſcripta eſſe à viris Dei amicis, ſancto afflatis ſpiritu, mihi perſuadeo, quia, vt teſtatũ reliquit Eccleſiaſtes c. 1. naturæ arcana noluit Deus reuelare nobis (quod ad vitam æternam obtinendũ, quam quis de natura teneat opinionem, indifferens eſt) *hanc occupationem peſſimam*, philoſophãdi, *dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.* Tamen, cùm quædam in ipſo ſermonum ductu texantur naturalia, ea omnia veriſſima eſſe exiſtimo, vtpote quæ à ſummè vero Dei ſpiritu dictata ſint, & ab ipſo naturæ authore fluxerint, quẽ latere nihil potuit. Velut profectò, contexta ſunt in libris quamplurima pertinentia ad hiſtorias, quæ & ipſa aliorſum ſpectant, quàm vt antiquiorum facta, & geſta prælia, homines nouerint. Nemo tamen pius, & Catholicæ Eccleſiæ filius, putauerit, vel latum vnguem à veritate deuiare, aut rem aliter ac narretur, geſtam eſſe. Cur non ergo eodem modo cenſeas de hiſtoria naturali? Noluit enim nos Deus naturales rerum cauſas, & ortus docere, vtpote quas nos certò ſcire non adeò referat ad æternam ſalutem: atque ob id de illis ne ediſſerat, ſed cùm obiter aliquid attingit, cur nos decipiat? Certè decipi non poteſt, neque decipere: ſiquidem ſummè ſapiens, & bonus eſt. Atqui naturales rerum cauſas ſcire, vt non

Sacri libri cur ſcripti.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eſt ad ſalutem æternam neceſſarium, ita neque quidquã lædit. Quaprópter, vt neque nobis Deum aperire, ita neque celare fuit neceſſarium. Ob hæc ego mihi perſuadeo, atque omnibus perſuaſum volo, vt omnem aliam doctrinam, quæ vera ſit, ita naturalem, in his diuinis libris contineri, adeò, vt diſciplinas omnes quamplurimùm iuuari poſſe ſperem, ſi doctiſſimi viri, aliis perluſtratis, in eis præcipuè laborent, ſua quique tractantes. Nam veterrimi Philoſophi, horum lectione ſunt plurimùm adiuti. proinde ego perfectis iam in omnes Auditorios Ariſtotelis de Natura, & quamplurimos Hippocratis, & Galeni de re medica, libros, commentariis, quod Deus conceſſerit vitæ reliquum, ſtatui in his philoſophari, cùm quoniã nulla alia ratione cenſeo certi quidpiam de naturalibus haberi poſſe, tum quia neſcio quo modo eorum lectio, etiam hiſtorica, aut Phyſica, animum pietate imbuit latenter. Quare huic lectioni conſecrare ſenectutem, æquum eſt putare, ſcripta eſſe mihi hactenus Philoſophica, ad opinionem, hæc autem ſcribi ad veritatem. Horum enim author ipſe eſt Deus, qui quoniam totius naturæ eſt principium & cauſa, conſtat interpretationem naturæ non aliunde poſſe meliùs incipere, quàm ab ipſo. Volo tamen hæc in Dei gloriam potius, quàm mei nominis celebritatem, ſcripta, atque rei tantæ difficultatem, & humanæ mentis debilitatem agnoſcens, teſtor ante omnia, nihil me in hoc, aut vllo alio meorum operum aſſerere, niſi quatenus probetur à ſancta Romana Eccleſia, penes quam veritas eſt, & ſapientia, quæ, vt dicitur Prouerb 9. *miſit ancillas ſuas*, hoc eſt, naturales ſcientias, *vt vocarent in arcem*, vt me nunc naturalis Philoſophia vocat in arcem, & ciuitatis mœnia, hoc eſt, lectionem ſacrorum, in quibus tamen ita verſabor, vt à Phyſicis quàm minimùm recedam; mihi enim magnopere probatur illud: *Ne ſutor vltra crepidam*;

Authoris edita volumina.

Authoris proteſtatio.

CAPVT PRIMVM GENESEOS.

IN principio creauit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem; factumque eſt veſpere & manè dies vnus. Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat

diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita, vocauitque Deus firmamentum cœlum, & factum eſt veſpere & manè dies ſecundus. Dixit verò Deus, congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida, & factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, terram, congregationeſque aquarum appellauit maria. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & ait, Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram, & factum eſt ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientẽ ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & factum eſt veſpere & manè dies tertius. Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram, & factum eſt ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit eas Deus in firmamento cœli, vt lucerent ſuper terram & præeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucem à tenebris. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & factum eſt veſpere & manè dies quartus. Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli, creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque mota-bilem quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, benedixitque eis, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, aueſque multiplicentur ſuper terram, & factum eſt veſpere & manè dies quintus. Dixit quoque Deus. Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ, ſecundùm ſpecies ſuas, factumque eſt ita. Et fecit Deus beſtias terræ, iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcã,

& cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum, & factum eſt ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona, & factum eſt veſpere & manè dies ſextus.

Philoſophorũ de mundi exordio opiniones.

NIhil magis controuertitur inter veteres Philoſophos, quam ſitne corporeus & aſpectabilis mundus, principio temporis carens, fueritque ſemper qualis nunc eſſe conſpicitur, itaquè ſemper fuerint hæc Luna, hic Sol, hæc Aſtra, & aliæ omnes mundi partes quæcunque videntur eſſe incorruptibiles, reliquarum verò ſpecies, æterna viciſſitudine, ſeruatæ ſint, & nunc ſeruentur, an aliquando incœperit, cùm aliquando omninò non extiterit. rurſum, an ab aliquo factus incœperit, an per ſeipſum caſu conſtiterit. Atqui profectò optimum id mihi eſſe videtur totius Phyſicæ exordium, ſi quis velit reſolutiuum tenere ordinem, qui diſcentium naturæ magis ſe accommodat, & petitionibus minùs indiget, quia incipit à poſtremis, de quibus primùm omnium naturaliter contingit dubitare. Nihil autem eſt, de quo priùs homines natura dociles, cùm primùm ex puerili ignoratione incipiunt emergere, dubitent, & per ſeipſos dubitantes contendant inueſtigare, Deo arbitror ita volente, quia multò exquiſitiùs fert in Dei optimi maximi, mundi ſcilicet opificis, cognitionem. Plato & Pythagoras, factum eſſe mundum imò aliquando à Deo cenſent, atque à nullo alio, quàm ab ipſomet Deo, à quo factus eſt, poſſe ad interitum deduci, interiturum verò nunquam, ſed Dei voluntate perſeueraturum, ita tamen factum, vt non ex nihilo, ſed ex rudi quadam materia, in qua ſine ordine, omnia mundi huius exordia latitauerint, eam verò materiam factam eſſe nunquam, ſed extitiſſe ſemper, & aliquando exornatam eſſe. Ariſtoteles, vt nullus eſt futurus interitus mundi, ita nullum fuiſſe temporalem mundi ortum, ſed æternam quandam à prima cauſa emanationem & dependentiam. Epicurus, cœpiſſe mundum, interiturumque rurſum, atque vtrumque ſæpe, fortuitò, nunc coëuntibus ineptè, nunc diſcedentibus corpuſculis. Anaxagoras, temerario etiam congreſſu, ſæpè diſſolutis quæ ineptè coierant, aliquando aptè coniuncta eſſe corpuſcula homogenea, bonaſque rerum formas non ampliùs diſſolui, ſed ſucceſſiua generatione æternùm ſeruari. Deus optimus maximus, in initio eorum, quos per eos, quos elegit in Propheras, ad homines habuit ſermones, nobis reuelat mundum hunc à ſe factum eſſe, neque extitiſſe

De mundi ortu Philoſoph. ſententia.

Mundi perpetua emanatio.

extitiſſe ſemper, vt piis iam hominibus dubitandi nullus relictus locus ſit. Vt verò naturalis etiam Philoſophia & ipſa per ſeſe humana mens, ad contemplandam Dei veritatem, ſuam exiguam conferat ſupellectilem, enitendum nobis eſt eorum quæ in his libris videbuntur, ad eam, aliqua ex parte, pertinere, naturales inuenire rationes. Præſtabo quod potero, certò ſcéis, idipſum, quantumcumque erit, ab ipſo eſſe Deo. Sententia Platonis hoc ſolùm diſſidet à veritate, quòd ponit materiam æternam, à qua ſit factus mundus temporalis. Cætera enim omnia vera ſunt, & rationi congruentia, mundum ſcilicet hunc factum eſſe à Deo, ac proinde à nulla alia cauſa diſſolui poſſe, quàm ab ipſo Deo: ab eo verò poſſe, vt factus eſt corrumpi. Plato dicit diſſolui in ea, ex quibus eſt compactus; nos verò dicimus poſſe à Deo in nihilum deduci, vt ex nihilo eſt factus. Itaque *in principio*, id eſt, cùm nondum vllum fuiſſet tempus, neque vlla rerum corporearum extitiſſet, *Deus*, hoc eſt, prima cauſa, æterna, & immutabilis *fecit* ex nihilo *cœlum*, *&* *terram*, hoc eſt, totum hunc mundi aſpectabilis, & corporalis orbem, qui etiam in nihilũ reduci ab eodem Deo poſſet; ſeruabitur verò in æternum, eadem bonitate, qua factus eſt. Verùm quandoquidem multas continet aſſertiones propoſitus ſermo, ſatius eſt ſigillatim diſputentur. Mundum hunc non eſſe ab æterno, ſed incœpiſſe aliquando, conſtare videtur poſſe. Nam eius ſunt partes duplices (de ſolis agitur hîc corporibus, ne de inſenſibilibus diſputatio incertas reddat monſtrationes) quædam natura incorruptibiles, quæque eodem numero perſiſtunt, vt cœleſtia corpora: quædam corruptibiles & quæ ſimiliũ ſucceſſione ſeruantur alioqui defecturę, vt homines, equi, arbores, ac denique omnia, quæ intra cœlum oriuntur. Res corruptibiles non poſſunt ab æterno eſſe; ſunt verò neceſſariæ mundi partes: ergo neque mundus omninò poteſt ab æterno eſſe. Propoſitio indicatur, quia res corruptibiles ſeruantur multitudine ſingulariũ ordine ſuccedentium; multitudo verò non poteſt eſſe infinita actu, ſed potentia, non poteſt ergo ea ſucceſſio ab æterno venire, (poſſit verò ſi Deus velit in æternum abire,) nam nullum corruptibile poteſt durare, niſi tempus finitum: ex finitis verò numero, & magnitudine, non poteſt conſtare niſi finitum: tempus verò ab æterno veniens, neceſſariò fuiſſet infinitum. Ergo neceſſe eſſet, quodcunque corruptibile venire ab infinitis numero ſimilibus; fuiſſet igitur infinitus numerus ſingularium, numerum verò infinitum eſſe actu continet contradictionem; igitur fieri non poteſt, vt corruptibilium generatio veniat ab æterno. Vt verò

Platonis & veritatis de mũdi ortu diſcrimen.

Mundi partes duplices.

Infinitum actu impoſſibile.

in æternum abeat, non repugnat, quia multitudo adiectione finitotum, etſi adiectio nunquam ceſſet, nunquam fit infinita, niſi potentia, hoc eſt, quòd nunquam finiatur, neque ceſſet adiectio: vt continuum poteſt diuidi diuiſione nunquam finienda; tamen congeſtione ſingulorum, nunquam poſſet eſſe congeſta multitudo infinita. Eadem ratione monſtratur, neque corpora cœleſtia ab æterno eſſe (niſi fortè fuerant æternùm quieſcentia, & cœperunt aliquando moueri) nam etſi neque oriantur, neque intereant, mouentur ſemper ſucceſſiuis circuitionibus, adiectione verò circuitionum conſtat earum numerus, quare eſſet iam numerus infinitus. Itaque conſtat poſſe dierum ſucceſſiua continuatione ordinem durare in æternum, ſi velit Deus. tamen venire ab æterno non poſſe, continetque re vera contradictionem, æternum & principio carens eſſe, quod vmquam mutabile ſit. Sed fortè quiſpiam monſtrationem non intelliget, & proteruiens dicet, non poſſe eſſe numerum certum & infinitum, tamen poſſe eſſe multitudinem incertam & infinitã, aut rurſum, non poſſe eſſe infinitam multitudinem rerum ſimul exiſtentium, poſſe tamen eſſe ordine præteritarum. Ob hanc enim cauſam, ſunt qui dicant, repugnare, mundum ab æterno eſſe, & hominum animas immortales, timentes ſcilicet ne infinitæ iam animæ æterna hominum generatione, collectæ ſint. Sed hi debilitet admodum intelligunt quam contradictionem contineat, numerum eſſe infinitum, non enim refert, res quarum eſt numerus, ſint, an fuerint, niſi fortè cenſeãt, ob id non poſſe eſſe eam rerum multitudinem infinitam, quòd non ſit locus quo capiantur, aut quibus nutriantur cibi. certè repugnantia in ipſius numeri natura eſt, qui ſi numerus eſt, non poteſt non eſſe numerabilis, par, aut impar, atque ob id finitus: neque poteſt eſſe numerus, qui non fiat adiectione vnitatis maior; infinito verò nihil maius, neque minus eſt numerus rerum præteritarum, quàm præſentium, verè enim idem eſt numerus dierum præſentis anni, & ſuperioris, neque verò locus eſt dicendi, multitudinem eſſe quæ non ſit numerus, multitudo enim omnis diuiſibilis, & quanta; quanta verò quantitate diſcreta: quantitas verò diſcreta, & numerus, eadem res eſt. quapropter multitudo etſi mihi poſſit eſſe incerta & innumerabilis, ſimpliciter verò & in ſeſe nulla poteſt eſſe, niſi certa & numerabilis. Verùm propter imperitos, & proteruos, monſtratur hoc idem, ducendo ad inconueniens: hæc enim ratio faciliùs reuincit minùs perſpicaces. Pone contrarium, putà, ab æterno eſſe hunc Solem, & circa terram volutari, neceſſe eſt diem hodiernam ab infinitis

Continui diuiſibilitas.

Infinito nihil maius.

infinitis diebus ordine ſuccedentibus,fluere: quapropter à ſuperiorum dierum aliquibus,diſtabit hæc, tempus finitum, ab aliquibus,infinitum, nam ſi ab omnibus diſtaret finitum, totus ipſe mundus habuiſſet initium: ab omnibus verò non diſtat infinitum(neque enim ab heſterna,) ſi igitur fuerūt dies à quibus hæc diſtat,infinitum tempus,ab illarum quacunque incœpit dierū numerus qui additione vnitatum factus fuerit infinitus;quare ſi ab ea die cœpiſſet fieri, ita vt ſingulis diebus pars proportionalis decederet, perfecta iam eſſet cōtinui diuiſio:ſiquidem facta eſſet diuiſio infinita,atque eadem ratione,qui ab hodierna die inciperet numerus,aliquando eſſet euaſurus infinitus,fieretque infinitum ex finito additione finitorum:& eſſet infinitum inter duos fines, hanc ſcilicet diem, & illam à qua hæc diſtabat infinitum. Dices, non poteſt indicari dies, à qua hæc diſtaret,infinitum,à te certè non poſſit,ſed rogo,an fuerit aliqua?ſi enim nulla fuit,neque mundus fuit ab æterno,ſin autem fuit,ab illa incœpit numerus,tam quæcunque vnitas,quæ non eſt vltima,inchoat numerum. Dices, continent contradictionem hæc, atque ob id non poteſt intelligi dies quidam, à quo hic diſtauerit infinitum.Certè ſi fuerunt plures, in multis non potuit non eſſe aliquis,quare ſi poſito mundo ab æterno, ſit neceſſariò vt plures dies fuerint, à quibus hic diſtet infinitū & multis exiſtentibus ſit neceſſariò, vt eorum quiuis fuerit aliquis, à quo hic diſtet infinitum,& dato aliquo tali, ſequuntur abſurda, & contradictionem continentia, ſit neceſſariò, vt id quod primò ponebatur, putà mundum ab æterno exiſtere, contineat contradictionem, & cenſeatur impoſſibile, nam ob abſurdum, quod colligitur, tolli debet quod primum ponebatur,non quæ fiebant, nam ſi concedis id quod accipiebatur, & tollis aliquid eorum quę fiebant,cogeris concedere duas aſſertiones contradicentes,quia non potes non concedere,quod ſit ex eo quod admittis,quia verò hoc idem tollis,concedes oppoſitum,& contradicens.Mundus igitur non potuit eſſe ab æterno. Sed hactenus proceſſit mōſtratio ex corruptibilibus mundi partibus,aut ſaltem mutationes aliquas ſubeuntibus.Sed ſi quis affirmet,ortus & interitus, atque omninò omnes mutationes, aliquando incœpiſſe, tamen fuiſſe ab æterno, & ante omnem mutationem, æterna cœlorum corpora, quieſcentia, aut etiam corpora elementorum, ob cœlorum quietem ab omni mutatione vacantia,itaque,præcipuas mundi partes eſſe nunquam, moueri verò cœpiſſe aliquando atque inde cœpiſſe initium ortus & interitus, qui, inquam, diceret; Nunquid conuinci poſſet? poſſet certè, hac ratione. Aut corpora illa, quæ æternum quieue

Mundum eſſe ab æterno contradicit.

quieuerunt, fuerunt facta ab æterno, aut omninò non fuerunt facta; neutrum verò eſſe poteſt verum: ergo neque omninò potuerunt eſſe ab æterno. Nam ſi facta omninò non ſunt, fit vt ſint per ſeſe ab æterno, & eſſe proprio exiſtentia. Quapropter nullum illorum ab alio pendeat, aut alio poſterius ſit, ſed per ſe ſint, & operentur ab æterno, (cùm operatio proce-dat à cuiuſque rei natura, & proprio eſſe,) quare nulla illis prior cauſa ſit, (ſi enim hæc effecta ab alio non ſunt, nõ ſit vlla eorum cauſa,) quapropter mundus hic vniuerſus, neque vnus erit neque totus, neque perfectus, cùm non pendeat totus ab vnica virtute & cauſa, neque cauſæ omnes in vnam omnium primam referantur: ſed ſint multæ mundi partes à quibus non procedatur ad vllam aliam ſuperiorem, & priorem, hoc verò fieri non poteſt: nam, aut illæ partes habent aliquam naturam ſiue eſſentiam communem, aut omninò habent nihil cõmune. Ex adeò diuerſis, vt nihil commune dicatur de illis, nulla ratione poteſt conflari vnum: nam neque ordo eſſe poteſt inter omninò diuerſa, ordo enim ſecundùm aliquid commune eſt, dicimus enim inter Petrum & Franciſcum ordinem quemdam eſſe iunioris & ſenioris, quà Doctores ſunt, quia hic iunior, ille ſenior, tamen quà Petrus homo, & Franciſcus doctor, aut quà Petrus doctor, & Franciſcus Burgẽſis, nullus ordo eſt, quia hominis, & doctoris & Burgẽſis, non eſt vlla communis ratio. Si igitur dicas, illas partes à nulla cauſa pendentes, neque vlla poſteriores nihil habere commune, tollis omninò mundum, quo ſublato, nihil eſt: nam mundus, neque vnitate cauſæ primæ, neque vnitate eſſentiæ, neque ordinis, erit vnus. ſi verò nulla ratione vnus eſt, neque eſt omninò, quia ens & vnum conuertibiliter dicuntur. Si eò velis procedere ſtupiditatis, vt concedas mundum non eſſe ens, ſed entia diuerſa omninò, & æquiuocè dicta, mundum ponis rem omniũ imperfectiſſimam, præterquam, quòd ſenſus ita dicere prohibet, cùm vnica & omnium perfectiſſima totius figura, & partiũ poſitio, eſſe cernatur. Si verò concedis, partes illas mundi habere aliquã eſſentiam communem, conſtat, quandoquidem non ſunt omninò eadem, habere eas aliquid commune, & aliquid diuerſum. Eſt autẽ quod commune vnum, quæ diuerſa multa. Illud ergo cõmune, priùs erit illis omnibus diuerſis, ſiquidẽ ex eo conſtant, hæc non: ergo erant illæ partes ſuo quæque ordine, primæ cauſæ, ſed pendebant illæ omnes ab aliqua priori cauſa, à qua data erat eis communis illa eſſentia. Nullatenus ergo fieri poteſt, quin corpora omnia facta ſint. Si verò facta ſunt, non certè ab æterno tempore, ſed aliquando: nam quod fit, ex non ente

Operatio procedit à natura & eſſe.

ente ſit, quod factum,ex non ente eſt factum. Ergo antequam eſſet ens, fuit non ens, ſeu non fuit ens,non ergo fuit ſemper, & ab æterno ens, ſed aliquando ens, aliquando non ens.quod enim ſemper fuit,numquam eſt factum, quia quod fit, non eſt. Neque certè aliud eſt facere, quàm ei quod non eſt, eſſe tribuere. Verùm hoc ita habere,hoc modo meliùs intelliges. Nemo dicet Solem nunc fieri à Deo, quia nunc Sol non fit.Si verò Sol ab æterno eſt, numquam fiebat magis quàm nunc fit, quia numquam erat minus, quàm nunc eſt: nullo ergo modo poteſt eſſe ab æterno, quod factum eſt. Siquidem ergo ſatis monſtratum eſt mundum eſſe factum, conſtat non eſſe ab æterno, ſed in principio temporis, ſimul ſcilicet cum corporibus incipiente motu, & cum motu naſcente tempore. Itaque in principio facta ſunt cœlum & terra. Si verò facta ſunt in principio, aut facta ſunt à ſeipſis ſponte naturæ orientia, aut ab alio: à ſeipſis non potuerunt,quia quod facit,eſt actu,quod fit,non eſt actu. non magis ergo poteſt aliquid facere ſeipſum quàm eſſe ſimul & non eſſe.Supereſt facta eſſe ab alio.illud verò aliud, aut non erat factũ,aut æternũ.ſi factum,illud rurſum fuerit factum ab alio, & illud ab alio; peruenietur ergo ad aliquod æternum,à quo ſint facta omnia, aut ibitur in infinitum. Si permittis ire in infinitum, redibunt omnia argumenta quibus monſtrabatur non potuiſſe infinitas rerum generationes antecedere: ergo neceſſe eſt ponere æternum aliquod, & primum,à quo facta ſint omnia, quæ facta ſunt: illud verò,quia æternum, ſit primum, quia primum, ſimplex, & vnum; quod verò eiuſmodi,omnes homines Deum eſſe dicunt. Deus igitur eſt,qui in principio fecit cœlum & terram.Sed quo pacto fecit? Latini nolunt legere, *fecit*,ſed *creauit*, ſignificantes hoc verbo, feciſſe ex nihilo. quod etiam ipſum videtur mihi monſtrari poſſe eiſdem argumẽtis nam ſi fecit ex aliquo,aut illud aliquid factum fuit, aut non: ſi factum fuit, rurſum rogabo an ex nihilo,an ex aliquo, ſi ex aliquo, de illo rogabo rurſum,ibiturne iterum in infinitum, & redibunt argumenta numeri infiniti:ſin aliquando cœpit rerum fabrica ex nihilo, hoc eſt quod aſſeritur:ſi verò illud numquam eſt factum,redeunt argumẽta eadem quæ de incorruptilibus mundi partibus proferabantur.eiſdem igitur argumẽtis,quibus indicauimus,mundum eſſe factũ, indicatur factũ eſſe ex nihilo. Adeò ridere lubet præſtãtiſſimos illos Philoſphos,qui ante mundi ortum ponebant alij corpuſcula, quæ in immenſo ſpatio ſine ordine volutarentur: alij hæc ipſa corpora, velut in conturbata miſcella latitantia. quid hi faciebant lucri? vt ſcilicet mũdus ab æterno fuiſſet deformis

Non ens, entis principium.

Cœlum & terra facta ſunt non à ſeipſis, ſed ab alio.

Latini dicunt mũdum fuiſſe creatũ, non factum.

Mũdus ex nihilo factus.

Philoſophorum ignorãtia de ortu mundi.

formis, & aliquando exornaretur. an minus eſt abſurditatis & repugnantiæ, in infinita multitudine motionũ inordinatarum, quàm ordine ſuccedentium, & in æternitate corporis deformis, quàm pulchri? an nõ ſatius erat pulchrum ab æterno ponere? nam perfectio & pulchritudo propior eſt ipſi eſſe: imperfectio & deformitas, ipſi non eſſe. Ego certè hac in re laudo Ariſtotelem, quod cùm impoſſibilitatem (vt ita dixerim) æternorum motuum, & corporum, non prouiderit, maluit ab æterno eſſe pulchram hanc mundi faciem, quàm aliquando ex æterna deformitate emerſiſſe: oportuit verò ipſum æternitatem illam temporis meditari, reperiſſet ſiquidem, vt neque in corpore, neque in loco (hæc enim ille demonſtrauit) ita neque in tempore infinitatem eſſe potuiſſe, ſiquidem eſt etiam tempus quantum, vt & corpus, & locus; ſi igitur omnia quanta finita, tempus quoque totum finitum eſt, & erit, quare factus eſt aliquãdo mundus ex nihilo. Porrò fieri aliquid album, eſt fieri quale; fieri ſeptipedale, eſt fieri quantum, huic loco accedere, eſt fieri hîc, fieri verò hominem, aut equum, eſt fieri hoc; fieri mundum, eſt ſimpliciter fieri, aut fieri ens: quia neque eſt fieri hoc aut illud, neque quantum, neque quale, ſed fieri ſimpliciter: vt ergo quale fit ex non tali, vt album ex non albo, quantum ex non tanto, vt tripedale ex non tripedali; ſic ex non hîc exiſtente; velut Complutum venit qui erat Toleti: hoc aliquid, ex non hoc, vt homo ex non homine. ita neceſſe eſt fieri ſimpliciter, ex ſimpliciter nõ ente, atque ita ex nihilo. Reſpondebis fortaſſe Platonicè, factum eſſe mundum ex non ente ſimpliciter, non tamen proinde ex nihilo. Sed neque hoc dici poteſt, nam ſi ponis illud, ex quo mundus eſt factus, quodque ab æterno erat, qualem materiam primam fingimus, ea ne intelligi quidẽ ſine omni forma poteſt, nedum eſſe. Si enim ea, mera potentia, omni actu vacua erat, non poterat exiſtere actu (nulla enim exiſtentia ſine eſſentia eſt,) ſed potentia, potens virtute diuina educi ex nihilo, vt ex ea corporales formæ virtute naturali educerentur: interim tamen nihil exiſteret, præter ipſum Deũ, qui in principio fecit cœlum & terrã, ex nulla materia. Sed quo pacto facit? iubẽdo fieri. Hoc quoque deridebant ſummi illi, & admirandi Philoſophi, cenſentes Deũ, velut fabrũ quendam, aut figulum eſſe. neque aliter, quàm quædam cõtorquendo, quædã producẽdo, quædã pinſendo, & alia quædam machinando, ſua opera effeciſſe: & quædam eorum per ſe, quædam per minores Deos. Verùm ſi, vt monſtratum eſt, fecit Deus omnia ex nihilo, conſtat, Deũ ipſum per ſe feciſſe omnia, quia potentiæ infinitæ eſt, ex nihilo facere, & ob id nulli finitæ poterat demãdari. nõ poteſt verò eſſe virtus infinita niſi vnica,

Laudatur Ariſtoteles ab authore.

Materia mera potentia. Exiſtentia ſine eſſentia nulla.

Deus potentia infinitus.

eaque prima & ſumma, neque enim in infinitis eſt maius. Si igitur fecit Deus ipſe per ſeſe omnia ex nihilo, non potuit facere aliter, quàm iubendo: non enim educẽdo ex materia vlla, neque aliquid machinãdo circa materiã, quæ erat nulla: neque erat quod operi repugnaret, neque quæ ſe minùs ductilẽ præſtaret, materia, quã elaboraret, nihil aliud eſſe potuit, illud facere, quàm ex ſuã infinita fœcunditate, bonitate, potẽtia, & ſapientia infinita, quæ in eo vnica & ſimpliciſſima res eſt, iubere, vt res fierent. eſſe autem primę cauſæ fœcunditatẽ infinitã, hoc eſt, facultatẽ faciendi ex nihilo, neq; indigere, vt faciat, materia vlla, idque ponere, ob ipſius mũdi integritatẽ & perfectionem, neceſſariũ eſſe, in Phyſicis quæſtionibus monſtrauimus: neque pigebit nunc repetere. Certè non eſt perfectus & pulcher mundus, niſi omne quod ſit pulchrũ, ſit aliqua bonitas quæ velit; & omne quod ſcibile, ſit ſapientia quæ ſciat; & quod poſſibile, potentia quæ poſſit. Nam quà aliquid poſſibile nõ potuit, aut ſcibile ignorauit, aut pulchrũ noluit, vel inuidit, mancũ & imperfectũ exierit opificiũ, ipſum verò pulchrũ, aut ſcibile, nemo definit ad bonitatẽ volentis, aut ſcientiam ſcientis. Sed pulchrum eſt quod rei cui accidit, ad propriã bonitatem obtinẽdam, perfectionem adiicit; & ſcibile, quod in ſeſe habet principiũ, vnde ſciri poſſit: igitur neque poſſibile, quod ſimpliciter dicitur & nõ ad aliquid, definiri debet ad potẽtiam, ſed ſimpliciter poſſibile, eſt illud, quo facto & poſito, nulla repugnantia fit, aut contradictio, tunc enim res per ſeſe fuerit impoſſibilis, cùm in ipſa eſt (vt ita dicamus) impoſſibilitas, externũ verò quiddam fuerit, ſi ob id ſolum dicatur impoſſibilis, quòd non ſit cauſa quæ poſſit facere. Oportet igitur ſit in rebus cauſa aliqua, quæ poſſit, quidquid in ſeſe repugnantiam nullam continet. At verò fieri ex nihilo, nõ eſt ſimpliciter impoſſibile, ſed impoſſibile cuidã virtuti finitæ, putà naturali, qua virtute eſſe aliam ſuperiorem, & potentiorem, non eſt impoſſibile. Si igitur eſſe aliam virtutem maiorẽ omni natura, quæ poſſit facere ex nihilo, nõ eſt impoſſibile, eſt poſſibile: ſi verò eſt poſſibile, eſt etiã neceſſarium, quia, (vt Ariſtoteles acutiſſimè dicit) in æternis idem eſt quod poſſibile, & quod neceſſariũ. neceſſe eſt igitur eſſe Deũ, eumque per ſeſe feciſſe in principio temporis cœlum & terram, iubendo vt ex nihilo fierent, neque eſt quòd quempiã perturbẽt aniles dubitationes, quid faceret Deus ſolus, in illa æternitate otioſus? cur non faceret hæc corpora multò antea; nã qui omnia habet intra ſe eminenter, nulla vnquã re caret, qui ſibi eſt ſufficientiſſimus, nũquam eſt otioſus. Iam verò mũdus, ſiquidem factus eſt in principio tẽporis, cùm in æternitate neque ſit prius, neque poſterius.

Cauſæ primę fœcunditas.

Mundi perfectio.

Poſſibile quid ſit.

Fieri ex nihilo nihilà finito poteſt.

Deus quid ante mundum.

poſterius. fieri verò non potuit ab æterno, ob contradictionem, quam aperuimus. non eſt ergo quod queramur non eſſe factum anteà. Sed relicta æternitate, accipies interrogationem à tempore, in quo eſt plus & minus, prius & poſterius, rogabiſque, cur vt eſt nunc mundus ſex mille annorum, non eſt etiam decem mille, vt eſſet factus mundus quatuor millibus annorum antequam factus eſt? ego te rurſum rogo, an ſi ita eſſet factus, non eſſet hæc tua dubitatio? neque rogares cur non eſſet factus priùs, certè eſſet eadem; quid ſi centum mille nunc eſſet annorum mundus, vt aliquando erit, niſi intercipiatur tempus? eſſet certè eadem; quid ſi centies millenis mille? tunc quoque. ſi igitur niſi ab æterno fieret, non poſſet abeſſe hæc dubitatio; ab æterno verò fieri non potuit ad quem potiùs pertineret momentum creationis indefinitum definire, ad te qui dubitas, an ad Deum qui fecit; meritò ergo fecit in principio, idque temporis principium fuit cum ipſo creationis. Videri poſſit, verbum illud, *creare*, non habere eam vim, quam diximus, ſed eſſe vtcumque facere, ſiquidem dicitur, *creauit Deus hominem*, at verò non fecit eum ex nihilo, ſed ex limo terræ. ſed neque alia viuentia fecit niſi ex terra aut aqua Diuus Auguſtinus cenſet, omnia eſſe creata ſimul eodem momento, ſeu in eodem nunc, illam verò partitionem dierum non ſignificare partes temporis, ſed diſtinctionem, & gradus quoſdam naturæ rerum: atque factum eſſe hominem ex terra, non actu præexiſtente, ſed exiſtente potentia in ipſo, velut quiuis dicitur noſtrûm verè factus ex quatuor elementis, tametſi nulla terra, aut aqua erat actu id, ex quo facti ſumus, ſed ſemen & ſanguis. Itaque vt vnico intuitu tota facies, & eius omnes partes, in ſpeculo exprimuntur, ita vnica iuſſione Dei, conſtitiſſe totam hanc corpoream molem, & in ea refulſiſſe illum diuinitatis fulgorem, quem vocamus naturam: cæterùm quia non omnes Sancti hoc ita intelligunt, alia reſponſione eſt opus. Dei verbo, *creare*, ego ita cenſeo, creare duplex eſſe, alterum & præcipuum, ex nihilo facere: alterum ſine materiæ diſpoſitione facere, nam ſubſtantia non videtur aliter fieri poſſe, quàm generatione, aut creatione: generatio verò non eſt niſi in materia diſpoſita; quæ igitur ſine materiæ diſpoſitione eſt, creatio vocari debet. Quapropter ſiue ex nihilo omnia, ſiue ex nihilo quædam, quædã ex materia non diſpoſita, ſed iubendo fecit, omnium eſt Deus effector & creator. Fecit verò Deus, omnia quæ fecit, valde bona, id eſt, ſuis ſingula formis perfecta, quia ipſe valde bonus eſt: & bonus omnia vult bona eſſe, quia nulla vmquam

Mundus cur non priùs factus.

Creare quid.

Homo ex terra.

Homo ex elementis factus.

Creare duplex eſt.

Subſtantia quomodo fiat.

de re inuidia tangitur. voluit ergo omnia fieri valde bona, quoniam bonus; ſciuit verò quæcunque voluit; & potuit quæcunque ſciuit & voluit, quia vt eſt ſummè bonus, ita & ſummè ſapiens & potens. Tria igitur ſunt omnium rerum principia, potentia, ſapientia & bonitas, quæ in prima cauſa vnicum, & idem principium eſt. innumera alia continet præſcriptum caput, de quibus, quia ſcio non poſſe me pro dignitate dicere tacere malo, ac relinquere enarranda Theologis, quibus dedit Deus, in hoc ſanctarum ſcripturarum paradiſo liberiùs verſari. Apponam verò quam mihi Deus dederit, ſex dierum enarrationem; hinc capto initio: *Vidit* (inquit) *Deus quòd eſſet bonum, & ait, germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. & factum eſt ita & protulit terra herbam virentem, & facientẽ ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum. & habens vnumquodque ſementem iuxta ſpeciem ſuam.*

Tria rerũ principa.

Videtur his verbis ſignificari, nullam omninò eſſe herbam, neque plantam, quæ ſemen non proferat: ſiquidem omnia quæ terra producit, videntur eſſe creata à Deo, at verò nihil videtur Deus iuſſiſſe vt germinaret terra præter ea quæ ſemen proferunt. omnia ergo quæ terra germinat, ſemen proferunt. at verò videtur huic aſſertioni experimentum repugnare: ſiquidem in arboribus Salix, Vlmus, Populus, & Fraxinus, & huiuſmodi aliæ, nullum videntur habere ſemen. minutulæ & annuæ herbulæ, quibus prata omnia conueſtiuntur, ſpontè naſcuntur ſine vllo ſemine, & fungorum omnia genera, qui & ipſi nutrimentum & ortum ex terra capiunt. fici etiam nullus flos, nullus fructus eſt, teſte Dioſcoride, ſine quibus ſemen nullum eſſe poſſit. Quid ergo, an hæc non ſunt creata à Deo? certè creata ſunt omnia à Deo, ſed, vt arbitror (niſi tamen aliter ſancta cenſeat Eccleſia, ita enim facilè aſſentiar) non omnia eodem modo nam rerum, quæ ortui & interitui ſunt obnoxiæ, quædam non aliter generari poſſunt quam à ſuo ſimili: vt homo ab homine, equus ab equo; quædam verò diſſimilium cauſarum concurſu generantur per accidens, vt quæ generantur per putreſcentiam, aut etiam per concoctionem, aut per alterationes quaſdam, quarũ rerum generationes, non tam referuntur in vllam facientem cauſam, quæ proxima ſit, quàm in materiæ diſpoſitionem. velut aurum non gignitur ab auro, aut argentum ab argento, aut omninò metallorum vllum ab eiuſdem ſpecie alio, neque lapis vllus à lapide. his enim rebus nulla ſeminalis virtus eſt, vt neque vllis earum, quæ vegetabilem non habent naturam. Plantarum etiam & animalium multis accidit, vt per accidens,

De plantarum ſeminibus quæſtio.

Generatio à ſimili & diſſimili.

Generationis animaliũ & plantarum triplex modus.

B neque

neque à ſui ſimilibus generentur, atque in vtriſque(plantis inquam & animalibus)eſt triplex differentia.quædam enim(quæ ſcilicet ſunt perfectiſſima)non aliter quàm per ſe,& à ſibi ſimilibus generari poſſunt,vt homo,equus,bos, & elephas, & nux, prunus,& palma,& pomifera omnia:quædam(quæ ſcilicet ſunt viliſſima)ſemper generantur per accidens ; vt pediculi, & vermes & fungi,& alga.quædam ſunt inter hæc,perfectione etiam media,quæ cum à ſimilibus,& ſeminali vi generentur, ſponte etiam naſci poſſunt;vt mures,qui habent vtranque generationem,& veſparum,& locuſtarum,ac ſcarabeorum genera Herbas etiam aliquas, earum quæ ſemen afferunt,ſponte naſci, ac ſine ſemine poſſe, omnes exiſtimant, inde capto argumento, quòd quibuſdam in terris viſæ ſint denuò,atque vbi nullæ vnquam tales fuerint innaſci. velut Theophraſtus, cap.5.lib.1. de Cauſis plantarum,narrat, laſerem aliquando in Apturea ortum eſſe ex imbre quodã craſſo,cùm in ea mundi parte fuiſſet nunquam:atque ibidem ſyluam quandam ingentem proſiluiſſe aliquando,vbi nulla anteà fuiſſet. quanquam non deſunt,qui horum etiam euentuum quærunt ſeminalem cauſam, velut Anaxagoras,qui cenſet ipſum aërem deferre ex aliis in alia loca ſemina,hincque fieri,vt hominibus id non ſentientibus fiant generationes quædam alicubi , quæ videbantur eſſe ſpontaneæ, cùm tamen non ſint. alij cauſantur inundationes,confluxuſque aquarum , dicentes omnium digreſſionibus fieri, vt ſemina ex aliis in alias partes deferantur.Sed etſi hæc non ineptè dicantur, mihi videtur multò probabilius , ſiquidem in animalium genere ſunt nonnulla quæ vtrunque habent ortum eſſe in plantis quamplurimas. nam ex ſemine ſolùm poſſe conſiſtere , neque vllum habere accidentalem ortum,perfectioni tribuitur. at verò genus animalium perfectius multo , quàm plantarum eſt. plantæ ergo plures habent naſcendi modos, neque tam tenentur conditione naſcendi ex ſemine,quã animalia. quod rurſus vel hoc argumento conſtat,quòd animalia perfecta,non aliter quàm ex ſemine naſci poſſunt,plantæ verò etiã hæ,quæ maximè ſemen proferunt,naſcuntur etiam inſitione, & plantatione, & germinatione, ſuntque illis omnes hæ productiones per ſe. itaque non eſt quod videatur inopinabile , plantas pleraſque earum,quæ ex ſemine naſcuntur, naſci poſſe ſpontè ex terra & aquæ fœcũditate ſolum,cùm id accidere videamus animalium non paucis. quin potiùs exiſtimo , quæ omni careant ſemine, eſſe perpaucas : quæ poſſint ſpontè naſci quàmplurimas, nam, vt Theophraſtus rectè cenſet latitare potiùs quàm non eſſe ſeminis naturam, eſt arbitrandum. velut in thimo eſt ſemen,

Quædam herbæ naſcuntur ſine ſemine.

Laſeris ortus.

Ortus ingentis ſyluæ.

Seminalis vis in plantis.

Thimi ſalicis & vlmi ſemen.

quod ſenſu percipi nequit,& in ſalice,& vlmo & eiuſmodi aliis. ſunt etiam quibus ſeminalis vis eſt in lacryma, vt iridi. atque generatim,vt Theophraſtus inquit,ea faciliùs,atque ex minori principio valent generari, quæ imperfectiora ſunt. quamquam ergo veriſimile ſit,quàmplurimas,& herbas & arbores,quæ catere videantur,habere ſemina vt de ſalice,& vlmo,dicebamus: non tamen proinde negandum, eſſe multas, quæ omninò non habeant, & nonnullas earum,quæ habent, ſponte etiam oriri poſſe:cùm illa triplex naſcendi differentia noretur in animalibus, quæ genere quidem ſunt perfectiora. ex dictis conſtat res quaſdam eſſe,quibus(niſi illas Deus in illo mundi exordio feciſſet) neceſſariò eſſet ſemper mundus cariturus, alias verò, quæ,etſi à principio factæ non eſſent,poſſent deinceps,ex ipſis mundi elementis naturaliter oriri. Nam elementorum, ſi vel vnum tollas,neceſſe eſt tolli omnia,ac cum illis etiam concreta corpora.quia cùm primæ contrarietates, primo inſint elementis, ſintque ipſæ elemtorum naturæ, ſublatis elementis, tollerentur contrarietates primæ,atque his ſublatis tollerētur rerum omnium generationes,cùm hæ omnes agantur per alterationes mutuas.quæ naſcuntur à contrarietatibus. quòd verò ſublato eorum quocunque, neceſſe ſit tolli omnia elementa conſtat:quoniam ſi frigus omninò non eſt, neque calor ſit. ſiquidem ſi calfactio nulla eſſe poteſt, neque calor omninò eſt: at verò ſi omninò non frigus,neque calfactio vlla eſt:neque refrigeratio,niſi calor:ſiquidem omnes contrarij motus, ſunt inter eoſdem terminos,contrario modo:vt calfactio à frigido in calidum;refrigeratio à calido in frigidum. Neceſſe eſt igitur, quocunque eorum ſublato, alterum tolli, eadem ratio eſt humidi & ſicci.Porrò hæ duæ contrarietates, calidi & frigidi humidi & ſicci,relationem quandam habent ad ſeſe: ſunt enim primæ actiuę,ſecūdæ paſſiuæ.quapropter vtræque ſine aliis,ad generationes rerum eſſent otioſæ & inutiles. omnes ergo neceſſe eſt in mundi exordio extiterint: quare, & prima corpora, quorū primæ illæ, ſeu virtutes,ſeu qualitates,ſunt. neceſſariò ergo ſi modò futurus erat mundus,creata fuerint in initio elementa. quo autem modo poſteà dicemus. Iam verò cœleſtia corpora multò magis, & propter ſeſe, & propter alias mundi partes.propter ſeſe;quando quidem niſi diuina virtute eſſent in initio creata,cùm nullum habeant ortum aut interitum naturalem,nunquam deinceps oriri poſſent:propter alia verò,quoniam cùm omnis aliarum rerum virtus ab illis gubernetur, nullæ prorſus naturalium mutationū ſine illis eſſe poſſet. Neceſſe etiam eſt fecerit Deus ab initio ea omnia animalia,atque

Facta neceſſario in principio.

Contrariis ſublatis generatio tollitur.

Frigore ſublato tollitur calor.

Motus contrarij inter quę.

Corpora cœleſtia quorſum.

Facta neceſſariò in principio.

omninò viuentia,quæ ex ſolo ſemine,aut germinatione generationem habent. niſi enim initio diuina virtute eſſent facta, nunquam deinceps oriri poſſent vt neque modò,ſi omnes homines,aut equi,aut leones morerentur, eſſet vnde rurſus oriri poſſent: nimirum non habent aliam generationem quàm ex ſemine. Ita etiam arbitror,ſi nuces omnes,cum toto nucum ſemine perirent, mundus eſſet in poſterum ea planta cariturus. at verò metalla, & lapides, & ea ſiue animantia, ſiue plantas, quæ putreſcentia quadam generari poſſunt, non par neceſſitas eſt,vt Deus fecerit ab initio: poſſent enim ipſa poſteà ex rebus aliis naturaliter oriri, velut nunc gignuntur mures & vermes, vbi nulli anteà fuerint,atque metallum quodcunque,ſolis virtute gignitur ex terra & aqua. quapropter, ne mundus his careret, minùs videtur neceſſarium fuiſſe, vt Deus creandi vim apponeret, cùm naturalis eſſet futura ſatis, atqui fortaſſe propoſitæ dubitationi iam reſpondimus, atque ob hanc cauſam, non ſimpliciter dixit Deus,*producat terra herbam viuentem, ſed virentem,& facientem ſemen,& lignum pomiferum faciens fructũ iuxta genus ſuum*: ac repetit.*cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terrã*.hoc eſt,quod non aliter oriri ex terra poſſit,quàm ex ſuo ſemine. fortaſſe etiam hanc ob cauſam,in tota mundi creatione, nulla fuſilium,neque gemmarum,facta mentio eſt ſed tantùm elementarium corporum, & cœleſtium, & animalium natantium,& volantium,& terreſtrium,& plantarum,quarum ſemen in ſemetipſis ſit ſuper terram, ac poſtremò hominis: quaſi ex in initio creatis, reliqua eſſent naturaliter eruptura. neque verò huic ſententiæ repugnat, quod 18. cap Eccleſiaſtici dicitur, *Deus qui ſemper eſt fecit omnia ſimul*:verè enim fecit omnia ſimul in illo mundi initio, non tamen omnia eodem modo, ſed alia quidem ipſa per ſeſe,alia in ſuis principiis. Extiterunt à principio omnes rerum formæ,aliæ quidem actu,aliæ potentia:quoniam iam inde omnes, aut erant actu, aut poterant naturaliter oriri. neque quidem hoc durum videri cuipiam debet,quod in quibuſdam exemplis videtur poſſe demonſtrari cùm enim ſint quædam animalcula, quæ non aliam, quàm ex hominis morbis,ac excrementis generationem habent,vt pediculi, lentes,& acarus, animalculum inquam illud omnium minimum, quod ſcabiei eſt initium (aratorem vocant vulgò, & vulgares Chirurgi ſyronem)& lumbrici,tam lati,quàm rotundi,& aſcarides vocati,& quædam alia animalcula innominata,quæ in quibuſdam abſceſſibus, & in oſſium carie reperta ſunt, conſtat ea ab initio non extitiſſe: cùm Adamus ſine vllo morbo creatus à Deo ſit,atque adeò perſtiterit vſque dũ peccauit,quod perfecta iam

Fuſilium & gemmarum nulla mẽtio in creatione.

Facta ſimul omnia.

Actu aut potentia ſemper formæ ſunt.

Animalia ex excrementis.

Adamus ſine morbo creatus.

ſam mundi creatione,euenit.Itaque res quaſdam viliſſimas, & quæ ex putreſcentia tantùm fiunt, cuiuſmodi quæ dicta ſunt animalcula, & algam, quæ putreſcente aqua in lacunis gignitur, quæque ſordes potiùs dicuntur quàm res, vt inquit Ariſt. non dubito poſt exactam mundi creationem pullulaſſe an verò res aliæ, quæ adeò viles non ſunt,poterunt tamen naturaliter oriri, vt metalla, lapides, & viuentia,quæ vtrunque ortum habent, ex ſemine inquam, & ſpontaneum, intra ſex primos dies ornandi mundi gratia extiterint, an non, ſed poſteà orta ſint:haud habeo quòd affirmem. Illud tamen mihi videtur probabiliſſimum, ea ſi in ipſo mundi initio extiterunt, non tam creatione, quam properata generatione eſſe facta. nam receptiſſimum eſt illud Philoſophorum axioma, naturam (multò magis Deum) nihil fruſtra facere. fruſtra verò apponeretur creatio, vbi generatio naturalis eſſet ſatis. poterat;verò Deus optimus maximus,exornandi ſtatim ac perficiendi mundi gratia,earum omnium rerum ortum,alioqui naturalem, properare adeò, vt ſtatim erumperent cum creandis, etſi non eodem ortus genere. neque verò proinde non eſſet ille naturalis ortus, quia aucta celeritas non mutat ſpeciem motus. ſi enim lapis deſcenderet, eadem celeritate qua Sol fertur, aut etiam prima ſphæra,celeritas quidem illa, maior eſſet quàm pro lapidis natura,motus verò nihilominus naturalis. vt ergo tria rerum genera eſſe diximus, ita nunc tria earum initia ponimus. quædam enim initio creata eſſe factáque ex nihilo aut ſine materiæ diſpoſitione:quædam poſteà ſuccreuiſſe;quædam inter hæc,extitiſſe quidem in initio:ortu tamen naturali.Moſes verò ea tantùm videtur narraſſe,quæ primo modo extiterunt. creata ſcilicet per ſeſe,ac non ſolum per ſua principia.nam primo die fecit elementorum corpora, & lucem. ſecundo fecit firmamentum, hoc eſt, corpus illud totum cœleſte, quod conſtat multis orbibus:tertio ſeparauit aquam à terra,colligenſque aquam in locum vnum fecit maria, terráque detecta creauit omne genus plantarum,quæ ex ſemine habent generationem: quarto fecit Solem,Lunam,& Stellas,& poſuit in firmamento ex eadem,arbitror, firmamenti ſubſtantia, non aliter ac hominem fecit ex terra:quinto fecit animalia omnia, natatilia & volatilia: ſexto terreſtria,cum quibus & hominem. At verò præter hæc, conſtat eſſe in mundo res quàm plurimas, quæ intra ſex primos dies non extiterunt. vnum enim non eſſet, cùm nulla anteceſſit vindemia: neque oleum, cùm nondum tuſæ oliuæ: neque mel,cùm nondum apes mellificaſſent.nimirum hæc, & huiuſmodi alia,creata ſunt in ſuis principiis,ex quibus deinceps orta

Natura nihil fruſtra fecit.

Motus celeritas nō mutat ſpeciem.

Tria rerū initia.

Creatā ſex diebus.

Creata in ſuis principiis.

naturaliter ſunt,vt etiam ex terra & aqua,fouentibus ea cœleſtibus corporibus,aut intra ipſos ſex dies,aut poſtea, orta ſunt metalla, & lapides,& bitumina, & herbæ ſponte naſcentes, ac denique alia omnia,quæ ſunt habent ſeminalem ortum,neque fiunt à ſimilibus,ſed concurſione aliarum cauſarum, per accidens, producuntur. Videtur neque ignis facta eſſe,in hac narratione mentio. quapropter exiſtimare videtur quiſpiam poſſe, ne omnia quidem elementa facta eſſe in illo mundi exordio, ſed tria tantùm,ignem verò poſteà, concurſione aliarum cauſarum,ortum eſſe. Iuuabit hanc opinionem antiquitas,quæ, vt aliarū rerum quàm plurimum,ita etiam huius,quærit inuentorem,quaſi ignis non ſit à principio in rebus,ſed alicuius hominis induſtria poſtmodùm factus: ſcilicet, vt & vinum. Plinius narrat,ignem è ſilice primùm inuentum eſſe à Pyrode, Cilicis filio: idem autor affirmat,primùm eſſe inuentum in Pyrpile. Si igitur inuentum hominum ignis eſt, non videtur à principio mundi extitiſſe. ſed quo pacto potuit hic mūdus conſtare,præſtantiſſimo & efficaciſſimo carens elemento? Cum ſint duæ mundi partes,altera humilior ac imperfectior, corporibus conſtās ortui & interitui obnoxiis:altera ſublimior ac perfectior, conſtans corporibus incorruptibilibus,humiliorem & ignobiliorem,oportuit primò fieri,quaſi fundamentū & mundi exordiū.natura enim ita comparatū eſt,vt principia ſint viliora, atque ad perfectiora,in cuiuſuis rei opificio,procedatur.atque illam quidem oportuit primò fieri impolitam & incultā, poſteà exornari,ita enim & natura & ars procedit,ab obſcuris quibuſdam & rudibus delineamentis, ad exactiorem formam. neque verò non eſt hoc optimum argumentum: nam vt ars naturam imitatur,ita natura diuinitatem,à qua fluxit:vt ergo artificialia opera imitantur naturalia,ita eſt rationi conſonum,naturalia imitari diuina opificia. Quapropter ex eo ordine, quem rerum natura tenet,rationem diuini opificij volētes inueſtigare, haudquaquàm errabimus: ipſe enim Deus eſt naturæ parens. Proinde primo die facta eſt tota generabilium & corruptibilium ſphæra,conſtans elementorum corporibus, terra, inquam, aqua,aëre,& igne:illis verò,neque puris,& ſynceriſſimas naturas retinētibus,neque ſeorsū poſitis, & ordine collocatis,neque illuſtratis vllo cœleſti lumine, ſed intra obſcurum aërem aqua & terra permiſtis, atque intra hæc omnia,igne inuiſibiliter incluſo,qui inter cætera, fouebat aquas reddebatque fluxiles, ne frigore concreſcerent, moxque, ac Cahos hoc extitit, fecit Deus lucem, per quam reddita ſunt corpora illa aſpectabilia, factuſque eſt dies primus. verùm vt hæc diſtinctius eloquamur

Ignis an ſit & quādo creatus.

Mūdi partes duplices.

Ignobiliora primò creata.

Ars naturā imitatur.

Artis & naturæ progreſſus.

Elementorū impuritas.

Elemētorū confuſio.

mur, oportet quædam, de elementorum naturis; enarremus. Elementa prima, principiis rerum naturalium, materiæ inquam & formæ adeò proxima ſunt, vt per ſeſe, & omni miſtione vacantia, nullibi munda ſint, aut fuerint vnquam, aut etiam eſſe poſſint. nam cùm eorum naturæ definiantur per ſummas qualitates, & conſiſtentia corporis, miſturam quandam deſideret, & contrarij miſturam, quia mera humiditas nullam conſiſtentiam haberet, mera ſiccitas nullam compactionem & continuitatem, nihil penitus ſyncerum exiſtere in corporibus poteſt. Quapropter elementa prima intelliguntur, definitis ſeorſum eorum naturis, ſuntque potentia in rebus concretis, actu verò nullibi. quod quia intellexit Galenus in com. primi de natura humana, elementis primis nullas formas ſubſtantiales attribuit, ſed pro his, qualitates primas, affirmans ea conſtare ex materia prima, & calore, frigore, humore, aut ſiccitate, aut harum binis qualitatibus. itaque terra hæc quam incolimus, & aqua qua vtimur, aerque quem inſpiramus, elementa mera non ſunt, ſed corpora ſimpliciſſima eorum, quæ extant, & proxima elementorum naturis. quo factum eſt, vt eorum nomina dentur ipſis elementis, quæ mente potiùs intelliguntur, quàm re vera ſubſiſtunt. aut certè, ſi ſimplicium elementorum ſunt illa nomina, priora hæc corpora, quæ videmus, non ſunt appellanda hæc, ſed, vt Plato dicit in Timæo, talia. nimirum non terra, ſed terreum corpus: non aqua, ſed aqueum: ita & aëreum, & igneum. ridiculum enim quod quidam pueriles Philoſophi affirmant, oportere, vt quodcunque elementum ſit alicubi purũ in propriis ſcilicet regionibus. Vbi enim talis ſit aqua; an in mari, vbi ſalſiſſima, & piſcibus ſcatens? Elementa itaque prima, potentia ſunt in corporibus, actu nuſquam. neque verò expedit: ob concreta enim ſunt illa neceſſaria: per ſeſe nihil eſſet inutilius. Verùm etſi elementa actu non ſint, maximè viget eorum natura in his elementis, quibus vtimur, terra inquam, aqua, aëre, & igne, quæ ordinem eum amant naturaliter, vt ſint craſſa ſub tenuibus. atque proinde, ſicubi confuſa ac conturbata ſunt, mox in imum mergitur terra, aërque emergit, & interfluit aqua. Ignis quoque, vt maximè cõmunis Philoſophorum opinio fert, effertur naturaliter in ſupremum locum, atque proinde proximum cœlo locum tenet. aut, vt ego exiſtimo, is ſolus inter omnia corpora, nullum potiùs locum præ alio amat, neque in vllum fertur, niſi per accidens motu materiæ, quã occupat, aut tractus à lumine (ab hoc enim naturaliter trahitur) ſed velut quædam mundani huius corporis anima, totum occupat, permeans per omnia, vt omnia fœcundet, ac quodãmodo viuificet.

Qualitates elementorũ formæ.

Elementa actu nullibi.

Elementorum nomina.

Ignis motus.

Ignis anima mundi.

Cōcoctio à quo.

Nam cùm omnes naturales ortus agantur concoctione quadam, quod caloris eſt opus, conſtat ſine eo omn a futura ſterilia: aquam pręcipuè, quæ ab omnibus ferè Philoſophis cenſetur

Aqua principiū frigidorū.

eſſe primum frigidorum. vt verò ortus tribuuntur calori, vt efficienti cauſæ, ita tribuuntur humido craſſiori, qualis aqua eſt,

Aqua generationis mater. Ignis pater.

vt materiæ. atque hac ratione efficitur, vt aqua ob humiditatem craſſam, qua abundat, ſit velut mater omnis generationis: ignis verò pater per calorem. Rerum ergo generationes, maximè adſcribi debent aquæ ab igne fœcundatæ. ita fit, vt niſi hæc duo adhibeantur principia, omnia ſterileſcant. velut terra, niſi irrigetur primùm, ac deinde concaleſcat. Ipſum quoque mare,

Mare fœcundiſſimum.

quod omnium mundi partium eſt fœcundiſſimum, vt mirabilis rerum, tam viuentum, quàm vita carentium, quæ in eo gignuntur, differentia indicat, ſi calore deſtituetur, futurum eſſet penitus generationis ineptum, & concretum frigore. quid

Aqua principiū frigidorū.

& tota mundi aqua, niſi, à quo concaleſcit, igne funderetur, futura eſſet glacies. Si enim primum frigidorum eſſe rectè dicitur, nulla frigiditas poteſt illi eſſe præter naturam. videmus verò eam aliquando concreſcere frigore: haberet ergo id ſecūdùm naturam ſemper, niſi aliquid accederet, quod funderet. quid verò aliud potiùs ſit quam ignis, qui caloris omnis principium cùm ſit fouet, atque fœcundat, facitque, animalium & aliarum rerum ortui & conſeruatione, idonea? atqui conſentaneum eſt cenſere, aquam per hyemem, abſentia ignis potiùs concreſcere, quam præſentia frigidi aëris, vt putant, qui aërem ſtatuunt primum frigidorum. verum in eam adeò diſſidentem

Ignis per omnia fuſus.

à communi ſenſu opinionem incidunt, quia hanc ignis, per res omnes delationem non aſſequuntur. Ignis itaque per omnia permeat, alimētum ab illis accipiens (quia ſunt illi omnia ſub-

Ignis eſt ſpiritus ille incumbens aquis.

ſtrata vt materia, vt mitus dixit Ariſtoteles) aquæ verò ab eo accipiunt calorē genitalem, & motum, ac fluxilitatem. Itaque ignè fouente & incubante aquas rerum omnium aguntur generationes. Hæc verò diſertiſſimè docuit Hippoc. lib. 1. de die-

Aqua cur fluxilis.

ta, his verbis: *Conſtituuntur quidē igitur tum animantia omnia alia tum homo ipſe ex duobus, differentibus quidē facultate, concordibus verò & commodis vſu, igne inquam & aqua. hæc autē ambo ſimul ſufficientia ſunt, tum aliis omnibus, tum mutuò ſibiipſis, vtrūuis verò ſeorſum, neque ſibiipſi, neque vlli alteri ſufficiēs eſt. vim igitur ac facultatē vtrumque ipſorum talem habet. ignis enim omnia mouere poteſt, aqua verò omnia per omnia nutrire. particulatim verò vtrūque ſuperat & ſuperatur (hoc eſt, pugnant mutuò inter ſe, vtroque eorū partim vincente, partim victo) ad ſummum ac minimum quantū eius fieri poteſt (hoc eſt plus aut minus, vt quocunque*

eorum

eorum poteſt) neutrum enim ſuperare penitus poteſt. hanc ob cauſam ſanè, igni quidē, vbi ad extremitatem aquæ peruenerit (hoc eſt, vbi penitus conſumpta humiditas eſt) deficit alimentū (ita euaneſcit ignis cùm ventum eſt ad cineres) euertitur igitur eo, vnde nutriri poteſt (hoc eſt, ſerpit in alias materias quærens alimentum) aquæ verò vbi ad extremitatē ignis peruenit (hoc eſt vbi penitus excluſit ignem) deficit motus (quia concreſcit in glaciem, fitque immobilis.) — Ignis neceſſitas.

Vides quàm diſertè Hippocrates dicat, aquam accipere fluxilitatem, motum, ac fœcunditatem ab igne; ignem verò ipſum ferri per omnia, atque alimentum ex omnium humiditate capere, & generationes omnes his duobus principiis attribui. hoc idem eſt quod hîc inſinuatur his verbis, *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ſeu, *incubat aquis*. ambo enim hæc ſignificat dictio Hebraica. inſinuatur verò vtrumque, ignem ſcilicet ferri per aquas, eaſque fouere ac incubare. meritò verò ſpiritus appellatur, quia ignis, corporum omnium maximè videtur ad ſpiritualium ſubſtantiarum naturam accedere eſt enim tenuiſſimus, & viſum ac omninò ſenſum fugiens, niſi cùm, ob materiæ quam occupat, denſitatem apparet, vt in ignito carbone, & fumo ardente. In bis enim ipſis, cum rareſcunt, diſparet, vt cùm diſſipatur fumus. contrà, cum eius ignis, qui intra nubem inuiſibilis continebatur, circunſtanti frigore denſatur materia, is emicat, abiens in fulgur, aut etiam fulmen. itaque eſt tenuiſſima quædam & inſenſibilis ſubſtantia, vt quædam eorum anima, per alia permeans neque apparens, niſi cùm denſatur cum materia. hanc ſubſtantiam à principio fecit Deus. cùm verò multo tempore homines igne non indigerent ſenſibili, vtpote neque carnibus veſcentes, neque fructus aſſantes aut elixantes, eo caruerunt. vſque dum inuenerunt rationem retinendi eius in materia denſa, in qua appareret, fieretque vtenſilis. Meritò itaque inter corpora omnia hic maximè dicitur ſpiritus. Domini verò ob magnitudinem virtutis, & præſtantiæ. eſt enim phraſis diuinæ ſcripturæ, Domini, aut Dei vocari, quæ magna, aut præſtantia. hic igitur ſpiritus, hoc eſt, hæc ſubſtantia, tenuiſſima, ac perfectiſſima, ferebatur, incubans & fœcundans aquas. per hunc ſpiritum factæ ſunt aquæ fluxiles, alioqui futuræ, vt diximus, concretæ: in quam ſententiam dictum eſt illud Pſalmi, *flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ*, ſed quia Phyſici nunquam acquieſcunt vllis dogmatis, ſine monſtratione, hanc adhibeamus oportet, quoad noſtra fieri poſſit, indicemúſque, ignem non habere vllam regionem, in quam ſeorſum feratur, ſeparatus ab aliis corporibus. Primùm quidem illa, quam Hippocrates adhibuit, non leuis eſt

Vnde ignis alimentum capiat.

Ignis natura inſenſibilis.

Fulgur.

Ignis vſus quando cœperit.

Aqua per ignem facta fluxilis.

Ignis nullibi ſeperatus. procedit enim ab experimento ſiquidem videmus nullibi ignē manere, niſi illi ſuppetat materia vnde alatur, eaque conſumpta ſtatim deficere, vt diſſipato fumo & conſumpto oleo, flammam; ſiccatis vſque ad cineres lignis, prunas at verò in ſua regione ſeorſum ab aliis omnibus poſitus, omni alimento eſſet deſtitutus, ſed ex motu eius corporis multò euidentiùs monſtratur, quod propoſitum eſt. ſi enim ſupremū appeteret locū, in eum ferretur naturaliter. ſi autem ferretur, efferret etiam ſecū alia, quæcūnque ei eſſent agglutinata atque vt lignū quod ob naturalem raritatem, aëris nonnihil habet incluſum, aſcendit per aquam ita etiam quod ignitū eſſet, aſcenderet per aërem (tanto enim leuior eſſet ignis aëre, quāto aër aqua) at verò nō ita fit: euolarent enim ex prunariis aut foco prunæ omnes: vt ſcilicet magnæ etiam trabes emergunt è profundiſſimo flumine, tantum autē abeſt, vt quæ ſunt imbuta igne, euolent, vt ne rantillum illis ignis ponderis detrahat. fruſtum enim ferri aut lapidis ignitum, non minùs deprimit lancem quam frigens, niſi quid ſubſtantiæ deciſum illi ſit, dum vreretur. non ergo ignis ſurſum potiùs fertur quàm deorſum, ſed materiam ſequitur atque cùm denſis, lapillis, ferro, aut carbonibus, deſcēdit: cum exhalatione ignita qui fumus ardēs eſt aſcendit: cōparet verò dum dēſam tenet materiam, ea extenuta, aut diſſipata, diſparet. ſed & ex vſu, in quem res omnes naturales ſemper diriguntur cōſtare videtur poſſe, quod aſſerimus. quē enim rebus vſum præſtaret ignis, ſupremam mundi regionem tenens, ſeiunctus à reliquis corporibus? non enim calorem, cùm media regio frigidior quàm infima eſſe cognoſcatur, actiones verò naturales contingant per medium: ſine calore verò nihil præſtare poſſit. at verò permeans per alia omnia, calefacit, & vt dictum eſt, liquat, fundit ac mouet: quædam alia denſat, concoquit atque ad ortum deducit, atque in humoribus quos elaborat omnis naturalis ortus parens eſt At dices, id me falſo igneo calori tribuere, quò ſit ſolaris; igneum enim potiùs vrere, ac per ſiccitatem in marcorem trahere omnia, & interitum. Ita eſt ſanè, ſolaris calor eſt qui hæc præſtat, ipſe verò ſolaris calor, nihil eſt aliud quàm calor ignis, ſolis fulgore, quo naturaliter trahitur, vt ita dixerim, modificatus. nam ſol, cum ſit corpus incorruptibile, neceſſariò ſit expers qualitatum corruptiuarum, caloris, inquam, frigoris, humoris, ac ſiccitatis. non poſſit ergo calfacere, niſi per aliud & accidente quodam. Quid verò ſit illud, cuius acceſſu calorem inferat, potiùs quàm quod à Philoſophis omnibus ſtatuitur, per ſe, ac primò calidum. Si enim Sol per accidens calidus eſt, ignis vero quòd primò ac

Ligna cur ſupernatent.

Ignis motus.

Calor ſolis quid.

per

per ſe,neceſſe eſt cauſam caloris illius,ad hunc referri. eſt verò hoc ipſius etiam ignis naturæ valdè congruens. Cùm enim inter elementaria corpora,igneum ſolum cœleſtem imitetur fulgorem: ipſum verò ita, vt plurimi veterum Philoſophorum, ob eam ſimilitudinem aſtra ignea eſſe ſuſpicati ſint, fit valde conſentaneum, vt ſimilitudinis illius cauſa, facilè trahatur ignis cæleſti lumine: quod etiam veſtigium quoddam, diuinitatis eius corporis, eſt. Maxima ergo ignis pars, cum lumine Solis circa terram voluitur,comitaturque circumeuntem diem. quod indicant illa verba cap 1. Eccleſiaſtes. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens,gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* His verbis apertè dicitur, ſpiritum illum, quem indicatum eſt eſſe ignem, circuire ſimul cum ipſo Sole: nam nomine ſpiritus, non eſt veriſimile, vocari Solem ipſum: nam præterquàm quòd eſſet repetitio inutilis, vocari ita non poteſt: nam neque quòd tenuis, neque quòd inuiſibilis, neque quòd animatus & viuens, cùm nihil horum ſit circuit itaque ignis, vt ipſe Sol, eſtque eius comes. Quo fit, vt dies, atque omninò lux omnis, calida: nox, atque omninò tenebræ, frigidæ ſint. hic ipſe igitur eſt Solaris calor, qui cùm ad materiam accedit moderatus, coquit, ac nutrit: alioqui, ſi copioſus, atque deſtitutus humore accedit, etiam vrit; vt non rarò meſſes, ante tempus, ob pluuiæ inopiam, & defectum eteſiarum. Vnde rurſum conſtat, non eſſe aliam diuinitatem Solari calori, ſed eundem penitus eſſe & igneum. Itaque multis iam argumentis probabiliſſimum effecimus ignem eſſe illum ſpiritum domini, qui in ipſo mundi exordio, generationum præſtans initium, incubabat aquis. eſt verò ignis ſymbolum diuini amoris, qui Deus ipſe eſt. vnde ſublimior alius, quid ad me non ſpectat, naſcitur ſenſus. His poſitis, ad enarrationem primæ diei, videmur iam poſſe accedere. *In principio*, hoc eſt.in ipſo tẽporis initio, *creauit* (hoc eſt, fecit de nouo ex nullis præexiſtentibus) *cœlum & terram*. cæli nomen, tum in tota ſcriptura diuina, tum in hoc ipſo capite, ſignificat aërem, aut incorruptibile illud & maximũ corpus quod ſuperſtat. Conſtat verò ſi quidem dicitur, *dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli*. nõ ſunt autem volatilia, niſi in aëre.& iterum *vocauit Deus firmamentum cœlum.* Firmamentum verò non eſt aër, ſed firmum illud, æternum, & ſtabile corpus, in quo poſuit Deus duo luminaria, & ſtellas omnes. cùm autem duo hæc ſignificare poſſit ea vox, in narratione diei primæ ſignificat aërem, quia firmamentũ fecit Deus in die ſecunda. Fecit itaque Deus in prima die aërem

Ignis Solem ſequitur.

Ignis diuini amoris ſymbolum.

Cœlum quid.

Firmamentum quid ſit.

aërem & terram, vt verò inſinuet, non hæc duo ſolùm elementa facta eſſe in illa die, neque hæc ante alia, ſed quatuor corpora ſimul, velut vnum Chaos : addit, *Erat autem terra inanis & vacua & tenebræ ſuper faciem abyſſi,* hoc eſt, aquarum: *& ſpiritus Domini,* hoc eſt, ignis, *ferebatur per aquas,* itaque cùm primum fecit cœlum & terram, fecit & abyſſum, & ignem, erantque ea in prima illa die adeò confuſa ac conturbata, vt terra commiſta cum aqua, intra ipſum aër eſſet. cum verò aquæ maior quàm terræ moles ſit, ſecundùm ſuperficiem videbatur eſſe tota aqua, vt quoddam lutum, atque ita erat terra inanis, hoc eſt, nulla gignens ex ſeſe animalia, *& vacua*, hoc eſt nullis plantis ornata: *& erant tenebræ ſuper faciem abyſſi,* qui ſcilicet tenebat intra ſe totam terram: nam cùm eſſent iam corpora, quæ lucem poterant recipere, nondum habebant tamen, conſtet eſſe tenebras. ignis verò inuiſibiliter permeabat per aquas fœcundare iam inde eas incipiens, ac prohibens quominus conEreſcerent, vt gelu. hæc cùm ita ſe haberent, creauit Deus lucem, per quam ea corpora in conſpectum venire poſſe cœperunt, diuiſitque Deus lucem à tenebris, quia non illuminauit totam eam molem æquè, ſed ab altera ſuperficie appoſito lumine, ab oppoſita corpus ipſum faciebat tenebras, vt & nunc. gyrante verò lumine totum id corpus, factus eſt veſpere & mane dies vnus. In die ſecundo fecit Deus firmamentum, firmum inquam illud & ſolidum cœli corpus, neque diuiſionem, neque raritatem, neque omninò alterationem vllam recipiens corruptiuam : poſuitque illud firmamentum in medio aquarum, fecitque vt diuideret aquas ab aquis, eas ſcilicet quæ ſunt ſub firmamento, ab iis quæ ſupra firmamentum. De his aquis, quæ ſupra firmamentum ſunt, dubitatur quàm plurimum. Sunt qui dicant aquas ſupra firmamentum, vocari eas, quæ pluendo decidunt in terram, illáſque, ab his quæ ſupra terram ſunt ſeparari cœlo, hoc eſt, aëre. verùm falluntur, quia etſi cœli nomen de aëre, & de ſuperno illo & incorruptibili corpore dici poſſit, firmamenti verò non ita. ſed firmamentum illud ſolum eſt, in quo ſunt luminaria & ſtellæ. itaque haud dubiè ſupra cœlum ſunt aliæ aquæ. ſed quo pacto; ſupra cœlum enim hoc, quòd conſpicimus, nihil aliud eſſe poteſt, quàm ſedes Beatorum, quam quidem tantò præſtantiorem, & mutationis minùs participem eſſe oportet, quàm cœlum; quãto ipſum quam elementaria corpora. quare vt elementaria ſunt motus & alterationis participia, cœleſtia motús ſolius, ita ſedem Beatorum eſſe oportet corpus puriſſimum, & mutationis, & omnis motus expers. at verò ſi aqua eſſet, aut ex aqua, recipere poſſet

Lucis creatio.

Aquæ ſupra firmamentum.

alte

alterationem, atque à contrariis pati, ſiquidem frigus & humiditatem haberet naturaliter, & cõtrarias illis qualitates poſſet, præter naturam, recipere: certè eodem argumento, quo Ariſtoteles monſtrauit, aſtra non eſſe ignea, monſtratur cœlum illud ſupremum aqueum non eſſe, ſed vt fatemur, cœlum & aſtra ignea eſſe, igne quodam cœleſti, qui præſtantioris quàm elementaris eſt naturæ, fulgore ſolùm referens illum, non etiã calore, & ſiccitate, ita dicemus, cœlum illud, quod plurimi hanc ob cauſam vocant Cryſtallinum, aqueum eſſe, aqua quadam cœleſti, quæ puritate aquam referat, non tamen frigore aut humore, atqui nomen ignis & aquæ, non propriè dicuntur de vtriſque, ſed analogia quadam, vt ſi duplex ignis (non genere ſed ſecundum analogiam) elementaris & cœleſtis, & aqua quoque duplex. Vt itaque aſtra vocamus æthereos ignes, ita quod ſupra firmamentum eſt, vocamus cœleſtes aquas, aut aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, quas in Pſalmo inuitat Dauid ad laudes Domini duobus itaque diebus fecit Deus elementaria corpora, & totum cœlum: duobus ſequentibus exornauit: poſtremis duobus repleuit ea animalibus: exornauit verò priùs eam mundi partem, quam priùs fecerat (elementarem inquam) *dixit itaque Deus, congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida, & vocauit Deus aridam terram, & congregationes aquarum maria,* hæc congregatio aquarum in locum vnum, ita vt terræ facies appareret, ac nunc appareat, celebratur plurimùm in ſacris eloquiis quaſi argumentum maximum potentiæ Dei: mirum enim eſt, vt quod ſupra naturam eſſe videatur, terram grauiorem multò & minorem aqua, ab ea non obrui, turgentéſque & elatiſſimos maris fluctus, intra certos fines ſeſe continere, neque in totam terram, quæ longo interuallo ſubſtare videtur, ſeſe effundere. Verùm hoc æquè eſt argumentum ſapientiæ & potentiæ, non enim violentiã continet Deus terram ſupra aquas. aut cohibet aquas quo minùs fluant, ſed ita compoſuit ab initio, vt naturaliter eueniat, ſitque, niſi Deus diſponat aliter, in æternum citra violentiam, duraturum: nimirum fecit, non quidem terræ ſolius globum (hîc enim neceſſariò aut innataret, aut ſub aqua totus mergeretur) ſed ex terra & aqua globum vnicum, cuius centrum, mundi etiam centrum eſt: non ita, vt eiuſdem globi medietas altera, aut pars tertia terræ ſit, reliquum aquæ, (ita enim etiam mergeretur terra ſub aqua) ſed terra & aqua ita ſeſe contineut mutuò, vt vtriuſque ſit idem centrum, quod & totius mundi: id verò ſit terra integrum globum reddente, eum verò non ſolidum, ſed maxima parte interiùs, & ad ſuperficiem, cauum:

Aſtra ignea.

Cœlum Cryſtallinum.

Duplex ignis.

Aquæ & terræ globus.

cauum:ampliſſimaſque illas cauitates replente aqua.quo fit vt terræ facies & maris, eiuſdem globi ſint ſuperficies. vt verò non corruat in ſeſe tota terra,& in mundi medium ſubſidens, exprimat aquam, cum ſit cauitatibus plena, cauſa eſt, longè maior ſoliditas,quam habet in profundis,quàm ad ſuperficiem quod iis qui aperiunt puteos,aut defodiunt mineralia, liquidò conſtat: cùm multò infra ſpeciem ſentiatur lapideſcere. fecit ergo Deus in terra ingêtes ſinus,intra quos colligi iuſſit aquas, vt appareret arida: atque vt id ita manere poſſet, fecit firmiſſima fundamenta terræ. Poſteà terram exornauit herbis virentibus, ac facientibus ſemen, & arborib. pomiferis, & omnibus quorum ſemen in ſemetipſis eſt vt anteà explicuimus. Dei quarta fecit Deus duo luminaria, Solem ſcilicet & Lunam, & Stellas omnes, poſuitque aſtra ea omnia in firmamento, vt diuiderent diem ac noctem, & eſſent in ſigna, & tempora, & dies, & annos. Quoniam in firmamento poſita ſunt aſtra, conſtat facta eſſe ex ipſa firmamẽti ſubſtantia.alioqui neceſſe eſſet eam firmamẽti partem,quæ erat vbi quodcunque aſtrum poſitum eſt, redactam eſſe in nihilum, cùm cœli partes abſcedere non poſſent aliæ ab aliis, vt denuò naſcentibus aſtris loco cederent, & indiuiſibiles ſint natura, & neque denſitatem, neque rarefactionem recipere poſſint. at verò Deus, nihil vnquam eorum quæ fecit, redegit in nihilum,fecit ergo luminaria illa ex ſubſtantia firmamenti. Quoniã autẽ inquit, vt eſſent in ſigna & tempora,& dies & annos, qui Aſtrologiæ iudiciariæ ſunt ſtudioſi, accipere hinc tentant argumentum certitudinis dicentes, Deum feciſſe aſtra vt eſſent in ſigna, hoc eſt ſignificationem præberent mortalibus imminentium caſuum, verùm, quia ea Aſtrologiæ pars vanitatis inſimulatur, à pleriſque piiſſimorum & ſapientiſſimorum, ſatius eſt intelligere, dictum eſſe in ſigna & tempora, quaſi in ſigna temporum. nimirum motus aſtrorum, præcipuè Solis & Lunæ, definiunt tẽpora.vt dies eſt circuitio ſolaris:hora vigeſima quarta eius circuitionis pars, annus motus integer Solis per totum Zodiacum menſis motus Solis per vnicum Zodiaci ſignũ,aut motus Lunæ per totum Zodiacum.tempora etiam quatuor anni definiuntur acceſſu & receſſu Solis nimirum. tempus, vt Ariſt.docet, eſt numerus qui numeratur motu: motus verò eſt numerus,quo numeratur tempus vt numerantur horæ per trangreſſiones gnomonis à lineis ad lineas, & dies per circutiones Solis. non tamẽ quia fecit Deus aſtra in ſigna temporum, ſtatuendum eſt, vt vulgus Philoſophorum cenſet, tempus ipſum eſſe motum cœli.nam,vt Plato inquit, tempus eſt imago æternitatis,

Aſtrorum creatio.

Cœli & aſtri differentia.

In ſigna facta.

nitatis, in numero fluens. in quod idem aliis verbis dixit Ariſtoteles, Æternitatem eſſe nunc ſtans, tempus verò nunc fluens. ille verò fluxus, ſeu illa duratio, quod ipſum tempus eſt, non aliter numerari poteſt, quàm per motum. In motibus autem, nullus tam idoneus calculus eſt, quàm cœleſtis, ac præcipuè ſolaris, quia maximè omnium regularis, & incommutabilis, minimè poſſit calculus fallere. omnibus etiam mortalibus idem conſpicuus, vt nullum aliud habere poſſit mundus totus, commune horologium. Scimus tamen numerari etiam vtcunque horas clepſydris: quin & menſes & annos horologio Ianeli. verum eſt, hæc omnia horologia ad primum illud referri, vtpote ad priorem motum ſtabiliorem, & ſui ſimiliorem: atque niſi ad illud referantur, non poſſe eſſe certam computationem temporis: cùm alij omnes motus ſint irregulares, & in ſubiecto corruptibili. nihilominus in quocunque motu eſt duratio numerabilis, quod tempus eſt. Quapropter nullam repugnantiam continet, fuiſſe ante cœlum diem, & ante Solem, res. Sed ſi hæc vocantur luminaria, quaſi luminis fontes, factaque ſint vt ſeparent diem à nocte, diuidantque in dies, quo pacto potuerit eſſe lux tres dies ante Solem? ipſi dies quo pacto potuerunt numerari? Quod quidem id fieri potuerit, nulli videri debet dubium. quia quæcunque poteſt Deus facere per cauſam ſecundam, facere poteſt per ſeſe. Si enim rectè monſtratum eſt anteà (vt certè mihi videtur) factum eſſe hunc mundum ex nihilo, conſtat Deum, à quo factus eſt, nulla, ad quippiam faciendum, indigere ſecunda cauſa: ſiquidem neque ad faciendum totum, indiguit vlla materia. At verò cur ita fecerit, ac non potiùs ſolem principio, per eum lucem & dies, dignum conſideratione eſt. primùm quidem, pro hac dubitatione non eſt ſatis dicere, quòd multi, iique grauiſſimi ſacræ Scripturæ interpretes dicunt, omnes mundi partes factas eſſe ſimul in eodem inſtanti. Nam etſi ita eſſe concedatur, eſt neceſſe, hac ſerie narrationis, ordinem aliquem indicari naturæ. non enim temerè hæc dicuntur ante illa facta, cùm præcipuè etiam dierum numero diſtinguatur ille ordo. Si ergo quæ priùs facta dicuntur, priora etiam eſſe natura oportet, nulla neceſſitas cogit affirmare, in eodem inſtanti facta eſſe, quin potiùs conſentaneum magis eſſe videtur, mundum in tempore futurum, temporalem habere creationem: atque in eam, hebdomadam vnam inſumi, quandoquidem omnia ſæcula, multitudine hebdomadarum conſtant. vnitas ergo hebdomadis, meritò ſit principium multitudinis hebdomadarum, hoc eſt, omnium ſæculorum

Cœli regularitas.

Lux ante ſolem.

Sol cur non primus creatus.

An totus mũdus in inſtanti.

Hebdomadarum principium.

ſæculorum.neque verò hoc vllam arguit primæ cauſæ debilitatem non enim eam cauſam naturalem ponimus, quæque faciat ſemper quantum poteſt, ſed liberam & ſapientiſſimam, quæ facit vt maximè expedit, atque omnia pulcherrima & concinna, in numero, pondere,& menſura. Quapropter verba illa capitis 18.Eccleſiaſtici, *qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* ego ita interpretor, Creata eſſe omnia intra illam hebdomadam, perfectúmque eſſe mundum, ita vt nulla eius pars princeps, quæque à creatione habitura eſſet initium, deeſſet. Nam vt initio capitis ſecundi dicitur, *perfecti ſunt cœli,& terra, & omnis ornatus eorum, compleuitque Deus die ſexta opus ſuum,* quibus verbis facilè refelli poteſt ſententia quorundam Aſtrologorum, qui ſtellam illam, quæ ſuperiori anno qui erat ſeptuageſimus tertius ſupra milleſimum & quingenteſimum, apparere cœpit in genu Caſſiopeæ, durauítque per magnam præſentis anni partem, affirmarunt eſſe nouam, creatámque denuò: non minùs quàm deceptus eſt Hipparchus, nouam ſtellam ſuo æuo ſe putans deprehédiſſe: quod narrat Plinius lib 2. cap.2. nondum enim fuiſſet perfectus omnis ornatus cœlorum, ſi illa ſtella in hoc vſque ſæculum caruiſſet mundus, eſſetque iam mutilus nunc, ex quo deſiit apparere Itaque fuiſſet nunc, & creatio, & annihilatio, cùm ſcriptum ſit 3.cap. Eccleſiaſtes, *didici quòd omnia opera Dei perſeuerent in perpetuum*, duraſſet verò illa ſtella minùs anno. Rem profectò fuiſſe admiratione digniſſimam, vel ex opinionibus, in quas viri doctiſſimi conie-cti ſunt, intelliges. Cùm enim nullam ſtellam primæ magnitudinis, qualis ea eſſe videbatur, ibi vnquam extitiſſe ſcirent, videretur verò, quicquid id eſſet quod appareret, ſupra Solem eſſe, quod nullam haberet paralaxim: alij ſtellam quidem eſſe, eámque nouam, affirmabant :alij (facilius hoc rati) eſſe cometam genitum intra ipſum cœlum, atque inde agnoſci, cœlum non eſſe alterationis incapax, vt cenſetur, ſed, quia hoc mihi duriſſimum videtur, illud prorſus falſum cenſeo, ſtellam illam à mundi principio ibidem extitiſſe, ac nunc extare, exiguam adeò, vt videri, niſi debiliter, non poſſit: túncque viſam eſſe increſcere vſque ad primam magnitudinem, ob aliquam medij mutationem,quæ tandiu durauit: cùm enim cœli partes non ſint æquè craſſæ,vt via lactea.& Lunæ maculæ & ipſa aſtra indicant, fieri potuit, vt ea ſtella, per proprium ſtelliferi motum, inciderit in partem aliquam proximi cœli, denſiorem reliquis : per quam denſatum lumen, maioris ſtellæ exhiberet ſpeciem,deinceps verò inde decedens, videretur eſſe minor, vt nunc quidem,aliquando videtur exigua, aliquando nulla, vt

aër

Deus cauſa libera.

Stella nulla de nouo.

Stella anni.

Via lactea.

aër habet. Facta itaque ſunt omnia ſimul intra primam hebdomadam, ſed alia ante alia, vt ego exiſtimo, non natura ſolùm, ſed etiam tempore. cur verò lux ante Solem, rurſum dicere aggrediamur. Sol non illuſtrat totum hunc orbem, ſed eam ſolùm partem, quæ motui ſubiecta eſt. nam quandoquidem in quarto orbe ſitus eſt, ſubſtántque illi tres tantùm, ſuperſtant verò plures: ſiquidem planetarum alij tres, inſupérque ſtellatus & nona ſpæra, atque qui his ſuperſtant, tantò ſunt craſſiores, quanto ſublimiores, conſtat Solis ſplendorem non poſſe ſedem Beatorum attingere, aut adeò languidum, vt illa futura eſſet obſcura. conſtat verò eam non poſſe eſſe lumine vacuam, quia cùm corpus luminis receptiuum ſit, eſſet in tenebris, ſi lumine careret. quid verò magis abſurdum, quàm putare Beatorum ſedem tenebroſam eſſe, aut omninò parum lucidam, ídque lumine ab imperfectiori mundi parte emendicato? cùm enim ſint tres mundi partes, ſuprema, ima, & media: media tantò imperfectior eſt quàm ſuprema, quantò perfectior quàm infima. media eſt cœlum quod mouetur, corruptioni verò non eſt obnoxium; ſuprema verò eſt cœlum puriſſimum, & omni vacans motu, in quo ſunt etiam beatam ducentia vitam, vt Ariſtoteles dicit, abſurdum ergo illam aut lumine carere, aut ab imperfectiori emendicare. non eſt ergo ita, ſed tantò eſt fulgentior, quàm ſolaris orbis, quantò ſublimior: ídque lumen à Sole non accipit, ſed ab ipſo ſupernæ illius ciuitatis rege Deo, vt ſcriptum eſt in capite penultimo Apocalypſis, vbi ita habetur: *Et ciuitas non eget Sole neq; Luna, vt luceant in ea. nam claritas Dei illuminauit illam & lucerna eius eſt agnus.* Sed neque in hoc mundi orbe, qui ſubiacet mutationibus, eſt omnis lux à Sole. nam ignis etiam effundit lucem, & animalium etiam oculi præcipuè quorundam. hoc ſi ita eſt, conſtat lucem priorem eſſe natura Sole. quia non poteſt eſſe Sol ſine luce, poteſt tamen eſſe lux ſine Sole, vt in ſede Beatorum, & ab igne. Si igitur lux prior eſt Sole, & alterum ante alterum fieri oportuit, conſentaneum erat fieri lucem ante Solem. oportuiſſe verò non fieri ſimul, hinc rurſum conſtabit. Conſentanenm eſt rationi, ídque ordo exigit, vt in omni ſtructura, ſeu opificio, procedatur ab impefectioribus ad perfectiora. non decuit igitur Solem præſtantiſſimum huius corporei & mobilis mundi membrum, ante alia creari: quin potiùs omnem corruptibilem partem, & cœlum ipſum, fieri prius, lucem verò in ipſa prima die oportuit, quia, vt dictum antea eſt, hæc tribuit rebus vitam, ignem generationem omnium parentum, per omnia circunducendo. Si ergo

Lux ante Solem.

Solis lux quonſque pertingat.

An omnis lux à Sole.

Lux cauſa viæ.

C melius

melius fuit, ab ipſo principio generationis, incipere aquarum fœcunditatem, ipſamque rerum naturam pullulare, quàm per tres dies eſſe omnia otioſa, tenebroſa, & Chaos, ſatius profectò fuit, in medio hebdomadæ fieri Solem, in medio aſtrorum, vt omnium regem collocandum, vt lucem tueretur, impertireturque aliis omnibus corporibus: lucem verò fieri à primo die, vt mundi vitam, dumque nondum erat Sol, ab ipſo mundi parente pendere: non aliter ac in hominis cuiuſque ortu (qui non hac ſolùm in re, ſed in multis aliis, ſimilis eſt ortui totius mundi) euenit, ante cor gigni vmbilicum & hepar, & in illis facultatem eſſe vitalem. pendentem à matre, tametſi in animali iam integro, non aliunde quàm à corde ea facultas eſſe poteſt. ita inquam, lux quæ in mundo iam perfecto à Sole pendet, in illo inchoato, pendebat à Parente. Vſque ad diem quartam, ita actum eſt. Creatis iam in quatuor primis diebus omnibus quæ vita carent (dictum enim antea eſt, plantas eſſe virentes, non viuentes) proceſſum eſt ad viuentia: natantia, & volantia, die quinta: ſexta, ſerpentia, & progredientia. quorum vltimus factus eſt homo, vt omnium rector, & dominus: niſi ipſe paulò poſt, veri Domini imperium detrectando, è domino feciſſet ſeruum. Itaque duobus primis diebus fecit duas mundi partes, ſphæram hanc corporum corruptibilium, & illam incorruptibilium. neutram verò exornauit, neque perfecit. duobus ſequentibus exornauit eas, eodem ordine quo fecerat; corruptibilem, ſeparando elementa, veſtiendoque terram omni fruticum genere: incorruptibilem, luminaribus, velut gemmis, exornando duobus vltimis creauit viuentium omnia genera: aquatilia primùm, deinde terrena; atqui, quoniam primis duobus diebus, nihil fecit perfectum & exornatum, cùm in ſingulis ſequentium quatuor dicat Moſes, *& vidit Deus quòd eſſet bonum*, primo & ſecundo die id non dixit: ſcilicet, quod factum fuerat primo & ſecundo die, nondum erat bonum, id eſt. perfectum, & plenè exornatum, ſed imperfectum & inchoatum. Quoniã verò primo die fecit lucem, quæ, vt dictum eſt, natura prior eſt Sole, ac proinde nulla creatura corporali poſterior, ſed ſuo genere perfecta, hanc laudare oportuit. Proinde in primi diei narratione, Moſes non dixit, *vidit Deus quod eſſet bonum*: ſed *vidit Deus lucem quòd eſſet bona*, reliquum verò eius diei opificium non laudauit, neque omninò quod factum eſt die ſecundo. Occurrere poſſit hîc dubitatio, cur vt totius mundi fabricam ab imperfectioribus inchoauit, non ita, ſingulorum, & animalium & arborum primùm quidem ſemina creans, deinde ex illis ipſa naſci iubens. huius verò

Homo cur vltimus creatus.

cauſa

cauſa eſt, quòd ſemen generationis eſt cauſa, ipſum verò generare animalium perfectiorum (eadem eſt ratio arborum) eſt: quapropter naturalis ordo poſcebat, vt ſemina poſt perfecta fierent animalia. eſt enim homo hominis cauſa præcipua & effectrix, ſemen inſtrumentalis & materialis. naturaliter verò prior eſt cauſa præcipua, quàm inſtrumentum: & effectrix quàm materia. Porro animal quodcunque, prius eſſe natura quàm ſuum ſemen, docet Ariſtoteles cap. 7. duodecimi Metaphyſicorum, his verbis. *ſperma namque ex aliis prioribus perfectis eſt, neque ſperma primum eſt, ſed quod perfectum eſt, veluti hominem priorem ſpermate eſſe, non illum qui ex eo generatur, ſed alium ex quo ipſum ſperma eſt.* hanc ipſam ob cauſam, factus eſt vir ante mulierem, vt capite vndecimo epiſtolæ primæ Pauli ad Corinthios dicitur: *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.* Videri poſſunt alicui, verba hæc, Phyſicè conſideranti, improbabile aliquid, & iis quæ ſecundum naturam eueniunt aduerſum, continere. Siquidem non videtur rationi conſonum, idem eſſe ex quo, & propter quod aliquid fiat. nam id ex quo, videtur pertinere ad materiam: propter quod, ad finem, & cuius gratia. materia verò & finis in cauſis, videntur plurimum diſſidere. alterum enim eſt quid imperfectiſſimum, putà materia: alterum quid perfectiſſimum, optimum, & diuiniſſimum, putà finis. quomodo igitur colligit Diuus Paulus, vir ex muliere factus eſt, quia mulier facta eſt propter virum; imò verò videtur meliùs fortaſſe dicturus, vir factus eſt ex muliere, quia mulier propter virum: vt ſcilicet ligna congerimus propter ignem, quia ignis ex lignis fit. quapropter videtur, neque hoc dici ſatis Phyſicè, neque ſecundùm naturæ rerum conditionem effectum eſſe, quod cap. 2. Geneſeos narratur, vt ſcilicet vir fieret ante fœminam: ſed oportuiſſe, vt fœmina velut imperfectius quiddam conſtaret prius, ac deinceps opificio creſcente, & perfectionem conſequente, ex ea fieret vir, vt ſcilicet, fit priùs embrio, & deinde ex illo homo, hæc certè fuit ſententia Pythagoricorum, & Pſeuſippi, qui dictis agumentis, vt narrat Ariſtoteles duodecimo Metaphyſicorum, cap. 7. cenſebant ſemen natura prius eſſe animali aut planta, quæ ex illo fieret. quia, vt illis videbatur, quod optimum & pulcherrimum; non poteſt eſſe in principio, ſed potiùs ex tenuibus principiis inchoatæ res perfectiores euadunt. quapropter iuxta horum ſententiam, neque arbores, arbuſta, & herbas viuentes, oportuit fieri in principio, ſed

Animalia ante ſemina.

Vir ante fœminam quare.

Mulier propter virum.

De ſemine quid Pythagoras.

eorum ſemina, atque ex eis illa deinceps: neque virum ante fœminam, ſed fœminam primùm, & ex ea virum deinde naſci. ſi enim alterum ex altero fieri oportebat, ac non ambos ſimùl, vicem viri ſupplere Deum fœcundantem mulierem, vt naſceretur vir, erat magis conſentaneum, quàm fœminæ, vt ex viro naſceretur fœmina. hoc enim paſſionis & imperfectionis eſt, illud efficaciæ & perfectionis Videtur huic opinioni facere, opificium totius mundi, quod ab inanimatis ad vtcunque viuentia, & ab his ad ſentientia, & ab his ad rationalem proceſſit creaturam, atque omninò ab imperfectioribus ad perfectiora. Cur non igitur perinde in ſingulis rerum generibus factum ſit? hæc videntur pro Pythagoricis & Pſeuſippo dici poſſe, & præſcriptis verbis D Pauli obiici Nihilominùs Ariſtoteles loco citato ex Metaphyſicis, contrariam ſtatuit aſſertionem, licet, quid optimum & pulcherrimum eſſe rerum principium. quod quidem primum in vniuerſitate manifeſtum eſt quia non aliter quàm participatione boni, quod ineſt primo, facta eſſe poſſunt reliqua omnia nam, aut mundus hic totus ab æterno extat qualis nunc eſt, aut aliquando factus eſt, cùm anteà non extiterit non poſſe eſſe ab æterno quidpiam, eorum, quæ commutationis, aut vtcunque motus alicuius ſunt receptiua, monſtratum anteà eſt. ſupereſt ergo, aut omninò nihil ab æterno eſſe, aut ſolum principium aliquod impatibile, atque immobile, vt omninò nihil fuerit ab æterno, fieri non poteſt. quia nulla potentia, neque actiua neque paſſiua præexiſtente, ne intelligi quidem poteſt, effectum eſſe aliquid. Quando igitur mundus hic corporalis, quem conſpicimus, eſt nunc, non eſt autem ab æterno, neceſſe eſt aliqua actiua, aut paſſiua, aut vtraque, ab æterno extiterint. paſſiua ſiue actiua neceſſe quidem poteſt, quia fieri non poteſt, quod nulla res poteſt facere. effectiuam igitur virtutem fuiſſe ab æterno neceſſe eſt, ſiquidem factus eſt mundus. illi autem virtuti nihil potuit eſſe coæternum extra ipſam, quia eſſent duo per ſe entia diuerſa natura: ita verò neque maneret mundi vnitas, neque perfectio, neque omninò mundus. nulla ergo erat ab æterno futuri mundi materia, alioqui eſſet dualitas in principio, quod fieri non poterat, quia non poteſt eſſe dualitas, quæ non ſit prior aliqua vnitas. omnium ergo primum fuit quod vnum, idque fuit virtus omniũ effectrix, ſine vlla materia. nulla ergo ex re fecit, ſed ex ſeipſo, conſtat verò quòd non ex ſe vt ex materia, ſiquidem nihil habebat paſſiuæ potentiæ, ſed vt ex exemplari. vtraque ergo ratione conſtat illud principium eſſe quod ſummum bonum, & quia fecit omnia præcipuè ex nulla

Principiũ rerũ quid optimum.

AEternũ vnum ſolum.

nulla materia:& quia ex ſeipſo vt exemplari. nam ſi fecit, habuit in ſeſe actu bona omnia, quæ reliqua poterant recipere. quod enim facit, facit qua actu habet id, quod accipit, id quod fit. ſi verò ex nulla materia, virtutis infinitæ erat. omnis enim finita certæ cuiuſdam materiæ diſpoſitionis neceſſitate tenetur. Si igitur aliarum omnium rerum habuit perfectiones omnes, & virtute infinita eſt, certè nullam admittit imperfectionem, quia imperfectio omnis perfectionem aliquam excludit. vbi ergo nulla perfectio deeſt, nulla eſt imperfectio. illud ergo ex quo vt exemplari, & vt effectrice cauſa, facta eſt rerum vniuerſitas, omnium eſt optimum. ſi autem omnium optimum, neceſſe eſt, & omnium eſſe finem. ſiquidem finis omnium in bono eſt, & ipſa bonitas eſt ratio finis, & cuius gratia neceſſe eſt. ergo illud ipſum exemplar, ex quo facta ſunt omnia, feciſſe omnia propter ſeipſum, propter bonum ſcilicet, quod capite 16. Prouerbiorum apertè dicitur, his verbis: *Omnia propter ſeipſum operatus eſt Deus* Si quidem igitur ipſe ex ſe ipſo vt ex exemplari, propter ſeipſum fecit, veriſſimè dicitur cap. 22. Apocalypſis, *Ego ſum α & ω principium & finis.* Itaque in vniuerſitate, conſtat principium eſſe quod optimum, atque inde reliqua deriuari. Sed in quocunque rerum genere perinde habent, éſtque, quod perfectius & melius, etiam prius: velut arbor & homo (eadem eſt ratio cuiuſcumque viuentis, ſeu virentis, cuius eſt ſemen iuxta genus ſuum) prior eſt ſemine: ſemen verò poſterius quiddam. nam illud eſt generationis inſtrumentum, generatio verò eſt perfecti ſeu animalis, ſeu omninò vegetabilis, actio. Vt igitur natura prius eſt quod vtitur quàm id quo vtitur, & artifex quàm inſtrumentum, ita ipſum animal quàm ſemen. hoc verò, vt poſterius quiddam, ex illo deciditur, ita etiam in ſexu euenit. mas enim vt perfectior, ita prior natura eſt quàm fœmina. nam cùm eiuſdem ſint naturæ, ſolóque diſcreta ſexu, ſítque ſexus fœmineus, vt Ariſtoteles docet 4. de generatione animalium, læſio quædam, & quoddam detrimentum, ſeu, vt quis dixerit, quædam mutatio virilis ſexus, conſtat fœminæ generationem eſſe velut mutilationem, & debilitationem viri. conſtat verò neceſſario, quid integrum & perfectum, prius eſſe quàm debile & mutilatum. quia quod mutilatum, fit integri mutilatione. vt ergo homo ſanus natura prior eſt quàm mancus: quia hic fit illo hoc modo læſo; ita ſecundùm naturam effectum eſt, vt ſi quod fuit totius generis initium, id eſſet à mare, illo verò percuſſo, fœmina fieret, vt debilius quiddam, neceſſarium tamen propter ipſum virum nimirum vir eſt quod firmum, & proinde

Finis omniũ Deus.

Perfectũ imperfecto prius.

Mas perfectior fœmina.

efficax, fœmina quod debile, ac proinde receptiuum, & pati idoneum. finis autem eſt in eo quod melius. igitur fit, vt, velut in re quacumque natura conſtanti, materia propter formam eſt, forma verò cauſa efficiens & finis, ita in quocumque genere cuius eſt ſexus, mas ſit cauſa præcipuè effectiua & finis, fœmina verò, qua fœmina ſit, paſſiua dixi *qua fœmina*: quia ſi quæ illi vis eſt & efficacia, id maſculinæ perfectionis ineſt participatione, vt fœminæ verò ſola debilitas, patibilitas, & mutilatio. nimium mas & fœmina idem animal eſt, facit verò fœminam defectus, quare qua tali nihil efficaciæ, ſed ſola paſſio ineſt. Cùm igitur cauſarum omnium, intentione prima ſit finis, effectionis autem ordine, quæ efficit, conſtat marem naturæ ordine eſſe priorem fœmina, efficit quia & intentione, quia fœmina propter virum. Si enim ſolis viris poſſet conſtare humanum genus, neque indigeret ſexu debiliori ad generationem, omninò nullæ factæ eſſent mulieres (niſi fortè per impotentiam vt monſtra quædam) illud enim noſtri principium, quod & ſummum bonum eſſe indicauimus. boni gratia ſemper operatur, bonáque omnia eſſe vult. ſi ergo fœmina facta eſt propter virum, vt propter optimum ſui generis. oportet verò principium eſſe quod optimum, conſtat appoſitiſſimè atque admodùm Philoſophicè dictum eſſe à Diuo Paulo, mulierem factam ex viro, quia propter virum, maximéque congruere hæc cum Ariſtotelica doctrina ex 12. Metaphyſicorum. neque verò ex dictis difficile ſit reſpondere Pythagoricorum argumentis & Pſeuſippi. id enim quod dicunt (principium ſcilicet rerum eſſe quod imperfectiſſimum & minimum de materiali principio ſolùm verè dicitur. & fit panis ex frumento, & ex cæmento domus. nos verò de principio effectiuo intelligimus & exemplari, quod idem indicatum eſt eſſe finem & cuius gratia. homo ergo factus eſt ex viliſſimo principio vt materia, ex limo inquam terræ, tamen vt effectiuo ex diuino exemplari, per quod, & cuius gratia facta ſunt omnia, fœmina verò ex viro, propter quem etiam facta eſt: quia non erat bonum eſſe eum ſolum, vtpote periturum, niſi per debilitatem mulieris, facta conceptione ſimilium conſeruaretur. eſt enim, vt loco citato Diuus Paulus dicit, mulier ex viro, vir tamen non ſine muliere, ſed per mulierem. omninò enim & à principio, fœmina ex viro, deinceps autem per ſingulos, viri per mulieres ſeruantur. itaque hominis ortus (ita autem & aliarum rerum omnium natura conſtantium) ex viliſſimo principio materiali incepit, effectiuo verò optimo & ſui generis præſtantiſſimo, à quo & propter quod factus eſt. ita & tota rerum vniuerſitas ab imperfectiſſimis

Forma & finis & efficiens idem.

fectiſſimis ſuis partibus vt reliquorum omnium futura materia inchoata eſt, effecta autem eſt per optimum illud æternum & diuiniſſimum principium, ex quo etiã vt exemplari,& propter quod facta ſunt omnia. Neque verò (vt obiiciebatur) ſi fecit Deus alterum ex altero, vt fœminam ex viro, neceſſe eſt alterius vicem ſuppleuiſſe,neque enim ex viri perfecti ſemine fieri mulierem voluit,vtpote quam non oportuit eſſe filiam viri(ne deinde ex turpi congreſſu inciperet generatio naturalis) ſed ex latere deciſam,vt ſociam, & alteram hominis partem quaſi vir & fœmina eadem caro futura eſſet,& alter idem,vtrumque itaque fecit ipſe Deus,non tamen æquè primò,ſed alterum ex altero,vt ex quodam principio perfectiori, & exẽplari;nimirum, vt fecit virum ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam,ita mulierem ad imaginem & ſimilitudinem viri,atque proinde,vt caput viri eſt Deus per Chriſtum,ita caput mulieris eſt vir:atque quoniã vir ex Deo,& fœmina ex viro ſuam accepit perfectionem,merito vir gloria Dei eſt, & fœmina gloria viri, vt ſcilicet filius patris, & diſcipulus magiſtri, & optimum quodque opificium artis,& cuiuſque imaginis pulchritudo,ſui exemplaris. cur igitur arbores , fructus, & herbæ facta ſint antequam ſua ſemina, & vir ante mulierem,curque mulier ex viri latere deciſa,dicta vtcumque eſt naturalis cauſa. non enim ſpero me,vel minima ex parte cõſequi poſſe quæ in his & aliis ſacræ Scripturæ locis latent,vel quæ ad ſolam naturã ſpectant arcana.de quibus ſolis eſt hæc commentatio. altiora enim quæ hîc ſunt ſacramenta, perquirent Theologi, quorum altiſſimis contẽplationibus humiliores has noſtras ſeruire volumus,vt viro fœminã. Succedit verò mox dictis dubitatio,cur ſiquidem mõſtratum eſt, ſexum maſculinum natura priorem eſſe fœminino, quod hic velut ex illo mutilato fiat, non perinde Deus in aliis animantibus efficiendis ſe geſſit atque in homine , maſculos ſcilicet efficiens priùs & ex illis fœminas , ſed nulla ſexus diſtinctione , aquis terræque imperauit dicens, *Producant aquæ reptile animæ viuentis,& natatile & volatile ſuper terrã ſub firmamento cæli*.& rurſum, *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas*?certè nõ in vno aut altero,ſed in omni genere viuentiũ,quibus eſt ſexus differẽtia, mas, vt perfectior, ita eſt natura prior quàm fœmina,nimirum vt ſingulorum animalium ſunt duo latera, dextrũ & ſiniſtrum, quorum dextrum & perfectius. & prius eſt quàm ſiniſtrũ(definitur enim dextrum mouendi principio , ſiniſtrum fine ita cuiuſque generis talis eſt duplex ſexus, maſculinus,qui perfectior eſt & natura prior,neque certè exẽplũ eſt valde diſſimile. nam

Mulier non ex ſemine.

Vir eſt gloria Dei.

Dextri definitio.

vt à dextro incipit animalis progreſſio, & ſiniſtro finitur, ita generatio à mare inchoatur, & perficitur in muliere. itaque vt dextrum ſiniſtro, ita maſculinũ fœminino prius eſt. tamen ſatis fuit id in vnius, eiuſque præſtãtiſſimi animantis ortu indicare, in aliis multò magis præſtitit materialem ſignificari naturam, nihilque in illis eſſe Diuinum, & ſupra corporalem eſſentialem ſeparabile, & immortale, vt in homine, ſed omnia, ſecundùm ſe tota, educi de potentia materiæ. Hoc enim ſignificans dicit, *Producant aqua reptile, & natatile, & volatile ſuper terram, & terra producat iumenta, & reptilia, & beſtias.* hominem verò, etſi ex terra fecit, non tamẽ iuſſit terræ vt produceret, ſed ipſe apud ſeſe Deus ſtatuit illum facere, dicens: *Faciamus hominem.* vſque adeò habent magnam energiam verba ſingula. Sed hîc rurſum dubitatio alia ſubit. Cur volatilia ex aqua potiùs fecerit quàm ex terra, cùm præter quædam illorum genera, perpauca ſint quæ ſubmergantur aut natent, omnia verò terræ inſideant, cùm ceſſant à volatu, ibique nidificent, dormiant, oua incubent, pullos excutiant. ſi igitur inde animantia fieri oportuit vbi viuunt, ex terra potiùs quàm ex aqua videntur debuiſſe fieri votatilia, aut ſaltem ex aëre: ex aqua verò minimè, vtpote in quam eorum plurima nunquam deſcendunt, maximè cùm

Eſſe ex quibus. plurima eorum victum ex terra capiant (perpauca enim eorum ſunt icthyophaga, vt aquilæ vnum genus) Hippocrates enim & Medici omnes vno ore affirmant, ex eiſdem nos fieri, quibus nutrimur. Prætereà ſi ſubſtantiã eorum & temperiẽ conſideres, videbuntur ex terra potiùs quàm aqua eſſe facta. tametſi enim magna ex parte tenuior ſubſtantia eſt volatilium quàm terreſtrium. tamen eorũ quædam duriorem & craſſiorem habere videntur quàm horum multa, vt vultur & accipitrũ genera, quàm arietes, atque adeò omnia in commune, vt ſunt quàm terreſtria

Siccitas. tenuiora, ita & ſicciora. ſiccitas verò plurimum diſſidet ab aquæ natura, à terra non diſſidet. Sed quoniam terra vt ſicca, ita & craſſa eſt, quod tenue & ſiccum igneum potiùs videtur. Cógruit

Aues igneæ. ergo volatiliũ natura cum igne maximè, cũ terra aliquatenus, cum aqua minimè, facta ergo fuerint, ſi habitaculum ſpectes, ex aëre: ſi temperiem, ex igne: ſin minùs, ex terra: cum qua vtraque ratione conueniunt ex parte, nimirum partim viuentia in ea, & partim illi temperie ſimilia ſecundùm ſiccitatem ſcilicet: ex aqua verò nulla ratione viden tur fuiſſe efficienda. Eſſe qualem diximus eorum naturam ex Hippocrate licet diſcere, qui lib 6. Epidemicôn ſectione ſexta, inquit, *bilis vt dicebam de auibus, quod bilioſa. quo pacto ergo po tuerunt bilioſam naturam ex aqua recipere?* Medici quoque omnes carnes volatilium cen-

ſent

ſent eſſe tenuiores & ſicciores. quin & ganeones teſtimonium tali naturæ præbent, quidā enim eorum non ſatis aſſis veſcuntur. nulli verò niſi eùm ſunt pingues: vt ſcilicet leui aſſatione, & pinguedine, temperetur naturalis eārum carnium ſiccitas. vnde ergo quis coniectet, aues eſſe ex aqua natas? Ariſtoteles cap.4.lib.4. Meteorum indicauit, in igne aut aëre nullum animal gigni, ſed in aqua aut terra omnia, eò quod corpora omnia ſolida, ex ſicci & humidi craſſi commixtione, generentur, quæ ſunt terræ: & aquæ, atque ita corpora omnia concreta, aut ad aquā, aut ad terram pertinere, quod ad ſubſtantiæ modum attinet. Itaque tametſi ponātur elementa quatuor, corpora verò ſolida, ex craſſis eſſe: ex tenuibus, aëre inquā & igne, accedere illis temperamenta & virtutes. ſiquidem igitur ex quocunque quatuor elementorum animalia, fieri poſſent, aeri, vaga ex aere fieri, fuiſſet conſentaneum: cùm verò id aeris ſubſtantia non ferat conſentaneum mox è duobus craſſis, ex quibus fiunt omnia, ex eo maximè facta eſſe quod aëri eſt proximum eiuſmodi eſt aqua. Nolo nunc de aëris temperie diſſerere, neque difficilem contentionē ingredi. Stoici enim affirmant eſſe ſummè frigidum. Peripatetici ſummè ferè calidum. Mihi ſemper viſus eſt nihil eſſe inſigniter, ſed temperatum quiddam, & mediocre. ſed hoc nunc habeat vtcunque, commutandi facilitate proximam eſſe dico aquam aeri, ídque ob ſubſtantiæ modum. nam aqua in aerem abit extenuata, & aer in aquam denſatus, nulla intercedente generatione, niſi fortè vaporis. facta itaque dicimus volucria in aerem euolatura ex aqua vt ex ipſius aeris materia futura vt etiam ex aqua vapores, ipſius aeris proxima materia. ita enim euolant etiam ex aqua vapores, ipſius aeris materia futuri; niſi rurſum denſati in pluuiam præueniant deſcendere. Diuus Auguſt. lib.2. de Geneſi ad literam, addit volatilia non volare per ſublimem aerem, qui ſerenus tranquillúſque eſt: ſed per hunc turbidum & craſſum, terræ proximum, qui excipit vapores omnes terræ & maris, & in quo pluuiæ concreſcunt, ita vt ea eius pars, aqua potiùs extenuata, quàm aer eſſe videatur atque ita principium ex quo ſunt factæ aues, & habitaculum earum, ſimile ac ferè idē eſſe. inſinuat ergo Auguſtinus, natatilia & volatilia facta eſſe ex aqua: illa verò ex craſſa quæ in mari fluctuat; hæc ex tenui, quæ in aere volitat. tamen corpulentia auium craſſum etiam deſiderat principium: iuxta id quod ex Ariſtotele accepimus. neque verò quia non ſunt volatilia temperie aquæ, non ſunt facta ex illa, non enim ex ſimilibus res fiunt, ſed ex contrariis, & ea non fiunt ex manente tali, ſed ex alterata aqua exemplo eſt ſal, qui non ſolùm

In aëre nihil gignitur.

Aëris tēperies.

Aëris materia proxima.

Aues in qua parte aëris volent.

cam facilè emollitus ſoluitur, tamen temperie eſt ſiccus & calidus. Itaque ex aqua facta ſunt natatilia & volatilia: illa verò eſt minùs alterata, hæc eſt alterata magis: proinde piſces temperamento etiam ſunt ſimiles aquæ, aues contrariæ: tenuior verò ſubſtantia quàm terreſtribus vtriſque eſt. Atteſtantur huic cõmuni ortui, multa, quæ piſcibus & auibus communia ſunt, quibus à terreſtribus diſcrepant. vtraque enim ſunt ouipara (præter pauca quædã natantium, quæ & ipſa intra ſeſe pariunt oua) hæc viuipara. vtraque etiam veſica carent, & partim nullo, partim exiguo potu vtuntur. terreſtria omnia habent veſicam, & mingunt, & vtuntur copioſo potu. Porro ſquammæ & plumæ ad aquam videntur pertinere, præ pilis, hi verò ad terram, generationem enim his tribuunt omnes, & Phyſici & Medici, ex fuliginibus, quarum eſt terrea & exuſta natura: illis verò ex pituitoſis craſſiſque excrementis. argumento ſunt quidam morbi, per quos cruſtæ quædam ſquammis ſimiles, cuti adhærent. eæ enim in crudorum & craſſorum excrementorum circa cutem putreſcentiam, referuntur: ſquammarum verò & plumarum materiam eſſe aquam, quæ mingenda foret, author eſt Ariſtoteles, vt multis aliis in locis, ita tertio de partibus animalium, cap. 7. quod idem de alimento pennarum auium dixit pluries in eodem opere. Itaque non parum videtur cum rerum ipſarum naturis conſonare, vt volatilia & natatilia ex aqua facta ſint, velut terreſtria ex terra inanimatorum, itaque & animatorum omnium ortus primus ita conſtitit.

Piſcium temperamentum.

Veſica carentia.

Habentia.

CAPVT II.

Ex cap. 2. Geneſeos.

I*Sta ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priùſquam germinaret.* His verbis, intelligit Philo Iudæus ſignificari rerum omnium ideas, & cauſas exemplares: quòd non aliorſum videatur poſſe dicere, *virgultum agri antequam oriretur in terra & herbam regionis antequam germinaret*, niſi vt inſinuaret, factum fuiſſe virgultum antequam oriretur è terra, intelligibile ſcilicet & incorporeum, exemplarque huius materialis, quod poſteà è terra ortum eſt. ita etiam & res alias omnes quæ corporeæ creatæ ſunt, extitiſſe anteà incorporeas, at verò ſi virgultum antequam oriretur in terra ſignificat virgulti

gulti ideam, videntur hæc verba ſignificare, feciſſe Deum virgulti (ita verò & aliarum rerum omnium) ideas, atque adeò totum mundum intelligibilem, antequam res ipſas ſenſibiles, deinde has ab illis, velut ab exēplari, deduxiſſe. id verò falſum eſt. nam ſi exemplares cauſæ factæ eſſent, earum oporteret eſſe alia exemplaria, & illorum rurſum alia, atque ita procederetur in infinitum, aut perueniretur ad æterna, omníque carentia, principio, exemplaria. quæ ſi ſunt, mox ab illis citra aliorum exemplarium generationem fieri deducíque poſſunt res ſenſibiles, & omnes mundi partes Ideæ ergo, & exemplares rerum cauſæ, extra Deum nullæ ſunt, ſed in ipſius Dei ſubſtantiā. id quod Platonem quoque ſenſiſſe, haud dubium eſt, ſiquidē dicit. *Rurſus cōſiderandum eſt, an mūdi faber ſit imitatus exemplar: id ne quod ſemper idem & ſimile eſt, an id quod genitum fuerit, atqui ſi pulcher eſt hic mundus, & opifex mundi bonus, ſempiternum certè exemplū maluit imitari: ſin ſecus, quod ne dictu quidem fas eſt, generatum exemplar, eſt, pro æterno, ſequutus.* hæc Plato. ex quibus conſtat, exemplar rerū, quæ factæ ſunt in ſubſtantia, eſſe ipſius opificis. nihil enim Plato æternum eſſe cenſet, præter Deum. nam minores Deos, & factos, & diſſolubiles, niſi benignitate Dei Optimi Maximi ſeruarentur, eſſe autumat. mundi igitur intelligibilis, nulla temporalis geneſis eſt, ſed tantùm huius ſenſibilis. Quapropter, ponere vlla rerum exemplaria creata, abſurdum eſt, alioqui feciſſet Deus hominem, deinde Petrum & Ioannē. id verò fieri non poteſt, quia in definitione & eſſentia hominis eſt, vt conſtet corpore & anima. ac ſine eis, ne intelligi quidem poteſt, nedum eſſe. vt neque ſimitas eſſe poteſt, vbi nō ſit naſus, quia in definitione ſimitatis eſt naſus, cùm ſit naſi carnitas. quo pacto ergo homo, quin ſit animal? aut quo pacto animal, quin ſit corpus; corpus autem non Mathematicum, quia non eſſet ſenſitiuum: ſi autem corpus Phyſicum, certè & hoc: ſiquidem vniuerſalia per materiā fiunt hæc. non poteſt igitur eſſe homo, qui non ſit aliquis homo. ſed vniuerſale in rebus creatis, eſt ratio vniuerſalis in omnibus exiſtens, cogitatione ſeparabilis. exemplar verò ad quod facta ſunt ſingula, eſt æterna illa notitia rerum omnium, quam Deus ſemper apud ſe habuit, ab æterno conceptam, factam autem nunquam. Conſtat etiam ex verbis his capitis octaui Prouerbiorū, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequā quidquā faceret à principio.* ſi enim ea à Deo eſſet facta quomodo poſſet à Deo poſſideri, antequam quidpiam fieret? eſſet enim ipſa facta. non eſt itaque facta, eſt tamen eadem ab æterno concepta, ſiquidem addit, *ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis*

Exemplar mundi æternum.

antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi. & ego iam concepta eram.& c.24. Eccleſiaſtici dicit ipſa Sapientia, *Ego ex ore altiſſimi prodiui,primogenita ante omnem creaturã.* Itaque Dei ſapientia per quam facta ſunt omnia quæ facta ſunt, facta eſſe non poteſt, concepta verò ab æterno, quæ eſt ipſum Dei verbum, Dei ſapientia, hæc verò in Deo (vt & alia omnia quæ in ipſo ſunt) nullatenus accidentalis,ſed ipſamet diuina ſubſtantia eſt. hanc in Deo neceſſe eſt ponere, alioqui feciſſet Deus omnia. neſciens quid faceret,velut,cæcutiens,& temere aliquid agens: factáque eſſent omnia caſu. præter intẽtionem agentis.hoc verò eſt impoſſibile,quia aut hæc faciens volebat alia facere,quæ non fecit,aut nihil volebat,ſed neceſſitate hæc fecit:ſi primum, Deus fuerit cauſa per accidens mundi. quod ſi ita eſt, non poteſt eſſe cauſa præcipua, quia omne quod fit per accidens, reducitur ad aliam cauſam per ſe. Mundi ergo eſſet, præter Deũ, alia cauſa per ſe, & præcipua illa ergo potiùs eſſet Deus. quapropter Deus non poteſt ita feciſſe mundum, ſi verè neceſſitate fecit; nulla cauſa eſt quòd non fecerit ab æterno.at verò monſtratum anteà eſt, mundum non eſſe ab æterno, igitur ſupereſt Deum ab æterno habere apud ſeſe notitiam rerum omnium creandarum, atque feciſſe tales quales agnoſcebat, illamque notitiam eſſe exemplar per quod facta ſunt omnia.atque cùm illamet notitia ſit ex ſubſtantia Dei, diuinitùs enarrata eſt mundi creatio in Euangelio Ioannis, ducta ſcilicet ab exemplari cauſa, & æternis ideis, *In prinpio* (hoc eſt Deo) *erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, omnia per ipſum facta ſunt.*Præter hoc verbum nullæ ſunt ideæ,neque cauſæ exemplares mundi, neque in tota hac narratione mihi videtur Moſes,exemplaris cauſæ rei vllius meminiſſe, prætterquam hominis, de quo inquit, *ad imaginem Dei creauit illum.* Propriè quidem, quia ad illud exemplar, quod eſt verbum Dei. id verò eſt imago ſubſtantiæ Patris. hoc ipſum fuit exemplar aliarum omnium rerum, ſiquidem omnia per ipſum facta ſunt. fortaſſe ſatis fuit hic exponere cauſam exemplarem hominis, vt eadem intelligeretur eſſe totius mundi. quandoquidem in ſubſtantia hominis ſunt omnes mundi partes,vt nihil verius à Philoſophis dictum ſit, quàm hominem eſſe microcoſmũ.quod non ita intelligens Philo.cõmentatur illud eſſe dictum de anima hominis,illique ſoli fuiſſe Deum ipſum exemplarẽ cauſam, corpus verò atque reliqua corporalia, facta eſſe ad exemplaria creata. proinde in 1.cap. creationem animæ.quæ præcipua hominis pars eſt. atque vt cenſet Plato in dialogo de natura hominis,& Auicenna in mahat,ſolus eſt homo, traditam eſſe,vbi dicitur,

Sapientia ab æterno.

Exemplar hominis.

Microcoſmus.

An ſola ſit anima creata.

dicitur, *Ad imaginem Dei fecit illum*, in hoc 2.cap. tradi corporis creationem, vbi nulla imaginis Dei fit mentio, ſed dicitur, *formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Verba verò Philonis in libello de opificio mundi, ſunt hæc. *Quod autem in anima quoque par inerat præſtantia, manifeſtum eſt, nullo enim creato exemplari, in ea facienda vſus videtur, ſed ſolo, vt diximus, ſuo ipſius verbo, ideoque narratur, effigiem & imitamentum fuiſſe, hunc hominem inſpiratum in faciem.* Hæc Philo: quibus apertè dicit, hominem inſpiratum in faciem illius ſtatuæ, quæ ex luto conſtitit, eſſe animam, eamque ſine creato exemplari factam eſſe, effigiem & imitamentum Dei: corpus verò, atque adeò alia, facta eſſe ad exemplaria, quæ erant in vrbe intelligibili, quam primo die, de ſententia illius, fecit. neque verò non ita ſentit, quia paulò anteà dixerat, mundum intelligibilem eſſe verbum Dei. nam non vtcumque id dicit, ſed mundum intelligibilem, eſſe verbum Dei iam facientis mundum; vrbem verò intelligibilem (hæ ſunt cauſæ exemplares) eſſe ratiocinationem Architecti, cogitantis iam verbum mente conceptam, condere. Itaque ille ponit verbum Dei, idque æternum, illud verò, non ab æterno, ſed cùm iam vellet mundum condere (ita vt ſolent artifices) excogitaſſe intra ſe mundum quendam ſeu vrbem intelligibilem, ad cuius exemplar condidit hanc viſibilem. audiamus verò eius verba. *Quod ſicut liberat* (inquit) *apertioribus vti vocabulis, nihil aliud dixerit eſſe mundum intelligibilem, quàm verbum Dei iam mundum condentis, neque intelligibilis vrbs eſt aliud quid, quàm illa architecti ratiocinatio, cogitantis iam vrbem, mente conceptam, condere.* Itaque ponit mundum intelligibilem, quod dicit verbum Dei iam condentis mundum, & in eo vrbem intelligibilem illam effigiem mundi tunc conceptam, cum iam conderetur, atque in ea vrbe fuiſſe exemplaria omnium, præterquam animæ, quæ non ad exemplaris vllius creati, ſed ad Dei ipſius imitamentum, facta eſt. Ex dictis naſcuntur duæ opiniones, quæ malè Philoſophantium Iudæorum ſunt, vna, eſſe ſapientiam quandam creatam, quæ ante mundi opificium facta eſt, atque per eam alia omnia, illam ſcilicet mente conceptam vrbem intelligibilem. Cui opinioni fauere videntur quàm maximè illa verba cap. 1. Eccleſiaſtici, *Prior omnium creata eſt ſapientia, & fons ſapientiæ verbum Dei.* & rurſus, *Vnus eſt altiſſimus & creator omnium omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper Thronum illius, & dominans Deus ipſe creauit illam.* Alia opinio eſt, mentem humanam, ſiquidem non ad exemplar creatum eſt facta, ex ſubſtantia eſſe ipſius Dei. in quam

Philonis de mundi creatione ſomnia.

Vrbs intelligibilis Philonis.

Mundus intelligibilis.

Iudæorũ opinio de ſapientia.

Anima an ex Dei ſubſtãtia.

quam Philo quoque videtur lapſus, quia ita inquit. *Omnis homo, iuxta mētem, diuino verbo eſt cognatus, beatæ illius naturæ ſigillum, ſiue particula quadam, ſiue ſplendor, & quaſi radius.* Verum hæc omnia plena ſunt abſurditate nam, vt monſtratum eſt, exemplares mundi cauſæ, non poſſunt non eſſe æternæ, vt Deus ipſe, ac proinde, neque aliud quàm ipſe Deus. quare nulla vrbs intelligibilis, nulla ſapientia creata eſſe poteſt, per quam omnia facta ſunt, neque omninò quidquam, quod non ſit ipſum verbum. nā, præter dicta, ſi illa vrbs intelligibilis aut illa ſapientia erat in verbo, neque ex ſubſtantia ipſius verbi, atque adeò ipſum verbum, erat profectò quiddam illi accidens, & tempore ſuperueniens. conſtat verò, Deum incapacem eſſe alterationum. nihil ergo aliud fuit per quod omnia fierent, quàm ipſum verbum Dei. Atqui illa verba Eccleſiaſtici, de generatione æterna ſapientiæ diuinæ intelligi, etſi abuſiuè accipiatur nomen creationis, conſtat ex adiunctis. Hæc enim ſunt prima verba capitis, *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum.* de hac ſapientia dicuntur alia omnia. ſuper cuius thronum dicitur ſedere Deus dominans, ſuper thronum ſcilicet ſapientiæ illi coæternæ, & conſubſtantialis, quæ eſt ſuum verbum, per quod facta ſunt omnia. nam ſi velimus eo loco, nomine ſapientiæ creatæ, intelligere intellectualem ſubſtantiam Angelorum, ne ita quidem quadrabunt reliqua. quadrarent enim fortaſſe illa, *Prior omnium creata eſt ſapientia*, ſi quidem ſpiritualis ſubſtantia cenſetur creata ante corporalem: ſed non illa, *Ipſe creauit illam & effudit illam ſuper omnia opera ſua*, hoc eſt, & creauit omnia opera ſua, effundens ſua bona ex æterno illo ſui theſauri promptuario, ſuper omnia illa. nimirum bonum eſt ſui ipſius diffuſiuum, atque ita ſummum bonum ſummè ſe effudit. effuſione igitur illius diuinæ ſapientiæ, quæ ab æterno eſt apud Deum, atque ipſe Deus, facta ſunt omnia. quapropter, vt neque animæ, ita neque corporis, neque omninò rei vllius creatæ fuit creatum exemplar, ſed omnium increata. vt verò imitamenta non fiunt ex ſubſtantia exemplarium; ſed ad ſimilitudinem illorum, ita neque anima facta eſt ex ſubſtantia Dei, ſed ad imaginem & ſimilitudinem, vt & totus homo, & aliæ omnes res creatæ, ſuo quæque gradu, vt bonitas illa, quæ exemplariter erat in verbo, plus aut minus, in quamcunque ſe effudit. itaque anima rationalis, atque humana mens, multò plus accepit illius bonitatis, quàm aliæ animæ, non tamen ex ſubſtantia Dei eſt magis quàm illæ. atque ſapientia illa, quæ prior omnium creata eſſe dicitur, eſt per quam facta ſunt omnia: at verò per intellectualem

Philonis reprobatio.

Spiritualis ſubſtātiæ creatio.

Dei Thronus.

Bonum.

lem,& incorpoream Angelorum ſubſtantiam, nullæ res creatæ ſunt, niſi verò etiam placeat cum Platone & Philone (ambo enim huius ſententiæ ſunt) illud colloquium, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, fuiſſe inter Deum Deorum & minores Deos, hoc eſt, Angelos, alloquente illos Deo, atque ad hominis opificium prouocante. Id verò eſt abſurdum, quia cui eſſet communicata facultas creandi, communicata eſſet facultas infinita, nulli verò creaturæ infinita virtus cõmunicata eſt, atque an poſſit communicari, meritò à Theologis dubitatur à probabiliori ſententia negante. Nulla igitur creatura cooperta eſt cum Deo in creatione. quare ſupereſt, vt illud colloquium intra ipſum Deum habitum ſit, apud quem erat verbum, per quod omnia facta ſunt, & infinita bonitas, ſeu amor, quo ſeſe effudit per omnia opera ſua. Quod igitur ad cauſam exemplarem attinet, ita habet, neque in tota tractatione Moſes illius meminit, niſi in his verbis, quibus ad imaginem & ſimilitudinem Dei dicitur factus eſſe homo. neque vlla idearum, ſiue exemplarium creatio, ſeu Geneſis temporalis fuit, quidquid Philo velit. Interpretemur ergo, quid ſibi velint illa verba in initio huius capitis præſcripta. *Hæ ſunt generationes cœli & terræ quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, antequam germinaret.* Ariſtotelicorum omnium, & partis magnæ Platonicorum, opinio eſt, mundum hunc à Deo factum eſſe, ita tamen, vt nunquam fuerit, ſed factum eſſe ab æterno: quod ego anteà refutaui, indicans fieri non poſſe, vt quod factum eſt, aliquando infectum non fuerit. huic opinioni occurrit Moſes, ac ne quis falleretur, putans, etſi Deus fecerit virgulta & herbas, ac denique omnia, nunquam tamen non fuiſſe virgulta ex terra orta, & herbam germinantem, inquit, *Fecit Dominus omne virgultum agri antequam oriretur ex terra & omnem herbam regionis, antequam germinaret.* quaſi diceret, fecit Deus hæc omnia in mundi initio, cùm anteà nunquam virgulta eſſent orta ex terra, neque herba germinaſſet. itaque cùm anteà nunquam extitiſſent, niſi in exemplari, facta ſunt denuò omnia, & rerum omnium ſpecies, quæ in priori illo ſæculo, hoc eſt, in illa æternitate, erant in mundo intelligibili, inuiſibiles, viſibiles in hoc temporali ſæculo fecit Deus apparere, quod diſertiſſimè dixit Paulus cap. 11. epiſtolæ ad Hebræos, his verbis, *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.*

Virtus infinita incõmunicabilis creaturæ.

Mundus æternus & factus.

CAPVT

CAPVT III.

Ex cap.2. Geneſeos.

Nomine an ſuis rebus cōgruentia.

LEgimus, *Omne enim quodvocauit Adam anima viuentis, ipſum eſt nomen eius: appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia.* Quæ verba non videntur oſcitanter prætereunda, oritur enim ex illis, magna illa & antiqua dubitatio, an ſint rebus ſua nomina eis naturaliter congruentia, an nulla ſint talia, ſed conſenſione hominum, atque ad colloquentium libitum conſtent omnia. ſi enim ſuis nominibus appellauit Adam cuncta, videntur habuiſſe nomina antequam appellarentur, alioqui non vocauerit illa ſuis nominibus, ſed dederit illis nomina: quòd ſi antequam appellarentur ab Adamo habebant nomina, non ſunt nata ex appellatione & vſu, ſed ex rerum naturis: naturaliter ergo congruunt rebus ſua nomina, non voluntate hominum. in hanc ſententiam videtur multis argumentis ferri Plato in Cratylo, ſiue de recta nominum ratione. Huic quæſtioni videtur eſſe coniuncta illa alia, an nominibus inſita ſit vis aliquid efficiendi, ſiue boni ſiue mali, an nihil aliud, quàm ſignificent. ſi enim ſunt naturales rerum imagines, non ſit inopinabile poſſe naturaliter aliquid efficere, vt & res ipſæ: ſi verò nihil eſt verbis cum rebus præter hominum placitum, nulla illis ineſſe vis naturalis poteſt, ſiue facultas. ſi igitur indicari poſſit, vim ineſſe verbis aliquid efficiendi, indicatum etiam putari oportet, eſſe ea naturaliter coniuncta rebus, ſignificaretque non ex placito ſolùm, ſed naturaliter, habere autem verba vim talem, authoritate Medicorum eorumdemque Philoſophorum præſtantium conſtare videtur poſſe: qui, vt pharmacis, ita etiam verbis quibuſdam, ad quoſdam morbos vti iubent: neque verbis ſolùm prolatis, ſed & ſcriptis, ægroto alligatis, aut ſuſpenſis. Plinius lib. 28. Naturalis hiſtoriæ, cap. 2. quæſtionem hanc diſceptans, multa narrat ad hanc partem pertinentia, velut Vlyſſem (narrante Homero) profluuium ſanguinis, vulnerato femore, inhibuiſſe carmine, Theophraſto authore ſanari iſchiadicos carminibus, authore Catone, laxatis membris auxiliari carmen. Marco Varrone, podagricis: Ætius lib. 8. cap. 50. ita inquit, *Ad eductionem eorum quæ in tonſilas deuorata ſunt, ſtatim te ad ægrum deſidentem conuerte, ipſumque tibi attendere iube, ac dic, Egredere os, ſi tamen os, aut feſtuca, aut*

Morborū ſuperſtitioſæ curationes.

quid

quid tandem exiſtit, quemadmodum IESVS CHRISTVS ex ſepulchro Lazarum eduxit, & quemadmodum Ionam ex certo, atque apprehenſo ægri gutture dic, *Baſilius martyr* CHRISTI *dixit, aut aſcende, aut deſcende.* Tralianus incantationes plurimum poſſe iuuare aſſerens, cap. 4. lib. 6. authoritate Galeni ſuam ſententiam confirmat, ita dicens: *Præterea etiã diuiniſſimus Galenus, qui ne eſſe quidem incantationes putauit, longo tempore multóque vſu plurimũ ipſa poſſe deprehendit. audi igitur verba ipſius, quæ de medica Homeri tractatione reliquit. habent autẽ ea in hunc modum, nonnulli igitur putant incantationes anicularum fabulis eſſe perſimiles, quemadmodum ego quoque diu exiſtimaui, temporis autem proceſſu ab ipſis, quæ euidenter apparent, parẽ perſuaſus ſum, vim ipſis ineſſe. nam in percuſſis ab ſcorpio adiumentum ſum expertus, nihilo autem minus in oſſibus gutturis infixis, quæ incantatione ſtatim expuebantur: ac multa præclara ſingulæ habent incãtationes, cùm inſtitutum conſequuntur.* hæc Tralian. ex Gal. qui licet nunc non extet, extitiſſe tamen verè, authoritate Traliani comprobatur. Extat quidem in Galeni ſcriptis libellus quidam de incantatione, is verò non eſt genuinus, tamen eſt alicuius non contemnendi authoris; apud Quintum Serenum legimus inſcriptã modo quodam certo vocẽ hanc Abracadabra, & charta lino incluſa atque collo ſuſpenſa, ſanare hemetriteum. multa alia huiuſmodi occurrent ſcripta & apud Græcos, & Latinos, atque apud Arabes Medicos. Iam verò inter vulgares nihil magis vſu receptum, quàm quibuſdam recitationibus (Hiſpani vocant *enſalmos*) morbos quoſdam, aut etiam omnes, curari. videtur autem hoc ita ſe habere, vel hoc argumento, quòd ſi verba quædam ſunt noxia, aut etiam mortifera, poſſint etiam eſſe alia ſalutaria. at verò omnes homines videntur naturaliter timere maledictiones, & imprecationes, & venefici vtuntur diris carminibus. multáque paſſim narrantur exempla morborum, per imprecationes, faſcinationes, venefica verba, & alia eiuſmodi, illatorum. poſſint ergo & Medici vti verbis ſalutaribus, ac benedictionibus, minùs quàm pharmacis ad morborum curationes. ſi igitur verba vim habent efficiendi quidpiam, velut ignis vrendi, non ſint tantum ex colloquentium placito ſignificantia id quod quiſpiam cogitet, ſed naturam quampiam habeant communem cum ipſis rebus, ob quam, & ipſis congruant naturaliter. his argumentis cenſent plurimi (in quibus Platonem etiam pono) non temere his vocibus has, illas illis ſignificari, ſed naturaliter nomina rebus aptari ſuis. Non tamen omnia æquè, neque quæcunque, neque enim Hiſpana, neque Gallica, neque verò Latina, neque Græca quæcunque,

Hemetritei curatio.

ſed vt Plato cenſet citato Homero, quibus loquuntur Dij: & vt alij, primæua illa quibus Adam putatur eſſe vſus, hoc eſt, Hebræa. eam ob cauſam dicunt, in Eccleſiaſticis hymnis retineri ſemper verba quædã Hebræa, vt *Alleluia, Oſanna, Sabaoth, Epheta* & alia eiuſmodi, quæ ſanè (dicunt) vetterentur etiam in Latina, vt alia omnia, niſi vis quædam & efficacia illis naturaliter ineſſet. hanc ſequuti ſunt ſententiam Magi, quorum princeps putatur fuiſſe Zoroaſtres rex Bactrianorum, Nini contemporaneus, quique naturalem eſſe ſuam Magiam contendunt, & inter Hebræos vocari Cabaliſtæ, qui ſuam doctrinam, iactant à ſecretioribus Dei reuelationibus fuiſſe deriuatam, promittunt ſe verbis & characteribus miraculoſa quædam opera edituros videtur autem his fidem etiam facere, de incantationibus, ſæculis omnibus concepta opinio Si enim (vt ex Atali ſententia narrat Plinius) prolata hac voce, *duo*, viſus ſcorpio cohibetur ne vibrare ictus poſſit. ſique (vt ait Poëta) *frigidus in campis cãtando rumpitur anguis.* quî poſſit negari naturalis verborũ vis? aut cur non poterunt rectè apud omnes gentes adhiberi ſalutares incantationes aduerſus morſus rabidorum canum, & venenatorũ omnium ictus, atque adeo aduerſus ipſas feras? Neque verò vanum eſſe videtur, quod de incantationibus fertur, ſiquidem Pſal. 57 ita cecinit Regius vates. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obdurantis aures ſuas. quæ non exaudiet voces incantantium, & venefi incantantis ſapienter.* Ecce vt diuino oraculo confirmari videatur vis, & facultas incantationum, & incantatoris ſapientia, & calliditas ſerpentis obturantis ſibi aures, ne audiat voces incantatoris. adeò igitur naturalis eſt verborum potentia, vt etiam ab irrationalibus naturliter agnoſcatur, atque aduerſus eam naturaliter ſeſe muniant; conſtat verò aduerſus noxas, quæ naturales non eſſent, non fuiſſe naturam belluas armaturam, neque daturam inſtinctum, quo ſe ab illis tuerentur. Hieremias quoque cap. 8. ita ſcripſit, *Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio* videtur autem comminatio hæc innuere, aliis ſerpentibus eſſe incantationes. hanc ſententiam videtur etiam iuuare authoritas Eccleſiæ, quæ iubet exorciſtas vti conceptis verbis, quaſi illis, dæmones fugandi virtus quædam præcipuè inſit quò etiam ſpectare dicat quis illud Euangelij, *In nomine meo dæmonia eiicient.* non enim iam in ieiunio, ſolum & oratione dicit, ſed *in nomine meo*, quaſi ipſa nominis IESV prolatio, efficaciam habeat ingentem. præterea illa crebra recitatio, qua Eccleſia & fideles ſinguli vtuntur, illæ, nunc ter, nunc quinquies, nunc quinquageſies, nunc pluries repetitæ. ſalutationes Angelicæ, aut dominicæ preces, quid aliud innuũt,

Hebraicarum vocũ vſus in ſacris.

Zoroaſtres Princeps Magorum. Cabaliſtæ.

Serpentis aſtutia.

Exorciſtæ & eorum virtus.

Angelica ſalutatio.

quàm in ipſa verborum Sanctorum recitatione,vim quandam eſſe animæ ſalutarem?alioqui ſi non ob ipſorum verborũ vim, ſed orandi Deum gratia recitarentur, quorſum recitarētur eadem pluries;videtur ergo his omnibus argumentis fieri, ineſſe verbis ipſis vim quandam naturalem,partim noxiā,partim ſalutarē, idque nunc corporibus,nunc animabus, nunc vtriſque, atque ita analogiā habere cum rebus, quarum ſunt,quod præſcripta Geneſeos verba innuebant. Verùm etſi tam multa congerant vani & ſuperſtitioſi, magi,& Cabaliſtæ & qui ſe putant diuiniſſimos, Platonici, falſum eſt prorſus, & ab omni ratione alienum,vim eſſe per ſe vllam verbis, aut aliam, quàm ſignificandi ex hominum placito. Nam, vt eidem,cui illi,vix inſiſtamus, ſi verbis ipſis nihil eſt commune cum rebus, neque ipſa quidpiam ſunt aliud,quàm ita diuerberatus aër,neque alia cauſa eſt, qua hæc has, illa illas, res ſignificent, quàm hominum, ab eorundem voluntate profecta conſuetudo,nulla vis eſſe poteſt nominibus per ſe. Quid autem aliud eſt loqui, quàm per quaſdam linguæ motiunculas, res quaſdam innuere, vt inter colloquentes conſtitutum eſt?nimirum:vt quidam(multi præcipuè conſueuerunt,ſuas ſibi mutuò cogitationes aperire varia digitorum motitatione. hoc ſolum intereſt, quòd lingua accōmodatiſſima eſt omnium noſtri corporis partium,ad ſignificandum quod mente conceptum eſt, ob illam mirabilem mobilitatem, & quia in ipſa via ſpiritus poſita, eius diuerberatione, ſonitus edit multiplices,auditui hominis,etiam eminus,occurrentes,itaque,eſt hæc particula paratiſſima,ac maximè idonea, cui homines demandent munus innuendi inuicem,quæ mente conceperint: quia nulla tot,tamque varias motiunculas ſubire poteſt, eáque ſola voces effingit multiplices, vnde & aſpectabiles,& audibiles naſcuntur differentiæ: neque quidem caſu factum eſt,vt lingua ad hunc vſum extiterit accommodata, ſed ipſa natura ita eſt comparata, mollis ſcilicet, ac ſubſtantia volubilis, multis ad radicem muſculis prædita, ſuperpoſita laryngi, ſuppoſita palato, circumſepta dentibus, vt expiratum per laryngem aërem excipiens, & ad palatum & dentes multifariam allidens, poſſet multiplices edere ſonitus, quibus pro ſuo arbitratu, poſſet homo homini ſignificare, incognoſcibiles alioqui cogitationes. accōmodatior ergo multò eſt ad innuendum lingua, quàm manus,aut pes,aut vlla alia particula, velut autem, vtcunque tu moueas digitos, nihil intelliget alter, niſi inter ambos conuenerit, vt hæc motiuncula huius, illa illius rei nota ſit,ita neque vtcunque crepas ore. neque enim Hiſpanus Gallum, neque hic Germanum,neque ille Arabem, neque

Magorum & Cabaliſtarũ reprehēſio.

Linguæ vſus.

Latinus Græcum, neque Græcus Hebræum, loquentem intelligit. quia, ſcilicet, non ſunt docti eundem ſermonem nimirum ſermo non conſtat natura, ſed conſuetudine. alioqui vt eſt omnibus gentibus vna eademque natura, eſſet idem ſermo: ſed non ita eſt, quin potiùs multiplex, & vt conſuetudo. falſum enim ac ridiculum, quod ſibi quidam Philoſophiæ ignari perſuaſerunt. ſi quis ab infantia nullum omninò doceretur ſermonem, futurum vt loqueretur Hebraicè, ſermonem ſcilicet, innatum hominibus. Nam ſi ſine doctore, vt alia quàm plurima, innaſceretur ſermo iſte hominibus, innaſceretur profectò, etiam ſi alium ſermonem diſcerent, eſſentque omnes duplicis ſermonis. Si enim ſermo quem priùs homo didicit, non prohibet quominùs diſcat alium denuò, ſed ſciunt multi bifariam, trifariam, aut etiam quadrifariam loqui: multò minùs prohiberi poſſet qui ex ipſa natura pullularet, ab eo qui eſſet comparatus ſtudio. quin potiùs, ſi vllus ſermo hominibus eſſet naturalis, non poſſent eſſe ad alios dociles, quia quid intus manet, prohibet extraneum. vt ergo natura fecit hominem prorſus inertẽ, vt eſſet ad omnes artes habilis, neceſſe eſt, fecerit omni ſermone carentem, vt poſſit omnes diſcere. videmus verò plures homines, ad alios multos ſermones habiliores, quàm ad Hebræũ, quod quidem nullatenus fieri poſſet: nam in id quod naturale illis eſt, ſponte feruntur res omnes. Ex dictis igitur conſtat loqui quidem naturale eſſe hominibus, quia natura, vt ex ipſa linguæ formatione cognouimus, in hunc vſum eam deſtinauit. hoc autem aut illo ſermone vti, ſtudio ac doctrina euenit, & ipſa quidem idiomata, vſu ac tacita conſenſione hominũ, nata ſunt præter ſeptuaginta illa, quæ ad turrim Babel in diuiſione linguarum orta ſunt, quorũ Deus ipſe voluit eſſe author & doctor. non quòd illa potiùs, quam quæ deinceps vſu extiterunt, cognationem vllam haberẽt cum natura, ſed quòd ad breuem & expeditam diſtributionem gentium, expediret eſſe multilingues dilexit verò Deus, quæ ipſi placuit. ita cùm hominum vitæ nihil poſſet eſſe vtilius, neque iucundius quàm ſuas ſibi inuicem cogitationes communicare, neque quidquam magis naturale, quàm ſcientiæ deſiderium, & ſcientia comparetur docendo ac diſcendo: docere verò ac diſcere non contingat aliter, quàm conceptionum mentis communicatione: ipſa naturæ impulſu feruntur in loquelam, quia, vt indicatum eſt, nulla neque potior, neque facilior excogitari poteſt ratio innuendi. inuenerunt igitur primùm loquelam, quo verbis ſignificarent animi conceptiones. deinde, quia ſermo haberi non poterat, niſi ad præſentes, ac ſtatim ac emiſſus eſt, effluit, excogitata

Infans ſine doctore quo idiomate loquutus.

Homo cur natura iners.

Sermo quomodo naturalis.

Idiomatũ origo.

Loquelæ inuentio.

gitata ſcriptura eſt, quaſi verba miſſilia, & permanentia quibus & cum abſentibus. atque adeò cum poſteritate loqui contingeret. loqui, inquã, hoc eſt verba illis ſignificare, ac ſermonem præſentare. quoniam enim ſcriptura, inuentione poſterior eſt loquela, fit vt loquela per ſe ſignificet omnes conceptiones, & ſcriptura loquelam, nimirum hæ duæ Scripturæ, homo & ἄνθρωπος eandem rem ſignificant, ſed non per eandem vocem, lectæ enim diuerſum admodùm ſonant, per diuerſas enim voces ſignificant eandem rem, & ingerunt menti eandem notitiam: velut etiã per diuerſas ſcripturas ſignificari poteſt eadem vox, vt per has, ἄνθρωπος & ἀνθρώπως. eodem igitur modo ſe habent ſcripturæ ad voces, quó voces ad cogitata Atqui, neque hic ordo, vt ſermo diſcatur ante ſcripturam, atque proinde ſcriptura per vocẽ ſighificent, potiùs quàm vox per ſcripturam, neceſſitatem habet naturalem, ita vt nullatenus poſſit contrà fieri. Sed ob facilitatem potiùs ita euenit, & quia citiùs ſunt homines nullo ſenſu orbati, habiles ad loquendum, quàm ad ſcribendum. poſſe verò omnino contrà fieri, apertè indicauit Petrus Pontius, Monachus Sancti Benedicti, amicus meus, qui (res mirabilis) natos ſurdos docebat loqui, non alia arte, quàm docens primum ſcribere, res ipſas digito indicando, quæ characteribus illis ſignificarentur, deinde ad motus linguæ qui characteribus reſponderent, prouocando; itaque vt audientibus à loquela, ita auribus captis, rectiùs incipitur ab ſcriptura neutrum igitur habet neceſſitatem naturalem. Sed videtur ex rei natura eſſe eadem ratio ſermonis & ſcripturæ præter maiorem loquendi facilitatem, in iis qui omnibus ſenſibus vtuntur. qui verò carent auditu habere poſſint ſcripturam loco ſermonis, acceditque illis rerum diuinarum notitia ex viſu, vt aliis ex auditu, cuius ego rei teſtis ſum, in diſcipulis illius amici mei. Itaque eſt ſermo, velut ſcritura affluens, & ſcriptura velut ſermo manens. at verò ſcribendi nullã rationem conſtare natura, ſed vſu & arte, manifeſtum eſt: nam neque cuiuſque hominis eſt ſcribere, neque hominum omninò fuit ſemper, ſed poſt aliquot mundi ſæcula excogitatũ, diuerſum admodum apud diuerſos, vbique magno labore diſcitur. ita igitur de loquela & verbis cenſere conſentaneum eſt: nulla ſcilicet verba ſignificare aliter, quàm ad libitum eorum qui primum eis vſi ſunt. quod (ſi nihil aliud) ipſa idiomatum mutabilitas indicat, nullus enim eſt, qui non vel in ſuo ſæculo, videat, vbique gentium quædam verba antiquari, quædã nouari. vt facile ſit intelligere, niſi ſcripturæ beneficio ſeruata eſſent, nullum omninò verborum, quibus antiquiſſima ſæcula vſa ſunt, ſuam ſignificationẽ fuiſſe retenturũ.

Scripturæ inuentio.

Sermonis & ſcripturæ cõparatio.

Surdi loqui docti.

Conſeruatio rerum.

non igitur eorum ſignificationes natura conſtant, ſed vſu. nam præter dicta, res omnes ab eiſdem ſeruantur cauſis, à quibus fiunt. ſeruantur verò ſignificationes verborum omnium, vſu, alioqui per obliuionem perituræ, igitur & naræ ſunt ex voluntate vtentium, non ex natura. neque quidem obſtat, verba quędam quibuſdam rebus, ob quaſdam cauſa, tributa eſſe (quod maximè facit Socrates in Cratylo) vt homo quia ex humo φωνὴ quaſi φῶς νῦς. nā deriuatiua deducuntur ex primitius, ipſa verò primitiua & ſimplicia non alia ex cauſa ſignificant res quarum ſunt, quàm ex placito authorum. igitur & deriuatiuorum & compoſitorum ſignificationes referuntur ad voluntatem vtentium quin & illa etiam nomina, quæ ob ſimilitudinem quandam ſonitus conficta ſunt (Grammatici vocant Onomatopeiam) vt clangor. tinnitus, bombus βορβορυγμὸς ſignificant ad libitum vtentium. quia ſi illa eadem nomina tributa eſſent rebus longè diuerſis, aut illis eiſdem rebus nomina longè diuerſa, valeret colloquentium vſus, nulla neque ſimilitudine, neque diſſimulitudine obſtante. itaque & voces omnes & ſcripturæ ſignificant ad libitum, quapropter ex ipſa natura nullam vim habent ſignificandi, nedum efficiendi quidpiam: ſed ſignificant ſolùm, quia ita conuenit inter colloquentes, plures, aut pauciores. Nulla igitur naturalis ratio eſt, qua verba aut characteres poſſint morbum inferre, aut ſanitatem, aut aliud quidpiam efficere, eorum quæ Magi pollicentur, & Cabaliſtæ. quòd ſi quædam nomina Hebræa, in Sacris hymnis retinentur incommutata, id quidem non fit, quòd Deus Sabaoth, verbi gratia, maius quidpiam ſit, quàm Deus exercituum, ſed (vt Plinij vtar verbis) externa & ineffabilia verba audientium animos magis mouent, ſemper quid aliud immenſum expectantes, ac dignum Deo mouendo. itaque facit id Eccleſia, vt peregrinarum vocum recitatione magis animus inflammetur, quia vulgares facilè contemnuntur. quo etiam fortaſſe conſilio ſanctiſſimus Papa noſter Gregorius decimus tertius, prohibuit horarias preces vulgari ſermone recitari, ne ſcilicet vulgares voces vulgus contemnat, quod inauditas ſolet demirari. hanc verò eſſe cauſam retinendi eas voces, non quod Hebrææ ſint, conſtat, ſiquidem & Grææ retinentur quàm plurimæ, vt *Kyrie Eleyſon, ò Theos, Athanates, Iſchyros*, & alia eiuſmodi certè nihil hoc aliud eſt, quàm, quod ſancta Eccleſia, omni ratione curat ſecundùm hominum conditionem, nos ad pietatem, & rerum diuinarum æſtimationem prouocare, alioqui verbis ipſis nulla naturalis vis ineſt. Quapropter incantationes vanæ ſunt, ac ſuperſtitioſæ quæque de

Deriuatiua.

Vocū ſignificatio.

Characteres nihil inferunt morbo, nec ſanitati.

illis

illis narrantur falſa aut maligna: maligna die, quo cacodæmonis interuentu fiunt: falſa, quæ cùm non fiant, deluſa, ſibi perſuadet vulgi credulitas, falſum eſt igitur, cantando rumpi angues, falſum quoque eos ſibi obturare aures, ne audiant, quod vel Plinius per deriſum narrat dicens, *Non pauci etiam*(credunt ſcilicet)*ſerpentes ipſas incantari, & hunc vllum illis eſſe intellectu, contrahique Marſorum cantu.* Meritò ergo illa impoſtura damnatur diuinis oraculis, & interdicitur fidelibus. Deuter. 18. ita habetur: *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, neque inueniatur in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem. aut qui ariolos ſciſcitetur, aut obſeruet ſomnia atque auguria, neque ſit maleficus, neque incantator, neque qui pythones conſulat, neque diuinos, & quærat à mortuis veritatem, omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera deleuit eos in introitu tuo. Itaque abominatur Dominus incãtationes, iuxta luſtrationes aliorum, & pythones, vſque adeò, vt ob eas dicat ſe deleuiſſe illas gentes.* Rurſus Paralip. 2. c. 33. Manaſſæ crimina ita recẽſentur, *maleficis artibus inſeruiebat, habebat ſecum magos & incantatores, multaque mala operatus eſt corã Domino.* Iſa. 87. *Venient tibi*(alloquitur Babylonẽ)*duo hæc ſubitò in die vna ſterilitas & viduitas, vniuerſa venerunt ſuper te propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiem incãtatorum tuorum vehementem* Hæc Iſaias. Si verò vis talis data eſſet verbis à Deo, non eſſet profectò incantatorum ars abominabilis ipſi magis quàm medicina. velut enim incantator nunc vtitur incantationibus aduerſus morbos & venena, nunc ad maleficia, ita & medicina, nunc componit medicamenta ſalutaria, nunc deleteria, non tamen proinde medicina eſt Deo abominabilis, ſed gratiſſima: quoniam ſcilicet poſſumus ea vtiliter vti. quandoquidem igitur incantatio eſt Deo abominabilis, naturalis non eſt, ſed, vt dixi, vana, aut maligna. Res ergo iam exigit, vt interpretemur carmina illa Pſal. 57. quæ in ſubſidium incantationum citata ſunt. Inter alios philoſophandi modos, quibus antiquitas ad notandum hominum mores, vſa eſt, non fuit in poſtremis, qui per confictas quaſdam fabellas, aliud quiddam allegoricè ſignificabant. quem tenuerunt Æſopus, & Cyprius, & Lybicus, & alij multi Philoſophi & Poëtæ, inter antiquos; inter iuniores quoque, omnes qui emblemata ſcripſerunt. multa verò, quæ ab antiquiſſimis illis, ad innuendum figuratè aliud aliquid, conficta ſunt, incautè ſunt accepta à poſteris, & eorum ſanè nonnullis eruditiſſimis, quaſi ſimpliciter, ac ſine vlla figura, dicerentur. velut, inquit Æſopus, caſtor præter

Marſi & incãtatores ſerpẽtũ reprehendũtur.

Incantationes.

Fabularũ vtilitas.

præter cæteros quadrupedes in aqua durare fertur, & eius genitalia ad artem medicam vtilia eſſe, hic vbi videt ſe à venatoribus captũ iri, ipſe genitalia præcidit, atque in ſequentes proijciens, hoc modo euadit incolumis. hæc conficta ſunt, ad ſignificandum hominibus, prudentes ſi eſſe velint, pro adipiſcenda ſalute, nullam eſſe habendam rationem fortunarum. non defuerunt plurimi, qui affirmarent, eam eſſe, reuera, caſtori à natura inditam prudentiam. Ita etiam factum eſt in fabula de ſerpente & incantatore, cùm enim antiquitus cõficta eſſet, ad arguendam impietatem eorum, qui à veritate auditum auertunt, nolentes, neque conſiliis neque exhortationibus, ac multò minùs reprehenſionibus aures præbere, non defuerunt qui opinarentur, id quoque eſſe verum, eamque eſſe ſerpentis naturalem verſutiem, verùm re, vt habet, intellecta, planéque perſpecta, dicet Philoſophus, hominem qui in naufragij periculo, merces veſtéſque, & omnem ſupellectilem, mittit in mare, ſimilem eſſe caſtori præcidenti ſibi teſtes, cùm vrgetur à venatoribus, qui tamen Philoſophus arguendus non eſt, quòd affirmet, caſtorem ſibi teſtes ſecare, non enim affirmat, ſed per moralem fabulam docet homines prudentiam, tale etiam eſt quod in Pſalmo facit Dauid, ſcilicet interpretatus eſt parabolam ad arguendam pertinacem intemperantiam eorum, qui audire recuſant veritatem, neque quidquam audire ſuſtinent, niſi quod ad ſuam voluptatem ſpectat, prurientes auribus, & ad ſua deſideria coaceruantes ſibi magiſtros, fabulæ itaque moralis, ſeu parabolæ interpretationem, continent dicti Pſalmi carmina. nimirum intemperantes homines ſunt ſimiles ſerpentibus, quia obturant aures ſuas, ne audiant voces incantatoris ſapienter incantantis, hoc eſt, concionatoris qui docet veram ſapientiam, & per hanc incantationem, incantat morbos animi, neque verò in hoc ſolùm ſcripturæ loco, ſed in multis aliis occurrunt morales fabulæ ſeu apologi, ſeu parabolæ, ſeu vtcunque vocare lubet, quæ allegoricè aliud innuunt, quàm litera ſonet. quinimo nullus eſt modus vtilis philoſophandi, eorum qui ab hominibus ad componendos mores excogitati ſunt, qui non reperiatur exactiùs in ſacris. Quis enim vnquam acutius aut eloquentiùs vſus eſt fabula, quàm Ioatham ad Sichemitas ex montis vertice (narratur cap. 9. Iudicum) vbi non ſolùm inducit loquentes beluas, vt Æſopus, ſed etiam arbores, dicens: *ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe regem, dixeruntque oliuæ, impera nobis, quæ reſpondit, nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, quà & Dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna promouear; dixeruntque ligna ad arborẽ ficum, veni, & ſuper nos regnũ accipe, quæ*

reſpondit

reſpondit eis, nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuauiſſimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear; loquutáque ſunt ligna ad vitem, veni & impera nobis, quæ reſpondit eis, nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna promoueri. dixeruntque omnia ligna ad rhamnum, veni & impera ſuper nos. quæ reſpondit eis, ſi verè me vobis regē conſtituitis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite: ſi autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno & deuoret Cedros Libani. Significatur verò his verbis, iniqua promotio Abimelech in regem. Sunt alia his ſimilia exempla, quæ tamen præteriens redeo ad penſum. Reprehendit itaque, vt dixi, Dauid duritiem & pertinaciam eorum, qui non ſuſtinent audire exhortationes, interpretatione allegorica moralis fabulæ, quam antiquiſſimi Philoſophi ad increpationem hominum, confinxerant. Vocati verò incantationes, diſputationes atque exhortationes prouocantes ad virtutem, etiam à Phiſophis; videre poſſis in Charmide, ſeu dialogo de temperantia, vbi Socrates narrans quæ audierat à quodam medico Thrace, hæc ſcripſit: *Animæ verò medelas eſſe dicebat incantationes quaſdam: eas Præclaris rationibus contineri, quibus animæ temperantia tribuitur, quæ incerta, atque præſente, facile eſſe ſanitatem capiti, totique corpori tribuere.* Ille igitur cùm medelam incantationeſque doceret, iuſſit vt nullis precibus motus, alicui contra capitis dolorem remedium adhiberet, niſi priùs animā incantationibus ipſis purgandam commiſiſſet. his verbis manifeſta ſatis eſt ſententia Socratis, morbos corporis non curari incantationibus per ſe, ſed morbos animi. Sed & vocari eos homines, qui magnis animi morbis teneantur, nominibus beluarum, conſonum eſt dictis Philoſophorum. Siquidem Plato (allegoricè fortaſſe alludens ad illud Pſal. 48. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, & ad illud Prou. n. 18. *Leo rugiens, & vrſus eſuriens, princeps impius*) in calce dialogi de Natura (præter plura quæ decimo de Republica, ſiue de Legibus habentur) ita reliquit ſcriptum. *Auium autem genus ex roſtro ita eſt aptè formatum, vt pro pilis pennas acciperet, in hoc illi homines tranſeunt, qui ſimplices & innocentes cùm ſint, leues tamen ſunt, & fruſtra in rebus ſublimibus curioſi, quique adeò fatui ſunt, vt oculorum iudicio confiſi, hæc altiſſima quæque firmiter demoſtrari poſſe non dubitent; greſſilium verò ferarum genus ex his notum hominibus, qui à Philoſophia penitus alieni, ad cœleſtia nunquam penitus oculos erexerunt, eoque volutionibus illis quæ in capite peragi ſolent, nunquam vſi ſint, ſed illas animæ partes ſequuti, quæ in ventre & pectore dominantur, ex his vtique ſtudiis*

Incātationes quid.

anteriora membra & capita, ob ipſam cognitionem humi penitus defixerunt, in longum productum, ac diuerſum corporu verticem tenuerunt: quandoquidem ibi propter deſidiam ſingulorum colliſi ſunt & fracti circuitus, & ideò quòd quatuor pedum, ac etiam plurimum eſt inſtituta figura, & inſipientioribus Deus, maiorem, ex pedibus multis, atque progreſſu, occaſionem præſtet, per quam magis etiam deflectantur ad terram, eos autem qui horum inſipientiſſimi erant, corpuſque in terram penitus proſternebant, quaſi nihil vltra pedibus opus foret, in corpora carentia pedibus, & humi ſerpentia permutauerunt. His, & aliis quæ deinceps ſequuntur, verbis, Plato differit, homines per animorum vitia tranſire in corporum diuerſa genera, quod pleriqne allegoricè dictum exiſtimant. ſi verò id dicit allegoricè, quòd ſimiles ſtulti ſint illis, conſtat belluarum nominibus apertiſſimè ſignificari homines inſipientes, & improbos, atque adeò ſerpentium omnium nequiſſimos, qui ne audire quidem ſuſtinent ſapientium conſilia, hinc igitur haud dubiè nata eſt illa moralis fabula, ad quam alluditur in Pſalmo, ſerpentem obturare ſibi aures, ne audiat verba incantatoris. Reuera autē incantationes nullam vim habent aduerſus naturales feras, aut ſerpentes, ſed aduerſus homines, qui ob ferinos mores, illis nominibus appellantur: neque aduerſus corporis morbos per ſe, ſed animi. Atqui, nullus eſt, ex plebe, qui audiens Orpheum, ſua cithara ſolitum ſerpentium & ferarum omne genus ad ſe trahere, non intelligat, illum ſuis poëmatis, feros homines, & ſeorſum deerrantes, velut cicuraſſe, atque ad humanam ſocietatem, & oppida allexiſſe, cùm has veritates ſapientes fabulis obumbrarent, inſipiens vulgus non intelligens, in opinionem de morbis per incantationem curandis, & fugandis, aut necandis feris & ſerpentibus, lapſum eſt, impoſtores verò & circulatores, & vtentes in ſua commoda indocti vulgi credulitate, multa ſe facere huiuſmodi profitentur. re vera tamen incantationum ad ſolos morbos animi vis eſt per ſe: atque ad hos curandos eis vtitur Eccleſia cantionibus ſcilicet, & recitationibus precum pluries repertis, velut euoluendis vocatis roſariis, & recitandis, ac canendis hymnis, & horariis precibus nimirum his pro more Eccleſiæ faciendis, præſtatur obſequium Deo, & auocatus ab aliis rebus animus, ad illum liberiùs euolat, ea verò vis non eſt verborum materialium, neque characterum, ſed quia rerum ſanctarum ſunt, vt neque ipſum ſanctiſſimum nomen IESV, quod ad omnia eſt efficaciſſimum, vim eam habet materialiter, ſed quia Deum ſignificat Saluatorem. de exorciſtatum etiam verbis perinde dicendum:

[Margin notes: Animarū tranſmigratio. — Orphei cithara. — Ieſu nominis efficacia.]

dicendum, eſſe ſcilicet vim fugandi dæmones in illis, quà res quædam ſunt, aut ita ſonant, aut talibus deſcripta figuris, ſed quia ita ſignificant. neque ea quidem verba fugare, torquere, aut premere dæmones vi vlla naturali, ſed Dei concurſu, cui placuit, in bonum hominum, ad fugandam hanc peſtem, ita inuocari, & vim talem initiatis, impertiri. ex his autem omnibus non fit, vt vlla vis naturalis ſit verbis, neque vt aliud quidpiam poſſint, quàm ſignificare, atque id ex hominũ placito. quapropter, ſi magi Pharaonis inſuſurrando aliquid, aut characteres aliquos deſcribendo (vt nunc quoque qui ſe magos profitentur, & inter Iudæos Cabaliſtæ) fecerunt colubros & ranas, & dæmonum ſcientiam, ad arcana quædam naturæ potiùs, quàm ad verborum vim vllam, referri debet, quid quòd tot, támque docti Medici, quin & Galenus ipſe, alioqui adeò rigidus Philoſophus, affirmant tot morbos verbis quibuſdã, & incantationibus cedere, idque ſibi eſſe longo experimento confirmatum: certè vt ex ignoratione veri Dei, retenta ſolùm incerta quadã diuini cultus recordatione nata idololatria eſt, ita ex ignoratione moralium incantationum, quas fabulis obumbrauerant antiquiſſimi ſapientes, retenta tantùm nominis memoria, natæ ſunt iſtæ ſuperſtitioſæ incantationes, atque hoc, cum aliis multis, errore diſſeminato, vſi ſunt homines ſæpè incantionibus aduerſus morbos, atque adeò confidentiùs non rarò quàm medicamentis, accedit, quòd aliquando leuiſſimis hominibus, & qui admittunt incantatores, vtilis quodammodo eſt ſua credulitas, quia (vt inquit author libelli de incantatione, qui eſt inter Galeno adſcriptos) *quando mens humana* (hæc ſunt ipſius authoris verba) *rem amat aliquam, licèt naturaliter non iuuatiuã ſibi eam prodeſſe certificat. ex ſola autem mẽtis intentione corpus res illa iuuat. verbi gratia, ſi quis incantationem ſibi prodeſſe confidat, qualiſcanque ſit. eum tamẽ iuuat.* Hæc ille, quibus verbis innuit, incãtationes aliquando prodeſſe ad pellendos morbos ob confidentiam infirmi, nimirum vt timor & mœſtitia, ac deſperatio plurimos morbos augent, & ægrotos lædunt, ita confidentia & alacritas plurimos ſubleuant, & ipſa imaginatio per eos animi motus, morbos tollit, aut ſaltem minuit, aut cùm minimè, in eis qui vehementiſſimè confidunt, opinionem efficit ſanitatis; verùm hanc incantationum vtilitatem, conſtat ex accidenti eſſe ob affectus animi, eius qui curatur, non per naturalem verborum potentiam. nonnulli ergo ob inſcitiam, verè ac per ſe vtiles eſſe putantes; nonnulli verò etiam docti, & periti Medici, ægrorum ſtultitiæ concedentes (velut qui inſaniam) incantationibus vti permitunt, etſi eas

Pharaonis Magi.

Galenus deluſus.

De incantatione.

Imaginationis vis ad morbos tollendos.

eas per ſe nihil poſſe certè ſciant. Nomina itaque nihil habent cum rebus præter ſignificationem,quæ ex ſolo conſenſu,manifeſto, aut tacito ipſorum hominum naſcitur, neque ſunt nomina rebus alia ratione ſua. Adam verò dicitur appellaſſe res nominibus ſuis,id eſt,propriis & maximè congruentibus,non omnes, ſed viuentes vt animalia omnia, quia, vt qui linguæ Hebrææ ſunt periti optimè norunt,indidit illis nomina, quæ proprietates & naturas eorum maximè exprimerent: quæ nomina conſtat deriuata eſſe ab aliis primitiuis, quæ ad placitum Adæ ſunt rebus data, & poſteritatis conſenſu recepta, atque huc vſque, vſu, & Sanctarum ſcripturarum beneficio, ſeruata. de faſcinatione ſeorſum dicetur alio loco.

Nomina ab Adamo poſita.

CAPVT IV.

Ex capitibus primo & ſecundo Geneſeos, & trigeſimo ſeptimo Ezechielis.

CVm natatilium, volatilium,reptilium, & progredientium, irrationalium tamen animalium creationem narrat Moſes, his vſus eſt verbis: *Dixitque etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli*, & rurſum: *Dixit quoque Deus, producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia, beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas*: cùm tamen ageret de hominis creatione, inquit, *Formauit igitur Dominus Deus hominem, de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Quæ verba magnum continent naturæ arcanum, indicauit enim apertè, illud quod tantopere inter Philoſophos controuerſum eſt, hominis animam non eſſe eductā ex materiæ potentia & fœcunditate, velut animas irrationalium, ſed extrinſecus acceſſiſſe, naturæ immaterialis participem: non quidem naſcentem intrinſecus ex materia,ſed diuina vi extrinſecus in illam immerſam, & mirabili quodāmodo ei alligatam,& ſubſtantia quædam cùm ſit incorporea,potens per ſe ſubſiſtere, factam eſſe corporis formam, hac de re dubitant multi,in ſuam perniciem plus ſatis Philoſophi, niſi potiùs belluas dicere conſentaneum magis eſt, eos, qui ſe belluis hac in re præſtare, neque intelligunt, neque credunt. hinc pendet quæſtio de noſtræ animæ immortalitate, de qua, etſi in commentariis, quæ in libros Ariſtot. ſcripſi, dictum mihi ſatis eſt, tamen

Anima immortalis.

tamen tentandum nunc quoque videre iuxta præſentis operis inſtitutum, quantum poſſit naturalis ratio conſequi, eius quod Deus Opt. Max. hoc loco reuelauit per Moſen, vt hac ſaltem ratione, ſi fieri poſſit, belluini Philoſophi è ſua impietate incipiant auocari. portò perpendere oportet hæc verba. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animã viuentem.* His verbis apertè indicatur, illud ſpiraculum quod extrinſecus inſpiratum eſt, non eſſe mentẽ ſolam, & vim intelligendi, aut omnibus hominibus eandem, vt cenſent quidam Philoſophi, aut aliam in aliis, quæ ſuperueniat homini iam ſentienti & habenti animam, ſed illud ipſum eſſe ipſam animam, qua homo ſentit, & viuit, itaque non duas, ſed eandem eſſe in homine animam, qua ſentit & intelligit. nam qua intelligit, eſt quæ extrinſecus acceſſit inſpirata. Vocat verò eam ſpiraculum vitæ & per eam dicit factum hominem in animam viuentem. tenemur itaque aſſerere, hominis animam neque fluxiſſe ex materiæ potentia, neque ab ea eſſe inſeparabilem, ſed ſubſtantiam quandam incorpoream ſeparabilem, & in poſterum æternam, eandémque eſſe corporis formam, & animam qua homo ſentit. non tamen propterea tenemus etiam dicere, eandem eſſe formam vegetabilem, non enim Moſes more Ariſtotelico vocat, ea etiam, quæ tantùm vegetantur, viuentia, & eorum actum animam, ſed more Stoico, qui & communi hominum ſenſui propinquior eſt; ea ſolùm viuentia vocat, quæ ſentiunt & mouentur, eorum formam animam, reliqua vocat virentia, & producentia fructum, ac ſemen ſecundùm genus ſuum, non tamen viuentia. itaque Veritas Catholica non cogit nos aſſerere, ipſam animam qua ſentimus, mouemur & intelligimus, eſſe in nobis principium vegetandi, nedum & formam actúmque primum ipſarum partium corporis homogenearum, vt oſſium, carnis, & neruorum, quod plurimi etiam affirmant, putantes abſurdum eſſe in eadem ſubſtantia multas formas ponere. Ego verò ſequutus quod & rationi magis conſonum, & diuinis etiam oraculis, vt ego exiſtimo, congruentius eſt, affirmo eſſe in nobis ante animam formas merè corporales homogeneorum, quibus oſſa, carnes & nerui differunt, non minùs profectò (niſi me meis ſenſibus credere nolunt) quàm aurum, argentum & plumbum: his bene temperatis accedere actum quendam perfectiorem: corporalem eum quoque, & velut naturam quandam meliorẽ (ita enim placet vocare, potiùs quàm animã) qua nutriuntur: omnéſque hos actus educi ex potentia materiæ his poſtremò accedere extrinſecus animam, quæ nobis vim ſentiendi & intelligendi præſtet, non enim intelligendum

Anima ex quo.

Formæ plures in vno.

Formæ animã præcedunt.

eſt

eſt illud corpus hominis, in quo ſpirauit Deus ſpiraculũ vitæ, fuiſſe ſtatuam quandam luteam, eamque acceſſione illius ſpiritus factam eſſe carneam & oſſeam, ſed corpus quoddam ex oſſibus, neruis, carne & cute non quidem aridis, ſed floridis ac virentibus, immobile tamen adhuc & ſenſus expers & hæc accedente ſpiritu recepiſſe. Iudicat id viſio Ezechielis c. 37. cùm enim vellet ei Deus oſtẽdere reſurrectionem mortuorum, dimiſit in medio campi pleni aridis oſſibus, quibus non ſtatim acceſſit ſpiritus, qui virorem & reliqua omnia præſtaret, ſed primùm quidem acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam, & ſuper ea nerui & caro aſcenderunt (vireſcentibus ſcilicet iam partibus) & extenta eſt eis deſuper cutis, & adhuc ſpiritum non habebant, vſquedum ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & reuixerunt, & ſteterunt ſuper pedes ſuos. Itaque eſſe oſſis, neruorem, & carnis, & cutis & earum partium vigor, non præſtatur ab ſpiritu qui extrinſecus accedit, atque immortalis eſt, ſed à formis corruptibilibus & merè corporalibus, quæ ad animam quidem rationem habent diſpoſitionum materiæ, & ob id animæ acceſſione non tolluntur, ſed ſimul cum ea manent hac in re ſeruientes illi, quòd ſeruant, quam ea deſiderat, in corpore temperiem, & formationem. Si autem hæc ſententia diuinis eloquiis eſt conſona, cur non putetur etiam eſſe conſona rationi; cur vellemus miſeros Philoſophos à Fide Catholica deterrere, plus quàm veritas ipſa poſtulet imperantes cedere, nihil enim eſt quod eos adeò conturbet, quàm ſubſtantiam ſeparabilem & incorpoream, eſſe actum corporis. nam actus rei eſt ipſa rei eſſentia ſeu ipſum quod quid erat eſſe rei. Hoc verò vix intelligi poteſt, quo pacto ſit corporis, quod à corpore ſeparabile. conquieſcet hæc perturbatio, ſi his concedimus, animam non eſſe actum corporis quà corpus, ſed quà ſenſitiuum & intelligens. non anima corpori pręſtat eſſe corpus, neque verò oſſi eſſe os, neq; nutriti, quod materiale etiam eſt & elementorũ imitatur naturam. ſed hæc per corporales formas habenti, præſtat ſenſum & intellectionem, quæ ſpiritalis videtur eſſe naturæ. neque ſanè Ariſtoteles animã finiens actum corporis ſimpliciter eſſe dixit, ſed adiecit potentiam vitam habentis. quod eſt, actũ eſſe corporis, non quà corpus, ſed quà poteſt vitales actiones edere. Colligimus itaque ex hoc ſacræ ſcripturæ loco duas aſſertiones, primã, eſſe in nobis animam ſeparabilem, & nunquam interituram: alteram, hanc ipſam eſſe animam qua ſentimus & mouemur. Diſtinctioris doctrinæ gratia, vtrumque ſeorſum aggrediemur monſtrare. Socrates, vt licet videre in Phædone, ſecundam

Adami ſtatua lutea.

Homogeneorum forma in homine.

ſecundam hanc non veirit in dubiũ neque in id vſque tempus hominibus vlla ſubieiat dubitatio, an eſſet in nobis eadem animam ſentiẽdi & intelligendi principiũ. Ariſtoteles primus cœpit ab anima menrem diſtinguere, animæ ſenſũ mẽti intellectum tribuens, vnde accepta occaſione, poſteri de ea re acrirer diſputauerunt cenſuerũque quàm plurimi, animam & menrem res eſſe diuerſas numero, alreiámque cũ homine mori, alterá manere. quapropter, vt dixi, vtraq; quæſtio erit nobis ſeorsũ examinanda. Primæ quæſtionis Socrates duos articulos eſſe fecit, primũ an anima ſit à corpore ſeparabilis: alterũ, an ſit immortalis. quãdo quidem Cebes dubitationẽ quandã ingeſſit, dicens, fieri poſſe, vt anima diuturnior viuaciórq; eſſet quàm corpus, atq; aliquando maneret à corpore ſeparata, fuiſſetque fortaſſe antequã in corpus mergeretur, non tamen ob id eſſet omninò immortalis, ſed poſtremò aliquãdo etiã cũ homine moreretur, ob hanc ſuſpicionẽ Cebetis. Socrates, poſtquã, vt ſibi videatur, mõſtrauerat animã diuturniorẽ eſſe corpore, & ab eo ſeparabilẽ, denuò eſt aggreſſus monſtrare. eſſe immortalẽ, atq geminam quæſtionẽ eſſe fecit, quanquã ea re vera, ſimplex eſt & vnica. Si enim anima ſubſtãtia eſt à corpore ſeparabilis, immortalis etiã neceſſariò eſt. nam ortus & interitus naturalis, corporearum tantùm rerum ſunt. quæ incorporeæ ſunt, non habent Phyſicã compoſitionem, ac proinde diſſolui non poſſunt, niſi ab eo ſolùm à quo ſunt colligatæ (vt inquit Plato) putà ab ipſo Deo. ab eo verò per ſe ſummè bonus cùm ſit nihil extinguetur, aut diſſipabitur: ſed eius voluntate perſeuerabunt in æternum, quæcumque ab eo ſolo facta ſunt. Hæc adeò vera ſunt, vt nemo iam ſit, quem timor corripiat Cebetis: quòd ſibi omnes perſuaſerint, animam, ſi ſemel poſſit ſubſiſtere à corpore ſeparata, merè eſſe incorpoream (corpus enim nulla ratione eſſe poteſt alterius corporis actus) atque adeò immortalem. quare nobis hac de re ſimplex quæſtio erit. atqui Socrates cùm geminam fecerit primam partem, puta diuturniorem eſſe animam corpore, inſufficiẽter probauit: alteram, putà eſſe omninò immortalem, ei qui non conſiderauit, procedere diſputationem propoſita priori aſſertione videbitur probare etiã ſophiſticè. nam ſumma ratio monſtrationis primæ independet, quod noſtrum ſcire reminiſci quoddam ſit. quod etſi probabilitatem quandam per ſe fert, falſum eſſe monſtrauit Ariſtoteles. Iam verò ſecunda eſt, quia corpus viuit per animam, & anima per ſe, neceſſe eſſe animam ſemper viuere, neque poſſe mori. Velut quia concreta corpora calida ſunt, per ignem, ignis verò primò ac per ſe, neceſſe eſt eũ ſemper calere, neque poſſe refrigarari.

Quorum principiũ.

Cebetis de anima ſententia.

De animæ immortalitate.

Ignis ſemper calidus.

buic

huic argumentationi,qui ex aduerſo aſſereret animam nullam ſubſtantiam ſeparabilem eſſe, ſed formam tantùm corporis viuentis, reſponderet negans animam viuere primo ac per ſe, ſed ne viuere quidem, ſed eſſe vitæ cauſam vt formam, viuere verò hominem per animam,non vt eſt calidus per ignem, ſed vt ipſe ignis eſt calidus per calorem, qui tamen calor calidus non eſt, qui verò ſemel recepiſſet, eſſe animam ſubſtantiam quandam corpore antiquiorem, potentem per ſe exiſtere, vt videbatur Socrates,cùm in eam agumentationẽ venit,indicaſſe,cogeretur profectò concedere,hominem viuere per animam per ſe primùm, atque ideò eam mori. non poſſe, meritò ergo diximus, vnicam quæſtionem eſſe hanc, & eius deciſionem ex prima aſſertione pendere, puta animam hominis eſſe ſeparabilem à corpore. quod quia à Socrate non ſatis mõſtratum eſt quòd noſtrum diſcere reminiſcẽtiam eſſe non probatur, aliis rationibus vtar, ſi quæ videbuntur eſſe firmiſſimæ, in iis quas produxerint iuniores, aut mihi nunc dederit Deus. Certè probabiles rationes ſunt excogitatæ quamplurimæ, monſtrationi verò proximæ, ſi quæ ea eſt profectò, qua Ariſt eſt vſus, ſcilicet homo actionem aliquam habet, ad quam nullo corporali organo vtatur, eius anima incorporea eſt, & ſeperabilis: nam conſtat animam hominis eſſe eius formam: forma verò cuiuſcunque rei eſt principium & cauſa actionum omnium eius,ergo anima eſt præcipua cauſa actionum omnium hominis, vtitur verò organis corporeis ad eas obeundas: ſi quam ergo habet homo,quæ ſine vllo organo corporali agatur, eã operatur anima per ſe. talis ergo eſt ea forma, vt poſſit aliquid agere, etiam ſi eſſet ſine corpore, ſi verò agere & eſſe,ac viuere poſſet ſine corpore. Dices fortaſſe, eſſe aliquid; quod anima exiſtens in corpore poſſit facere corpore non vtens, tamen extra corpus nihil poſſe facere,quia ne eſſe quidem poteſt.velut ego nõ vtor cerebro ad pulſum arteriarum, tamen ſine capite pulſare non potero,quia neque viuere.Itaque per accidens eſſe corpus neceſſarium ad eam actionem,quæ ſine organo corporali agatur, vt viuat ſcilicet anima. Verum hoc de illis tantùm rebus dici poſſe conſtat, quæ aliis indigent vt ſeruentur,aliis vtuntur vt operentur:de anima & corpore non ita,ſed ſi anima corpore non eget vt operetur, multò minùs vt ſeruetur: & argumentum ita rurſum procedit, ſi aliquid poteſt agere anima nullo vtens corpore,habet in ſeſe,ac præter corpus naturam & principium agendi illud. omnis autem vis agendi fluit ex aliquo eſſe,ergo principium aliquod habet in ſeſe exiſtendi, id ergo retinebit etiam ſi ſeparetur à corpore. ſeparari enim etiam poterit

Anima quomodo cauſa vitæ.

Anima ſine corpore.

terit ſecundùm illud. nam quod anima agit nullo vtens corpore, non agit quà forma corporis, forma enim rei non operatur quidpiam per ſe, ſed eſt principium operandi ipſi rei cuius eſt. ſi ergo anima agit aliquid per ſe, qua id agit non eſt corporis actus, ſed ſubſtantia aliqua à corpore ſeparabilis, quare & incorruptibilis. erit igitur anima geminæ quodammodo naturæ, qua corporales & per corpus exercet actiones forma corporis; qua ſpirituales & nullo vtẽs corpore, ſubſtantia incorporea ſeparabilis & immortalis. ſi verò eſt in anima aliquid immortale, conſtat ipſam animam immortalem eſſe, atque ſeparatione corporis tantùm priuari eis actionibus, quas obit per corpus velut artifex priuatus inſtrumentis. Propoſitio ergo ſatis eſt euidens. vidẽdum verò an re vera ſit aliqua actio hominis, cuius nullum ſit corporale organum. tales certè ſunt duæ, intellectus & voluntas. quod ita conſtat: euenit hominem intelligere atque cognoſcere cõtrarium, ei quod ſenſus omnes corporales, ſiue externi, ſiue interni, dictant, & velle cõtrarium ei, quod appetunt corporales omnes potentiæ: ergo neque intellectus neque voluntas, ea ſcilicet, penes quam eſt liberum arbitrium, eſt corporalis potentia. nam nulla potentia corporalis dictat, ſtellam eſſe maiorem terra: intellectus dictat eſſe maiorem: ergo intellectus non eſt corporalis. neque vllus vnquam appetitus corporalis appetere poteſt dolorem, neque languorem; voluntas hominis ſæpè appetit hæc (vt ieiunia & verbera) ergo voluntas hominis non eſt corporalis. ad intelligendum ergo aut volendum nullo corporali inſtrumento vtitur anima. Porrò euenit aliquando diſputare de re, ſeparata omni conditione materiali, vt de homine, nulla ratione habita loci, magnitudinis, coloris aut figuræ, aut alterius cuiuſpiam conditionis corporalis & ſenſibilis, ergo potentia quà id agitur, nullo corporali organo vtitur. nam cùm cognitio agitur aliquo organo corporali, facultas nihil aliud percipit quàm organi paſſionẽ. organi verò corporalis paſſio, non poſſit eſſe ſine corporis conditionibus. quare neque facultas per eam perciperet, niſi accidentia corporalia; quæ igitur percipit ſine corporeis accidentibus incorporea eſt. Præterea, adeò videtur euidens eſſe in nobis aliquam ſubſtantiam incorpoream, ſeparabilem, & æternam, vt vel quia in dubium vertitur, & vocatur in diſputationem, neceſſarium ſit ita eſſe. nam ſi in nobis nihil eſſet niſi corporeum & caducum, vnde orta eſſet nobis ea dubitatio, aut omninò cogitatio de æternis & incorporeis, magis quàm belluis; omnis enim cogitatio, aut ab obiectis orta eſt, aut interius ex nobis ipſis ſuppullulat. immortale & incorporeum

Natura gemina.

Liberum arbitriũ.

Cogitationis principium.

reum nihil nobis obiici poteſt, dum in hac vita ſumus, nam ipſæ ſpirituales ſubſtantiæ, ſi quando hominibus volunt apparere, corporales ſpecies induunt. Si ergo in nobis nihil lateret tale, nullum omninò principium eſſet cogitandi de incorporeis & æternis: nam finge Deum feciſſe ab initio omnes homines ſine oculis, quis vnquam diſputaſſet, an color eſſet fulgor quidam an ſuperficiei extremitas in corpore terminato; vel an calor eſſet viſibilis per ſpecies quas effunderet, an per facultatem, quæ ab oculis emitteretur; nunc verò diſputatur de incorporeis ſubſtantiis, & æternis, & de modo quo intelligunt & operantur: eſt ergo in nobis vis aliqua ea agnoſcendi, quæ non poteſt eſſe corporea, ſed incorporeum aliquid & æternum, cuius præcipuè ea facultas eſt, & vnde naturaliter ſuppullulat omnibus gentibus, diuinorum, immortalium, & incorporeorum cultus, & deſiderium. igitur haud dubium eſt eſſe in nobis mentem immortalem. neque locus eſt dubitandi, an Ariſt. ita putauerit, putauit enim procul dubio. An verò ea mens, & anima, per quam ſentimus & mouemur, ſint diuerſæ, hæc mortalis, illa immortalis, iuxta ſententiam Ariſtotelis, ac re vera, an ſint partes diuerſæ eiuſdem animæ immortalis, id videtur poſſe in dubiū vocari. In qua diſputatione ita videtur procedendum. Aut illa mens (ſi non eſſet eiuſdem animæ, qua ſentimus, pars) eſſet in omnibus hominibus eadē, aut in aliis alia. eadem numero in omnibus, non videtur poſſe, nam etſi idem homo ponatur in multis locis eſſe, non tamen poterit, idem cùm ſit, cōtraria habere ſimul, velut vno loco eſſe albus, alio niger ſecundùm eandem partem, & eodem tempore, tamen humana mens quædam in hoc homine ſcit, quæ in alio ignorat, & eſt huic bona, illi mala mens: non eſt ergo eadem numero. Si verò eſt vnicuique ſua, quandoquidem ea nullo corporeo vtitur inſtrumento, non ſit corporis actus, neque ſit in homine vt forma in materia, ſed vt natura in naue, vel vt intelligimus eſſe in orbibus cœleſtibus ſpirituales alias ſubſtantias. Si verò ita eſt, homo duo ſit ſuppoſita diuerſa, illud animal ἄλογον, ex corpore & anima ſenſitiua conflatum, vt equus, & bos: aliud ſubſtantia illa per ſe quidem ſubſiſtens. quandoquidem ſi forma corporis non eſt, neque corpus eſt illi materia, ſed adeſt, velut cacodæmon aliquādo tenet humanum corpus. nō ergo erunt eædem vtriuſque, neque totius ex vtroque conflati eædem actiones, neque cōmunes, ſed vtrique ſuæ. ſentiet ſanè illud animal, intelliget illa mens, homo tamen non intelliget, magis quàm ſues, in quos ſunt immiſſi dæmones. hæc autem omnia ſunt abſurda. non eſt ergo ita: ſed anima illa tota

Angelorū apparētia.

Animæ aſſiſtentis refutatio.

Anima quādo inperfecta.

qua ſentimus, mouemur, & intelligimus, ſubſtantia eſt incorporea, æterna, & ſeparabilis, habet tamen mirabilem naturam præ aliis omnibus intelligentiis, quòd cùm ſit ſubſtantia potens per ſe ſubſiſtere, poteſt etiam corpori ita temperato & formato hærere vt forma, & per corporalia organa, eſſe illi principium ſentiendi & mouendi: atque intelligit, quà ſeparabilis, ſentit & mouet, quà forma. quare cùm à corpore recedit, illud retinet, hoc amittit. atque ideò, à corpore ſeparata, imperfecta quodammodo eſt, quia exercere non poteſt multas earum vitium, quas natura habet, ſentiendi ſcilicet & mouendi: ſed dices, humanum corpus habet temperiem & compoſitionem meliorem, quàm aliorum animantium corpora, & ad viuendum accommodatiorem, ergo dum in vtero geritur, vbi primùm talem temperiem & compoſitionem attigerit, orietur neceſſariò ex materiæ potentia forma ſenſitiua, ita vt neceſſariò, etſi eo momento Deus nullam rationem immergeret, eſſet futurum quoddam animal, ídque perfectius aliis irrationalibus. Si igitur ſenſitiua forma neceſſariò oritur ex illius materiæ potentia, fruſtra datur rationali animæ pars ſenſitiua. erit enim otioſa ſenſitiuarum altera, aut vtentur duæ eiſdem organis. Certè niſi Deus immergeret in humanum corpus rationalem animam, illud verò nihilominùs temperiem & compoſitionem acciperet talem, oriretur naturaliter forma aliqua ſenſitiua: nunc verò non oritur, quia eodem temporis momento, quo commodam compoſitionem corpus conſequutum eſt, inſpirat in illud Deus ſpiraculum vitæ, quod ſimul ſenſitiua & intellectiua anima eſt, eo verò inſpirato, materia non profert aliud, vt neque vlla alia res producit, quod productum inuenit. Itaque non profert quam proferret formam ſenſitiuam, quia præuenit accedere illud ſpiraculum vitæ, quod non minùs ſenſitiua anima eſt, quàm quæ ex materiæ potentia oriretur. Monſtratum itaque eſſe videtur animam hominis eſſe incorpoream, & ſeparabilem, non ex materiæ potentia ortam, ſed extrinſecus accedentem, eandemque eſſe in nobis ſentiendi & intelligendi principium, etſi non eodem modo. Conſiderare autem ſupereſt, an anima antiquior ſit corpore, vt Plato cenſet, atque creata priùs, in corpus deinde immittatur, an in ipſo creetur corpore, neque vnquam antea ſit, quàm teneat corpus. Nullam eſſe arbitror naturalem rationem & viam, qua alterutrum monſtrari poſſit, quia, vt Ariſtoteles dicit, poſt mortem non reminiſcimur, hoc eſt, ſcire non poſſumus, an noſtræ animæ præextiterint, & ſæpe ab aliis corporibus deceſſerint, quia etſi id factum eſſet, non poſſemus

Anima antiquior corpore.

poſſemus recordari, quòd omnium rerum corporalium in ſingulis deceſſibus eſſent deleta phantaſmata: itaque Ariſtoteles etiam exiſtimauit, præſentis dubitationis nullam nos poſſe monſtrationem comparare. Sequentibus verò nobis hac in parte, quod eſt probabile, vidᵹtur præter rationem ponere animam antiquiorem corpore. nam anima quà anima forma eſt, formæ verò qua forma, non eſt aliud eſſe, quàm eſſe formam non eſt ergo conſentaneum eſſe priùs animam quàm ſit forma, forma verò actu non eſt niſi in materia, ergo non eſt priùs quàm ſit in materia, ſed in ipſa creatur. Porrò ſecundùm naturæ ordinem prior eſt potentia, quàm actus, quia potentia via eſt ad actum, materia verò eſt potentia, forma actus, ergo materia generatim prior eſt quàm forma, & antiquior: igitur & hæc materia, quàm hæc forma, corpus inquam quàm anima. quoniam verò corpus omne diſſolubile, anima verò, vt monſtratum eſt, immortalis ſit, vt poſterius, corpore corrupto anima maneat, vſque dum, vi diuina, eidem rurſus vnita, tribuat immortalitatem. hanc ob cauſam Moſes hominis ortum narrans, dixit: *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, hoc eſt, dedit illi ſpiritum, quo viueret. Ezechiel verò cùm rationem Palingeneſiæ, ſeu reſurrectionis exponeret, dixit iuſſu Dei quatuor ventis, *Veni ſpiritus & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuixerunt*. Iubet itaque mortuorum ſpiritus, quaſi ſeparatos, & adhuc manentes, redire in ſua corpora, atque à quatuor ventis venientes congregari. Sunt itaque hæc eadem, quæ diuina tradunt eloquia, partim naturali ratione indicata, partim confirmata probabiliter. Eſſe ſcilicet in homine vnicam animam (nam alendi principium animam non appello) eamque non oriri ex materiæ potentia, ſed à Deo inſpirari, non quidem ſeorſum factam priùs, ſed creatam in ipſo corpore, ſeparabilem & æternam, atque manentem poſt interitum: ſed quoniam huic contemplationi coniunctum eſt, de brutorum animis, quid ſacra innuant, adiiciamus.

Potentia prior actu.

CAPVT V.

Capite 9. Geneſeos dicitur: *Omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quòd carnem cum ſanguine non comedetis, ſanguinem enim animarum veſtrarũ requirã de manu cunctarum beſtiarum.* Rurſùm 17. Leuitici, ter repetuntur hæc verba: *Anima omnis carnis in ſanguine eſt.* Rurſum 12. Deuter. *Hoc ſolum caue, ne ſanguinem*

ſanguinem comedas, ſanguis enim eorum pro anima eſt, & idcirco non debet animam comedere cum carnibus. His verbis Philo, libello quod deterius priori inſidietur, intelligit dici, animam eſſe ipſum ſanguinem. cuius ſententiæ fuerunt inter Philoſophos nonnulli, vt Critias, cuius meminit Ariſt. 1 de Anima. quoniam verò 2. cap. Geneſeos dictum eſt, inſpiraſſe Deum in faciem hominis ſpiraculum vitæ, atque illud eſſe animam quia viueret: quibus verbis apertè ſignificatur, animam hominis eſſe illum ſpiritum inſpiratum à Deo, componens hæc duo loca. dicit, eſſe in homine duas animas: alteram carnis, per quam homo animal ſit, hanc eſſe vt in brutis ſanguinem: alteram hominis quà homo eſt, hanc eſſe illud ſpiraculum incorporeum, ſeparabile, & æternum: ob idque dicere Moſem, inſpiratum eſſe in faciem, quò id non ſit per totum corpus, & in ſenſatiſſimas etiam partes diſperſum, vt ſanguis, ſed ſublimem corporis partem teneat, quo ſuperna cœleſtiáque contempletur. Sed cùm monſtratum anteà ſit, eandem eſſe vnicámque in homine animam, qua ſit animal & homo, hoc eſt, qua ſentiat & intelligat, non poteſt nunc hæc Philonis interpretatio probari. neque verò dicere poſſumus, brutorum animas eſſe ſanguinem, hominum verò non. nam 4. cap. Geneſeos dicitur, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me*, id verò dicitur de ſanguine Abel, quaſi anima Abel clamaret, & effuſus ſanguis. quid ergo dicemus? certè non videtur neceſſe intelligere, quia dicitur, *Anima omnis carnis in ſanguine eſt*, eſſentiam ipſam animæ eſſe in ſanguine, ſeu animam eſſe ipſum ſanguinem, neceſſe tamen eſt, ſanguini eſſe cum anima aliquid præ aliis corporis ſuccis: aut ſanguinem eſſe aliquid animæ quod alia quæ in noſtro corpore continentur, non ſint, cuius gratia dicatur, anima eſſe in ſanguine, potiùs quàm in vllo aliorum. id verò quid ſit oportet inueſtigare. Primùm omnium ſanguis, anima carnis non eſt. Anima enim eſt forma corporis viuentis: corpus verò non poteſt eſſe forma corporis. forma enim & materia partes ſunt rei, vt principia, non vt partes quantæ, quapropter ex materia & forma conſtat res ſecundùm ſe totam, neque qua forma & materia poſſunt eſſe ſeparabiles aut diſſitæ. Sed neque pars animantis propriè videtur eſſe poſſe ſanguis (dico verò partem propriè eſſe, quæ eſt animata, non vt capilli, & extremi vngues) nam ſanguis eſt alimentum commune partium omnium corporis, nulla autem partium videtur parte alia animantis nutriri, neque videtur conſentaneùm rationi, vt inter eiuſdem animantis partes ea pugna ſit, vt aliæ alias conficiant. porrò ſanguis non eſt continuatus cum ſolidis partibus, ſed

Anima an ſanguis.

Animæ duæ Philoni.

Brutorum anima.

Sanguis non eſt pars viuentis.

ſed vt liquor quiuis alius in vaſe continetur. non facit ergo cum illis vnum per ſe, & vnitate formæ. Porrò nemo hominem, minorem fieri, aut mutilari putat cùm ſanguis emittitur: oporteret verò ſi is eſſet pars. ſed ſi nihil horum eſt ſanguis, quid ſupereſt vt ſit aliud quàm alimentum; non enim eſt excrementum, ſed ſi id tãtùm, quid potiùs eſt quàm pituita, bilis, melancholia, lac, medulla oſſium, ſemen, communis ros, quæ etiam nutriunt. Certè in ratione alimenti præſtat plurimũ aliis ſuccis ſanguis, quia ſolus poteſt nũtrire partes omnes: alij verò ſucci, partim non niſi cum quodam ſanguine miſti, vt bilis vtraque, partim non niſi quaſdam partes, vt pituita pituitoſos, chylus vocatus ventriculum, lac mammas, medulla oſſa, ſemen teſtes. eſt itaque antonomaticè, ac ratione quadam potiori, ſanguis alimentum animalium, atque ideò cùm nutritione ſeruetur eorum vita, videtur non ineptè dici, carnis animam, hoc eſt, viam, in ſanguine eſſe, hoc eſt, ſanguine ſeruari. Verùm cùm nutritio non ſit animantium propria, ſed communis cùm his rebus qua Moſes non vocat viuentes, ſed virentes, vt indicatum antea eſt, leue eſſe videtur nutritionis eſſe materiam, vt anima in eo eſſe dicatur: conſentaneumque eſt, aliud præterea eſſe aliquid in eius natura, cuius gratia ita dicatur. Certè, vt Galenus dicit, ſanguis non tantùm præſtat corpori alimentum, ſed calor etiam naturalis perſeuerantiam in eo obtinet, quia fouet, ſeruatque naturalem calorem ſanguine præditorum, quod vel inde intelliges, quòd effuſione ſanguinis refrigerantur. quamquam hoc contradictionem videtur poſſe accipere. ſiquidem Ariſtoteles cenſet (atque Hippocrates alicubi videtur eiuſdem eſſe ſententiæ) ſanguinem eſſe ſubiecto frigidum, calere verò calore cordis & ſpirituũ. atque adeò Galenus ipſe, etſi ſubiecto calidum eſſe cenſeat, tamen eius feruorem calore cordis fieri concedit. ſi igitur ſanguis aut ſubiecto frigidus eſt, aut ſaltem minùs calidus quàm cor, non ſeruat ipſe cordis calorem, niſi fortè per accidens, vt veſtes aut medicamenta, quæ recalfaciunt partes, à quibus calorem acceperunt. Atque hoc quidem, vt ego exiſtimo, conſentaneè dicitur, & res ita habet, niſi ſanguinis nomine intelligamus ſanguinem vt in animantibus exiſtit, ſpiritu ſcilicet plenum, eiuſque admiſtione calentem, & fluentem. atqui oportet ita intelligere, ſemper enim intra ſua vaſa talis eſt, in arteriis quidem magis, in venis minùs, vtrobique tamen ſpirituoſus. quia ſemper cum ſanguine ſpirituum copia effunditur, hiſque euaneſcentibus cõcreſcit vbi effuſus eſt, niſi ſit corruptus. ſpirituoſus ergo eſt ex quo caloris naturalis perſeuerantiam obtinet, &

Succi quo modo nutriant.

Sanguis alimẽtum eſt.

Sanguis natura frigidus calorem ſemper ſeruat.

& in quo anima, hoc eſt, vita, eſt quia, ſcilicet facultas vitalis, quæ viuentium propria eſt (neque commmunis cum viventibus, vt nutritio) in naturali cordis calore conſiſtit. hic verò ſanguine & ſpiritibus ſeruatur. Sed dices, nondum videri hæc eſſe ſatis, vt anima in ſanguine dicatur eſſe, neque ſanè priùs videri eſſe poſſe ſatis pro dignitate explicata hæc verba quàm indicetur animam ipſam aliquo modo in eo eſſe. Certè hoc quoque indicari poteſt. nam niſi anima in ſanguine ſpirituoſo eſt, quo pacto poſſint in eo eſſe eius actiones? at verò ſunt. nam quid eſt, quod ferueat per iram, fugiat per timorem, per mœſtitiam pigreſcat, per gaudium effundatur, per pudorem in faciem occurrat, quàm ſanguis & vitales ſpiritus? neceſſe igitur eſt animam cuius ſunt hi affectus, in ſanguine eſſe aliquo modo, quo in nulla alia re, earum quæ ad corpus noſtrum pertinent: ſiquidem nulla alia ita mouetur per animæ affectiones. ſi verò, vt indicatum eſt, non eſt ſanguis ipſa anima, non eſt in eo animæ eſſentia, vt humanitas in homine, atque ſi ne animatus quidem eſt ſanguis, non eſt anima in ſanguine, vt in corde, cerebro, & aliis partibus, vt inquam in ſubiecto proprio: ſubit verò ſanguis motus, qui primariò ipſius animæ ſunt, eſt igitur in eo anima vt in inſtrumento proprio ipſius. dico autem vt in inſtrumento proprio ipſius: quia cùm ſint duplices motus in animante quidam dicuntur eſſe corporis, vt ambulare, & clamare, quidam animi per ſe, vt iraſci, gaudere, mœrere, timere, & erubeſcere: horum eſt ſanguis cum ſpiritu fluens inſtrumentum proprium. atque ita anima in eo eſt modo quodam diuiniori, quàm in vllo alio inſtrumento: non quidem per informationem, aut per præſentiam, ſed per potentiam, & operationem, quia nulla alia in re manifeſtiùs quàm in eo operatur, quin potiùs videtur ipſe ſanguis, animæ proprias operationes operari, eſſeque velut alia quædam anima corporalis & manifeſta, exprimens ſuis actionibus, illam primã & veram animam, quæ per ſe eſt nobis ignoſcibilis. Vigebis rurſus dicens, fieri non poſſe, vt ſanguis moueatur motibus animæ per ſe, niſi animatus ſit, aut ipſamet anima, nunc verò videtur, motus illos ſubire per ſe. neque enim ſanguis ita mouetur, quòd trahatur, pellatur, aut mittatur ab aliquibus corporis organis, ſed quòd per ſeſe ſequatur imaginationem, quaſi percipiens animæ ipſius conceptiones. Certè hæc admiranda ſympathia ſanguinis cum anima eſt, vt hæc percipit, ille mouetur. Indicat porrò ea res, diuinitatem quandam in anima animantium perfectorum, quæ ſanguine prædita ſunt, & illos habent animi motus, maiorem, quàm ſit in rerum

Anima quomodo in ſanguine.

Motus animalis duplex.

Sanguinis & animæ ſympathia.

imperfectiorum formis: poſſe ſcilicet mouere, vi imaginationis, materiam deiunctam, & cuius actus ea non ſit, illaque vti vt inſtrumentum proprio ſuorum motuum. hanc fortaſſe ob cauſam, Auicenna maiorem adhuc virtutem (vt par eſt) rationali animæ volens tribuere, putauit, poſſe eam hoc idem in materia extra corpus longéque conſiſtente, circa omnem contactum Phyſicum, facere. Ea verò ſententia non probatur. neque ſanè ſanguis ab anima, ſine contactu mouetur, ſed Mathematicè tangitur à viuentibus partibus: Phyſicè, hoc eſt, per virtutem ab anima: eſt enim, vt dictum eſt, anima in ſanguine per operationem & virtutem. hanc ob cauſam, volens Deus Optimus Maximus, homines quàm maximè à cædibus, & iniuriis abſtinere, curauit, vt à ſanguinis effuſione ſuper terram, & eſu, abhorrerent. eſtque hoc quodammodo ſimile ſymbolis Pythagoricis, quibus præcipiebatur aliquid, vt aliud inſinuaretur, velut iubebat ille abſtinere à fabis, quò abſtinerent à comitiis. voluit verò Deus, vt ſanguinis effuſione tantùm vterentur ad expiationem animarum: vt quoad fieri poſſet, anima pro anima redderetur. nimirum ſanguis eſt quodammodo altera anima, vt explicatum eſt. Ex dictis facilè conſtat (de quo Theologi ſolent dubitare) animal neque perfectum, neque integrum ſine ſanguine futurum. quia erit in eo anima, impos actionum vitalium, vtpote propriis orbata inſtrumentis, ſanguine inquam & ſpiritu. his de anima dictis, non intempeſtiuè, de corporis nutritione, & vitæ tutela, diſſeremus.

Animæ vis.

Animal non perfectū ſine ſanguine.

CAPVT VI.

CApite 3. Geneſeos ita habetur, *Nunc ergo, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* His verbis apertè ſignificari videtur, ſi Adamus veſci potuiſſet fructu arboris vitæ, futurum vt viueret in æternum. An verò id vlla ratio Phyſica ferat, examinandum. Viuentia omnia nutrione ſeruari, niſi nutrirentur, mox interitura, nutritionemque capi ex alimentis. adeò notum eſt experimento, vt dubitent Phyſici, an poſſit, eorum ſalua vita, nutritio intercipi, vel momentum temporis. Atqui, nutritio eſt nouæ ſubſtantiæ repoſitio, pro ea quæ continenter abſumitur, quæ cauſa ſit eius abſumptionis, non adeò conſtat. Plurimi enim Philoſophi, naturalem calorem

De ligno vitæ diſputatio.

cauſantur

cauſantur, eundem ſcilicet qui nutritionis eſt cauſa: ergo calorem igneum, qui in nobis, leuibus ex cauſis, frequentur accendirur, & externas cauſas, quæ nos perpetuò afficiunt, conſumptionem noſtri facere affirmo: naturalem calorem contra, ſeruare & augere, verùm de hac quæſtione alibi eſt mihi diſputatum, modò nihil intereſt: ſiue enim naturalis calor veterem ſubſtantiam abſumit, & nouam reponit: ſiue ſiccant corpora externæ cauſæ, & naturalis calor ſubſtantiam reponit, ſtat eadem dubitatio. Aſſerendum enim eſt, corpora viuentia, acceſſione eius ſubſtantiæ, quam accipiunt ex cibis, ſeruari: & cibos alios aliis eſſe meliores, plus ac melius nutrientes: alios deteriores, ac nutrientes minùs: & meliorũ vſu diutius ſeruari corpora, deteriorum verò, venire citiùs ad interitum. An verò cibi vllius bonitas ſufficere poſſit, quò vllum viuentium, ſine interitu, ſeruetur in æternum: an ſemper viuere, viuentium ex alimento naturæ repugnet: vel quòd eorum mortali vitæ mori intimum, ac neceſſarium ſit: vel quòd ipſa ratio alimẽti vim tantam non admittat, id eſt, quod vertitur in controuerſiam. ſi enim hoc natura rerum non ferr, dicemus benedictionem fuiſſe in ligno vitæ, vt qui eius fructu vteretur, in æternum viueret, aut illud æternum, longum potiùs ſignificare, quàm nunquam finiendum tempus. ſin autem fert, dicemus fuiſſe naturam. primum quidem, ipſi viuentium naturæ non videtur repugnans, carere interitu: non enim niſi quia genita ſunt. monſtrauimus verò anteà, totum quoque mundum factum eſſe, & poſſe ſine interitu ſeruari. porrò Galenus, qui in Phyſicis magnæ authoritatis cenſeri debet, genitum omne aliquando interiturum, nullam monſtrationem habere poſſe, affimat, ſed ſola inductione probari. id verò ſi ita eſt, non repugnat ipſi geniti rationi, non mori. alioqui, illa ipſa ratio, qua non mori repugnaret, poſſet eſſe medium mõſtrationis, qua colligeretur moriturum. Galenus meminit ſophiſtæ cuiuſdam Ægyptij, qui aſſerebat, homines non mori neceſſitate naturali, ſed ignorantia faciendorum, atque de ea re ſcribere librum cœperat, quaſi quis nunc affirmaret, fieri poſſe naturaliter, vt homines ſeruarentur in æternum ſi fructus ligni vitæ daretur copia, mori verò, quod is fructus ignoretur, aut iuſſu Dei, à Cherubim interdicatur. Multò minùs videtur hoc repugnare naturæ alimenti. quia alimẽtum nomen eſt materiæ, atque vt Ariſtoteles dicit, rei victæ non effectricis cauſæ, non enim cibus nutrit, quòd faciat aliquid, ſed quòd mutetur in ſubſtantiam nutriti. in materia verò non deſideratur virtus, neque facultas vlla, ſed diſpoſitio, & copia. velut igitur ignis, ſi ſuppeditẽtur ligna ardere apta,

Ciborum differentia.

Genita non neceſſe eſt interire.

nunquã deficiet, nec elychni flamma extinguetur, ſi ſuppetat oleum, ita viuere poſſit animal, ſi abundet idoneus cibus, aut ſaltem mortis cauſa non in ipſo cibo ſit, ab hoc enim quid petas aliud, quàm vt ſit materia. Nihilominus videtur manifeſtum, naturaliter non poſſe non mori, quod viuit ex alimento, quocunque vtatur, vel hoc ſolo argumento, quòd nullum talium vnquam extitit, quod non moreretur, nam ſi numquam extitit, neque erit quidem, nam circulo ſemper redeũt tempora, & cùm circulari mutatione totus ſemper agatur mundus, eadem continenter abeunt & redeunt, neque eſt quidpiam eorũ, quæ naturaliter fiunt, quod non fuerit anteà: quod diſertiſſimè dixit Eccleſiaſtes, c. 1. his verbis *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendũ eſt. Nihil nouum ſub ſole. nec valet quiſquã dicere: Ecce hoc recens eſt, iam enim præceſſit in ſæculis quæ fuerũt ante nos.* Itaque quod nũquam factum eſt, nec erit quidem (id intelligo de rebus cõſtãtibus natura, non enim perinde eſt de caſu, aut arte factis) quod verò nunquam fit, neque poteſt fieri naturaliter. nulla enim eſt naturalis potentia, quæ nunquam ad actum deducatur. igitur Philoſophi vel hac ſola ratione tenentur concedere, fieri non poſſe, vt quod viuit ex alimento, non moriatur, quòd nunquam factum eſt: atque eodem argumento conſtat, nihil eorum quæ naturaliter oriuntur, poſſe non perire. neque quidquam obſtat quod de mundo dicebatur. mundus enim non eſt naturaliter ortus, ſed factus à Deo, cauſa infinitæ virtutis, & libera, à qua extingui poteſt, ſeruabitur tamen eius bonitate. Natura verò, nihil eorum quæ facit, ſeruare poteſt, niſi tempus certum, quia finitæ virtutis eſt, neque libera cauſa. cæterum hoc argumento, poſteriori ſolùm, vt dicunt Dialectici, indicatur, non poſſe fieri id de quo quæritur: qua tamen cauſa id fieri non poſſit, non explicatur. Quapropter, vt hoc quoque, ſi fieri poteſt, explicetur, aliunde petendum principium eſt. Non videtur autem aptiùs peti poſſe, quàm ab eo quod in obiectione quærebatur. Cur ſcilicet ignis acceſſione materiæ poſſit in æternum ſeruari, atque ab eo, quantum agitur in eius natura creſceret in immenſum. homo autem & planta non poſſit, vtcunque patiatur cibo, ſeruari, niſi certum quoddam & finitum tempus, neque comparare niſi certam & definitam molem. Huius ſi inuenta idonea ratio fuerit, ſimul habebitur & monſtratio à priori neceſſarij interitus eorum quæ genita ſunt. Conſtat verò, eius rei cauſam eſſe, indifferentia nutritionis viuentium & ignis. Ea eſt ignem, & alia inanima, neque augeri, neque nutriri niſi ſecundùm partes materiales: viuentia verò

Mortis neceſſitas.

Futura nunquam.

ſecundùm formales, hoc eſt, illa nutriri acceſſione partium magnitudinis, diuerſarum & diſſitarum à præexiſtentibus: hæc verò non ita, ſed alimento ita præexiſtentes in aſſumpto & commutato, vt non afferat nouas, ſed ſeruet veteres, aut etiam augeat. Atqui, per illam improp riè vocatam nutritionem, non tam ſeruatur idem corpus, quàm gignitur aliud & aliud, neque aliter exiſtens idem, quàm fluuius: per nutritionem verò propriam durat idem. quapropter in æternum ſeruari non poteſt, ignis verò poteſt. vt homo ſpecie idem, ſeruatur ſucceſſione multorum, ſed cur idem exiſtens, vt hic homo, aut hæc morus, non poteſt propria nutritione in æternum ſeruari, nondum diximus. incipiamus verò ab ipſius nutritionis ratione, ea eſt reparatio naturalis humidi quod intus perit, ex alimento, quod & cõmutatur, & penitiſſimè in partes alendas aſſumitur diſtributum, & affigitur, itaque humiditas naturalis continenter diſſipatur, alioqui non indigerent corpora alimento: non ambigitur autem an indigeant, ſed an id ſufficiat, vt non moriantur. Itaque indigent alimẽto, & ſiccantur, ſiue à ſuo ipſorũ calore, ſiue ab externis cauſis, maximque ab aëre, qui, aut calore abſumit humorem, vt in æſtate, aut frigore exprimit calidũ, cum quo abit & humor, vt areſcunt arbores præ frigore in hyeme, & res omnes flante Borẽa ſiccantur. vtcũque de hac quæſtione cenſeas, concedes ſiccari ſemper viuentium corpora, alimento verò fieri, ne areſcant citò, velut quæ deciduntur, & radicibus abſtracta, alimento priuantur ligna, ea enim videmus, humi iacẽtia, breui ſiccari, adeò vt non poſſint germinare rurſus, etſi humi figantur: quod eorũ mortis indicium eſt; moriuntur ergo deciſa ligna, breui ſiccata, nõ alia cauſa, quàm quòd priuentur alimento, non enim iugulantur, vt truncati homines, aut aliquid aliud patiuntur quod eis moriendi cauſa ſit (viuunt enim rami ſinguli, & germinant, ſi ante ariditatem figantur) ſed areſcunt quòd priuentur alimento. alimentum ergo reparando humidam ſubſtantiam, facit, ne areſcant corpora, alioqui breui, præ ſiccitate, interitura. ſi igitur humectatio ab alimento accedens, æqualis eſſe poteſt ſiccationi, quæ ab aliis cauſis obſtare vtique poterit, quominus corpus ſiccetur: ſi maior, facere vt etiam euadat humidius: ſi verò neceſſariò eſt maior motus, quem ſubit corpus ab externis, eo quem à cibo, neceſſariò ſiccabitur corpus ſemper, ac poſtremò morietur. alimentum verò, tantummodò obſtabit, ne tam citò. Atqui, maiorem motum eſſe quem cient externa, primùm quidem, experimentò conſtat, quia multò citiùs ſiccatur deciſum lignum, & homo cibo priuatus, quàm reficitur rigatũ & cibatus. deinde,

Nutritio quorum ſit.

Corporis exſiccatio.

multis

Alteratio duplex. multis etiam rationibus videtur id eſſe neceſſarium. nam cùm eueniat, duobus modis alterare corpus, aut ſimpliciter alterando, aut gignendo ſubſtantiam alteram, conſtat illud faciliùs eſſe, ac citiùs fieri, hoc difficiliùs, & fieri tardiùs. nam faciliùs

Thapſia. ſicces corpus, admouens thapſiam, aut euphorbum, aut ignem, quàm iubens vti cibis aſſis, & milio, aut eruo: & humectes citiùs balneo aquæ, quàm eſu lactis aut ptiſanæ: cùm ergo ſiccentur ſemper corpora externis; non ob ſubſtantiæ repoſitionem, ſed alterata, humectentur verò à cibo, non aliter quam repoſitione ſubſtantiæ, neceſſe eſt lentiorem motum cieri à cibo, quàm ab externis. portò motus, qui incipit ad eodem ipſo quod mouetur, non poteſt non eſſe tardior, quàm qui ab ipſa mouente cauſa incipit. quia cùm id quod mouet principium mouendi accipit, ab eo ipſo quod mouendum eſt, operoſior, & difficilior eſt motio.

Motus difficultas & facilitas. velut faciliùs eſt corpora calfacere igne, quàm thapſia: quia thapſia nõ poteſt vrere, antequam à re ipſa vrenda calfacta ſit: ignis verò nihil aliunde recipiens, ſtatim vrit. Externæ cauſæ pleræque vi propria, & quà actu tales, ſiccant: alimenta non humectant, niſi conficiantur priùs ab ipſo viuentis corpore. neceſſe eſt igitur humectationem à cibo tardiorem motum eſſe, ſiccatione ab externis, atque ob id, citiùs aut tardiùs, tamen poſtremò viuentia omnia mori. Certè hæc, quæ propoſuimus, veriſſima ſunt, putà, maiorem & celeriorem eſſe motum, qui alterando agitur, & principium accipit à facultate, quæ actu ineſt cauſæ mouenti, quàm qui repoſitione ſubſtantiæ, & initium duci ab ipſius patientis actione. ſi conferantur æquales mouendi cauſæ: ſi verò conferantur inæquales, aliter poteſt euenire, nàm magis caleſcet corpus affricata thapſia, quàm ſi moretur in tepente ſole: & humectabitur magis, multo eſu recentium vuatum, lactis, piſcium, & lactucæ, quam

Ciborum differentia. modica lotione, nimirum conferuntur magnæ cauſæ cum exiguis. verùm ſi conferrentur æquales, eueniret ſemper, quod propoſitum eſt. Vnica igitur ſupereſt dubitatio. An poſſit cibus vllus eſſe tantò potentior humectando, quàm cauſæ omnes externæ ſiccando, vt eius motus illarum poſſit mutui præualere, atque ita ſeruari animal ſiu e interitu: & an talis fortaſſe fuerit fractus ligni vitæ. non certè. nam externæ cauſæ, ſiccando abſumunt partem ſubſtantiæ humidæ, neceſſe eſt ergo vt dum abſumunt tantam, reliquam alterent ſecundum qualitatem, reddántque ſicciorem & duriorem: cibus ergo aut reponet ſolùm ſubſtantiam humidam, aut reliquas etiam, & quæ ſuperſunt, alterabit ſecundùm qualitatem. ſi ſubſtantiam tantum reponit, quantumuis reponat copioſè, reddentur in die

ſicciores

ſicciores partes animantis,atque ita quoque ibunt in interitum (vt certè fit) ſecundùm molles partes, & quæ abundanter reficiuntur, aliquando factæ humidiores:ſecundùm ſolidas verò, quæ ob ſiccitatem & ſoliditatem naturalem,ſiccantur multùm & reficiuntur exiguum, ſemper ſiceeſcentes. ſin autem cibus non reficit ſolùm, ſed qualitati etiam obſiſtit, non nutrit ſolùm,ſed etiam alterat, neque alimentum ſolùm eſt, ſed etiam medicamentum;ſi verò eſt medicamentum, corpori ſano morbum faciet, morbum verò faciens, mortem attulerit citiorem: ſin autem corpus morboſum fuerit,ita quoque morietur. nulla igitur ratio eſt naturalis. qua poſſit corpus cibus quiſpiam in æternum à morte liberare. Quid ergo dicemus de homine ſemper victuro, niſi peccaſſet: & de fructu arboris vitæ, quo qui veſceretur, in æternum viueret. Certè homo niſi peccaſſet, nunquam fuiſſet moriturus, ſiquidem per peccatum intraſſe mortem ſacra canunt eloquia. tamen,etſi non peccaſſet,fuiſſet mortalis: non enim idem eſt;neque per peccatum factus eſt mortalis qui mortalis nõ eſſet,ſed moriturus,qui mortalis iam eſſet. Sed quo pacto non eſſet moriturus,qui eſſet mortalis;certè volũtate Dei,ſicut de toto orbe.etiam ex ſententia Platonis dicebatur, extingui poſſe, & redigi in nihilum ex quo eſt factus,tamen voluntate Dei ſemper perſeueraturum. ita quoque homo, qui mortalis erat, & redigi naturaliter poterat in ſuum cinerem,& voluntate Dei viueret ſemper, niſi peccatum obſtitiſſet.non eſt itaque per peccatum factus mortalis,ſed qui cum erat innocens voluntate Dei ſeruabitur, ob peccatum traditus eſt ſuæ mortalitati. quo modo mortalis cùm eſſet à morte præſeruabatur,Deus ſcit,non poſſum apertè dicere;magnam verò partem eius præſeruationis fuiſſe in fructu ligni vitæ, ipſe dicit. duorum igitur alterum videtur conſentaneum, aut fructum illum fuiſſe ciborum omnium, qui vnquam extiterint præſtantiſſimum atque vim habuiſſe naturalem ſeruandi homines diutiſſimè, diutiúſque quam poſt peccatum, voluerit eos Deus viuere(ſignificauit verò ita illud, *in æternum*, tempus longum,vt in multis aliis locis)Deúmque antequam id expleretur tempus, fuiſſe eos in vitam æternam tranſlaturum: aut habuiſſe vim tribuendi vitam æternam,habuiſſe verò eam non natura, ſed benedictione: nam cùm anteà monſtratum ſit, Deum habere vim infinitam, & nulli naturæ legibus teneri, atque adeò ipſam naturam nihil aliud eſſe, quam exiguum quendam diuinitatis fulgorem,quid obſtat,quominùs poſſit, ſi velit,ipſis corporibus,quibus dedit naturam, facultatem aliam tribuere ſuperiorem? vtrumuis igitur facere potuerit Deus,

Cauſarum externarum vis.

Immortalitatis argumentũ.

AEternũ pro lõgo.

decretorij, qui numerantur per decennia, vt centeſimus, quorum poſtremus eſt vigeſimus ſupra centeſimum. neque certè huic numero exigua vis ineſt, neque vanum eſt in naturalibus rebus (etſi quibuſdam videtur) numerorum habere rationem: ſiquidem fecit Deus omnia, in numero, pondere, & menſura. dignitas verò dicti numeri inde eſt, quòd conſtat tribus quadragenariis; quadragenarij verò quaternis decenniis: ternarius verò eſt primus numerus perfectus qui rationem habet formæ, & maris, & generationis, ac perfectionis, & indiuiſibilitatis. quaternarius continet denarium, qui continet ternarium, binarium & vnitatem; vno verò & duobus & tribus & quatuor fiunt decem, decem autem ſunt omnia. nulli enim hominum ſunt, qui vltra decem numerent. itaque & quatuor ſunt omnia. quare quaternius denariorum, hoc eſt, quadragenarius fit totum cum toto coaleſcente. totum verò eſt quod perfectum. hoc ergo ter redeunte, completur perfectiſſimum tempus, tribus perfectiſſimis numeris conflatum ternario, & quaternario, & denario. neque verò non indicat ſatis apertè diuina hiſtoria, hanc eſſe præcipuam perfectionem huius numeri, quòd conſtet tribus quadragenariis, in vita Moſis. Ea enim hos habuit tres articulos. Nam quadraginta annos moratus eſt in Ægypto, totidem fuit in Madian, totidem duxit populum per deſertum. poſtremus itaque finis viuaciſſimorum eſt vigeſimus ſupra centeſimum: minùs viuacium, octogeſimus perfectus, qui finitur octogeſimo primo. Non ita tamen ſunt hi humanæ vitæ fines, vt neceſſitate naturali moriantur in illis omnes, neque poſſint vllo modo vlterius viuere, ſed quòd plurimi intra eos moriantur, atque pauci quidam vlterius viuentes nullis iam rebus gerendis ſint idonei. hoc verò ita eſſe intelligendum conſtat ex ipſis diuinis eloquiis. Pſalmo enim dicitur: *Vita hominis ſeptuaginta anni, in potentatibus octoginta, amplius labor & dolor.* Moſes quoque loco cit. haud dixit. *centum vinginti annorum ſum hodie. nō poſſum ampliùs viuere,* ſed *non poſſum vltra ingredi & egredi.* hoc eſt, laborare, & militiam exercere. itaque Deus dicens, erunt dies illius anni centum & viginti. haudquaquam ineuitabile moriendi tempus ſanxit, ſed viuendi fines, quaſi qui iam gerendis rebus idoneus non ſit, non ampliùs viuat. ſed cum labore & dolore moriatur. neque verò quia non eſt ſtatim à diluuio contracta adeò vita, ſed qui inter Noë & Abraham vixerunt ferè omnes quatercentum, negandum eſt eam legem de vita non vltra 120. annos producenda latam eſſe tunc. lata enim eſt reuera, obſeruatúrque, atque obſeruabitur ſemper, quandiu homines naſcentur & interibunt.

Ternarij perfectio.

Quaternarij vis.

Pauci extra 80. annum ſunt rebus gerendis idonei.

interibunt. non tamen ſtatim lata obſeruari cœpit,ſed ob mũdi neceſſitatem, vſque dum in eam multitudinem, quæ replere poſſet terram,creuerunt,diſpenſatione diuina vixerunt diutius, vbi mundi neceſſitati factum eſt ſatis, lapſa eſt natura in conſtitutos à Deo fines. Itaque verba illa, *Erunt dies illius centum viginti annorum*, naturalem viuendi legem cõtinent:illa verò, *Creſcite & multiplicamini & replete terram*, benedictionem, & legis illius diſpenſationem,quà,mundo iam hominibus pleno, ceſſante,manet,perſiſtitque natura, in illa viuendi lege, neque ea in re ab antiquis illis ſeculis mutatio fit,vt ſine vlla dubitatione conſtare poteſt, legenti Hebræorum, & Romanorum, & noſtrorum monumenta. eædem enim omninò ætates & iidem vitarum fines, antiquum verò eſt homines ſuum interitum deplorantes,cenſere cum ſuo ſeculo deterius agi, & ſuperioribus inuidere,eſt verò hoc vt antiquum,ita & vulgare: nam eorum qui nullius manifeſti morbi vi intereunt, perpauci non attingunt 70 annum: plerique talium attingunt octogeſimum,rari quidam, nunc quoque ſuperant centeſimum.

CAPVT VIII.

CApite 6. Geneſeos; *Cumque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchra, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant*,& paulo poſt, *Gigantes autẽ erant ſuper terram in diebus illis,poſtquã enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illaque genuerunt, iſti ſunt potentes, à ſeculo viri famoſi.* Aliæ ſunt loci huius enarrationes non ineptæ, mihi verò multò magis arridet, vocari hîc dæmones filios Dei nam hæc eſt phraſis ſacrarum literarum; ſiquidem c.1. libri Iob ita habetur: *Quadam die, cùm veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Sathan.* Itaque haud dubiè vocantur in ſacris filij Dei,qui apud Platonẽ,Dij minores,aut dæmones: ita enim inducit Plato alloquentem Deum in Timæo,*Dij Deorum, quorum opifex & pater ego ſum*,itaque dæmonum patrem ſe vocat apud illum Deus, & illos conſequens eſt, vocare filios Dei, quid ergo?confirmamus ea quæ in ſacris habentur libris verbis Platonicis ceu antiquioribus & potioribus? abſit,ſed ſuſplicamur, Platonem multos ſacrorum libros legiſſe, indéque tranſtuliſſe multa in ſuam Philoſophiam, eorum pleráque non bene intelligens (neque enim poterat) illam ergo filiorum Dei appellationem, arbitror eum ex his locis accepiſſe: vt verò induceret

Dæmones cur dicantur filij Dei.

ſed vt liquor quiuis alius in vaſe continetur. non facit ergo cum illis vnum per ſe, & vnitate formæ. Porrò nemo hominem, minorem fieri, aut mutilari putat cùm ſanguis emittitur: oporteret verò ſi is eſſet pars. ſed ſi nihil horum eſt ſanguis, quid ſupereſt vt ſit aliud quàm alimentum; non enim eſt excrementum, ſed ſi id rātùm, quid potiùs eſt quàm pituita, bilis, melancholia, lac, medulla oſſium, ſemen, communis ros, quæ etiam nutriunt. Certè in ratione alimenti præſtat plurimū aliis ſuccis ſanguis, quia ſolus poteſt nūtrire partes omnes: alij verò ſucci, partim non niſi cum quodam ſanguine miſti, vt bilis vtraque, partim non niſi quaſdam partes, vt pituita pituitoſos, chylus vocatus ventriculum, lac mammas, medulla oſſa, ſemen teſtes. eſt itaque antonomaticè, ac ratione quadam potiori, ſanguis alimentum animalium, atque ideò cùm nutritione ſeruetur eorum vita, videtur non ineptè dici, carnis animam, hoc eſt, viam, in ſanguine eſſe, hoc eſt, ſanguine ſeruari. Verùm cùm nutritio non ſit animantium propria, ſed communis cùm his rebus qua Moſes non vocat viuentes, ſed virentes, vt indicatum antea eſt, leue eſſe videtur nutritionis eſſe materiam, vt anima in eo eſſe dicatur: conſentaneumque eſt, aliud prætereà eſſe aliquid in eius natura, cuius gratia ita dicatur. Certè, vt Galenus dicit, ſanguis non tantùm præſtat corpori alimentum, ſed calor etiam naturalis perſeuerantiam in eo obtinet, quia fouet, ſeruatque naturalem calorem ſanguine præditorum, quod vel inde intelliges, quòd effuſione ſanguinis refrigerantur. quamquam hoc contradictionem videtur poſſe accipere. ſiquidem Ariſtoteles cenſet (atque Hippocrates alicubi videtur eiuſdem eſſe ſententiæ) ſanguinem eſſe ſubiecto frigidum, calere verò calore cordis & ſpirituū. atque adeò Galenus ipſe, etſi ſubiecto calidum eſſe cenſeat, tamen eius feruorem calore cordis fieri concedit. ſi igitur ſanguis aut ſubiecto frigidus eſt, aut ſaltem minùs calidus quàm cor, non ſeruat ipſe cordis calorem, niſi fortè per accidens, vt veſtes aut medicamenta, quæ recalfaciunt partes, à quibus calorem acceperunt. Atque hoc quidem, vt ego exiſtimo, conſentaneè dicitur, & res ita habet, niſi ſanguinis nomine intelligamus ſanguinem vt in animantibus exiſtit, ſpiritu ſcilicet plenum, eiuſque admiſtione calentem, & fluentem. atqui oportet ita intelligere, ſemper enim intra ſua vaſa talis eſt, in arteriis quidem magis, in venis minùs, vtrobique tamen ſpirituoſus. quia ſemper cum ſanguine ſpirituum copia effunditur, hiſque euaneſcentibus cōcreſcit vbi effuſus eſt, niſi ſit corruptus. ſpirituoſus ergo eſt ex quo caloris naturalis perſeuerantiam obtinet,

Succi quo modo nutriant.

Sanguis alimētum eſt.

Sanguis natura frigidus calorem ſemper ſeruat.

& in quo anima, hoc eſt, vita, eſt quia, ſcilicet facultas vitalis, quæ viuentium propria eſt (neque commmunis cum virentibus, vt nutritio) in naturali cordis calore conſiſtit. hic verò ſanguine & ſpiritibus ſeruatur. Sed dices, nondum videri hæc eſſe ſatis, vt anima in ſanguine dicatur eſſe, neque ſanè priùs videri eſſe poſſe ſatis pro dignitate explicata hæc verba quàm indicetur animam ipſam aliquo modo in eo eſſe. Certè hoc quoque indicari poteſt. nam niſi anima in ſanguine ſpirituoſo eſt, quo pacto poſſint in eo eſſe eius actiones? at verò ſunt. nam quid eſt, quod ferueat per iram, fugiat per timorem, per mœſtitiam pigreſcat, per gaudium effundatur, per pudorem in faciem occurrat, quàm ſanguis & vitales ſpiritus? neceſſe igitur eſt animam cuius ſunt hi affectus, in ſanguine eſſe aliquo modo, quo in nulla alia re, earum quæ ad corpus noſtrum pertinent: ſiquidem nulla alia ita mouetur per animæ affectiones. ſi verò, vt indicatum eſt, non eſt ſanguis ipſa anima, non eſt in eo animæ eſſentia, vt humanitas in homine, atque ſi ne animatus quidem eſt ſanguis, non eſt anima in ſanguine, vt in corde, cerebro, & aliis partibus, vt inquam in ſubiecto proprio: ſubit verò ſanguis motus, qui primariò ipſius animæ ſunt, eſt igitur in eo anima vt in inſtrumento proprio ipſius. dico autem vt in inſtrumento proprio ipſius: quia cùm ſint duplices motus in animante quidam dicuntur eſſe corporis, vt ambulare, & clamare, quidam animi per ſe, vt iraſci, gaudere, mœrere, timere, & erubeſcere: horum eſt ſanguis cum ſpiritu fluens inſtrumentum proprium. atque ita anima in eo eſt modo quodam diuiniori, quàm in vllo alio inſtrumento: non quidem per informationem, aut per præſentiam, ſed per potentiam, & operationem, quia nulla alia in re manifeſtiùs quàm in eo operatur, quin potiùs videtur ipſe ſanguis, animæ proprias operationes operari, eſſeque velut alia quædam anima corporalis & manifeſta, exprimens ſuis actionibus, illam primā & veram animam, quæ per ſe eſt nobis ignoſcibilis. Vigebis rurſus dicens, fieri non poſſe, vt ſanguis moueatur motibus animæ per ſe, niſi animatus ſit, aut ipſamet anima, nunc verò videtur, motus illos ſubire per ſe. neque enim ſanguis ita mouetur, quòd trahatur, pellatur, aut mittatur ab aliquibus corporis organis, ſed quòd per ſeſe ſequatur imaginationem, quaſi percipiens animæ ipſius conceptiones. Certè hæc admiranda ſympathia ſanguinis cum anima eſt, vt hæc percipit, ille mouetur. Indicat porrò ea res, diuinitatem quandam in anima animantium perfectorum, quæ ſanguine prædita ſunt, & illos habent animi motus, maiorem, quàm ſit in rerum

Anima quomodo in ſanguine.

Motus animalis duplex.

Sanguinis & animæ ſympathia.

imperfectiorum formis: poſſe ſcilicet mouere, vi imaginationis, materiam deiunctam, & cuius actus ea non ſit, illaque vti vt inſtrumentum proprio ſuorum motuum. hanc fortaſſe ob cauſam, Auicenna maiorem adhuc virtutem (vt par eſt) rationali animæ volens tribuere, putauit, poſſe eam hoc idem in materia extra corpus longéque conſiſtente, circa omnem contactum Phyſicum, facere. Ea verò ſententia non probatur. neque ſanè ſanguis ab anima, ſine contactu mouetur, ſed Mathematicè tangitur à viuentibus partibus: Phyſicè, hoc eſt, per virtutem ab anima: eſt enim, vt dictum eſt, anima in ſanguine per operationem & virtutem. hanc ob cauſam, volens Deus Optimus Maximus, homines quàm maximè à cædibus, & iniuriis abſtinere, curauit, vt à ſanguinis effuſione ſuper terram, & eſu, abhorrerent. eſtque hoc quodammodo ſimile ſymbolis Pythagoricis, quibus præcipiebatur aliquid, vt aliud inſinuaretur, velut iubebat ille abſtinere à fabis, quò abſtinerent à comitiis. voluit verò Deus, vt ſanguinis effuſione tantùm vterentur ad expiationem animarum: vt quoad fieri poſſet, anima pro anima redderetur. nimirum ſanguis eſt quodammodo altera anima, vt explicatum eſt. Ex dictis facilè conſtat (de quo Theologi ſolent dubitare) animal neque perfectum, neque integrum ſine ſanguine futurum. quia erit in eo anima, impos actionum vitalium, vtpote propriis orbata inſtrumentis, ſanguine inquam & ſpiritu. his de anima dictis, non intempeſtiuè, de corporis nutritione, & vitæ tutela, diſſeremus.

Animæ vis.

Animal non perfectû ſine ſanguine.

CAPVT VI.

Capite 3. Geneſeos ita habetur, *Nunc ergo, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* His verbis apertè ſignificari videtur, ſi Adamus veſci potuiſſet fructu arboris vitæ, futurum vt viueret in æternum. An verò id vlla ratio Phyſica ferat, examinandum. Viuentia omnia nutrione ſeruari, niſi nutrirentur, mox interitura, nutritionemque capi ex alimentis. adeò notum eſt experimento, vt dubitent Phyſici, an poſſit, eorum ſalua vita, nutritio intercipi, vel momentum temporis. Atqui, nutritio eſt nonæ ſubſtantiæ repoſitio, pro ea quæ continenter abſumitur, quæ cauſa ſit eius abſumptionis, non adeò conſtat. Plurimi enim Philoſophi, naturalem calorem

De ligno vitæ diſputatio.

cauſantur, eundem ſcilice t qui nutritionis eſt cauſa: ergo calorem igneum, qui in nobis, leuibus ex cauſis, frequentur accenditur, & externas cauſas, quæ nos perpetuò afficiunt, conſumptionem noſtri facere affirmo: naturalem calorem contra, ſeruare & augere, verùm de hac quæſtione alibi eſt mihi diſputatum, modò nihil intereſt: ſiue enim naturalis calor veterem ſubſtantiam abſumit, & nouam reponit: ſiue ſiccant corpora externæ cauſæ, & naturalis calor ſubſtantiam reponit, ſtat eadem dubitatio. Aſſerendum enim eſt, corpora viuentia, acceſſione eius ſubſtantiæ, quam accipiunt ex cibis, ſeruari: & cibos alios aliis eſſe meliores, plus ac melius nutrientes: alios deteriores, ac nutrientes minùs: & meliorũ vſu diutius ſeruari corpora, deteriorum verò, venire citiùs ad interitum. An verò cibi vllius bonitas ſufficere poſſit, quò vllum viuentium, ſine interitu, ſeruetur in æternum: an ſemper viuere, viuentium ex alimento naturæ repugnet: vel quòd eorum mortali vitæ mori intimum, ac neceſſarium ſit: vel quòd ipſa ratio alimẽti vim tantam non admittat, id eſt, quod vertitur in controuerſiam. ſi enim hoc natura rerum non fert, dicemus benedictionem fuiſſe in ligno vitæ, vt qui eius fructu vteretur, in æternum viueret, aut illud æternum, longum potiùs ſignificare, quàm nunquam finiendum tempus. ſin autem fert, dicemus fuiſſe naturam. primum quidem, ipſi viuentium naturæ non videtur repugnans, carere interitu: non enim niſi quia genita ſunt. monſtrauimus verò anteà, totum quoque mundum factum eſſe, & poſſe ſine interitu ſeruari. porrò Galenus, qui in Phyſicis magnæ authoritatis cenſeri debet, genitum omne aliquando interiturum, nullam monſtrationem habere poſſe, affirmat, ſed ſola inductione probari. id verò ſi ita eſt, non repugnat ipſi geniti rationi, non mori. alioqui, illa ipſa ratio, qua non mori repugnaret, poſſet eſſe medium mõſtrationis, qua colligeretur moriturum. Galenus meminit ſophiſtæ cuiuſdam Ægyptij, qui aſſerebat, homines non mori neceſſitate naturali, ſed ignorantia faciendorum, atque de ea re ſcribere librum cœperat, quaſi quis nunc affirmaret, fieri poſſe naturaliter, vt homines ſeruarentur in æternum ſi fructus ligni vitæ daretur copia, mori verò, quod is fructus ignoretur, aut iuſſu Dei, à Cherubim interdicatur. Multò minus videtur hoc repugnare naturæ alimenti. quia alimẽtum nomen eſt materiæ, atque vt Ariſtoteles dicit, rei victæ non effectricis cauſæ, non enim cibus nutrit, quòd faciat aliquid, ſed quòd mutetur in ſubſtantiam nutriti. in materia verò non deſideratur virtus, neque facultas vlla, ſed diſpoſitio, & copia. velut igitur ignis, ſi ſuppeditẽtur ligna ardere apta,

Ciborum differentia.

Genita non neceſſe eſt interire.

nunquã deficiet, nec elychni flamma extinguetũr, ſi ſuppetat oleum, ita viuere poſſit animal, ſi abundet idoneus cibus, aut. ſaltem mortis cauſa non in ipſo cibo ſit, ab hoc enim quid petas aliud, quàm vt ſit materia. Nihilominus videtur manifeſtum, naturaliter non poſſe non mori, quod viuit ex alimento, quocunque vtatur, vel hoc ſolo argumento, quòd nullum talium vnquam extitit, quod non moreretur, nam ſi numquam extitit, neque erit quidem, nam circulo ſemper redeũt tempora, & cùm circulari mutatione totus ſemper agatur mundus, eadem continenter abeunt & redeunt, neque eſt quidpiam eorũ, quæ naturaliter fiunt, quod non fuerit anteà: quod diſertiſſimè dixit Eccleſiaſtes, c. 1. his verbis *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendũ eſt. Nihil nouum ſub ſole. nec valet quiſquã dicere: Ecce hoc recens eſt, iam enim praceſſit in ſaculis, qua fuerũt ante nos.* Itaque quod nũquam factum eſt, nec erit quidem (id intelligo de rebus cõſtantibus natura, non enim perinde eſt de caſu, aut arte factis) quod verò nunquam fit, neque poteſt fieri naturaliter. nulla enim eſt naturalis potentia, quæ nunquam ad actum deducatur. igitur Philoſophi vel hac ſola ratione tenentur concedere, fieri non poſſe, vt quod viuit ex alimento, non moriatur, quòd nunquam factum eſt: atque eodem argumento conſtat, nihil eorum quæ naturaliter oriuntur, poſſe non perire. neque quidquam obſtat quod de mundo dicebatur. mundus enim non eſt naturaliter ortus, ſed factus à Deo, cauſa infinitæ virtutis, & libera, à qua extingui poteſt, ſeruabitur tamen eius bonitate. Natura verò, nihil eorum quæ facit, ſeruare poteſt, niſi tempus certum, quia finitæ virtutis eſt, neque libera cauſa. cæterum hoc argumento, poſteriori ſolùm, vt dicunt Dialectici, indicatur, non poſſe fieri id de quo quæritur: qua tamen cauſa id fieri non poſſit, non explicatur. Quapropter, vt hoc quoque, ſi fieri poteſt, explicetur, aliunde petendum principium eſt. Non videtur autem aptiùs peti poſſe, quàm ab eo quod in obiectione quærebatur. Cur ſcilicet ignis acceſſione materiæ poſſit in æternum ſeruari, atque ab eo, quantum agitur in eius natura creſceret in immenſum. homo autem & planta non poſſit, vtcunque patiatur cibo, ſeruari, niſi certum quoddam & finitum tempus, neque comparare niſi certam & definitam molem. Huius ſi inuenta idonea ratio fuerit, ſimul habebitur & monſtratio à priori neceſſarij interitus eorum quæ genita ſunt. Conſtat verò, eius rei cauſam eſſe, indifferentia nutritionis viuentium & ignis. Ea eſt ignem, & alia inanima, neque augeri, neque nutriri niſi ſecundùm partes materiales: viuentia verò

Mortis neceſſitas.

Futura nunquam.

ſecundùm

ſecundùm formales, hoc eſt, illa nutriti acceſſione partium magnitudinis, diuerſarum & diſſitarum à præexiſtentibus: hæc verò non ita, ſed alimento ita præexiſtentes in aſſumpto & commutato, vt non afferat nouas, ſed ſeruet veteres, aut etiam augeat. Atqui, per illam impropriè vocatam nutritionem, non tam ſeruatur idem corpus, quàm gignitur aliud & aliud, neque aliter exiſtens idem, quàm fluuius: per nutritionem verò propriam durat idem. quapropter in æternum ſeruari non poteſt, ignis verò poteſt. vt homo ſpecie idem, ſeruatur ſucceſſione multorum, ſed cur idem exiſtens, vt hic homo, aut hæc morus, non poteſt propria nutritione in æternum ſeruari, nondum diximus. incipiamus verò ab ipſius nutritionis ratione, ea eſt reparatio naturalis humidi quod intus perit ex alimento, quod & cõmutatur, & peniriſſimè in partes alendas aſſumitur diſtributum, & affigitur, itaque humiditas naturalis continenter diſſipatur, alioqui non indigerent corpora alimento: non ambigitur autem an indigeant, ſed an id ſufficiat, vt non moriantur. Itaque indigent aliméto, & ſiccantur, ſiue à ſuo ipſorũ calore, ſiue ab externis cauſis, maximque ab aëre, qui, aut calore abſumit humorem, vt in æſtate, aut frigore exprimit calidũ, cum quo abit & humor, vt areſcunt arbores præ frigore in hyeme, & res omnes flante Borea ſiccantur. vtcũque de hac quæſtione cenſeas, concedes ſiccari ſemper viuentium corpora, alimento verò fieri, ne areſcant citò, velut quæ deciduntur, & radicibus abſtracta, alimenro priuantur ligna, ea enim videmus, humi iacẽtia, breui ſiccari, adeò vt non poſſint germinare rurſus, etſi humi figantur: quod eorũ mortis indicium eſt; moriuntur ergo deciſa ligna, breui ſiccata, nõ alia cauſa, quàm quòd priuentur alimento, non enim iugulantur, vt truncati homines, aut aliquid aliud patiuntur quod eis moriendi cauſa ſit (viuunt enim rami ſinguli, & germinant, ſi ante ariditatem figantur) ſed areſcunt quòd priuentur alimento. alimentum ergo reparando humidam ſubſtantiam, facit, ne areſcant corpora, alioqui breui, præ ſiccitate, interitura. ſi igitur humectatio ab alimento accedens, æqualis eſſe poteſt ſiccationi, quæ ab aliis cauſis obſtare vtique poterit, quominus corpus ſiccerur: ſi maior, facere vt etiam euadat humidius: ſi verò neceſſariò eſt maior motus, quem ſubit corpus ab externis, eo quem à cibo, neceſſariò ſiccabitur corpus ſemper, ac poſtremò morietur. alimentum verò, tantummodò obſtabit, ne tam citò. Atqui, maiorem motum eſſe quem cient externa, primùm quidem, experimentò conſtat, quia multò citiùs ſiccatur deciſum lignum, & homo cibo priuatus, quàm reficitur rigatũ & cibatus. deinde,

Nutritio quorum ſit.

Corporis exſiccatio.

multis

Alteratio duplex. multis etiam rationibus videtur id eſſe neceſſarium. nam cùm eueniat, duobus modis alterare corpus, aut ſimpliciter alterando, aut gignendo ſubſtantiam alteram, conſtat illud faciliùs eſſe, ac citiùs fieri, hoc difficiliùs, & fieri tardiùs. nam faciliùs Thapſia. ſicces corpus, admouens thapſiam, aut euphorbum, aut ignem, quàm iubens vti cibis aſſis, & milio, aut eruo: & humectes citiùs balneo aquæ, quàm eſu lactis aut ptiſanæ: cùm ergo ſiccentur ſemper corpora externis; non ob ſubſtantiæ repoſitionem, ſed alterata, humectentur verò à cibo, non aliter quam repoſitione ſubſtantiæ, neceſſe eſt lentiorem motum cieri à cibo, quàm ab externis. portò motus qui incipit ad eodem ipſo quod mouetur, non poteſt non eſſe tardior, quàm qui ab ipſa mouente cauſa incipit. quia cùm id quod mouet principium mouendi accipit, ab eo ipſo quod mouendum eſt, operoſior, & Motus difficultas & facilitas. difficilior eſt motio. velut faciliùs eſt corpora calfacere igne, quàm thapſia: quia thapſia nõ poteſt vrere, antequam à re ipſa vrenda calfacta ſit: ignis verò nihil aliunde recipiens, ſtatim vrit. Externæ cauſæ pleræque vi propria, & quà actu tales, ſiccant: alimenta non humectant, niſi conficiantur priùs ab ipſo viuentis corpore. neceſſe eſt igitur humectationem à cibo tardiorem motum eſſe, ſiccatione ab externis, atque ob id, citiùs aut tardiùs, tamen poſtremò viuentia omnia mori. Certè hæc, quæ propoſuimus, veriſſima ſunt, putà, maiorem & celeriorem eſſe motum, qui alterando agitur, & principium accipit à facultate, quæ actu ineſt cauſæ mouenti, quàm qui repoſitione ſubſtantiæ, & initium duci ab ipſius patientis actione. ſi conferantur æquales mouendi cauſæ: ſi verò conferantur inæquales, aliter poteſt euenire, nàm magis caleſcet corpus affricata thapſia, quàm ſi moretur in tepente ſole: & humectabitur magis, multo eſu recentium vuarum, lactis, piſcium, & lactucæ, quam Ciborum differentia. modica lotione, nimirum conferuntur magnæ cauſæ cum exiguis. verùm ſi conferrentur æquales, eueniret ſemper, quod propoſitum eſt. Vnica igitur ſupereſt dubitatio. An poſſit cibus vllus eſſe tantò potentior humectando, quàm cauſæ omnes externæ ſiccando, vt eius motus illarum poſſit mutui præualere, atque ita ſeruari animal ſiu einteritu; & an talis fortaſſe fuerit fructus ligni vitæ. non certè. nam externæ cauſæ, ſiccando abſumunt partem ſubſtantiæ humidæ, neceſſe eſt ergo vt dum abſumunt tantam, reliquam alterent ſecundum qualitatem, reddántque ſicciorem & duriorem: cibus ergo aut reponet ſolùm ſubſtantiam humidam, aut reliquas etiam, & quà ſuperſunt, alterabit ſecundùm qualitatem. ſi ſubſtantiam tantum reponit, quantumuis reponat codioſè, reddentur in die

ſicciores

ſicciores partes animantis, atque ita quoque ibunt in interitum (vt certè fit) ſecundùm molles partes, & quæ abundanter reficiuntur, aliquando factæ humidiores: ſecundùm ſolidas verò, quæ ob ſiccitatem & ſoliditatem naturalem, ſiccantur multùm & reficiuntur exiguum, ſemper ſiceſcentes. ſin autem cibus non reficit ſolùm, ſed qualitati etiam obſiſtit, non nutrit ſolùm, ſed etiam alterat, neque alimentum ſolùm eſt, ſed etiam medicamentum; ſi verò eſt medicamentum, corpori ſano morbum faciet, morbum verò faciens, mortem attulerit citiorem: ſin autem corpus morboſum fuerit, ita quoque morietur. nulla igitur ratio eſt naturalis. qua poſſit corpus cibus quiſpiam in æternum à morte liberare. Quid ergo dicemus de homine ſemper victuro, niſi peccaſſet: & de fructu arboris vitæ, quo qui veſceretur, in æternum viueret. Certè homo niſi peccaſſet, nunquam fuiſſet moriturus, ſiquidem per peccatum intraſſe mortem ſacra canunt eloquia. tamen, etſi non peccaſſet, fuiſſet mortalis: non enim idem eſt; neque per peccatum factus eſt mortalis qui mortalis nõ eſſet, ſed moriturus, qui mortalis iam eſſet. Sed quo pacto non eſſet moriturus, qui eſſet mortalis; certè volũtate Dei, ſicut de toto orbe. etiam ex ſententia Platonis dicebatur, extingui poſſe, & redigi in nihilum ex quo eſt factus, tamen voluntate Dei ſemper perſeueraturum. ita quoque homo, qui mortalis erat, & redigi naturaliter poterat in ſuum cinerem, & voluntate Dei viueret ſemper, niſi peccatum obſtitiſſet. non eſt itaque per peccatum factus mortalis, ſed qui cum erat innocens voluntate Dei ſeruabitur, ob peccatum traditus eſt ſuæ mortalitati. quo modo mortalis cùm eſſet à morte præſeruabatur, Deus ſcit, non poſſum apertè dicere; magnam verò partem eius præſeruationis fuiſſe in fructu ligni vitæ, ipſe dicit. duorum igitur alterum videtur conſentaneum, aut fructum illum fuiſſe ciborum omnium, qui vnquam extiterint præſtantiſſimum atque vim habuiſſe naturalem ſeruandi homines diutiſſimè, diutiúſque quam poſt peccatum, voluerit eos Deus viuere (ſignificauit verò ita illud, *in æternum*, tempus longum, vt in multis aliis locis) Deúmque antequam id expleretur tempus, fuiſſe eos in vitam æternam tranſlaturum: aut habuiſſe vim tribuendi vitam æternam, habuiſſe verò eam non natura, ſed benedictione: nam cùm anteà monſtratum ſit, Deum habere vim infinitam, & nulli naturæ legibus teneri, atque adeò ipſam naturam nihil aliud eſſe, quam exiguum quendam diuinitatis fulgorem, quid obſtat, quominùs poſſit, ſi velit, ipſis corporibus, quibus dedit naturam, facultatem aliam tribuere ſuperiorem? vtrumuis igitur facere potuerit Deus, vtrum

Cauſarum externarum vis.

Immortalitatis argumentũ.

Æternũ pro lõgo.

vtrum videatur magis conſentaneum, diſputent Theologi, excedit enim id meum inſtitutum. Hactenus mihi de mundi opificio, animæ immortalitate, & hominis, aliorumque omnium viuentium interitu dictum eſt: quod ad naturales vitæ fines ſpectat, adiiciamus.

CAPVT VII.

CApite 6. Geneſeos: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum.* His verbis videtur ſignificari, à temporibus Noë hominum vitam, Dei præcepto, quod oportet eſſe inuiolabile, ad centum viginti annos eſſe contractam. reclamat verò vita Abrahæ, qui vixit centum ſeptuaginta quinque, & vxoris eius Saræ, quæ vixit centum viginti ſeptem, & eorum filij Iſaac, qui vixit centum octoginta, & nepotis Iacob, qui vixit centum quadraginta ſeptem, ac multò magis eorum qui inter Noë & Abraham, vixerunt ferè 400. annos omnes. hanc ob cauſam quidam verba illa cap. 6. Geneſeos interpretantur dicta, non de ſingulorum hominum vita, ſed de totius mundi duratione vſque ad diluuium: itaque verba illa dicta eſſe ad Noë, centũ viginti annos ante diluuium, prædieíque, non quantum poſſet vita cuiuſque hominis produci, ſed quantum ſupereſſet, vſque ad totius carnis internecionẽ, hoc eſt, vſque ad diluuium. Mihi verò non probatur ea interpretatio, ſed dixerim potiùs, vſque ad diluuium, hominum vitas, Dei voluntate, fuiſſe multò longiores, in poſterũ, eiuſdẽ præcepto, fuiſſe contractas ad centum viginti annos. neque verò hoc debet Philoſophos deterrere, neque cenſendum, aut hanc breuitatẽ eſſe naturæ morbum, aut illam vitæ longitudinẽ, fuiſſe ſupra naturã. ſi enim, vt ipſi multis argumentis, neque ineuidentibus confirmant, Deus eſt actionũ omnium naturalium cauſa prima, neceſſe eſt naturã rerũ plus aut minus poſſe, vt ei Deus aſpirat. Cur autẽ illa verba non poſſint ad diluuium pertinere, dicamus, primùm quidẽ, quia non eſt reuelatum Noë tanto priùs. Iam enim habebat Noë filios, qui cum eo ſunt ingreſſi in arcam, putà, Sem, Cham, & Iaphet, cùm ei eſt reuelatio facta: ſiquidem hæc ſunt Dei ad illum verba: *Ecce ego adducam aquas diluuij ſuper terrã, vt interficiam omnem carnem, in qua ſpiritus vitæ eſt ſubter cœlum, & vniuerſa, quæ in terra ſunt, conſumentur, ponamque fœdus meum tecũ. & ingredieris arcã tu & filij tui, vxor tua, & vxores filiorũ tuorũ tecum.* Itaque

Explicantur verba ſupradicta.

cùm

cùm reuelatio eſt facta, habebat iam filios, qui etiam duxerant vxores. at verò erant quingentorum annorum Noë, cùm genuit Sem, Cham, & Iaphet, cœpit verò fieri diluuium ruptis fontibus & apertis cœli cataractis, anno ſexcenteſimo vitæ Noë. non ergo eſt prænunciatum diluuium centum viginti annis antequam fieret. quapropter non eſt illa legitima interpretatio. ſed eum finem ſtatuit hominum vitæ. Confirmatur hoc verbis Moſis, capite trigeſimo primo Deuteronomij, qui cauſam reddens qua illum mori oporteret, neque poſſet ampliùs viuere, dicit, *centum viginti annorum ſum hodie, non poſſum vltra egredi & ingredi.* Eſt itaque Dei iuſſu centeſimus vigeſimus annus vltimus clymactericorum, & quo longiſſima vita hominis concluditur. ante hunc eſt centeſimus, clymactericus etiam ipſe. nam decimo octauo capite Eccleſiaſtici dicitur, *Numerus dierum vitæ hominum, vt multum, centum anni.* neque immeritò dixi longiſſima, eſt enim alia vitæ productio, vt plurimis communis, ita longè breuior, cuius clymactericus vltimus eſt octogeſimus primus, qui numerus conſtat nouies nouem. Breuiorem & pluribus communem vitæ periodum expoſuit Dauid, dicens, *Vita hominis ſeptuaginta anni, in potentatibus octoginta ampliùs labor & dolor* quos eodem vitæ fines, ſeptuageſimum ſcilicet, & octogeſimum ſtatuiſſe Solonē, Diogenes Laërtius narrat. longiſſimam itaque periodum vitæ deſcribit, quod modò enarramus, diuinum oraculum. Annos clymactericos, id eſt, ſcalares, vocauit antiquitas, quoſdam, quibus obſeruatum eſt, plurimorum vitas finiri, quòd ſint illi anni, velut gradus quidam ſcalæ humanæ vitæ. hi ſunt quaſi fatales moriendi fines, non abſimiles diebus decretoriis morborum. nimirum vt Plato in dialogo de Natura docet (quod ab eo accepit etiam Galenus) habent morbi ſuas ætates, ſimiles ætatibus hominum, atque ſuos etiam naturales fines. vt ergo ſunt duplices morbi: alij acuti, alij chronici, quorum vtriq; habent ſuos decretorios, non tamē eoſdem, ſed acutorum decretorij ſunt dies impares, præcipuè ſeptennarij: chronicorū vigeſimi, vt ſexageſimi, octogeſimi, centeſimi: ita ſunt duplices vitæ productiones, quædam plurimis cōmunes, quædam paucis, iiſque viuaciſſimis, contingentes. vtræque habent ſuos clymactericos, ſeu mauis dicere decretorios annos, prioribus quidem ſunt, qui per ſeptennia numerantur, & per nouennia, quorum præcipui ſunt, quadrageſimus nonus, qui conſtat ſeptem ſeptennis, & ſexageſimus tertius, qui conſtat nouem ſeptenniis: poſt hunc ſeptuageſimus, quia decem ſeptenniis: poſtremus octogeſimus primus, quia conſtat nouem nouenniis. poſterioribus ſunt decre

Anni clymacterici.

Morborū ætas.

Dies decretorij.

Duplex vitæ productio.

decretorij, qui numerantur per decennia, vt centeſimus, quorum poſtremus eſt vigeſimus ſupra centeſimum. neque certè huic numero exigua vis ineſt, neque vanum eſt in naturalibus rebus (etſi quibuſdam videtur) numerorum habere rationem: ſiquidem fecit Deus omnia, in numero, pondere, & menſura. dignitas verò dicti numeri inde eſt, quòd conſtat tribus quadragenariis; quadragenarij verò quaternis decenniis: ternarius verò eſt primus numerus perfectus qui rationem habet formæ, & maris, & generationis, ac perfectionis, & indiuiſibilitatis. quaternarius continet denarium, qui continet ternarium, binarium & vnitatem; vno verò & duobus & tribus & quatuor fiunt decem, decem autem ſunt omnia. nulli enim hominum ſunt, qui vltra decem numerent. itaque & quatuor ſunt omnia. quare quaternius denariorum, hoc eſt, quadragenarius fit totum cum toto coaleſcente. totum verò eſt quod perfectum. hoc ergo ter redeunte, completur perfectiſſimum tempus, tribus perfectiſſimis numeris conflatum ternario, & quaternario, & denario. neque verò non indicat ſatis apertè diuina hiſtoria, hanc eſſe præcipuam perfectionem huius numeri, quòd conſtet tribus quadragenariis, in vita Moſis. Ea enim hos habuit tres articulos. Nam quadraginta annos moratus eſt in Ægypto, totidem fuit in Madian, totidem duxit populum per deſertum. poſtremus itaque finis viuaciſſimorum eſt vigeſimus ſupra centeſimum: minùs viuacium, octogeſimus perfectus, qui finitur octogeſimo primo. Non ita tamen ſunt hi humanæ vitæ fines, vt neceſſitate naturali moriantur in illis omnes, neque poſſint vllo modo vlterius viuere, ſed quòd plurimi intra eos moriantur, atque pauci quidam vlterius viuentes nullis iam rebus gerendis ſint idonei. hoc verò ita eſſe intelligendum conſtat ex ipſis diuinis eloquiis. Pſalmo enim dicitur: *Vita hominis ſeptuaginta anni, in potentatibus octoginta, amplius labor & dolor.* Moſes quoque loco cit. haud dixit. *centum vinginti annorum ſum hodie. nõ poſſum ampliùs viuere,* ſed *non poſſum vltra ingredi & egredi.* hoc eſt, laborare, & militiam exercere. itaque Deus dicens, erunt dies illius anni centum & viginti. haudquaquam ineuitabile moriendi tempus ſanxit, ſed viuendi fines, quaſi qui iam gerendis rebus idoneus non ſit, non ampliùs viuat. ſed cum labore & dolore moriatur. neque verò quia non eſt ſtatim à diluuio contracta adeò vita, ſed qui inter Noë & Abraham vixerunt ferè omnes quatercentum, negandum eſt eam legem de vita non vltra 120. annos producenda, latam eſſe tunc. lata enim eſt reuera, obſeruatúrque, atque obſeruabitur ſemper, quandiu homines naſcentur & interibunt.

Ternarij perfectio.

Quaternarij vis.

Pauci extra 80. annum ſunt rebus gerendis idonei.

intexibunt. non tamen ſtatim lata obſeruari cœpit, ſed ob mūdi neceſſitatem, vſque dum in eam multitudinem, quæ replere poſſet terram, creuerunt, diſpenſatione diuina vixerunt diutius, vbi mundi neceſſitati factum eſt ſatis, lapſa eſt natura in conſtitutos à Deo fines. Itaque verba illa, *Erunt dies illius centum viginti annorum,* naturalem viuendi legem cōtinent: illa verò, *Creſcite & multiplicamini & replete terram*, benedictionem, & legis illius diſpenſationem, quâ, mundo iam hominibus pleno, ceſſante, manet, perſiſtitque natura, in illa viuendi lege, neque ea in re ab antiquis illis ſeculis mutatio fit, vt ſine vlla dubitatione conſtare poteſt, legenti Hebræorum, & Romanorum, & noſtrorum monumenta. eædem enim omninò ætates & iidem vitarum fines, antiquum verò eſt homines ſuum interitum deplorantes, cenſere cum ſuo ſeculo deterius agi, & ſuperioribus inuidere, eſt verò hoc vt antiquum, ita & vulgare: nam eorum qui nullius manifeſti morbi vi intereunt, perpauci non attingunt 70 annum: plerique talium attingunt octogeſimum, rari quidam, nunc quoque ſuperant centeſimum.

CAPVT VIII.

CApite 6. Geneſeos; *Cumque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant,* & paulo poſt, *Gigantes autē erant ſuper terram in diebus illis, poſtquā enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illaque genuerunt, iſti ſunt potentes, à ſeculo viri famoſi.* Aliæ ſunt loci huius enarrationes non ineptæ, mihi verò multò magis arridet, vocari hîc dæmones filios Dei nam hæc eſt phraſis ſacrarum literarum; ſiquidem c. 1. libri Iob ita habetur: *Quadam die, cùm veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Sathan.* Itaque haud dubiè vocantur in ſacris filij Dei, qui apud Platonē, Dij minores, aut dæmones: ita enim inducit Plato alloquentem Deum in Timæo, *Dij Deorum, quorum opifex & pater ego ſum,* itaque dæmonum patrem ſe vocat apud illum Deus, & illos conſequens eſt, vocare filios Dei, quid ergo? confirmamus ea quæ in ſacris habentur libris verbis Platonicis ceu antiquioribus & potioribus? abſit, ſed ſuſplicamur, Platonem multos ſacrorum libros legiſſe, indéque tranſtuliſſe multa in ſuam Philoſophiam, eorum pleráque non bene intelligens (neque enim poterat) illam ergo filiorum Dei appellationem, arbitror eum ex his locis accepiſſe: vt verò induceret

Dæmones cur dicantur filij Dei.

duceret Deum alloquētem filios ſuos de rerum opificio commēdantémque illis animalium, & hominis maximè formationem, deceptum eſſe illis verbis capitis primi Geneſeos. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Videtur enim illic Deus alios alloqui, hortaríque ad hominis fabricam. quæ tamen verba diuiniſſimum continent ſacramentum, quod ille non eſt aſſequutus, intellexit tamen, vt mihi videtur bene dæmones vocari filios Dei, ſed ſi ita eſt, non exiguam dubitandi occaſionem præbet hic locus: nam quî poterant dæmones adamare mulierum pulchritudinem, & cum illis congredi? An eſt illis ea natura vt tanquam homines poſſint mulieribus potiri, & formoſis delectari, magis quam deformibus; quid verò & homines poſſunt talibus congreſſibus generari; aliena quidem videtur eſſe hæc omnia ab ſpiritali & incorporea ſubſtantia, & natura adeò diſſidente. videntur verò affirmare eloquia diuina non ſolùm natos eſſe homines ex illis congreſſibus, ſed eos quidem potentes Gigantes & à ſæculo viros famoſos, quaſi Diis genitos. Omnis etiam Gentilitas celebrauit Heroas, hoc eſt ſemideos, natos ſcilicet ex fœminis & Diis aut viris & Deabus. atqui quoniam durabat adhuic in memoria hominum illorum, qui non longè aberant a diluuio Gigantum fama, viros omnes egregios cenſebant eſſe ab aliquo Deo, aut Dea genitos, vt Herculem à Ioue: Achillem à Tethyde, à Venere Æneam, deinceps & Alexādrum ab Homone, hinc tam multæ fabulæ hinc tam multa adulteria ad Deos referebantur, quæ, quandoquidem dæmones illi colebant pro Dii, eóſque vocabant Tethydem, Poteim, Saturnum, Rheam, Iouem, Iunonem, Cupidinem, & Venerem, vt apud Platonem legimus in Timæo, ſiquidem congredi cum mulieribus, & generare poſſunt, fortaſſe non erant prorſus fabuloſa, & menſita: ſed ex certis rerum euentibus orta. Multis etiam publicis teſtimonis conſtat certiſſimè, hoc etiam ſæculo deprehenſas eſſe mulieres, quæ dæmonibus ſub hominum ſpecie familiariſſimè vtebantur, qui cum illis rem habebant, congrediebantúrque frequenter, vt cum propriis vxoribus: viros quoque quibus fæminea ſpecie ſuccumbebant dæmones: vocantúrque hanc ob cauſam tales dæmones alij quidem incubi, alij ſuccubi, quos quidem ego (vt dixi) ſuſpicor tam multis fabulis inter gētes dediſſe principium, & incubos quidē Deorum, ſuccubos Dearum peperiſſe opinionem. ſed quo pacto fieri poſſint hæc, conſiderandū Platonici cēſebant, dæmones animalia quædam rationalia & immortalia eſſe, corporū tenuium, & aereorum, morum verò humanis ſimilium, iraſci enim & placari, atque

An dæmones mulieres ament & congrediantur.

Gigantum ortus. Heroes.

Dij gentium.

De dæmonibus incubis & ſuccubis.

atque amicitias inire, & odia cum hominibus exercere. eſſe enim cenſet Apuleius (in quem Auguſtinus inuehitur 8. de ciuitate Dei) dæmones quorundam hominum oſores, quorundam amatores, animo paſſiuo, hoc eſt, non tranquillo iudicio, ſed ea animi affectione, quam vocamus amorem. vnde fit vt iuxta illa Philoſophorum placita, ſint laſciui, & delectentur ludis ſcenicis, & exoptent muliebres amplexus, & cantilenas amatorias, quibus ſua ipſorum crimina decantentur. horum ſi vera eſſet opinio, ſublata eſſet è medio prima dubitatio, diceremus enim, tales cùm eſſent, captos eſſe amore pulchrarum mulierum, atque hominum more, potitos earum amplexibus, & voluptate quam inde caperent. ſupereſſet ſolùm altera dubitationis pars, quî potuerint generare homines, homines cùm non ſint. Cæterum Apuleij ſententiam verum non eſſe, neque Philoſophiæ conſonam, vel ex primis eius rudimentis facilè intelligi poteſt. nam infra cœleſtes orbes, nulla corpora eſſe poſſunt, ſecundùm ſe tota incorruptilia. dicunt vero illi, degere dæmones in aëre. prætereà, ſi dæmones, vt illi affirmant, habent corpora ex puriſſimo aëris, & ſereno elemento coalita, nihil terrenæ ſoliditatis habentia, non poſſint frui voluptatibus Venereis, quia voluptas Venerea ad tactum pertinet, tactum verò Plato æquè ac Ariſtoteles & Empedocles, & Galenus, & alij omnes Philoſophi, attribuunt terræ, vt auditum aëri guſtatum aquæ, viſum igni, iuxta illud citatiſſimum Empedoclis carmen, *Sentimus terram tellure, liquore liquorem, aëre aëream ſubſtantiam, ignem quoque cernimus igne.* quod igitur corpus nihil habet terrenæ ſoliditatis, neque tactu ſentire poteſt, neque capere Venereas voluptates. Si qua voluptate, ea maximè videntur potiri poſſe, quæ ex muſico accedit concentu. quòd is ſenſus ad aërem pertineat. quapropter videri poſſit alcui conſentaneum, ob id Saülem, vt narratur 1. lib Regum, cùm à dæmone diſcerperetur, pulſante Dauide citharam, iuuari, quòd dæmon ſuauitate concentus placatus miteſceret. cæterùm neque hoc eſt Philoſophiæ conſonum, neque dæmones frui poſſe vlla alia voluptate corporali: nam fieri non poteſt auditio, quin verberatio aëris externi, in partem aliquam ſubſtantiæ ſentientis tranſmitat (quid enim refert innumeros colores eſſe oppoſitos, niſi cryſtallino humore recipiantur? aut quid intereſt illo humore recipi, an calceo, an vngibus extremis, aut pilis, niſi illa pars noſtri eſſet, haberetque in ſeſe ſentiendi principium) quod ſi quæ pars ſubſtantiæ dæmonis verberationem ab aëre reciperet, diſtrahi vtique ea, diſcerpique poſſet, quare & corrumpi. non

An dæmones generare poſſint.

Voluptas Venerea.

ergo ſecundùm ſe totos eſſent incorruptibiles dæmones, quin potiùs eſſent iam olim eorum plurimi ſurdi, ob patiendi aſſiduitatem, & excellentiam multorum ſenſibilium: atque cùm tandiu vixerint, fortaſſe iam eſſent ſurdi omnes: quare neque ita potiri iam poſſent ea voluptate. Dæmones itaque nulla corporali voluptate frui poſſunt, neque omninò ſentire corporum enim corruptibilium eſt omnis ſenſus: maximè tactus, cuius obiecta ſunt qualitates commutatrices rerum omnium natura conſtantium, calor inquam & frigus, quidquid enim tactum habet, vim habet diſcretricẽ calidi & frigidi. non poteſt autem calorem ſentire, quod non caleſcat, neque frigus, quod non frigeſcat. caleſcere autem aut frigeſcere nihil poteſt, quod corruptibile non ſit, quia mutatio temperamenti via eſt ad interitum, & ea ſolùm pati poſſunt intemperiem, quæ ex talibus ſunt concreta: concreta verò ex contrariis actiuis, diſſolubilia ſunt. Animalium ergo immortalium natura (ſi quæ eſſent talia) longiſſimè abeſſet à voluptatibus corporalibus, maximè à Venereis; non poſſent ergo dæmones talibus tangi, ne ſi corporales quidem eſſent, vt Platonici putauerunt: maxime cùm omninò ſint ſine corporibus, vt alio loco huius operis, concedente Deo, indicabimus. quid ergo ſupereſt ex hac diſputatione? Certè, nullos magis quàm Platonicos, à dæmonibus eſſe deluſos: qui non intelligentes eorum vafriciem, quod in nequitiam oportebat referri, in eorum naturam, præter omnes Philoſophiæ leges, referebant, & putantes vera eſſe, quæ dæmones mentiuntur, in falſas de eorum natura opiniones incidebant. nimirum, dæmones neque his neque illis figuris videri vnquam poſſunt, neque vllos mortalium amant, neque vlla corporalis pulchritudinis ſpecie capiuntur, neque muſicis concentibus delectantur, neque congredi poſſunt cum mulieribus multóque minùs generare. tamen hæc omnia ſimulant, miſſíſque modis ementiuntur, vt nobis ſeſe inſerant, & ita à veri Dei cultu, & legum, tum diuinę tum etiam naturalis obſeruatione, homines auertant qua arte, ante diluuium, totum ferè hominum genus reddiderunt belluis immanius, & abſurdius. mulieres enim dæmonum factæ ſunt concubinæ, *& omnis caro corruperat viam ſuã.* obliquè, vt ſuſpicor, homines naturalis legis, præpoſtera congrediebantur. Sed & nunc, omnes malefici, necromantici & maleficæ illæ, quæ ſtryges, ſeu lamiæ vocantur (Hiſpanè *bruſas*) tenentur hoc infami crimine conuicti cum dæmone. ineunt enim cum dæmonibus amicitias (proh dolor!) renuntiantes gratiæ Dei, & ignorantiſſimi hominum, figmentis delectantur, & ſordidiſſimæ mulierum ex diabolicis

illu

Dæmones nulla corporali voluptate fruuntur.

Intemperantes.

Platonici à dæmonibus deluſi.

Lamiarũ cũ dæmonib. familiaritas.

illuſionibus quærunt carnales voluptates. ſed quo pacto hæc mentiantur dæmones, nondum aperimus. præbent ſe conſpiciendos his aut illis formis, pulchris quidem aut turpibus, vt ex vſu illis eſt, ad eas quibus tunc temporis parant technas, corporibus hinc inde conquiſitis ex circumfluo aëre, aut, quæ in illo voluuntur, corpuſculis: aut nonnunquam etiam ne id quidem faciunt, ſed corporis ſpeciem, in ſolis hominis intuentis oculis confingunt, vt re vera homo nullum corpus videat, ſed ſibi videatur videre. vt autem congrediatur ac coëat, perinde facit. fictitia conflat corpora, aut velut oculos, ita tangendi organum deludit, paſſionem illi inferens talem, qualem à veris obiectis ſolet ſubire. ita verò conſtat mulieris corpus eaſdem voluptates capturum, ac ſi veriſſimus eſſet corporum congreſſus, res enim ipſæ non ſentiuntur, neque animam attingunt, niſi per paſſiones propriorum inſtrumentorum ſenſuum has paſſiones ſi ementiri ſciat dæmon, nihil refert ad ſenſus, voluptatem verarum an falſarum rerum obiectu id fiat. ſed quo pacto generant; certè non generant, neque id dicitur in ſacris eloquiis, ſed *ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, & illæ genuerunt.* Itaque illis ad eas ingreſſis, ipſæ genuerunt, & ex proprio ſemine, & ex ſeminibus hominum, quæ cùm petulanter in illa totius carnis corruptione effunderentur, recepta-bantur à ſuccubis, & in vteros earum, quæ ſeſe illis ſubdebant, immittebantur, ea celeritate, vt genitiuus ſpiritus non diſſiparetur. iam verò, vt homines potentes, famoſi pariter ac ſuperbi, & nequiſſimi, ex turpibus illis congreſſibus naſcerentur, naturali etiam cauſa arbitror eueniſſe. Ea verò eſt; quòd cùm dæmones mendaciſſimi, hanc de ſeſe opinionem ſtuderent ingerere, quòd generarent, curabant omni arte, vt grandes, robuſtiſſimi, ferociſſimi, ſuperbiſſimi, ac nequiſſimi naſcerentur, vt parentum ſimilitudini imputaretur. præterquam quòd tales illi vellent eſſe omnes homines, qua verò id arte efficere poſſent, dicam: immittebant in vteros, neque qualecunque, neque quantulumcumque ſemen, ſed plurimum, craſſiſſimum, calidiſſimum; ſpiritibus affluens & ſeri expers. id verò erat eis facile conquirere, diligendo homines calidos robuſtos & abundantes multo ſemine quibus ſuccumberent: deinde & mulieres tales quibus incumberent: atque vtriſque, & viris inquam & fœminis, voluptatem ſolito maiorem afferendo: tantò enim abundatiùs emittitur ſemen, quantò cum maiori voluptate excernitur. poterant verò illi voluptatem augere, & titillando plurimùm, & imaginationi plurima ad rem facientia repræſentando. maxima enim pars Venereorum motuum

De congreſſu dæmonum cum mulieribus.

Quale ſemen dæmonum.

ab imaginatione fluit. quo fit vt religioſi viri,& Deo adeò dediti,vt imaginationem etiam compeſcant, eiuſmodi motus nō præſentiſcant.robuſti ergo & grandes,vt naſcerentur,ita poterant dæmones procurare. vt verò eſſent peſſimi, poterant magica arte corrumpere ſemen, atque ad eam temperiem transferre,vt cum robore corporis,in omne vitiorum genus pareret propoſitionem,nimirum receptiſſimum ab omnibus illud Galeni, *Animi mores corporis ſequi temperaturam*,his addiderint nugaces Aſtrologi potuiſſe dæmones ad illos congreſſus obſeruare quoſdam aſtrorum concurſus & aſpectus, qui tales homines nati eſſent gignere.

Venerei motus vnde.

Gigantes cur peſſimi.

CAPVT IX.

CApite 9. Geneſeos: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & terram: cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei quod pepigi vobiſcum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem.*

De Iride multa.

Videri poſſit alicui hæc legenti, ante diluuium, & initum fœdus cum Noë, nunquam fuiſſe eum cœli arcum, quem Iridem appellant, ſed tunc primùm, in ſignum fœderis, poſitum eſſe Dei iuſſu in nubibus; atque eo magis, quòd cap. 43. Eccleſiaſtici dicitur, *Vide arcum, & benedic ei qui fecit illum, valde ſpecioſus eſt in decore ſuo, gyraui cœlum in circuitu gloriæ ſuæ, manus excelſi aperuerunt illum.* Quibus verbis videtur ſignificari ipſius Dei eſſe opificium, potius quam naturæ. Ego verò non ita cenſeo, ſed apparuiſſe etiam ſæpe ante diluuium (neque enim deerat vlla naturalium cauſarum eius, cùm eſſent ſolares radij,oppoſitæ nubes) Deum verò, cum iniret fœdus cum Noë, & eius poſteris, ac paciſceretur, non futurum iterum vnquam diluuium, quo inundaretur tota terra, iuſſiſſe Iridem ſignum eſſe:deſignaſſe verò eam potius,quam aliud quidpiam, eorum quæ in nubium regione apparent, vocanturque meteora, quia ea naturaliter miteſcentium imbrium nota eſt, neque verò quia ipſa,per ſeſe,ac ſua matura talis erat,nō erat apta vt ſignum talis fœderis ſtatueretur à Deo, quinimò hac ratione potius fuit ſtatuenda. Cùm enim Deus author ipſius naturæ ſit, atque adeò ea tota fluxerit ab eius voluntate, atque ea virtus, quam vocamus natùram (vt alibi diximus) ſit in rebus corpo

An Iris ante diluuium fuerit.

corporalibus quoddam velut veſtigium diuinitatis, nihil magis conſentaneum, quàm vt vtatur Deus ad faciendum, aut ſignificandum aliquid in naturalibus, atque hæ cum eius voluntate,& præceptis conſonent. ipſe enim à principio futura omnia prævidens, ſuo verbo totã condidit naturam. quid ergo mirum, ſi naturalia eo ſemper ductu decurrentia, quo ab illo principio dirigebantur, in illius præcepta & iuſſiones ſemper incidant? atqui, hic eſt plerunque ſuauiſſimus & ordinatiſſimus diuinarum iuſſionum concentus. rametſi aliquando (rarò quidem) vt euidentiùs hominibus ſuam diuinitatẽ oſtendat, præter earum naturam, aliquid imperet rebus. nunc verò iuxta illius naturam iuſſiſſe, vt Iris ſignum eſſet mundi nunquam ampliùs imbribus delendi, ex eius naturalibus cauſis erit aperriſſimum. De cuius generatione, vt licet videre apud Galenum libello de hiſtoria Philoſophica (hic liber Galeni eſt) non admodùm diſcrepant Philoſophorum ſententiæ. Nam etſi quodammodo euarient, omnes tamen poſtremò in hanc veniunt, eſſe colores quoſdam apparentes, miſtione ſplendoris Solis & opacitatis obiectæ nubis: apparere verò circulari figura, ob figuram Solis ipſius. ſemper enim apparet Iris ex aduerſus Solis, repercuſſis ſcilicet eius radiis ab oppoſita nube: apparere verò tres illos colores, puniceũ, viridem, & rubrum, quod ex ſplendido cum maiori opaco fiat rubrum, cum minori viride, cum minori adhuc puniceum. Igitur in exteriori ac ſuperiori parte Iridis, quæ ad extremitatem, ac peripheriam nubis ſpectat, puniceum apparere: quòd ea parte tenuior ac minùs opaca nubes, radios minùs repellat, & meliùs penetretur, in interiori & inferiori contrarias ob cauſas apparere rubrũ: inter hæc, ob mediocres cauſas, viridẽ: abſolui verò hîc meritò totã hanc colorum differentiam triade, vt alia quæuis maioris & minoris differentia, principio, medio, ac fine. Metrodorus cùm Solis radij nubẽ intrarint, nubem viridem, radios purpureos apparere dicit. Sed hoc dicat vt lubet, illud inter omnes conuenit, fieri radiis ſolaribus nubem aliquatenus penetrantibus, aliquatenus repercuſſis. neceſſe eſt ergo apparere, vbi apparatus quidam eſt pluuiæ (alioqui aut nullæ ſint nubes, aut eæ adeò tenues, vt more aeris penetratæ radios non repellant) is verò non adeò magnus, neq; pluuiæ ingentis. Si enim totum cœlum eſſet nubibus obductũ, neq; vlla parte pareret Sol, nulli radij in oppoſitã cœli partẽ abirent: neq; ſi nubes obiecta, eſſet denſa admodùm, penetraretur à radiis aliquatenus, ſed tota appareret atra ob opacitatem. fit ergo Iris ab aduerſo Sole mittente radios in nubẽ non dẽſam, ſignificat ergo naturaliter, quod & iuſſu Dei

Quomodò Iris generetur.

Tres Iridis colores quando fiunt.

imbrem nequaquam obruturum mundum, qui enim poſſit, cùm neque cœlum totum obductum nubibus ſit, neque quæ adſunt ſunt valde denſæ? verba Eccleſiaſtici ſuo loco enarrabuntur.

CAPVT X.

CApite 18. Geneſeos, *Erant autem ambo ſenes prouectæque ætatis, & deſiderant Saræ fieri muliebria.* De Abrahamo & Sara cùm genuerunt Iſaac, dicuntur hæc verba, quibus ſignificatur, eius conceptionem fuiſſe portentoſam, ratio verò qua hoc ita habet, naturalis eſt: nam ita eſt natura comparatum, vt neque ſenes generationi ſint idonei, neque mulier, cui menſtrua fluere deſierint. Rectè autem dicitur, *erant autem ambo ſenes productæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria.* Si enim alter ſenex eſſet, vir ſcilicet, mulieri verò non deſiiſſent fieri muliebria, aut etſi deſiiſſent, non eſſet vetula, ſed iuuenculæ adhuc deſiiſſent præter naturam, & ob morbum, non eſſet mirabile gignere. nam ſenes ex iuuenculis gignere, quotidie euenit, etſi vetulas ex iunioribus, non ita mulieres enim quibus per ætatem defecerunt menſtrua, concipere, neque ex ſenibus, neque ex iuuenibus poſſunt: quibus verò defecerunt per morbos, euenit non rarò ſeneſcentes concipere, antequam appareant. ergo ſenex centenarius ex muliere nonagenaria, non poterat naturaliter generare; eius verò cauſa non erat in viro (ille enim plures poſteà filios genuit ex Cethura) ſed in fœmina, cui ob ſenium defecerant menſtrua. hæc ergo omnia phyſicè dicuntur, eorum verò ratio pendet ex menſtruorum natura, & eorum cauſis. Menſtrua vocantur euacuationes ſanguinis, quæ ſingulis menſibus fluunt ex vulua. dicuntur hæc ipſa muliebria, quia ſolis mulieribus inter omnigenas fœminas fluunt: aut quia (vt inquit Ariſtoteles) nullis æquè atque his. huius cauſam eſſe conſtat, quia nullum animal æquè ſanguineum eſt, atque homo: nam & inter ipſas mulieres, quæ maximè ſunt ſanguineæ illis maximè abundant. quòd vero homo ſanguine magis abundet, meritò euenit, quandoquidem optimam præ cæteris habet temperiem, & ideò optimo ſucco generando maximè idoneam. cauſa itaque talis euacuationis ſanguinis redundantia eſt, vt autem ſanguis in fœminis, plus etiam quam in viris redundet, duplex eſt cauſa. altera neceſſaria, altera quæ poſita eſt in fine. neceſſaria eſt, temperies frigida & humida, cutis denſitas, & vita otioſa. temperies frigida, non quidem quòd ea plus eius ſucci generet quàm calida, ſed quòd minus diſſipet, humida cum humoris redundantia

Saræ ſterilitas.

Mulieres quando concipere deſinant.

Menſtrua quid.

Duplex cauſa cur ſanguis plus in mulieribus redũdet quàm in viris.

ſempe

ſemper coniuncta eſt, meritò ergo humida, & frigida (quæ tamen non admodùm frigida ſit) habet redundantiam quæ non diſſipetur, ac proinde euacuatione indigeat manifeſta. denſa autem cutis, & otioſa vita, tollunt diſſipationem ſuccorum, & corpora replent. Cauſa quæ poſita eſt in fine, eſt bonum prolis. nimirum oportuit talem eſſe mulieris naturam, vt redundaret ſanguine, qui ſatis eſſet gignendo fœtui, & nutriendo infanti, ea enim eſt materia generationis fœtus, quæque ſola, vt cẽſet Ariſtoteles eius materia eſt, viro vim tantum & efficaciã præſtante per ſemen: vt verò cenſent Medici, quorum ſẽtentia hac in parte videtur probabilior, non ſola, maxima tamen ac præcipua: quia ea & ortum primum præbet partium carnoſarum, & nutritionem deinceps omnium. atque vt vir præſtat efficaciæ plurimum, ita materiæ minimum. fœmina contrà, vt minimum efficaciæ, ita materiæ plurimum; præſtat verò ea minimum, præter ſanguinem. ſanguis igitur mulieribus totam ferè præſtat generationis materiam, & ob hanc præcipuè ſunt illa fœcundæ. hoc ita eſſe apertè conſtat, quia neque gerentibus vtero, neque lactantibus fluunt euacuationes menſtruæ, his, quia ſanguis qui alioqui redundaret, abit in lac: illis, quia inſumitur in fœtus generationem. neque enim cauſari poſſumus in gerentibus vtero, viarum defectum. ſunt enim, præter eas, quæ alimentum fœtui deferunt, aliæ quædam venæ, in os vteri ſubeuntes, per quas citra fœtuum læſionem, raris quibuſdam fluunt, etiam vtero gerentibus, vel quòd ipſæ redundent plurimo ſanguine, vel quòd fœtus ſint debiles. itaque fluunt menſtruæ euacuatione, quibus ſanguis redundat, & ea ipſa redundantia facit vt ſint generationi aptæ, hinc fit neceſſariò, vt eo vitæ tempore ſolùm fluant, quo ſunt aptæ concipere; atque vt concipere aptæ non ſint, quibus fluere deſierunt. nimirum incipiunt fluere mulieribus in initio pubertatis, quatuordecimo, quindecimo, aut vſque ad decimum ſeptimum annum, quibuſdam etiam citiùs aut tardiùs. Ita etiam deſinunt non omnibus eodem tempore, ſed ferè inter quadrageſimum & quinquageſimum annum. Concipiunt itaque, cùm incipiunt ſanguine redundare: deſinũt, cum ob ſenium incipiunt laborare ſanguinis penuria. vt ergo antequam fluere incipiant, concipere non poſſunt, quòd materiæ copiam nondum habeant: ita neque poſtquam ceſſauerunt, quòd iam careant, eandem ob cauſam videmus, viragines quaſdam, mulieres ſcilicet temperamento viris ſimiles, quibus ob id menſes, aut parciſſimi aut nulli fluunt, ſteriles eſſe, quamquam profectò ne hæ quidem adeò abſunt à concipiendi potentia, quàm ſenes, quibus naturaliter fluere

Materia generationis.

Generationis efficiens.

Menſtrua quibus fiſtantur.

Tempus mẽſtruorum.

Viragines mulieres.

deſierunt: quia iuuenes in humidius transferri poſſe temperamentum quodammodo, monſtrant Medici: ſenes verò non poſſe reiuueneſcere plus ſatis conſtat. neque certè alia ratione cui ceſſauerunt iam naturaliter menſtrua, concipere poſſet, quàm reiuueneſcens nam præter cauſas infœcunditatis puellarum, & ſenum, quas in materiæ penuria poſuimus, ſunt aliæ nihilo minores, in ipſorum vterorum affectione, nimirum quibus nondum fluxerunt, nondum vterus dilatatus & ſatis capax eſt; quibus ceſſauerunt, ſiccus iam contractus & durior. eſt verò pars neruoſa, quæ naturaliter neſcit reuireſcere. igitur haud dubiè fieri non poteſt, vt cui naturaliter deſierunt muliebria, naturaliter concipiat. dico autem naturaliter deſiiſſe cui fluebant anteà (quibuſdam enim viraginibus, vt dixi, nūquam fluxerunt) neque ob morbum vllum, ſed ob ſenilem ſiccitatē deſierūt fluere. talem porrò fuiſſe Saram, cùm ſingulariter Dei beneficio concepit Iſaac, conſtat cùm annorum eſſet nonaginta.

CAPVT XI.

TRigeſimo capite Geneſeos: *Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractiſque corticibus, in iis quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit. illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt; atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus vbi effundebatur aqua, vt cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent: factumque eſt, vt in ipſo calore coitus, oues intuerentur virgas & parerent maculoſa & varia & diuerſo colore reſperſa. Diuiſitque gregem Iacob, & poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum & ouium, vt in earum contemplatione conciperent. quando verò ſerotina admiſſura erat, & conceptus extremus non ponebat eas. Factáque ſunt ea quæ erant ſerotina, Laban, & quæ primi temporis, Iacob.* Mirabilem quendam euentum continent verba hæc, quæ duarum nobis dubitationem occaſionem præbent. prima eſt, quam ob cauſam contemplatio virgarum variegatarum in ipſo calore coitus fœtus variegatos eſſe fecerit: ſeconda cur Iacob virgas eas gregi oppoſuerit, in matutino potiùs congreſſu quàm veſpertino. An quòd in matutino congreſſu, quàm in veſpertino contemplatio rerum oculis obiectarum plus valeat ad ſimilium fœtuum ortum: an quòd is congreſſus fœcundior ſit, an ob vtrumque. Nullus Philoſophorum vnquam, huius euentus cauſam, in ipſum intuitum reiecit, ſed in imaginationē, neque ob id factum eſſe quiſquam putat, quòd in virgas oculorum

lotũ acies intenta eſſet : ſed quòd viſio internos moueret ſenſus,atque gregis coeuntis imaginatio circa illa variegata verſaretur. Itaque cenſent omnes,vel hoc vnico exemplo (quanquam multa alia narrantur his ſimilia) maginationem rei cuiuſpiam in ipſo congreſſus tempore vim magnam habere , vt fœtus ei ſimiles fiant, eius verò cauſa non eſt dictu facile. Si enim eiuſdẽ facultatis eſſet de re aliqua cogitare, & generare, aut ad eandem corporis partem pertinerent,fortaſſe tolleretur aliquid admirationis : nunc verò facultas cogitãdi ad animam pertinet ſentientem,generandi verò,aut ad aliam animam,aut ad aliam animæ partem, aut vt Stoici dicebant, ne ad animam quidem, ſed ad naturam porrò,facultas cognoſcendi à Medicis omnibus collocatur in cerebro, gignendi in teſtibus, partibus adeò diſſitis. itaque quod cognoſcitur,concipitur ſenſibili animæ parte, cuius ſedes cerebrum eſt, quod gignitur,vtero. quid habent hæc commune, vt iuxta mentis, aut ſenſuum internorum cogitationem,generatio variet ? Imprimis conſtat imaginationem & generationem eiuſdem eſſe animantis actiones, ſiue ab eadem anima fluant,ſiue à diuerſis : atqui,quia facultates à quibus fluunt,eiuſdem ſunt ſuppoſiti, ad quod actiones omnes referuntur primo,tãta ſympathia eorum eſt(vt & aliarum omnium facultatum, quibus gubernatur animal) vt mutuò ſeſe ad actiones permoueant,& paſſiones. hinc fit , vt cùm genitales partes ſemine redundant,imaginatio libidinoſis ſcateat phantaſmatis, ob corporis vitium , rurſum etiam , vt cùm ob morbum animi imaginatio in rebus libidinoſis volutatur, genitales partes, etſi alioqui non redundarent,turgeant , & irritentur , tantus eſt imaginationis & genitricis facultatis conſenſus.Porrò anima,quæ nihil aliud eſt,quàm eſſentia corporis animati,vt Ariſtoteles dicit ſecũdo de generatione animalium, quæ inquam tantùm eſt actus corporis,ab eo inſeparabilis,huiuſmodi eſt quæ ſenſitiua vt nihil poteſt agere ſine corporali inſtrumento, ita neque pati. Si enim ipſa per ſeſe aliquam haberet ſiue actionem , ſiue paſſionem , ſecundùm eam ſeparari poſſet. nunc verò non poteſt : ſed vt formæ ligni , aut lapidis, nihil euenit agere,aut pati,ſed ligno ipſi:ita neque formæ equi, aut bouis, ſed equo, aut boui. tametſi ergo dicimus , animam equi cogitare,imaginari,aut omninò ſentire abuſiuè quodammodo id dicimus , quia ex anima id potiùs quam ex materia fluit propriè tamen dicitur, equum cogitare, imaginari , atque ſentire & mouere ſeſe ſentire,atque vtcunque cognoſcere,iuxta eam Philoſophorum ſententiam , quæ maximè probatur, quoddã pati eſt.id verò peti,nihil eſt aliud,quam animã ipſam quodam

Imaginationis vis ad formandum fœtum.

Facultatũ ſedes.

Facultatum ſympathia.

Anima immortalis quid.

Brutorum opera.

Anima quodammodo omnia.

quodammodo fieri illud ipſum quod agnoſcitur: quapropter anima quodãmodo omnia eſt, quia cùm omnia poſſit agnoſcere, omnium quodammodo ſpeciem poteſt recipere. non quidem recipit ipſa per ſeſe, ſed cum corpore: vt neque ſentit per ſe, ſed cum corpore, ſiquidem monſtrauimus, nullam eam habere per ſe, neque actionem neque paſſionem. igitur ipſum animal quod agnoſcit, fit quodammodo, ſecundum partes etiam corporales, ſimile ei quod agnoſcitur: non quidem ſecundùm partes corporales, quà corporales, materialeſque ſunt, ſed quà ſunt formaliter (vt dicunt) inſtrumenta ſenſuum. non enim oues ipſæ cùm contemplarentur variegatas virgas, fiebant variegatæ corporaliter, vt cernentibus tales viderentur: fiebant tamen quodammodo (quà ſcilicet ſecundùm ſenſuum organa, actu cognoſcebant) variegatæ. itaque animal actu cognoſcens, ſecundùm organa corporalia, fit ſpiritaliter ſimile rei quæ agnoſcitur, quod autem gignit, facit ſibi ſimile: nam hoc ipſum eſt gignere. ſi ergo quod actu agnoſcit aliquid, eſt ei actu ſimile & quod gignit ſimile ſibi facit, quod ſimul cõtemplatur aliquid, & gignit, gignet aliquid ſimile ei, quod cõtemplatur, quia tale eſt ipſummet. hoc autem vt eueniat, neceſſe eſt vt contempletur in ipſo calore coitus, vt ſimul & generet & contẽpletur. non enim animal generat ſimile ſibi, ſecundùm id quod fuit aut erit, ſed quod eſt tunc actu. Sed dices, corporales ſpecies, quæ in animali cernuntur, vt magnitudinem, figuram, & colorẽ, meritò deferri cum ſemine, vtpotè materiali principio. iſtas verò, ſiue ſpecies, ſiue ſimilitudines ſpiritales, etſi in corporibus ſint, non videri poſſe ita deferri. certè iſtæ ſpecies, ſiquidẽ in organis corporalibus recipiuntur, vt indicatũ eſt, non poſſunt eſſe omninò ſpiritales, ad ſpiritalium verò naturam magis accedunt, quàm quæ cernuntur, quia ſunt ſenſibilium quædam inſenſibiles effigies, atque cum ſpiritualiter quodammodo in generante ſint, in eo quod gignitur, ob diuinam vim ſeminis, corporaliter imprimuntur. Ea vis eſt, vt Ariſt. dicit accedendi ad omnia quod nihil aliud eſt, quàm ſemen eſſe, quod vim habet efficiendi membra omnia, animantis cuius eſt, veluti in ſemine humano, potentia ſunt partes omnes hominis, quia omnes natum eſt facere, aut ex ſanguine fœmineo, aut ex ſeipſo: in equino eadem ratione ſunt omnes partes equinæ. neque ſolùm eſt differentia ſeminum, ſecundùm differentiam generis, vt ex equino equina; ex humano humana fiant, ſed & ſingulorum, vt ſemen Petri ad partes Petri natum ſit accedere, potiùs quàm alterius. eam vim accepit ab anima generantis, potiùs quàm à corpore. factiuæ enim omnes facultates à forma fluunt, paſſiuæ à materia.

Cognoſcentis & cogniti ſimilitudo, Fœtus ſimilitudo.

Semen quodammodo anima.

ria. quod ergo effectiuum in ſemine, eſt ab anima, & quod generat, ſecundùm animam potiùs generat, ſiquidem id facere eſt. generari verò à corpore formando primùm incipit, ſiquidem id pati eſt, & accipere. transfert ergo vim effectiuam generantis, quæ animæ præcipuè eſt, in corpus rei generandæ. Conſentaneum eſt ergo vt ea potiùs deferat ex generante, quæ illi ſecundùm animam inſunt, quàm quæ ſecundùm corpus, eáque in corpus potiùs rei generandæ transferat, quàm in animam. Igitur conſentaneum etiam, vt in corpore geniti corporaliter fiat, quod in generante erat ſpiritualiter, quapropter fiet, vt ab albo animali nigrum cogitante, nigrum generetur, potiùs quàm à nigro, cogitante album. Ex dictis facilè conſtat, vim hanc & efficaciam cogitationis, in brutis potiùs eſſe quàm in hominibus. hominum enim mens diuina cùm ſit, & ſeparabilis, multa meditatur ſine inſtrumento corporali, atque cùm corporali inſtrumento vtitur, vt illi minus hærens, minores illi infigit affectiones. itaque hanc imaginationis vim in prole permutanda, multò magis licet experiri in animantibus mutis, quàm in nobis, quo fit, vt quod de ouibus, animalibus inſenſatiſſimis, narratur, ſit naturæ rerum maximè conforme. Animaduertendum verò, eam vim, non maribus ſolùm aut fœminis, ſed vtriſque ineſſe, & tunc maximè tale aliquid euenturum, cùm contigerit vtrumque, marem dico & fœminam, in ipſo calore coitus, de eadem re efficaciter cogitare, vt tunc contigit. Ita enim dicitur, *Et poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione conciperent.* Eſt verò hoc valde conſonum illi Philoſophorum ſententiæ, quæ maximè probatur, & ſtatuit, vtrumque parentem efficientem vim & materiam conferre ad generationem, vterque ergo cùm vim faciendi præſtet, & amborum congreſſu vna quædam potentior cauſa fiat, vis permutandi imaginatione fœtum, vtrique inerit aliquatenus, euidenter tamen ea permutatio non fiet fortaſſe, niſi cùm contigerit ambos in eo congreſſus momento, eandem rem imaginari. Vt ergo exempla euentuum huic ſimilium, multa non ſint, duplex videtur eſſe cauſa. Altera quòd vtrumque in eadem imaginatione fortiter hærere, non niſi fortuitò & raró accidit. Altera, quòd hoc in animalibus mutis, potiùs quàm hominibus, natum eſt fieri: quæ non poſſunt nobis ſuas imaginationes narrare. ſunt nihilominùs nonnulla exempla. D. Aug. 18. de ciuitate Dei, c. 5. in hanc ipſam cauſam refert, quòd apud Ægyptios nunquam deficeret bos quidam, maculis quibuſdam candidis inſignitus, quem Apim vocabant, & pro Deo colebant. Cenſet enim dæmo

Generationis efficiens.

Exēplar.

Apis taurus. dæmones id feciſſe, ad decipiendos Ægyptios phantaſiam talis tauri, quam ſolam cerneret, vaccæ concipienti oſtenrantes: *Vt libido* (inquit) *eius attraheret, quod in eius fœtu iam corporaliter appareret.* quibus verbis nihil aliud poteſt Auguſtinus innuere, quàm quod ego explicui. nam libidinem vaccæ attahere, quod in eius fœtu deinceps corporaliter appareret, quid aliud ſit, quàm vaccam in ipſo feruore coitus ſpiraliter concipere formam, & ſpeciem, quæ deinceps in fœtu corporaliter exprimeretur? Galenus quoque libello de theriaca ad Piſonem, narrat, mulierem quandam inruitu pulcherrimæ picturæ, pulchrum infantem ex deformi parente concepiſſe: *viſu* (inquit) *opinor, natura imaginem tranſmittente*, quæ verba obſcura admodum ſunt: non enim explicat, quomodo vſus imaginem trãſmittat naturæ, ſed mihi dictum iam eſt. Quod ad alteram dubitationis partem attinet, his dictis, facilius ſit explicare, videntur haud dubiè Iacob, vtraque cauſa, virgas in congreſſu matutino potiùs quàm veſpertino, gregi obieciſſe: quod ſcilicet eo congreſſu copioſior conceptio fiat, & quòd imaginatio in eo ſit efficacior, naſcuntur ambo hæc, & ex animalium victu, & ex natura temporis. Ex animalium victu, quia natura comparatum eſt, vt animalia omnia (præter pauca quædam, in quibus, quia contrà faciunt, contrà etiam eueniet, quod nunc dicimus) noctu dormiant, interdiu veſcantur, & laborent. Coitus ergo matutinus eſt à ſommo, ante cibum, veſpertinus à cibo ante ſomnum. quapropter manè ſemen concoctius eſt, & cerebrum in quo imaginatio præcipuè viget, expeditius, liberius, & magis fulgens. Somnus enim concoctionem ciborum maximè iuuat, & cerebri vapores abſumit, vigorémque præſtat animali vncaræ à Medicis facultati, cuius opera ſunt, ſentire & mouere. igitur & ſemen ob concoctionem meliorem, erit fœcundius, & imaginãdi vis, ob recentem refectionem ſpirituum (reficiuntur enim ſomno) & deneratione è cerebri, erit efficacior. veſperi contra ſemen (vt neque alius ſuccus) concoctionem tantam non acceperit, caput vaporibus ex ventre multis & craſſis grauatum, & velut obtenebratum ſit, & facultas longa iam vigilia defatigata. euenient ergo contraria. Ex natura etiã temporis naſcitur hoc idem. Nam vt veterrimis etiam Philoſophis, & qui ante Hippocratem fuerunt eſt celebratiſſimum, & rationi maximè conſonum, temporum differentia plurimùm valet ad mouendum animalium corpora, atque adeò res omnes alterationi ſubiectas. atque cùm aſtrorum motus, acceſſúſque & receſſus, tempora varient, Sol præcipuè id facit. vnde euenit, vt diei cuiuſque partis quatuor, manè, meridies, veſperum,

Congreſſus matutinus.

Somnij vtilitates.

veſperum, & nox media, quatuor anni partibus reſpondeant, veri, æſtati, autumno, & hyemi. quia vt motum, quem Aſtrologi vocant proprium, toto anno complet Sol, ita quem vocant motum raptus, complet ſingulis diebus: atque vt motu illo accedit & recedit ſecundùm cœli amplitudinem, ita hoc ſecundùm longitudinem, & vt hyeme plurimùm à nobis abeſt, ita nocte media, & vt æſtate proximus, ita in meridie, & vt autumno abit ita veſperi & vt vere venit, ita mane. eſt ergo matutinum tempus verno, & veſpertinum autumnali ſimile. vt ergo corpora degunt vere ſaluberrimè, & maximè valent, autumno inſaluberrimè degunt, & languent maximè, ita etiam ſummo mane, optimè, veſperi, peſſimè habebũt, ad omnia quidem, maximè verò ad generationem: nam vere omnia oriuntur, autumno tabeſcunt, & intereunt. anima itaque & corpus ſunt mane vegetiora, quare & imaginatio erit fortior, & ſemen fœcundius veſperi contrà. Anni partes. Anni partium cum diei partibus comparatio.

CAPVT XII.

CApite 34. Geneſeos: *Et ecce, die tertio, quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, arreptis, duo filij Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, gladiis, ingreſſi ſunt vrbem confidenter.* Cur vulnerum dolores ſoleant eſſe tertio die grauiſſimi, ad Medicum pertinet conſiderare. Dubitet verò hoc loco quiſpiam, an vniuerſum ita habeat, ſitque omnis vulneris dolor die tertio grauiſſimus, an illorum tantùm vulnerum, de quibus eo loco agebatur, præciſi inquam præputij: atque alterutrum horum ſit, cur potiùs tertio quàm ſecundo, aut primo, aut ſequentium aliquo. Hippocrates libello de fracturis, iuxta Galeni diuiſionem commentatio tertio, ita reliquit ſcriptum: *Tertio & quarto die vulnera omnia minimè ſunt exagitanda, & vt in ſumma dicam ſpecilli quoque omnes admonitiones vitandæ his diebus ſunt. omniaque alia quibus vulnera irritantur, in totum enim tertius & quartus dies in pleriſque vulneribus exacerbationes parit, & quæ in inflammationes & ſordes incitantur, & quæcunque in febres tendunt. vnde magni admodum momenti ſi quod aliud, documentum hoc eſt, nam quæ ſunt in medendi arte grauiſſima, quibus id non ſit commune? non enim pertinet ad vlcera tantùm, ſed ad alios quoque morbos complures.* His verbis Hippocrates ſatis apertè docet, non in his aut illis, ſed in omnibus etiam vlceribus ſolere dolores tertia & quarta die fieri grauiores, nam de vlceribus, quæ cum Vulnerum dolores tertio die grauiſſimi. Specilli quãdo vitandi.

Dolores cur die tertio grauiſſimi.

fracturis fiunt, agens ad omnia vlcera, quin etiam ad omnes morbos ſermonem tranſtulit: ſignificans, vlcera omnia magna & notatu digna (exigua enim vlcera nullas ſolent afferre exacerbationes) ſolere diebus, tertio & quarto, fieri grauiora. Cauſam verò huius rei proximam ipſe inſinuauit, dicens, *Et quæ in inflammationē & ſordes incitantur & quæcunque in febres tendunt.* nimirum, quia inflammationes & fluxiones & febres, diebus tertio & quarto ſolent vulneratis partibus ſuperuenire. prima enim die, qua quis vulneratus eſt, dolor tantùm eſſe ſolet ex ipſa carnis diuiſione, dum vulneratur, aut particula tractatur Chirurgi manibus, à curatione verò citò conquieſcit, ceſſante ſcilicet dolendi cauſa, quia dolor non fit cùm ſecta iam eſt pars, ſed cùm ſecatur. Cùm enim dolor ſit ſenſus rei corrumpentis, moueat verò ſenſum non facta iam, ſed quæ fit paſſio, mox ac ceſſat externa cauſa, manet pars ſine dolore, atque (niſi in paucis quibuſdam, quos contingit eſſe patatiſſimos) ſine febre, vſque dum noua alia cauſa dolendi aut febricitandi accedat, vſque dum ſcilicet, conuocata ad partem malè affectā fluxione, ſuccreſcat inflammatio, aut ſordes multa, atque ob hæc nonunquam etiam febris. proxima itaque dicti euentus cauſa hæc eſt. cur autem non ante tertium ſuperueniat fluxio, aut non diutiùs protrahatur (quæ prima propoſitæ dubitationis pars eſt) nondum diximus: neque verò Hippocrates dixit, neque Galenus in cōmentatione appoſuit niſi fortè eam Hippocrates inſinuauit dicens: *Non enim pertinet ad vlcera ſolùm, ſed alios quoque morbos complures.* Nimirum eadem eſſe videtur cauſa in vlceribus, & in aliis omnibus morbis pendentibus ex materia, & habentibus exacerbationes (cùm vlcera, non ob ipſam propriam eſſentiam, ſed ob fluxiones exacerbentur) ea eſt natura humorum, qui commoti, & exagitati, morbos faciunt, & augent. fiunt enim morborum circuitus, ſiue quotidiani, ſiue tertiani, ſiue quartani, cùm ſunt in corpore partes quædam paratæ recipere, quædam mittere, apparatus recipientium eſt, dolor, aut debilitas: mittentium, multitudo ſuccorum, aut vitioſa qualitas, vlcerata ergo particula parata eſt recipere, debilis enim eſt neceſſario, neque ſine dolore; niſi ergo corpus reliquum vacuatiſſimum & puriſſimum eſſe contigerit (ita enim fortaſſe nunquam redibunt magni dolores) nihil deeſt ad humorum influxus, ipſis verò ſeruantibus ſuas naturas, influet die ſecundo pituita. ſuccus mitis, moderatus, miniméque imitans; tertia die bilis flaua. ſuccus acer, mordax, & impensè calidus, cum quo ob dolorem, neceſſariò accurrit ſanguis, parítque phlegmones & febres, quæ cùm miteſcere intra diem non poſſint

Vlcerum exacerbationis cauſa & tempus.

Morborū circuitus.

poſſint, ſed cùm citiſſimè intra viginti quatuor horas, vt quæ à cauſis externis ortum habent, neceſſariò incidunt in diem ſequentem, qui eſt quartus ab accepto vulnere. hæc itaque eſt cauſa qua vulnerum dolores ſolent die tertia exacerbari. atque eadem cauſa Chirurgi, vt Hippocrates monet, poſt primam ſeu admotionem labiorum, ſeu conſutionem (vt res exiget) non debent vſque ad diem quartum vlcera irritare, neque aliter tangere, quàm leuiter, quæ inflammationem arcent, admouendo.

CAPVT XIII.

CAp.46. Geneſeos: *Cunctæque animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, abſque vxoribus filiorum eius ſexaginta ſex.* Hæc eadem verba repetuntur in initio Exodi. Egreſſos eſſe ex femore Iacob dicit filios & nepotes, qui ab eo geniti ſunt. Cauſam habet ea phraſis naturalem, in hominum & genitalium partium compoſitione. nimirum vaſa ſeminalia, quæ meliorem ac puriorem deferunt ſanguinem in reſtes, vt in ipſis ſemen fiat, ſunt venæ quædam, quæ ortæ ex venis, quæ in lumbis diſcilæ in crura iam deſcendunt, antequam in tres ramos, qui per crura decurrunt, diſtribuantur, recurrunt per femora in reſtes in viris, & in mulieribus in vterum. nã venæ quæ ex caua eo ferè loco quo ſiti ſunt renes mittuntur in teſtes, ſiniſtra quidem venit ex emulgente vocata, quæ ſeroſum ſanguinem in renem deferr, atque ob id ipſa quoque ſeroſam materiam in teſtem transfert: dextra verò non multò poſt exortum emulgentis quare ne ipſa quidem ſatis expurgatum deferr ſanguinem, ſaltem non adeò ac venæ, quæ multò poſt ortæ, ex ipſis femoribus recurrunt, quas ob id eſt veriſimile, etſi non adeò multam materiam atque ſuperiores, quia minores multò ſunt, tamen præſtare vtiliorem ad generationem fœcundi ſeminis, meritò ergo in ſacris eloquiis generatio ad femora refertur. vt & Iacob in Iudæ benedictione dixit. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, neque dux de femore eius,* & hanc ipſam ob cauſam 5. cap. Numerorum, inter adulteræ maledictiones, illud præcipuè præcipiebatur ſacerdos dicere, *Ingrediantur aquæ multæ in ventrem tuum, & vtero putreſcente putreſcat femur.* vt ſcilicet, *per quæ quis peccat, per eadem puniatur.* vt dicitur 11. cap. Sapientiæ.

Generatio ad femora refertur.

Seminis differentiæ.

Adulteræ maledictio

ab imaginatione fluit. quo fit vt religioſi viri,& Deo adeò dediti,vt imaginationem etiam compeſcant, eiuſmodi motus nō præſentiſcant.robuſti ergo & grandes,vt naſcerentur,ita poterant dæmones procurare. vt verò eſſent peſſimi, poterant magica arte corrumpere ſemen, atque ad eam temperiem transferre,vt cum robore corporis,in omne vitiorum genus pareret propoſitionem,nimirum receptiſſimum ab omnibus illud Galeni, *Animi mores corporis ſequi temperaturam*,his addiderint nugaces Aſtrologi potuiſſe dæmones ad illos congreſſus obſeruare quoſdam aſtrorum concurſus & aſpectus, qui tales homines nati eſſent gignere.

Venerei motus vnde.

Gigantes cur peſſimi.

CAPVT IX.

CApite 9. Geneſeos: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & terram: cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei quod pepigi vobiſcum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem.*

De Iride multa.

Videri poſſit alicui hæc legenti, ante diluuium, & initum fœdus cum Noë, nunquam fuiſſe eum cœli arcum, quem Iridem appellant, ſed tunc primùm, in ſignum fœderis, poſitum eſſe Dei iuſſu in nubibus; atque eo magis, quòd cap. 43. Eccleſiaſtici dicitur, *Vide arcum, & benedic ei qui fecit illum, valde ſpecioſus eſt in decore ſuo, gyraui cœlum in circuitu gloriæ ſuæ, manus excelſi aperuerunt illum.* Quibus verbis videtur ſignificari ipſius Dei eſſe opificium, potius quam naturæ. Ego verò non ita cenſeo, ſed apparuiſſe etiam ſæpe ante diluuium (neque enim deerat vlla naturalium cauſarum eius, cùm eſſent ſolares radij,oppoſitæ nubes) Deum verò, cum iniret fœdus cum Noë, & eius poſteris, ac paciſceretur, non futurum iterum vnquam diluuium, quo inundaretur tota terra, iuſſiſſe Iridem ſignum eſſe:deſignaſſe verò eam potius,quam aliud quidpiam, eorum quæ in nubium regione apparent, vocanturque meteora, quia ea naturaliter miteſcentium imbrium nota eſt, neque verò quia ipſa,per ſeſe,ac ſua natura talis erat,nō erat apta vt ſignum talis fœderis ſtatueretur à Deo, quinimò hac ratione potius fuit ſtatuenda. Cùm enim Deus author ipſius naturæ ſit, atque adeò ea tota fluxerit ab eius voluntate, atque ea virtus, quam vocamus naturam (vt alibi diximus) ſit in rebus corpo

An Iris ante diluuium fuerit.

corporalibus quoddam velut veſtigium diuinitatis, nihil magis conſentaneum, quàm vt vtatur Deus ad faciendum, aut ſignificandum aliquid in naturalibus, atque hæ cum eius voluntate,& præceptis conſonent. ipſe enim à principio futura omnia præuidens, ſuo verbo totã condidit naturam. quid ergo mirum, ſi naturalia eodem ſemper ductu decurrentia, quo ab illo principio dirigebantur, in illius præcepta & iuſſiones ſemper incidant? atqui, hic eſt plerunque ſuauiſſimus & ordinatiſſimus diuinarum iuſſionum concentus. tametſi aliquando (rarò quidem) vt euidentiùs hominibus ſuam diuinitatẽ oſtendat, præter earum naturam, aliquid imperet rebus. nunc verò iuxta illius naturam iuſſiſſe, vt Iris ſignum eſſet mundi nunquam ampliùs imbribus delendi, ex eius naturalibus cauſis erit apertiſſimum. De cuius generatione, vt licet videre apud Galenum libello de hiſtoria Philoſophica (hic liber Galeni eſt) non admodùm diſcrepant Philoſophorum ſententiæ. Nam etſi quodammodo euarient, omnes tamen poſtremò in hanc veniunt, eſſe colores quoſdam apparentes, miſtione ſplendoris Solis & opacitatis obiectæ nubis: apparere verò circulari figura, ob figuram Solis ipſius. ſemper enim apparet Iris ex aduerſus Solis, repercuſſis ſcilicet eius radiis ab oppoſita nube: apparere verò tres illos colores, puniceũ, viridem, & rubrum, quod ex ſplendido cum maiori opaco fiat rubrum, cum minori viride, cum minori adhuc puniceum. Igitur in exteriori ac ſuperiori parte Iridis, quæ ad extremitatem, ac periphetiam nubis ſpectat, puniceum apparere: quòd ea parte tenuior ac minùs opaca nubes, radios minùs repellat, & meliùs penetretur, in interiori & inferiori contrarias ob cauſas apparere rubrũ: inter hæc, ob mediocres cauſas, viridẽ: abſolui verò hîc meritò totã hanc colorum differentiam triade, vt alia quæuis maioris & minoris differentia, principio, medio, ac fine. Metrodorus cùm Solis radij nubẽ intrarint, nubem viridem, radios purpureos apparere dicit. Sed hoc dicat vt lubet, illud inter omnes conuenit, fieri radiis ſolaribus nubem aliquatenus penetrantibus, aliquatenus repercuſſis. neceſſe eſt ergo apparere, vbi apparatus quidam eſt pluuiæ (alioqui aut nullæ ſint nubes, aut eæ adeò tenues, vt more aeris penetratæ radios non repellant) is verò non adeò magnus, neq; pluuiæ ingentis. Si enim totum cœlum eſſet nubibus obductũ, neq; vlla parte pareret Sol, nulli radij in oppoſitã cœli partẽ abirent: neq; ſi nubes obiecta, eſſet denſa admodùm, penetraretur à radiis aliquatenus, ſed tota appareret atra ob opacitatem. fit ergo Iris ab aduerſo Sole mittente radios in nubẽ non dẽſam, ſignificat ergo naturaliter, quod & iuſſu Dei

Quomodò Iris generetur.

Tres Iridis colores quando fiunt.

imbrem nequaquam obruturum mundum, quî enim poſſit, cùm neque cœlum totum obductum nubibus ſit, neque quæ adſunt ſunt valde denſæ? verba Eccleſiaſtici ſuo loco enarrabuntur.

CAPVT X.

Capite 18. Geneſeos, *Erant autem ambo ſenes prouectæque ætatis, & deſiderant Saræ fieri muliebria.* De Abrahamo & Sara cùm genuerunt Iſaac, dicuntur hæc verba, quibus ſignificatur, eius conceptionem fuiſſe portentoſam, ratio verò quia hoc ita habet, naturalis eſt: nam ita eſt natura comparatum, vt neque ſenes generationi ſint idonei, neque mulier, cui menſtrua fluere deſierint. Rectè autem dicitur, *erant autem ambo ſenes productæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria.* Si enim alter ſenex eſſet, vir ſcilicet, mulieri verò non deſiiſſent fieri muliebria, aut etſi deſiiſſent, non eſſet vetula, ſed iuuenculæ adhuc deſiiſſent præter naturam, & ob morbum, non eſſet mirabile gignere. nam ſenes ex iuuenculis gignere, quotidie euenit, etſi vetulas ex iunioribus, non ita mulieres enim quibus per ætatem defecerunt menſtrua, concipere, neque ex ſenibus, neque ex iuuenibus poſſunt: quibus verò defecerunt per morbos, euenit non rarò ſeneſcentes concipere, antequam appareant. ergo ſenex centenarius ex muliere nonagenaria, non poterat naturaliter generare; eius verò cauſa non erat in viro (ille enim plures poſteà filios genuit ex Cethura) ſed in fœmina, cui ob ſenium defecerant menſtrua. hæc ergo omnia phyſicè dicuntur, eorum verò ratio pendet ex menſtruorum natura, & eorum cauſis. Menſtrua vocantur euacuationes ſanguinis, quæ ſingulis menſibus fluunt ex vulua. dicuntur hæc ipſa muliebria, quia ſolis mulieribus inter omnigenas fœminas fluunt: aut quia (vt inquit Ariſtoteles) nullis æquè atque his. huius cauſam eſſe conſtat, quia nullum animal æquè ſanguineum eſt, atque homo: nam & inter ipſas mulieres, quæ maximè ſunt ſanguineæ illis maximè abundant. quòd vero homo ſanguine magis abundet, meritò euenit, quandoquidem optimam præ cæteris habet temperiem, & ideò optimo ſucco generando maximè idoneam. cauſa itaque talis euacuationis ſanguinis redundantia eſt, vt autem ſanguis in fœminis, plus etiam quam in viris redundet, duplex eſt cauſa. altera neceſſaria, altera quæ poſita eſt in fine. neceſſaria eſt, temperies frigida & humida, cutis denſitas, & vita otioſa. temperies frigida, non quidem quòd ea plus eius ſucci generet quàm calida, ſed quòd minus diſſipet, humida cum humoris redundantia ſempe-

Saræ ſterilitas.

Mulieres quando concipere deſinant.

Menſtrua quid.

Duplex cauſa cur ſanguis plus in mulieribus redũdet quàm in viris.

ſemper coniuncta eſt, meritò ergo humida, & frigida(quæ tamen non admodùm frigida ſit) habet redundantiam quæ non diſſipetur, ac proinde euacuatione indigeat manifeſta. denſa autem cutis, & otioſa vita, tollunt diſſipationem ſuccorum, & corpora replent. Cauſa quæ poſita eſt in fine, eſt bonum prolis. nimirum oportuit talem eſſe mulieris naturam, vt redundaret ſanguine, qui ſatis eſſet gignendo fœtui, & nutriendo infanti, ea enim eſt materia generationis fœtus, quæque ſola, vt cēſet Ariſtoteles eius materia eſt, viro vim tantum & efficaciā præſtante per ſemen: vt verò cenſent Medici, quorum ſētentia hac in parte videtur probabilior, non ſola, maxima tamen ac præcipua: quia ea & ortum primum præbet partium carnoſarum, & nutritionem deinceps omnium. atque vt vir præſtat efficaciæ plurimum, ita materiæ minimum. fœmina contrà, vt minimum efficaciæ, ita materiæ plurimum; præſtat verò ea minimum, præter ſanguinem. ſanguis igitur mulieribus totam ferè præſtat generationis materiam, & ob hanc præcipuè ſunt illæ fœcundæ. hoc ita eſſe apertè conſtat, quia neque gerentibus vtero, neque lactantibus fluunt euacuationes menſtruæ, his, quia ſanguis qui alioqui redundaret, abit in lac: illis, quia inſumitur in fœtus generationem. neque enim cauſari poſſumus ingerentibus vtero, viarum defectum. ſunt enim, præter eas, quæ alimentum fœtui deferunt, aliæ quædam venæ, in os vteri ſubeuntes, per quas citra fœtuum læſionem, raris quibuſdam fluunt, etiam vtero gerentibus, vel quòd ipſæ redundent plurimo ſanguine, vel quòd fœtus ſint debiles. itaque fluunt menſtruæ euacuatione, quibus ſanguis redundat, & ea ipſa redundantia facit vt ſint generationi aptæ, hinc fit neceſſariò, vt eo vitæ tempore ſolùm fluant, quo ſunt aptæ concipere; atque vt concipere aptæ non ſint, quibus fluere deſierunt. nimirum incipiunt fluere mulieribus in initio pubertatis, quatuordecimo, quindecimo, aut vſque ad decimum ſeptimum annum, quibuſdam etiam citiùs aut tardiùs. Ita etiam deſinunt non omnibus eodem tempore, ſed ferè inter quadrageſimum & quinquageſimum annum. Concipiunt itaque, cùm incipiunt ſanguine redundare: deſinūt, cum ob ſenium incipiunt laborare ſanguinis penuria. vt ergo antequam fluere incipiant, concipere non poſſunt, quòd materiæ copiam nondum habeant: ita neque poſtquam ceſſauerunt, quòd iam careant, eandem ob cauſam videmus, viragines quaſdam, mulieres ſcilicet temperamento viris ſimiles, quibus ob id menſes, aut parciſſimi aut nulli fluunt, ſteriles eſſe, quamquam profectò ne hæ quidem adeò abſunt à concipiendi potentia, quàm ſenes, quibus naturaliter fluere

Materia generationis.

Generationis efficiens.

Menſtrua quibus ſiſtantur.

Tempus mēſtruorum.

Viragines mulieres.

deſierunt: quia iuuenes in humidius transferri poſſe temperamentum quodammodo, monſtrant Medici: ſenes verò non poſſe reiuueneſcere, plus ſatis conſtat. neque certè alia ratione; cui ceſſauerunt iam naturaliter menſtrua, concipere poſſet, quàm reiuueneſcens nam præter cauſas infœcunditatis puellarum,& ſenum, quas in materiæ penuria poſuimus, ſunt aliæ nihilo minores, in ipſorum vterorum affectione, nimirum quibus nondum fluxerunt, nondum vterus dilatatus & ſatis capax eſt; quibus ceſſauerunt, ſiccus iam contractus & durior. eſt verò pars neruoſa, quæ naturaliter neſcit reuireſcere. igitur haud dubiè fieri non poteſt, vt cui naturaliter deſierunt muliebria, naturaliter concipiat. dico autem naturaliter deſiiſſe cui fluebant anteà (quibuſdam enim viraginibus, vt dixi, nũquam fluxerunt) neque ob morbum vllum, ſed ob ſenilem ſiccitatẽ deſierũt fluere. talem porrò fuiſſe Saram, cùm ſingulariter Dei beneficio concepit Iſaac, conſtat cùm annorum eſſet nonaginta;

CAPVT XI.

TRigeſimo capite Geneſeos: *Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractiſque corticibus, in iis quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit. illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt; atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus vbi effundebatur aqua, vt cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent: factumque eſt, vt in ipſo calore coitus, oues intuerentur virgas & parerent maculoſa & varia & diuerſo colore reſperſa. Diuiſitque gregem Iacob, & poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum & ouium, vt in earum contemplatione conciperent. quando verò ſerotina admiſſura erat, & conceptus extremus non ponebat eas. Factáque ſunt ea quæ erant ſerotina, Laban, & quæ primi temporis, Iacob.* Mirabilem quendam euentum continent verba hæc, quæ duarum nobis dubitationem occaſionem præbent. prima eſt, quam ob cauſam contemplatio virgarum variegatarum in ipſo calore coitus fœtus variegatos eſſe fecerit: ſeconda cur Iacob virgas eas gregi oppoſuerit, in matutino potiùs congreſſu quàm veſpertino. An quòd in matutino congreſſu, quàm in veſpertino contemplatio rerum oculis obiectarum plus valeat ad ſimilium fœtuum ortum: an quòd is congreſſus fœcundior ſit, an ob vtrumque. Nullus Philoſophorum vnquam, huius euentus cauſam, in ipſum intuitum reiecit, ſed in imaginationẽ, neque ob id factum eſſe quiſquam putat, quòd in virgas oculorum

lotũ acies intenta eſſet : ſed quòd viſio internos moueret ſenſus,atque gregis coeuntis imaginatio circa illa variegata verſaretur. Itaque cenſent omnes,vel hoc vnico exemplo (quanquam mulia alia narrantur his ſimilia) maginationem rei cuiuſpiam in ipſo congreſſus tempore vim magnam habere , vt fœtus ei ſimiles fiant, eius verò cauſa non eſt dictu facile. Si enim eiuſdẽ facultatis eſſet de re aliqua cogitare, & generare, aut ad eandem corporis partem pertinerent,fortaſſe tolleretur aliquid admirationis : nunc verò facultas cogitãdi ad animam pertinet ſentientem,generandi verò,aut ad aliam animam,aut ad aliam animæ partem, aut vt Stoici dicebant, ne ad animam quidem, ſed ad naturam porrò,facultas cognoſcendi à Medicis omnibus collocatur in cerebro, gignendi in teſtibus, partibus adeò diſſitis. itaque quod cognoſcitur,concipitur ſenſibili animæ parte, cuius ſedes cerebrum eſt, quod gignitur,vtero. quid habent hæc commune, vt iuxta mentis, aut ſenſuum internorum cogitationem,generatio variet ?Imprimis conſtat imaginationem & generationem eiuſdem eſſe animantis actiones, ſiue ab eadem anima fluant,ſiue à diuerſis : atqui,quia facultates à quibus fluunt,eiuſdem ſunt ſuppoſiti, ad quod actiones omnes referuntur primo,tãta ſympathia eorum eſt(vt & aliarum omnium facultatum, quibus gubernatur animal) vt mutuò ſeſe ad actiones permoueant,& paſſiones. hinc fit , vt cùm genitales partes ſemine redundant,imaginatio libidinoſis ſcateat phantaſmatis, ob corporis vitium , rurſum etiam , vt cùm ob morbum animi imaginatio in rebus libidinoſis volutatur, genitales partes, etſi alioqui non redundarent,turgeant , & irritentur , tantus eſt imaginationis & genitricis facultatis conſenſus.Porrò anima,quæ nihil aliud eſt,quàm eſſentia corporis animati,vt Ariſtoteles dicit ſecũdo de generatione animalium, quæ inquam tantùm eſt actus corporis,ab eo inſeparabilis,huiuſmodi eſt quæ ſenſitiua vt nihil poteſt agere ſine corporali inſtrumento, ita neque pati. Si enim ipſa per ſeſe aliquam haberet ſiue actionem , ſiue paſſionem , ſecundùm eam ſeparari poſſet. nunc verò non poteſt : ſed vt formæ ligni , aut lapidis, nihil euenit agere,aut pati,ſed ligno ipſi:ita neque formæ equi, aut bouis, ſed equo, aut boui. tametſi ergo dicimus , animam equi cogitare,imaginari,aut omninò ſentire:abuſiuè quodammodo id dicimus , quia ex anima id potiùs quam ex materia fluit propriè tamen dicitur, equum cogitare, imaginari , atque ſentire & mouere ſeſe ſentire,atque vtcunque cognoſcere,iuxta eam Philoſophorum ſententiam , quæ maximè probatur, quoddã pati eſt.id verò peti,nihil eſt aliud,quam animã ipſam quodam

Imaginationis vis ad formandum fœtum.

Facultatũ ſedes.

Facultatum ſympathia.

Anima immortalis quid.

Brutorum opera.

Anima quodammodo omnia. quodammodo fieri illud ipſum quod agnoſcitur: quapropter anima quodãmodo omnia eſt, quia cùm omnia poſſit agnoſcere, omnium quodammodo ſpeciem poteſt recipere. non quidem recipit ipſa per ſeſe, ſed cum corpore: vt neque ſentit per ſe, ſed cum corpore, ſiquidem monſtrauimus, nullam eam habere per ſe, neque actionem neque paſſionem. igitur ipſum animal quod agnoſcit, fit quodammodo, ſecundum partes etiam corporales, ſimile ei quod agnoſcitur: non quidem ſecundùm partes corporales, quà corporales, materialeſque ſunt, ſed quà ſunt formaliter (vt dicunt) inſtrumenta ſenſuum. non enim oues ipſæ cùm contemplarentur variegatas virgas, fiebant variegatæ corporaliter, vt cernentibus tales viderentur: fiebant tamen quodammodo (quà ſcilicet ſecundùm ſenſuum organa, actu cognoſcebant) variegatæ. itaque animal actu cognoſcens, ſecundùm organa corporalia, fit ſpiritaliter ſimile rei quæ agnoſcitur, quod autem gignit, facit ſibi ſimile: nam hoc ipſum eſt gignere. ſi ergo quod actu agnoſcit aliquid, eſt ei actu ſimile & quod gignit ſimile ſibi facit, quod ſimul cõtemplatur aliquid, & gignit, gignet aliquid ſimile ei, quod cõtemplatur, quia tale eſt ipſummet. hoc autem vt eueniat, neceſſe eſt vt contempletur in ipſo calore coitus, vt ſimul & generet & contẽpletur. non enim animal generat ſimile ſibi, ſecundùm id quod fuit aut erit, ſed quod eſt tunc actu. Sed dices, corporales ſpecies, quæ in animali cernuntur, vt magnitudinem, figuram, & colorẽ, meritò deferri cum ſemine, vtpotè materiali principio. iſtas verò, ſiue ſpecies, ſiue ſimilitudines ſpiritales, etſi in corporibus ſint, non videri poſſe ita deferri. certè iſtæ ſpecies, ſiquidẽ in organis corporalibus recipiuntur, vt indicatũ eſt, non poſſunt eſſe omninò ſpiritales, ad ſpiritalium verò naturam magis accedunt, quàm quæ cernuntur, quia ſunt ſenſibilium quædam inſenſibiles effigies, atque cum ſpiritualiter quodammodo in generante ſint, in eo quod gignitur, ob diuinam vim ſeminis, corporaliter imprimuntur.

Cognoſcentis & cogniti ſimilitudo, Fœtus ſimilitudo.

Semen quodammodo anima. Ea vis eſt, vt Ariſt. dicit accedendi ad omnia quod nihil aliud eſt, quàm ſemen eſſe, quod vim habet efficiendi membra omnia, animantis cuius eſt, veluti in ſemine humano, potentia ſunt partes omnes hominis, quia omnes natum eſt facere, aut ex ſanguine fœmineo, aut ex ſeipſo: in equino eadem ratione ſunt omnes partes equinæ. neque ſolùm eſt differentia ſeminum, ſecundùm differentiam generis, vt ex equino equina; ex humano humana fiant, ſed & ſingulorum, vt ſemen Petri ad partes Petri natum ſit accedere, potiùs quàm alterius. eam vim accepit ab anima generantis, potiùs quàm à corpore. factiuæ enim omnes facultates à forma fluunt, paſſiuæ à materia.

ria. quod ergo effectiuum in ſemine, eſt ab anima, & quod generat, ſecundùm animam potiùs generat, ſiquidem id facere eſt. generari verò à corpore formando primùm incipit, ſiquidem id pati eſt, & accipere. transfert ergo vim effectiuam generantis, quæ animæ præcipuè eſt, in corpus rei generandæ. Conſentaneum eſt ergo vt ea potiùs deferat ex generante, quæ illi ſecundùm animam inſunt, quàm quæ ſecundùm corpus, eáque in corpus potiùs rei generandæ transferat, quàm in animam. Igitur conſentaneum etiam, vt in corpore geniti corporaliter fiat, quod in generante erat ſpiritualiter, quapropter fiet, vt ab albo animali nigrum cogitante, nigrum generetur, potiùs quàm à nigro, cogitante album. Ex dictis facilè conſtat, vim hanc & efficaciam cogitationis, in brutis potiùs eſſe quàm in hominibus. hominum enim mens diuina cùm ſit, & ſeparabilis, multa meditatur ſine inſtrumento corporali, atque cùm corporali inſtrumento vtitur, vt illi minus hærens, minores illi infigit affectiones. itaque hanc imaginationis vim in prole permutanda, multò magis licet experiri in animantibus mutis, quàm in nobis, quo fit, vt quod de ouibus, animalibus inſenſatiſſimis, narratur, ſit naturæ rerum maximè conforme. Animaduertendum verò, eam vim, non maribus ſolùm aut fœminis, ſed vtriſque ineſſe, & tunc maximè tale aliquid euenturum, cùm contigerit vtrumque, marem dico & fœminam, in ipſo calore coitus, de eadem re efficaciter cogitare, vt tunc contigit. Ita enim dicitur, *Et poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione conciperent.* Eſt verò hoc valde conſonum illi Philoſophorum ſententiæ, quæ maximè probatur, & ſtatuit, vtrumque parentem efficientem vim & materiam conferre ad generationem, vterque ergo cùm vim faciendi præſtet, & ambotum congreſſu vna quædam potentior cauſa fiat, vis permutandi imaginatione fœtum, vtrique inerit aliquatenus, euidenter tamen ea permutatio non fiet fortaſſe, niſi cùm contigerit ambos in eo congreſſus momento, eandem rem imaginari. Vt ergo exempla euentuum huic ſimilium, multa non ſint, duplex videtur eſſe cauſa. Altera quòd vtrumque in eadem imaginatione fortiter hærere, non niſi fortuitò & rarò accidit. Altera, quòd hoc in animalibus mutis, potiùs quàm hominibus, natum eſt fieri: quæ non poſſunt nobis ſuas imaginationes narrare. ſunt nihilominùs nonnulla exempla. D. Aug. 18. de ciuitate Dei, c. 5. in hanc ipſam cauſam refert, quòd apud Ægyptios nunquam deficeret bos quidam, maculis quibuſdam candidis inſignitus, quem Apim vocabant, & pro Deo colebant. Cenſet enim dæmo

Generationis efficiens.

Exẽplar.

Apis taurus. dæmones id feciſſe, ad decipiendos Ægyptios phantaſiam talis tauri, quam ſolam cerneret, vaccæ concipienti oſtentantes: *Vt libido* (inquit) *eius attraheret, quod in eius fœtu iam corporaliter appareret.* quibus verbis nihil aliud poteſt Auguſtinus innuere, quàm quod ego explicui. nam libidinem vaccæ attahere, quod in eius fœtu deinceps corporaliter appareret, quid aliud ſit, quàm vaccam in ipſo feruore coitus ſpiraliter concipere formam, & ſpeciem, quæ deinceps in fœtu corporaliter exprimeretur? Galenus quoque libello de theriaca ad Piſonem, narrat, mulierem quandam intuitu pulcherrimæ picturæ, pulchrum infantem ex deformi parente concepiſſe: *viſu* (inquit) *opinor, natura imaginem tranſmittente*, quæ verba obſcura admodum ſunt: non enim explicat, quomodo vſus imaginem trāſmittat naturæ, ſed mihi dictum iam eſt. Quod ad alteram dubitationis partem attinet, his dictis, facilius ſit explicare, videntur haud Congreſſus matutinus. dubiè Iacob, vtraque cauſa, virgas in congreſſu matutino potiùs quàm veſpertino, gregi obieciſſe: quod ſcilicet eo congreſſu copioſior conceptio fiat, & quòd imaginatio in eo ſit efficacior, naſcuntur ambo hæc, & ex animalium victu, & ex natura temporis. Ex animalium victu, quia natura comparatum eſt, vt animalia omnia (præter pauca quædam, in quibus, quia contrà faciunt, contrà etiam eueniet, quod nunc dicimus) noctu dormiant, interdiu veſcantur, & laborent. Coitus ergo matutinus eſt à ſomno, ante cibum, veſpertinus à cibo ante ſomnum. quapropter manè ſemen concoctius eſt, & cerebrum in quo imaginatio præcipuè viget, expeditius, liberius, & magis fulgens. Somnus enim concoctionem ciborum maximè Somnij vtilitates. iuuat, & cerebri vapores abſumit, vigorémque præſtat animali vncatæ à Medicis facultati, cuius opera ſunt, ſentire & mouere. igitur & ſemen ob concoctionem meliorem, erit fœcundius, & imaginādi vis, ob recentem refectionem ſpirituum (reficiuntur enim ſomno) & deneratione ē cerebri, erit efficacior. veſperi contra ſemen (vt neque alius ſuccus) concoctionem tantam non acceperit, caput vaporibus ex ventre multis & craſſis grauatum, & velut obtenebratum ſit, & facultas longa iam vigilia defatigata. euenient ergo contraria. Ex natura etiā temporis naſcitur hoc idem. Nam vt vetertimis etiam Philoſophis, & qui ante Hippocratem fuerunt eſt celebratiſſimum, & rationi maximè conſonum, temporum differentia plurimùm valet ad mouendum animalium corpora, atque adeò res omnes alterationi ſubiectas. atque cùm aſtrorum motus, acceſſúſque & receſſus, tempora varient, Sol præcipuè id facit. vnde euenit, vt diei cuiuſque partis quatuor, manè, meridies,

veſperum,

veſperum, & nox media, quatuor anni partibus reſpondeant, veri, æſtati, autumno, & hyemi. quia vt motum, quem Aſtrologi vocant proprium, toto anno complet Sol, ita quem vocant motum raptus, complet ſingulis diebus: atque vt motu illo accedit & recedit ſecundùm cœli amplitudinem, ita hoc ſecundùm longitudinem, & vt hyeme plurimùm à nobis abeſt, ita nocte media, & vt æſtate proximus, ita in meridie, & vt autumno abit ita veſperi & vt vere venit, ita mane. eſt ergo matutinum tempus verno, & veſpertinum autumnali ſimile. vt ergo corpora degunt vere ſalubertimè, & maximè valent, autumno inſaluberrimè degunt, & languent maximè, ita etiam ſummo mane, optimè, veſperi, peſſimè habebũt, ad omnia quidem, maximè verò ad generationem: nam vere omnia oriuntur, autumno tabeſcunt, & intereunt. anima itaque & corpus ſunt mane vegetiora, quare & imaginatio erit fortior, & ſemen fœcundius veſperi contrà.

Anni partes.

Anni partium cum diei partibus comparatio.

CAPVT XII.

Capite 34. Geneſeos: *Et ecce, die tertio, quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, arreptis, duo filij Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, gladijs, ingreſſi ſunt vrbem confidenter.* Cur vulnerum dolores ſoleant eſſe tertio die grauiſſimi, ad Medicum pertinet conſiderare. Dubitet verò hoc loco quiſpiam, an vniuerſum ita habeat, ſitque omnis vulneris dolor die tertio grauiſſimus, an illorum tantùm vulnerum, de quibus eo loco agebatur, præciſi inquam præputij: atque alterutrum horum ſit, cur potiùs tertio quàm ſecundo, aut primo, aut ſequentium aliquo. Hippocrates libello de fracturis, iuxta Galeni diuiſionem commentario tertio, ita reliquit ſcriptum: *Tertio & quarto die vulnera omnia minimè ſunt exagitanda, & vt in ſumma dicam ſpecilli quoque omnes admonitiones vitandæ his diebus ſunt, omniaque alia quibus vulnera irritantur, in totum enim tertius & quartus dies in pleriſque vulneribus exacerbationes parit, & quæ in inflammationes & ſordes incitantur, & quæcunque in febres tendunt. vnde magni admodum momenti ſi quod aliud, documentum hoc eſt, nam quæ ſunt in medendi arte grauiſſima, quibus id non ſit commune? non enim pertinet ad vlcera tantùm, ſed ad alios quoque morbos complures.* His verbis Hippocrates ſatis apertè docet, non in his aut illis, ſed in omnibus etiam vlceribus ſolere dolores tertia & quarta die fieri grauiores, nam de vlceribus, quæ cum fracturis

Vulnerum dolores tertio die grauiſſimi.

Specilli quādo vitandi.

poſſint, ſed cùm citiſſimè intra viginti quatuor horas, vt quæ à cauſis externis ortum habent, neceſſariò incidunt in diem ſequentem, qui eſt quartus ab accepto vulnere. hæc itaque eſt cauſa qua vulnerum dolores ſolent die tertia exacerbari. atque eadem cauſa Chirurgi, vt Hippocrates monet, poſt primam ſeu admotionem labiorum, ſeu conſutionem (vt res exiget) non debent vſque ad diem quartum vlcera irritare, neque aliter tangere, quàm leuiter, quæ inflammationem arcent, admouendo.

CAPVT XIII.

CAp.46. Geneſeos: *Cunctaque anima quæ ingreſſa ſunt cum Iacob in Ægyptum, & egreſſa ſunt de femore illius, abſque vxoribus filiorum eius ſexaginta ſex.* Hæc eadem verba repetuntur in initio Exodi. Egreſſos eſſe ex femore Iacob dicit filios & nepotes, qui ab eo geniti ſunt. Cauſam habet ea phraſis naturalem, in hominum & genitalium partium compoſitione. nimirum vaſa ſeminalia, quæ meliorem ac puriorem deferunt ſanguinem in teſtes, vt in ipſis ſemen fiat, ſunt venæ quædam, quæ ortæ ex venis, quæ in lumbis diſcilæ in crura iam deſcendunt, antequam in tres ramos, qui per crura decurrunt, diſtribuantur, recurrunt per femora in teſtes in viris, & in mulieribus in vterum. nā venæ quæ ex caua eo ferè loco quo ſiti ſunt renes mittuntur in teſtes, ſiniſtra quidem venit ex emulgente vocata, quæ ſeroſum ſanguinem in renem defert, atque ob id ipſa quoque ſeroſam materiam in teſtem transfert: dextra verò non multò poſt exortum emulgentis quare ne ipſa quidem ſatis expurgatum defert ſanguinem, ſaltem non adeò ac venæ, quæ multò poſt ortæ, ex ipſis femoribus recurrunt, quas ob id eſt veriſimile, etſi non adeò multam materiam atque ſuperiores, quia minores multò ſunt, tamen præſtare vtiliorem ad generationem fœcundi ſeminis, meritò ergo in ſacris eloquiis generatio ad femora refertur. vt & Iacob in Iudæ benedictione dixit. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, neque dux de femore eius,* & hanc ipſam ob cauſam 5. cap. Numerorum, inter adulteræ maledictiones, illud præcipuè præcipiebatur ſacerdos dicere, *Ingrediantur aquæ multæ in ventrem tuum, & vtero putreſcente putreſcat femur.* vt ſcilicet, *per quæ quis peccat, per eadem puniatur.* vt dicitur 11. cap. Sapientiæ.

Generatio ad femora refertur.

Seminis differentiæ.

Adulteræ maledictio

CAPVT XIV.

CAp.3. Exodi: *Ait Moſes ad Deum, Ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi, quod eſt nomen eius? quid dicam eis? dixit Dominus ad Moſem, Ego ſum qui ſum; & ſic dices filiis Iſraël. Qui eſt, miſit me ad vos.* Itaque rogatus Deus quod ſit nomen ſuum, reſpondit, *qui eſt*, Dauid quoque ſecundùm eundem ſpiritum Deum alloquutus inquit Pſal 92. *à ſeculo tu es* atque adeò IESVS ſeruator noſter, diuina authoritate, qua & deturbauit eos, reſpondit (quærentibus ſe, *ego ſum*, ſed cur potiùs dicitur Deus eſſe, *qui eſt*, quàm qui bonus, ſiquidem vt ipſemet dicit in Euangelio, *ſolus Deus bonus eſt*; aut quàm *qui ſapiens*, aut quàm *qui fortis*, ſi quidem hæc omnia eſt æquè infinitè, & æquè primò? Certè huius rei cauſam à nullo meliùs accipies, quàm à D. Dionyſio. c.5. de Diuinis nominibus, quod inſcribitur de ente. illi ergo volo accepta referri, quæ à me dicentur in hac quæſtione. Cùm dicitur, *qui eſt*, duo licet nobis intelligere aut ſimpliciter qui eſt, aut qui ſemper eſt. vtrouis modo intelligas, eſt maximè conſentaneum, vocari Deum, *qui eſt*, potiùs quàm aliud quiduis. primo quidem modo, quia cùm Deus definiri, aut nominari non poſſit ſecundùm ſubſtantiam & eſſentiam propriam, quia ea à nullo viuentium agnoſci poteſt, neceſſe eſt nominetur ex bonis, quæ creaturis communicat: quæ quidem omnia, quandoquidem creaturis non ſunt ſimpliciter, ſed quodammodo, neceſſe eſt eſſe in Deo modo quodam eminentiori: quoniam autem, etſi ſint in Deo omnia æquè perfectè. & primò, non tamen omnia æquè communicantur omnibus, ſed quædam pluribus, quædam paucioribus, æquum eſt nomen tribui Deo, ab eo quod communicat omnibus; illud verò tantum eſt, eſſe. nam intelligere tribuit paucis, ſentire aliquantò pluribus nutriri & creſcere pluribus adhuc: eſſe verò omnibus. ſecundo autem modo dicitur Deus, *qui eſt*, hoc eſt, qui ſemper eſt, quia cùm alia omnia creatis rebus tribuat habere aliquatenus, omnia enim & ſunt, & bona quodammodo ſunt, tamen æternum eſſe nulli accidit, niſi ſoli Deo, vt mõſtratum mihi eſt in initio huius operis. Coniunctis ergo vtriſque, dicitur Deus, *qui eſt*, quia eſſe omnibus rebus tribuit, & eſſe ſemper, ſibi ſoli habet, nam aliud quiduis eſt aliquando ens, aliquando non ens, ſolus verò Deus ſimpliciter ac ſemper ens. hoc etiam aſſequuti videntur Philoſophorum optimi. nam Ariſt. cap 4. lib.3. de Phyſica doctrina, Diuinum & Deum, aſſerit dixiſſe plurimos Philoſophos, quod æternum,

Dei nomina.

Eſt, dupliciter dicitur.

Deus indefinibilis.

æternum, immortale, & nulli interitui obnoxium. Plato quoque in dialogo de Natura, ita diſſerit de Diuina eſſentia. *Dicimus de illa, eſt, erat, & erit, ſed illi re vera ſolum eſſe competit.* Quapropter garrulitatem eſſe puto Platonicorum quorundam, affirmare, ex ſententia Platonis, vnum & bonum eſſe priora ente, atque adeò Deum non dici ens, quia ſcilicet Plato in Parmenide, in ſuppoſitione prima dicit, *Nullo igitur modo eſt ipſum vnum,* & rurſum, *Non itaque ita eſt vt ſit vnum, eſſet enim iam ens & eſſentiæ particeps.* verùm quandoquidem ipſemet Plato loco citato ex Timæo dicit, *illi re vera ſolum eſſe competit,* conſtat illum cenſere Deum eſſe re vera, non autem eſſe vt reliqua, quæ non re vera, ſed quodammodo ſunt, in tempore ſcilicet, & cōpoſita. Deus verò modo quodam eminentiori, & per ſe eſt extra omne tempus, & citra vllius eſſentiæ participationem, ſed vnum & ſimpliciſſimum. quod nihil aliud eſt, quàm quod noſtri Theologi dicunt apertiùs, ens dici analogicè de Deo & creaturis. ita verò dicuntur & alia omnia eius nomina, Vnum, verum, & ſapiens: quia ſecundùm nullum illorum habet vllam communem eſſentiam cum re alia extra ſe, neque continetur in vlla entis Cathegoria. Omnia enim illa dicuntur de Deo æquè primo, & eminenter, quin potiùs ſunt in eo ea omnia vnum. verùm dictis de cauſis, quas ex Dionyſio accepimus, ſatius eſt Deum nominari per ipſum eſſe, quod ipſius Dei teſtimonio hoc loco conſtat. Eſſe verò legitimam Platonis enarrationem, eam quam diximus, cuiuis legenti dialogum illum patebit. non enim ille aliam cauſam adhibet, qua vnum non dicatur eſſe, quàm quòd eſſe tempus præſens contineat, & quòd ens participatione alicuius eſſentiæ fiat; illa verò duo non congruunt Enti vt vnum eſt, ſed vt multa, quæ creata ſunt. itaque Deus non eſt, vt ſunt hæc: atque ipſum eſſe, vt de his & illo dicitur, non eſt vniuocum, vt verò Deus eſt, non accidit illi prius vnum & bonum quàm ens, alioqui nulla ratione minus eſſet vnum, quàm habens quædam alia aliis priora. ſed in Deo adeò non eſt prius & poſterius, adeò omnia illa nomina ſignificant vnum, vt ne ratione quidem differant, nedum poſſint prioris & poſterioris ratione differre. ita mihi videntur multi Platonicorum facere, ne intelligendo, vt nihil intelligant, qui parum abeſt quin dicant cum inſipiente, *Non eſt Deus.*

Ente qua priora.

Entis analogia.

CAPVT XV.

EXodi 15, *At ille clamauit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſa ſunt.* Cùm hoc legimus magna ſubit dubitatio, an lignum in aquas miſſum, naturali quapiam facultate dulcedinem intulerit, an id voluntate Dei, & miraculo effectum ſit, in figura maioris cuiuſpiam ſacramenti. atque pleriſque hoc videtur probabilius, primùm quidem, quia nemo, neque Medicorum, neque qui naturalem hiſtoriam ſcripſerunt, talem facultatem vnquam videtur agnouiſſe. neque facilè videtur dici poſſe, aut excogitari, quam paſſionem inferret id lignum aquæ, vt amaritudinem eleuaret, cùm præcipuè in Hiſtoria ſcholaſtica, ex ſententia Hebræorum, dicatur id lignum fuiſſe amariſſimum, & mortiferum; deinde, neque ſi talem vim habere poteſt lignum, poteſt ea in magnum flumen, aut ingentem locum vti, habet enim modum quemdam facultas omnis naturalis, cúmque ſecundum magnitudinem eius quod facit, & accipientis, non enim ſi magnes trahere poteſt ferrum, continuò poſſit trahere mentem ferream, neque ferri exiguum quantuluſcunque lapis, ſed tantus tantum, omnes autem naturæ fines videtur excedere tantam aquæ molem, à ligno non maiori, quàm vt à Moſe poſſet apprehendi, & in aquas mitti, tantam recipere alterationem nihilominus videtur neceſſarium fateri, ſecundùm naturalem aliquam facultatem, illud eſſe effectum, quandoquidem cap. 39. Eccleſiaſtici in confirmationem operum medicinalium, & virtutum medicamentorum, & commendationem artis dicitur, *Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara.* Niſi autem naturali aliqua ligni facultate id factum eſſet, quale obſecro eſſet argumentum; certè tale, ac ſi diceres: magna vis medicinæ eſt, quia infuſio aquæ benedictæ, & admotio Crucis, & reliquiarum Sanctorum, ad omnes morbus prodeſt. immò verò ob hoc ipſum dicent multi, opus non eſſe medicina: quod ſcilicet vita & mors, ſanitas & morbus, penes Dei voluntatem eſſe videatur, non penes artem vllam Reſpondent à contraria ſententia Eccleſiaſticum proferre illud exemplum, vt ex eo quod miraculosè Deus fecit per lignum, indicaret omnia etiam illa quæ naturaliter efficiuntur per creaturas, ad Deum eſſe referenda. Mihi verò videtur id exemplum indicaturum, non ſolùm à Deo eſſe tributas rebus virtutes, ſed ſuſpicionem etiam illarum, nullas omninò eſſe naturales ipſarum rerum, ſed à Deo ipſo effici quiduis, vt immiſſo ligno

De ligno in aquas à Moſe miſſo.

De medicina.

ligno in aquas factæ ſunt dulces. quapropter cenſendum potiùs videtur, naturali aliqua ligni virtute effectum eſſe illud. iuuat plurimùm hanc ſententiam, quòd Hebraicæ linguæ periti dicunt, iuxta ſuum idioma legendum potius fuiſſe, *Clamauit ad Dominum qui docuit illum lignum*, quod quid aliud eſt, quàm docuiſſe illum ligni facultatem, & virtutem? Certè cùm Deus oſtenderit Moſi lignum, quo aquas dulces efficeret, neceſſe eſt indicaſſe illi lignum tali præditum facultate, aut ſimul indicaſſe lignum, & illi tamen facultatem indidiſſe, cùm eam nullatenus haberet anteà, aut nulla facultate data ligno, ipſummet Deum, cùm iniectum à Moſe eſt, aquas reddidiſſe dulces. hoc vltimum nihil penitus haberet cum medicina, neque vllum argumentum in artis laudem, aut fidem, capi poſſet. nam mera Dei voluntate res eſſet acta. ſuperſunt igitur priora duo. Rurſum ſi lignum tali præditum erat facultate, aut tali tantaque erat præditum, vt naturaliter, nihilque denuò apponente Deo, poſſet tantam, adeò amaram aquam, reddere potui aptam, aut eam Deus, naturalem alioqui ligni vim, nouo quodam intuitu auxit, atque fortiorem fecit Quod horum fecerit Deus, non poſſum vlla monſtratione indicare. nam his omnibus modis ſolet in homines beneficia conferre atque qui dicet, Deum tribuiſſe ligno facultatem, qua anteà caruerit argumentum fidei artis medicæ, ita concludet. quandoquidem Deus tribuere potuit ligno facultatem adeò mirabilem, alterandi ſcilicet magna flumina, non eſt diffidendum quin herbis, lapidibus, ac metalis, alterandi noſtra corpora dederit vires, vt ſcilicet, argumentum ſit à maiori, multo autem firmius argumetum, & ad rem ipſam propiùs accedens ſit, ab exemplo, ita ſcilicet, non eſt contemnenda medicina, quaſi magnam vim non habeat transferendi ægrotantium corpora in priſtinam ſanitatem, maximas enim vires habent res quamplurimæ, multis modis afficiendi res alias. Exemplo eſt lignum, quòd aquas amaras redidit dulces. ob hæc mihi videtur magis conſentaneum, lignum illud naturali vi aquas feciſſe dulces. atque de ea facultate dixerim ego duorum alterum, aut eſſe ſecretricem aquæ, & exuſtæ terræ, ſimilem ei qua acetum findens lac, ſerum ſecernit (nulla enim ratione meliùs poſſit aqua ex ſalſa dulceſcere, quàm ſecreto ſale, atque ita neque ex amara quàm ſecretis terræ valdè exuſtæ partibus, talium quippe admiſtione fit amarus ſapor) aut eſſe tractricem partium amararum, gratia ſimilitudinis (ſi modò credimus dicentibus fuiſſe amariſſimum lignum) atque alliciendo ad ſeſe, imbibendóque amaras quæ partes illam dulcem & potui aptam reddidiſſe. Crediderim

Aquarum dulcedo.

ſanè eam facultatem, quæcunque in ligno fuerit, plus ſolito tunc, annuente Deo, valuiſſe: velut medicamenta exiſtimo nonnunquam, plus quàm aliàs, valere, ob gratiam Numinis, nimirum Deus prima cauſarum eſt, quare aliarum quæcunque ita monere poterit, vt ipſe exordiatur motum. ita enim euenit, in cauſis omnibus, quæ ordine poſitæ ſunt.

CAPVT XVI.

SEcundo capite Leuitici: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, neque quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio.* Paulò infrà, *Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies,* & rurſum, *In omni oblatione offeres ſalem.* Mirum eſt, ſolenne fuiſſe, non ſolùm in veri Dei, ſed etiam falſorum Deorum ſacrificiis, ſale vti, quod quidem intelliges ex Plinio lib. 31. c. 7. vbi de ſalis laudibus agens, inquit, *Maximè autem in ſacris intelligitur eius authoritas, quando nulla conficiuntur ſine mola ſalſa.* Quapropter ſuſpicor eam conſuetudinem fluxiſſe à primis illis naſcentis mundi ſacrificiis, quæ Deo Optimo Maximo offerebant, & inde in omnium gentium ſacros ritus deriuatam eſſe, cõſentaneum enim eſt cenſere, falſos illos ſacrorum miniſtros, à veris ſacerdotibus accepiſſe eam conſuetudinem, Dæmonibus id poſcentibus, quóque maximè fieri poſſet, diuina ſibi offerrentur ſacrificia: potiùs quàm veri Dei cultores, falſorum ritus eſſe imitatos. Verum itaque eſſe fatẽmur, quod Plato in dialogo de Natura dicit: *Sal Deo amicum corpus.* quod cum præſenti loco maximè congruit. poſcit enim Deus in omni oblatione offerri ſibi ſalem, quaſi ſibi gratum & amicum corpus. ſed quo pacto poteſt ſalis corpus eſſe gratum, & amicum Deo potiùs quàm fermenti & mellis (quæ tamen duo reſpuit Deus) aut alterius cuiuſpiam rei? videri poſſit alicui, eſſe vllam cauſam naturalem, velut fortè aliquam ſympathiam, aut antipathiam diuinæ naturæ cum his, aut illis corporibus, ob quam his delectetur, ab illis abhorreat. quia & dæmones, qui ſunt etiam incorporei, quibuſdam corporibus allici, quibuſdam fugari quaſi experimento confirmatum affirmat omnis antiquitas. quin & vocati exorciſtæ, ſuffitu rerum fœtidarum, vt caprini ſtercoris, & admotione rutæ, & hypericonis, quæ ob hanc cauſam fuga dæmonum appellata eſt, vtuntur. Tobias quoque ſuffitu exuſti iecoris fugauit dæmonem, idque præcepto Raphaëlis, eò vſque procedunt nonulli eorum, qui de dæmonibus ſunt philoſophati, vt eorum quoſdam affirment rebus qui

Salis vſus in ſacris.

Exorciſtarum vis.

quibuſdam delectari, quas alij habeant exoſas, itaque multorum ſententia eſt, eſſe rebus incorporeis cum corporeis familiaritatem, aut diſſidium. vnde fieri videtur poſſe, vt Deus quibuſdam corporibus, plus quam aliis, delectetur, cùm præcipuè quædam alia loca ſacrarum ſcripturarum, hoc idem videantur innuere. nam in libro Iudicum capite nono ita eſt ſcriptum. *Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* itaque innuũt ſacra eloquia delectari Deum ſale & vno, offendi verò fermento, & melle. quid ſibi volunt hæc; aut quæ eſt cauſa? Dæmones quidem ob hæc, & his ſimilia cenſebant omnes Platonici, corporeos eſſe, & alios terreos, alios aqueos, alios igneos, aëreos alios: quòd illi huic, alij illi corpori habeant naturam propinquorum, & eò maximè delectentur. fiet ſanè neceſſariò ex horum ſententia, vt quia cum elementis his aut illis habent naturalem familiaritatem, cum concretis etiam quibuſdam habeant ſympathiam, aut antipathiam quandoquidem concretum quodcunque corpus, ad hoc aut illud elementum pertinet, vt multis in locis, præcipuè quarto libro meteorum indicatum eſt. Ariſtotelis quoque placitis mihi videtur conſonum, nihil eſſe in rebus quod per ſe ſubſiſtere poſſit omninò incorporeum, præter primam cauſam. quia ille aſſerit omne, quod mouet moueri, vſque ad primam cauſam, quæ ſola mouet & non mouetur; & nihil moueri quod non ſit diuiſibile & corporeum. Ex quibus aſſertionibus fit, vt prima ſolùm cauſa ſit incorporea. Nam ſi omnis cauſa præter primam mouetur, & omne quod mouetur eſt corporeum, omnis cauſa præter primam corporea eſt. Omnium ergo Philoſophorũ placitis videtur conſonum, Dæmones eſſe corporeos: quãquam id profectò verũ non eſt. Nam aut haberent corpora elementaria, hoc eſt, naturæ corporaliũ elementorum (terræ dico, aquæ, aëris, & ignis) participia, aut cœleſtia, velut Ariſtoteles innuit ſecundo de Generatione animalium cap. 3 de animabus, quas velut ſubſtantias quaſdã, ſeparabiles eo loco imaginatur, diſſerens his verbis: *Sed enim omnis animæ ſeu virtus ſiue potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum quam ea quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate aut ignobilitate animæ inter ſe differunt, ita & natura eius corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit vt fœcunda ſint ſemina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt; ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritus eſt proportione reſpondens elemento ſtellarum.* Hæc Ariſtoteles. Sed, ſi dæmones elementaria haberent corpora, pati quidem poſſent ab his

Deus quibus delectari dicatur?

An dæmones habeant corpora?

corporibus quæ penes nos ſunt, & voluptate ac dolore ab illis affici: ſi verò hæc, & corrumpi, eſſentque natura ſua mortales, quod cuiuis videatur eſſe abſurdum; ſin autem haberent corpora cœleſtia, aut cœleſtibus hæc in re ſimilia, quòd immortalia eſſent, eſſent ita quoque inalterabilia, & voluptatis & doloris incapacia, quia dolor & voluptas ſenſus quidam eſt, ille triſtis, hæc iucundus ſenſus verò actus, ſine ſenſorij alteratione non eſt. igitur ponere corporales dæmones, niſi etiam ponas mortales, quò delectentur aut doleant obiectu rerum corporearum, ſuperuacaneum eſt, & inſufficiens, quapropter Apuleius libello de Deo Socratis, cuius meminit Diuus Auguſtinus octauo de ciuitate Dei, contradictionem inuoluit in dæmonum definitione, dicens, eos eſſe genere animalia, animo paſſiua, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna. genere enim animalia eſſe dicit, quòd corporibus conſtent & animis, animos verò eorum paſſiuos, quòd iraſcantur iniuriis irritati, & donis placentur, & gaudeant honoribus, ac denique eiſdem, quibus hominum animi, perturbationibus agitentur. ſi verò animalia ſunt, atque ita timore, mœſtitia, & gaudio afficiuntur, non poſſunt non habere etiam corpora patibilia. nam motus huiuſmodi corporales ſunt, feruétque cor per iram, contrahitur per timorem & mœſtitiam, effunditur gaudio. quòd ſi dicas in homine eſſe has paſſiones corporales, in dæmonibus verò pertinere ad ſolum animum, eſſéque aliud genus, iræ, timoris. mœſtitiæ, & gaudij, fit vt illorum animi nullas actiones per corpora exerceãt (quas enim potiùs quàm has?) quare non magis erunt illorum corporum actus, neque animalia efficient, quam animæ intra teſtaceas ollas concluſæ: neque ex illis corporibus & animabus conſtarent ſuppoſita, cùm actiones non eſſent totius compoſiti: ſed animæ ipſæ per ſe, eſſent ſuppoſita, corpora verò ferrentur ab animabus, vt vaſa fictilia quæ ab incluſis animalculis transferuntur. prætereà, ſi ſunt corpore aerea, non poſſunt non habere contrarietatem cum terreis, & cum omnibus elementis, ac concretis corporibus communem materiam, quare & corruptilia neceſſe eſt ſint. quòd ſi hîc quoque fingas aliud aeris genus, à corruptibili hoc quo ſuffundimur, diuerſam, primùm quidem non eſt iuxta ipſius Apuleij mentem, ſiquidem quia aerei ſunt dæmones, affirmat in aere & infra cœlum ipſos viuere. huius igitur aeris, quem incolunt, habebunt naturam, non alterius, quem non incolunt, hic verò corruptibilis eſt, & quæcunque eo conſtant, neceſſe eſt eſſe corruptibilia. Portò, ſi alio aere impatibili cõſtant, nullum habent ſenſum: quia ſenſus nullus ag

Sententia Apuleij de dæmonibus.

poteſt quin proprium ſentiendi inſtrumẽtum patiantur à ſenſibilibus: inſenſibilia verò corpora non ſint animalia, neque problematum,quæ proponebantur, qui ſcilicet fiat vt quibuſdam rebus delentur, alias habeãt exoſas,reddita eſt vlla cauſa. ſatius ergo eſt exiſtimare,incorporeos illos eſſe,vt ſunt natura indiſſolubiles, quare Diuus Auguſtinus(vt hoc quoque dicam obiter)octauo de Ciuitate Dei,capite 15. vbi ita ſcripſit: *Abſit vt iſta conſiderans animus veraciter religioſus, & vero Deo ſubditus, ideò arbitretur dæmones ſeipſo eſſe meliores, quòd habeant corpora meliora.* vbi, inquam, hæc dicit Auguſtinus,ne putetur concedere dæmones habere corpora meliora, ſed negare hanc conſequutionem,habent corpora meliora,ergo ſunt meliores. porrò in verbis illis Pſalmi cẽteſimi tertij,*Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem*, nomina illa ſpiritus, ſeu aer, & ignis ſignificant metaphoricè ſubſtantias corporeas magnæ virtutis,ac potentiæ,non tamen quòd verè aerei aut ignei ſint, nam præter dicta quantum, non eſt in ratione ubſtantiæ,ſed accidens quoddam illius, vt igitur eſt in rerum vniuerſitate ſubſtantia quanta,ſic etiam aliqua non quanta,ea autem non ſit ſolùm quæ incorporea & infinita;nam inter corporeum finitum & incorporeum infinitum, medium eſt incorporeum finitũ,aut incorporeum infinitum. Corporeum infinitum eſſe omninò non poſſe, multis euidentibus argumentis indicauit Ariſtoteles. ſupereſt igitur vt ſit incorporeum finitum. Eſſe verò Deum virtute infinitum, indicatum mihi eſt in hoc ipſo opere;ſupereſt ergo præter ipſum,eſſe ſubſtantias aliquas incorporeas, eáſque finitas. Itaque cenſendum non eſt Angelos eſſe corporeos, neque ſuffitu torqueri, aut bonis odoribus allici, aut rei cuiuſpiam naturalis contactu dolere, aut delectari, nihil enim horum ſine contactu fert natura:contactus verò corporum tantùm eſt, ſed vanum eſſe ac ſuperſtitioſum quidquid eiuſmodi moliuntur exorciſtæ, mendaciſſimóſque dæmones hominibus illudentes,ea omnia mentiri. Multò minùs quiſpiam poſſit cenſere, Deum Optimum Maximum vlla voluptate ſenſus affici, aut vllo colore: ſiquidem omninum Philoſophorum conſenſu eſt incorporeus, & omninò immobilis, nullamque mutationem ſubiens: quà autem opera ſua ſunt, omnia amat, & nihil eorum, quæ fecit, odio habet;quia omnia ſunt valde bona, vt primo capite Geneſeos & 38. Eccleſiaſtici ſcriptum eſt. Quid ergo dicemus de ſale, corpore adeò Deo amico, & de vino quo lætatur, & de fermento & melle quæ interdicit in ſacrificiis, & de multis aliis corporibus, quæ in libris ſacris dicuntur, alia gratum,

Dæmones quibus alliciuntur.

Grata & ingrata Deo.

alia ingratum Deo odorem expiate? Certè nihil aliud, quàm ſubſtantias has corporales, res alias quaſdam nobis indicare, quas prima adeſſe, partim abeſſe, oportet in ſacrificiis. Nimirum ſal ſymbolum eſſe videtur integritatis, & incorruptionis, ac proinde innocentiæ, contrà fermentum, corruptionis & impuritatis: vinum, charitatis: mel, voluptatis & deliciarum, quia ſal, vt experimento conſtat, atque Ariſtoteles 26. ſectione problematum docet, ſiccat, ac proinde incorrupta ſeruat quæcunque eo condita reponimus. fermentum verò nihil eſt aliud, quàm maſſa facta acidior: conſtat verò eum ſaporem ex rebus anteà integris, debilitatione naturalis caloris, & acceſſione caloris alterius præter naturam fieri, quæ alteratio corruptio eſt. Fit itaque ex maſſa fermentum, vt ex vino acetum, atque ita fermentat maſſam, augeri & rareſcere faciens, vt acetum fermentat terram: quod opus refertur ad partes illas, quæ calorem præter naturam contraxerunt in illa corruptione. Adiicit præterea fermentum pani ſaporis gratiam, quod aciditatis illius moderatæ miſtione facit, velut idoneo quodam condimento. Rectè hæc explicuit Plinius lib. 18. cap. 11 dicens, *Fermentū fit ex ipſa farina quæ ſubigitur, priuſquàm addatur ſal ad pultis modum decocta, & relicta donec aceſcat. vulgò verò (hic eſt hodie vſus) neque ſubferuefaciunt, ſed tantùm pridie aſſeruata materia vtuntur.* Hæc Plinius. quibus docet fermentum acore & corruptione maſſæ, ſeu pultis fieri: ſalis verò admiſtione, prohiberi eam corruptionem, vt certè aliam omnem putreſcentiam. Meritò ergo id, cuius natura & eſſentia conſtat corruptione, ſymbolum peccati eſt: quia corruptio & putreſcentia via eſt ad naturalem cuiuſuis corporis interitum, vt peccatum animi, & quod natura aptum eſt cohibere omnem putreſcentiam, ſymbolum eſt iuſtitiæ, quæ tollit peccata: oportétque hoc adeſſe ſacrificiis, illud abeſſe. Huc ſpectat quod Deus dixit ad Aaronem cap. 18. Numerorum, *Pactum ſalis eſt ſempiternum eorum Domino tibi, ac filiis tuis.* Vocat enim pactum ſalis pactum ſacrificiorum, quo pepigerat ſcilicet Deus, in æternum ſe daturum ius offerendi ſacrificia Leuitis. vocat verò id pactum ſalis, id eſt, ſacerdotij, quia à nulla oblatione aberat ſal: aut, vt alij interpretantur, pactum ſalis, id eſt, pactum perpetuum, quia ſal tollit corruptionem. porro mel ſymbolum deliciarum eſſe, ob dulcedinem, conſtat; delicias verò ingratas eſſe Deo, & delicioſos homines non præſtare Deo grata ſacrificia, conſtat etiam, quia, vt Ariſtoteles inquit ſecundo Ethicorum capite tertio, ob voluptatem res improbas agimus, & ob dolorem res poſthabemus honeſtas. vnde fit, vt, vt qui Dei ſit futurus amicus,

Sal cuius rei ſymbolum. Mellis vſus. Fermentum. Pactum ſalis. Mel cuius rei ſymbolum.

amicus, voluptatis contemptor, & doloris patiens eſſe debeat, aut contemptor vtriuſque, ad amplexandum dolorem, & dimittendam voluptatem. amant ergo ſacrificia ſalis incorruptionem & mordacitatem: reſpuunt verò fermenti corruptionem, & ſuauitatem mellis. hæc itaque Deus verus, has ob cauſas, circa ſacrificia ita diſponebat. Cacodæmones autem, vt diuinitatem ſimularent, Dei æmulatores in rebus quibuſdam efficiebantur: non tamen in omnibus: quia non ferebat eorum nequitia, quin atrocia quædam à ſuis miſerrimis mancipiis poſtularent, velut hominum cruorem, & viſcera. Sed neque quod Tobias fecit, vt iecoris odore dæmon fugaretur, cenſeo eſſe naturale, ſed eam benedictionem datam à Deo iecori, vt nunc datur aquæ. Contigiſſe verò illud etiam in figura, vt ſignificaretur, exuendam eſſe concupiſcentiam in ſanctis connubiis. Iecur enim ſymbolum concupiſcentiæ eſt. huiuſmodi ſunt omnia legis antiquæ præcepta: ſignificant enim in ſenſu allegorico, aliud quàm in literali, quem modum docendi imitati ſunt multi veterum Philoſophorum, præcipuè Pythagoras, cuius adhuc extant ſymbola multa, quale eſt illud quod ad præſentem diſputationem facit, *Salem apponito.* nimirum in rebus gerendis ſemper apponi iubebat ſalem, hoc eſt, prudentiam, & integritatem. Hieroglyphica etiam ratio ſcribendi, quam Ægyptij ſacerdotes tenuerunt in ſacris, ſimilem continebat ſapientiam. quam etiam in veri Dei cultu quadamtenus retineri videmus. nam eſt in templis Dei multus vſus ignis & aquæ; quia, arbitror, hæc hieroglyphicè munditiem indicant, cauſa verò qua indicent eſt, quòd hæc duo ſint, quæ corpora omnia à ſordibus mundent. quia verò emundandi corpora habent vim naturalem, benedictiones quoque emundatorias animorum, his præcipuè Deus tribuit, igni dico & aquæ. corporeis verò & incorporeis ſubſtantiis nulla naturalis eſt ſympathia: nedum aliis rebus cum Deo: cui nihil cum illis eſt commune in eſſentia.

Dæmones quibus fugantur.

Iecur cuius rei ſymbolū.

Pythagorica ſymbola.

Ignis & aquæ vſus in ſacris.

CAPVT XVII.

LEuitici cap. 11. ita ſcriptum eſt, *Et ſus cùm vngulam non diuidat, non ruminat.* quatuordecimo autem Deuteronomij, *Sus quoque quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immunda erit.* Quod quidem multum diúque me torſit, non intelligentem, qui fieri poſſet, vt ſus diuidere & non diuidere vngulam diceretur, vſque dum apud Ariſtotelem reperi

aper

apertiſſimam huiuſmodi diſſolutionem. Ille ſiquidem c. 1. l. 2. de Hiſtoria animalium, hanc animalium differentiam ſtatuens ita inquit: *Quadrupedum autem quæ ſanguine conſtant, eademque animal generant, alia multifida ſunt, quales hominis manus pedeſque habentur, ſunt enim, quæ multiplici pedum fiſſura digitentur, vt Canis, Leo, Panthera; alia biſcula ſunt, quia forcipem pro vngula habent, vt oues, capræ, cerui, equi fluuiatiles: alia infiſſo ſunt pede, vt quæ ſolipedes nominantur, vt equus, mulus. genus ſanè ſuillum ambiguum eſt. Nam & in terra Illyricorum, & in Pæonia, & nonnullis alijs locis, ſues ſolipedes gignuntur.* Hæc Ariſtoteles. Ex quibus apertè conſtat, ſues partim quidem findere, partim non findere vngulam, vtroſque tamen, & qui findunt, inquam, & qui ſecus, eſſe immundos, quia neutri ruminant. Alij igitur vtraque ratione immundi ſunt, & quia neque ruminant, neque findunt vngulam, de quibus 11. Leuitici agitur, ſuntque Illyrici ſues, alij altera tantùm, quia ſcilicet etſi findant vngulam, non ruminant. de quibus agitur 14. Deuter. ſuntque noſtrates ſues.

Suum differentia.

CAPVT XVIII.

Leuitici c. 12. *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtruæ. Et die octauo circuncidetur infantulus; ipſa verò triginta diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, neque ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies ſuæ purificationis. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio, ſiue pro filia, deferet agnum*, &c. cap. 15. Leuitici, *Mulier, quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur.* Mos circuncidendi Iudæis ſolùm erat antiquitus, niſi etiam fortaſſe ſacerdotibus Ægyptiorum, vt Horus Apollo Niliacus in hieroglyphicis inſinuat, dicens, Cynocephalum fuiſſe notam ſacrificij, quia naſcitur circunciſus. *Circunciſionem verò ſacerdotes* (inquit) *magno ſtudio peragebant.* quod quidem ſi ita erat, haud dubiè Ægyptij acceperunt ab Hebræis. Non enim Hebræi ab Ægyptiis, ſed à pacto quod fecit Deus cum Abrahamo capite decimoſexto Geneſeos. Niſi etiam fortaſſe naturalis legis ſacerdotes, vt ſigno quodam pietatis, circunciſione vtebantur, atqui Abrahami circunciſio noua non fuit, ſed à Deo denuò probata, &

Circuncisio.
Horus Apollo.

ſancta

ſanctificata. Vtcunque hoc habeat, conſuetudo imponendi nomina die octauo plurimis aliis gentibus fuit. Cauſam naturalem reddit Ariſtoteles, capite vltimo libri ſeptimi de Hiſtoria animalium, his verbis, Plurimi, antequàm exactus ſit dies ſeptimus, intereunt, & hanc ob cauſam tunc nomina imponuntur, tanquàm ſaluti iam pueri magis credamus. Itaque imponuntur nomina die octauo, quia antequàm exactus ſit ſeptimus, parum conſtat an fœtus ſit perfectus & vitalis, an imperfectus, abortiuus, neque vitalis, exemplo fuit filius primus Dauid ex Berſabee, qui die ſeptima mortuus eſt, vt ſecũdo Regnum narratur. Magnam vim eſſe hebdomadæ, in iis quæ ad fœtuum intra vterum formationem, & in lucem iam editorum vitam pertinet, Hippocrates probat multis in locis, maximè autem libello de carnibus, multis argumentis, ſtatuens hanc aſſertionem, vitam hominis ſeptem dierum eſſe primùm quidem quòd ſeptima dies certam firmamque iam perfectæ conceptionis notam præſtet, quia, vt Ariſtoteles capite tertio libri nuper citati dicit, ſi in ſeptimum diem intus (hoc eſt intra vterum) permanſerit genitura, conceptum iam eſſe certum eſt. Atque vt Hippocrates loco citato affirmat, quod conceptum eſt, ſi intra ſeptem excedit dies, nullam præ ſe fert delineationem: ſi verò poſt ſeptem, in aquam immiſsũ, oculorum, oris, & pudendorum quandam non inuidentem delineationem oſtendit. Hanc ob cauſam dicit Ariſtoteles, qui intra ſeptem dies ſunt, non vocantur aborſus, ſed effluxiones. Nam ante ſeptimum ne fœtus quidem, neque embrio putatur eſſe, ſed ſemen. Itaque conceptio certa ſeptem dierum eſt, & quod immiſſum in vterum, in certam firmamque conceptionem non peruenit, intra ſeptem dies effluit, & perit. Ita etiam recens natos dies ſeptima probat, nam plurimi eorum qui vitales non ſunt, intra hebdomadam pereunt. Adultis etiam hominibus eſt vita ſeptem dierum, quia vt dicit Hippocrates libello de carnibus. Si quis ſeptem diebus nihil edere, aut bibere velit, plerique quidem in ipſis moriuntur, ſunt tamen qui illos tranſmittunt, & tamen moriuntur. Ieiunum enim inteſtinum in his diebus concreuit, moriunturque etiam illi. Hanc ob cauſam ego indico, miſiſſe Deum die ſexta cibum Danieli in lacu Leonum exiſtenti, ne ſcilicet, ſi ſeptimam attingeret, periret fame. Nam etiam in his quæ miraculosè agit, habet Deus rationem aliquam naturæ, ne plura quàm opus ſit eueniant miracula. Itaque & conceptio, & argumentum vitalis ortus, & duratio vitæ hominum ſine refectione ſeptem dierum eſt, vt certè mundi totius fabrica ſeptimo die eſt concluſa.

Nominis octauo die imponendi ratio.

Septenarij ratio in vita.

Sine cibo quouſque vita duret.

Hominis ortus quid imitetur. In quàm plurimis enim rebus, hominis ortus mundi creationem imitatur; nimirum eſt microcoſmos. Meritò ergo, atque iuxta hominum naturam, iuſſit Deus pueros die octauo circumcidi, quaſi iam victuros. Interim iubet mulierem quæ pe-perit maſculum, immundam eſſe ſeptem diebus iuxta dies ſeparationis menſtruæ, hoc eſt, continere ſeſe ſecundùm legem eius cui menſtrua fluunt, quæ capite decimoquinto huius eiuſdem libri ſcripta eſt his verbis, *Mulier, quæ redeunte menſe, patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur.* Hoc quoque ſecundùm rei ipſius naturam præcipitur, quia hic etiam eſt finis fluxionis menſtruæ naturaliter euenientis. Quæ enim vltra hebdomadam prorogatur, ſymptomatica eſt, & morbi ſoboles Quamquam enim, vt libello de ſuperfœtatione dicit Hippocrates, multis tempus eius purgationis tres ſunt dies, pleriſque tamen, vt ipſemet dicit, multò plures, duplum ſcilicet, hoc eſt, vſque ad ſeptimum, quo ea ceſſat, velut morbi etiam acutiſſimi Neque ſanè vltra tres vel quatuor dies prorogari præter naturam eſt, niſi etiam vltra ſeptem prorogetur, tametſi multò ſalubriores & fœcundiores ſint, quibus non vltra tres durat. eſſe verò poteſt etiam naturale, vſque ad ſeptem, etſi minùs vtile. ſed eſt etiam in naturalibus plus aut minus bonũ. Hoc verò ita habere, Hippocrates lib. 1. de morbis mulie-bribus docet, dicens: *Quibus verò in natura eſt, vt plures quàm quatuor dies purgantur, & menſes valde multi prodeunt. hæ tenues ſunt, & fœtus earum tenues, & emarceſcunt.* Itaque optimus menſtrorum finis, duorum, aut trium, aut ad ſummum quatuor dierum eſt: naturalium verò vltimus, ſeptem. Meritò igitur mulier, quæ redeunte menſe, patiebatur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabatur, & ob hanc ipſam cauſam quæ pepererat maſculum, ſeptem diebus quaſi immunda eſſe iubebatur. Circuncidebatur verò puer die octauo, quaſi exactum iam eſſe ſeptimum, magnam vim haberet ad vitæ ſecuritatem: poſt ſeptenarium verò maximam vim habent in affectionibus fœtuum qui geruntur vtero, & infantium recèns in lucem

Quadragenarij numeri in fœtu. editorum, quadragenarij: atque vt intra ſeptem dies fieri diximus effluxiones ſeminis, cùm conceptio non perficitur: ita intra quadraginta plurimi fiunt abortus, ac corruptiones. Quod Ariſtoteles capite tertio, ſeptimi de Hiſtoria animalium, his verbis dicit *Effluxiones vocātur, quæ intra ſeptimam diem corruptiones fiunt, abortiones autem quæ intra quadrageſimum.* Et quidẽ plurimi fœtus intra tot numero dies deprauantur. Hippocrates quoque libello de partu ſeptimeſtri ita ſcriptum reliquit: *Dicunt autem & abortus plurimos in primis quadraginta diebus fieri,*

fieri, ſed & reliqua conſcripta his accidere in quadraginariis. Rurſus paulò infrà eodem libello: *At verò quadragenarij primùm in fœtibus iudicant; quiſquis enim primos quadraginta dies tramiſerit, abortus effugit ex omni cauſa contingentes. plures autem fiunt in primo quadragenario abortus, quàm in aliis omnibus.* Itaque ex ſententia Hippocratis & Ariſtotelis, quos hac in re ſequutus etiam eſt Galenus, vt intra ſeptem dies fiunt ſeminis effluxus. ita intra quadraginta abortus: atque vt recens nati ſolent intra ſeptem dies perire, ita qui hos effugiunt, alium, eumque proximum periculi finem habent, quadraginta dies: atque vt ſupra ſeptem dies contentum intra vterum ſemen eſſe, certa eſt conceptionis nota, cùm verò tranſit prægnationis quadrageſima dies, abortus periculum maximum receſſit: ita cùm recens natus (reſpondent enim vitæ principia principiis generationis) attigit octauum diem, homo iam vitalis eſt: cùm quadrageſimum, robuſtior, viuacior, & ſapientiæ iam particeps eſt. Indicio eſt, quòd eorum qui euaſerunt, ſeptimum multi moriuntur intra quadrageſimum, à quadrageſimo vero incipiunt iam pueri ridere, quaſi firmiores iam facti, & ſapientiæ quædam exordia oſtentantes. Docet hoc Hippocrates in calce libelli de partu ſeptimeſtri. Merito ergo, atque vt natura ipſa poſcebat inſtitutum eſt, vt puer die octauo circuncideretur, mater verò ingrederetur in Sanctuarium, illum Deo oblatura quadrageſimo. Nimirum circuncidebatur die octauo, vt qui iam non imperfectus fœtus, ſed homo vitalis eſſe cognoſceretur. deferebatur in templum quadrageſimo, vt qui magnum recens natorum periculum euaſiſſet, & roboratus iam eſſet, & ſapientiæ indicia per ſe ferret: interim, vt mater ante diem circuncіſionis immunda eſſet, iuxta dies ſeparationis menſtruæ, dies ſeptem iubebantur, quia id tempus eſt naturale menſtruæ purgationis, ita inter diem circunciſionis & delationis in templum iubebatur manere in ſanguine purificationis ſuæ dies triginta, quia tot dies ſolet durare expurgatio iis quæ mares peperunt. Quod facilè intelliges ex his Hippocratis verbis, quæ libello de natura pueri ſcripta ſunt, *Atque hæc mihi de hoc dicta ſint, & factus iam eſt puer, & ad hoc peruenit, fœmella quidem quadraginta & duobus diebus vt longiſſimè, primam coagmentationem ac coarticulationem accipiens: maſculus verò vt longiſſimè in triginta diebus: vt plurimũ enim hoc tempore, aut paulò breuiori, aut paulò longiori articulatio ipſis cõtingit. Nam & purgatio fit à partu vt plurimũ, in fœmellis quidem diebus quadraginta & duobus, atque hæc tardiſſima eſt, & perfecta: vacauerit autẽ periculo etiam ſi in viginti quinque diebus purgetur:* in

Abortus quando fiant.

Fœtus formationis tempus.

Expurgatio à partu.

in maſculo verò purgatio ſit diebus triginta,atque hæc tardiſſima, & perfecta,circa tamen periculum fuerit mulier,etiam ſi in viginti diebus purgeret. Hæc Hippocrates,quibus docet tẽpus formationis pueris reſpondere tempori purgationis matri, atque quia mares in vtero citiùs formantur quam fœmellæ,proinde & eas quæ mares pepererũt,purgati citius,eſſéque tempus formationis pueri,& purgationis eius quæ marem peperit triginta dies. Quod attinet ad purgationem eius quæ marem peperit, veriſſimum eſt,& iis quæ in lege Domini dicuntur maximè conſonum. Quod verò attinet ad tẽpus formationis maris & fœmellæ,& ad æqualitatem temporis formationis fœtus & purgationis matris, neque admodùm firmum, neque certum eſt, ſed contingit ita, & aliter. Neque hoc latuit Ariſtotelem aut Hippocratem.Nam Ariſt cap. 3. libri citati, ita inquit: *Purgationes autem accidunt plurimu cùm conceperint ad tempus quoddam ſcilicet triginta dierum, maximè ſi concepta fœmina eſt, quadraginta ſi mas. A partu etiam purgationes eodem numero dierum conſequi volunt, quanquam non æquè ita diligenter eueniunt.* Hæc Ariſtoteles. Locus haud dubiè corruptus eſt,legendum enim *triginta dierum, maximè ſi conceptus mas eſt:quadraginta ſi fœmina.* Nam dicit tempus expurgationis à partu, æquale eſſe tempori expurgationis, quæ fit initio conceptionis, conſtat verò iuxta omnium ſententias longiorem expurgationem eſſe à partu fœmellæ,quàm maſculi.At verò Ariſtoteles non admodùm certam eſſe eam expurgationis cũ expurgatione æqualitatem,dicit: *Quare neque formationis fœtus cum expurgatione à partu, adeò exacta erit aqualitas.* Videtur enim tempus expurgationis, quæ initio conceptionis fit, reſpondere tempori formationis, quanquam neque hic erit adeò certa æqualitas,vt neque in tempore toto prægnationis mulieribus, neque in vllis eius partibus firmum quidquam ac certum eſt. Quapropter Ariſtoteles paulò infrà inquit: *Mares magna ex parte circa quadrageſimum diem,dextro potiùs latere mouētur:fœmina ſiniſtro,circiter nonageſimum. Nihil tamen certi in his affirmare licet.Sed enim hæc, & reliqua huiuſcemodi, vt differunt eò quòd magna ex parte, & eò quòd magis ac minùs accidit, ſic accepimus.* Hæc Ariſtoteles. Hippocrates quoque libello de alimento, cùm recenſuiſſet multa variaque partus tempora, & formationis, motus, & editus tempora, & eorum proportiones, adiecit, *Non eſt, & eſt:* inſinuans nihil eorum eſſe perpetuum,ſed quodcunque fieri poſſe,ita aut aliter.Verba verò Hippocratis ſunt hæc: *Ad figurationem ſoles triginta quinque,ad motum ſeptuaginta,ad perfectionem ducenti & decem. Alij tradunt formam*

Expurgationis à partu maris & fœmellæ differentia.

Quo tempore fœtus in vtero mouetur.

formā quadraginta quinque, ad motum ſeptuaginta ſex,ad exitum ducenti & decem Alÿ ſic ad formam quinquaginta,ad primum ſaltem centum, ad perfectionem trecenti. Alÿ ſic,ad diſcriminationem quadraginta,ad tranſitum octoginta ad elapſum ducenti quadraginta,non eſt,& eſt. His verbis Hippocrates,vt in commentatione eius loci explicuimus, narrat multas Medicorum ſententias de tempore partus naturalis, & de temporibus quibus fœtus formationem acciperet, inciperet moueri, & exiret in lucem, ac de proportione temporum, quibus illæ mutationes inſignes contingerent, eiſque narratis, dicit, nihil in illis eſſe perpetuum, ſed poſſe fieri quodcunque illorum, & non fieri. Hoc idem docuit libro ſecundo de morbis popularibus ſectione tertia, eaſdem ſententias narrans. Nimirum, vt Ariſtoteles dicit capite quarto citati iam ſæpe libri; cùm cætera animalia omnia, ſingulari ac ſimplici modo partum ſuum perficiant. certum enim pariendi tempus ſtatutum eſt ſingulis generibus, homini vni datum multiplex. Nam & ſeptimo menſe, & octauo, & nono parere poteſt, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam & vndecimum tangunt. Itaque conſenſu probatiſſimorum auctorum conſtat neque partus muliebris, neque mutationum inſignium quæ fœtui accidunt, formationis dico, & motus, eſſe ſimplex & ſtatutum tempus; ſed varium & multiplex. Neque ſolùm homini non eſt certum tempus horum, ſed neque ſexui vlli. Nulla enim eſt ſexui naſcendi differentia ſiue inquam mas ſit, ſiue fœmella. Nam tamẽ ſi Ariſtoteles dicit, fœminam ſæpius in vndecimum menſem incidere quàm marem, huncque ſæpius fieri ſeptimeſtrem, tamen experimentum repugnat:adeoque minus certi quidquam eſt in rebus quàm veteres putarunt, vt noſtro ſæculo nata ſit fœmella haud dubiè quinquemeſtris, quæ adhuc viuit, pluſquam duodecim iam annos nata, cuius gracilitas ac tenuitas maior quàm mulieribus eſſe conſueuerit, indicat, certam eſſe de eius ortu fidem, præter quam quod multis domeſticis, neque ineuidentibus argumentis conſtitit: vſque adeò in Phyſicis alterationibus vix quidquam eſt omninò aut impoſſibile, aut neceſſarium. Quid ergo, an nihil eſt in rebus quæ ad fœtus & puerperas ſpectant certum, ac firmum? ſanè nullum eſt tempus certum, quo mas aut fœmina figuram accipiat in vtero,neque quo moueri incipiat,neque quo in lucem exeat, neque quo mulier vtero gerens, ſtatim à conceptionis initio expurgetur, neque quo expurgetur quæ peperit,ſiue marem ſiue fœminā: ſed hæc omnia tempora,multiplicia & varia ſunt. Illud tamen certum eſt, mares citiùs figuram recipiendi

Vario tẽpore mulier parere poteſt.

Puella quinquemeſtris.

& mouendi vim quàm fœminas,& eas quæ mares conceperunt breuiores habere expurgationes,& eas quæ prægnationis initio fiunt (quamquam has non omnes mulieres habent)& eas quæ à partu. Horum omnium eadem eſt cauſa, humidior ſcilicet, frigidior, & excrementoſior natura fœminæ. Quoniam enim talis eſt: ex frigidioribus, & humidioribus principiis gignitur. Humidiora verò principia, ineptiora ſunt ad recipiendam figuram propriam, quàm ſicciora: frigidiora verò quàm calidiora ineptiora ſunt ad motum. Neceſſe eſt ergo fœminæ quàm mares tardiùs accipiant figuram,& moueantur: non tamen proinde & tardiùs edantur in lucem, ſed eiſdem temporibus quibus mares: quia quantò tardiùs accipiunt figuram & mouentur, tanto, poſtquam formata ſunt,citiùs veniunt ad incrementum. Quod Hippocrates docuit ſecundo Epidemicῶn, & rurſum ſexto. Sunt verò eius verba in calce ſectionis tertiæ lib.2. *Quod citiùs diſcretum & motum eſt, augetur rurſus ſegniùs, & in longius tempus.* In calce ſectionis ſecundæ libri ſexti dicit, *Concretum eſt, conſtitit citiùs, poſtquam motum eſt, deſinit & tardiùs augetur, & pluri tẽpore* Ariſtoteles hoc interpretatur de eo incremento, quod mares & fœminæ recipiunt editi iam in lucem vſque ad cõſiſtendi ætatem. Monſtratum verò à me eſt in eius operis commentariis, de eo etiam incremento intelligi quod intra vterum accipiunt, poſtquam moueri cœperunt,vſque dum vtero exeunt. Quod vel ipſa authoris verba apertè ſonant.Itaque etſi mares æquale tempus gerantur vtero,fœminę verò tardiùs accipiunt figuram.& mouentur dictam ob cauſam. Atque ob eandem, quæ fœminas pepererunt diutiùs ſunt immundæ, & longiores habent purgationes. Nam cùm mulieres humidiores & excrementoſiores ſint quàm viri. & earum principia quàm ex quibus viri fiũt, cõſtat ab iis etiam mulieribus cõcipi,quæ aut natura ſint.aut tunc fortè cõtigerit eſſe excrementoſiores. Indigebunt igitur tales expurgatione diuturniori. Cum verò non ſit idem ſtatutumque tempus expurgationis omnibus,neque quæ mares,neque quæ fœmellas pepererint, ſit verò periculoſum minùs durare expurgationẽ quàm natura poſcebat, & morboſum durare plus, neceſſe eſt tempus aliquod eſſe vltra, & citra quod naturalis non cenſeatur expurgatio. Id rectè dicit Ariſtoteles eſſe in ea quæ marem peperit, à viginti vſque ad triginta dies. Nam & experimentum ſubſcribit eius ſententiæ. Scire tamen expedit, iis quæ pepererunt duplicem ex vtero vacuationem ſuccedere, primam ſanguinis copiosè fluentis, vt ſingulis menſibus mulieribus ſolet. ſecundam aliorum excrementorum cum exiguo ſanguine fluen

Cur mulieres quæ fœmellã pepererũt diutiùs ſunt immundæ.

Puerperarũ vacuatio.

fluentium paulatim. vtraque eſt ei quæ marem peperit, breuior. Eſt verò ſecunda cùm longiſſima triginta dierum, prima ſeptem. Hanc ob cauſam iuſſit Deus eam quæ peperit marem, eſſe immundam diebus ſeptem, & octauo circuncidere puerum, vt iam vitalem mox triginta diebus expurgari: iis exactis ingredi in Sanctuarium, & offerre Deo puerum. Sed euenit hic dubitare, ſi ſeptem ſolùm diebus erat futura in ſeparatione quæ marem peperiſſet, deinde triginta in purificatione, mox itura in templum, & puerum oblatura, quî fieri poterat, vt oblatio pueri non ante quadrageſimum à partu diem ageretur. Videtur enim futura die trigeſimo & ſeptimo. At verò conſueuiſſe eſſe quadrageſimo, communis omnium ſententia eſt, & Eccleſia Sancta id teſtatur, feſtum purificationis Mariæ celebrans ſecundo Februarij, qui eſt quadrageſimus à natali Domini. Quidam reſpondent rationem computandi eſſe, vt dies primus detur partui, ſeptem ſequentes ſeparationi, mox alius circunciſioni, deinde triginta expurgationi, his exactis aliud oblationi pueri, atque ita fieri quadraginta. Verùm hoc non eſt conſentaneum. Primùm quia circunciſio incideret in diem nonum, atque circunciſionis feſtum ſecundo Ianuarij celebraretur, potiùs quàm primo: deinde quia pueri circunciſio non prohibet matrem eadem die expurgari. In Græcis codicibus iuxta verſionem ſeptuaginta interpretnm, quam ſequutus eſt D. Auguſtinus, legitur: *Ipſa verò manebit triginta tribus diebus in ſanguine mundo ſuo.* Quæ lectio eleuat dictam dubitationem: nam ſeptem & triginta tribus fiunt quadraginta. Atqui quoniam Philoſophi, vt ex dictis conſtat, triginta dierum cenſent eſſe maximè legitimum tempus expurgationis ei quæ peperit marem, dicemus præcipiſſe Deum vt mulier antequam in templum domo abiret, & puerum deferret, maneret domi ſeptem dies ob expurgationem primam, trigiuta, ob ſecundam, tres inſuper propter infantem: ne ſcilicet ante quadraginta exiret domo puer. Iuxta verſionem autem D. Hieronymi dicemus, mulieres quidem manere ſolitas domi dies triginta tres poſt ſeptem primos, quo compleretur ante pueri oblationem primus quadragenarius, Moſem verò præcepiſſe manere diebus triginta, inſinuantem illos eſſe purificationis, reliquos tribui pueri incolumitati. Nimirum quadragenarius primus dierum celebratiſſimus eſt ab omnibus Medicis, cenſeturque habere vim magnam ad retinendos in vita pueros. Eam quæ peperit fœminam, explere voluit Deus duos quadragenarios antequam in ſanctuarium ingrederetur, vtpote duplo longiori

Feſtum Purificationis.

H 2 indi

indigentem expurgatione. Ob idque dedit expurgationi primæ duas hebdomadas, ſecundæ dies ſexaginta ſex, vt coniunctis vtriſque fierent octoginta, qui duobus conſtant quadragenariis: qui numerus imperfecto & fœmineo ſexui maximè congruit, vt vnitas virili. Quia vnitas perfectio & forma eſt, binarius principium diuiſionis, & materia. Ego itaque diuinam ſequutus authoritatem, eam quæ marem pepererit, profluuio muliebri vocato, aut vllo alio morbo teneri hanc ob cauſam non cenſeo, niſi diem quadregeſimum euacuatio ſuperauerit, neque eam quæ fœminam, niſi octogeſimam. Etiam ſi Hippocrates loco citato libelli de genitura, & rurſus lib. 1. de morbis muliebribus dicat, longiſſimam expurgationem eius quæ pepererit marem, eſſe dierum triginta, & eius quæ fœminam, quadraginta duorum.

Vnitatis perfectio. Binarij imperfectio.

CAPVT XIX.

De Lepra.

Cap. 13. Leuit. *Loquutuſque eſt Dominus ad Moſen & Aaron, dicens, Homo in cuius cute & carne ortus fuerit diuerſus color ſiue puſtula, aut quaſi lucens quidpiam, id eſt, plaga lepræ, adducetur ad Aaron ſacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius, aut cùm viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorē, ipſumque ſpeciem lepræ humiliorem cute, & carne reliqua, plaga lepræ eſt & ad arbitrium eius ſeparabitur.* Et paulò poſt: *Si obſcurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia ſcabies eſt. Lauabitque homo veſtimenta ſua, & mundus erit.*

Immunditiei vitādæ præcepta.

Quandoquidem præceperat Deus tantopere immunditiem omnem vitare, corporalem quidem & externam, quo ſignificaret multo magis immunditiem omnem vitandam eſſe, & amandam conſcientiæ puritatem, cibos omnes immundos interdixit, permiſit verò mundis vti, & quod ad corporum affectiones pertinebat, eorum qui morbis tenerentur permittens conuictu vti, eos qui non tam morbis, quàm immunditiis, vt leproſos homines, & gonorrhœa, ſiue profluuio ſeminis laborantes, & mulieres quibus fluerent menſtrua, iuſſit ſeparare: eos quidem qui eſſent ſuſpecti recludere, apertè immundos ab aliorum cœtu ſeparare, & extra caſtra reiicere. Quæ omnia plena ſunt magnis myſteriis. Significant enim omnia hæc quæ vitare Deus iubet, prauas animorum affectiones, quas oportet veri Dei cultores cauere. Et ille quidem populus quibus lex in ſcriptis tradita eſt, corporalia illa & externa obſeruabat:

uabat: nos verò quibus non ſoluta, ſed adimpleta traditur, ſequentes potiùs ſpiritum quàm literam, intelligimus omnem animi immunditiam vitandam, & conuictum cum immundis. Summa verò rei eſt, vitari debere omnem turpitudinem, & immunditiam. Atque cùm ſint duplices corporum paſſiones, quædam quæ actiones lædunt, ac proinde morbi propriè ſunt, atque ita affecti, ægrotantes, vt febris, pleuritis, & phrenitis, & lethargus: quædam quæ non tam morbi, quàm turpitudines quædam ſunt, quia non tam lædunt actiones, quàm pariunt fœditatem quandam, vt lepra, & gonorrhœa, & profluuium menſtruum, morbos non iuſſit Deus deuitare, ſed deformitates & turpitudines. fortaſſe quia vbi pura conſcientia eſt, infirmitates & morbi nihil lædunt. Hippocrates libello de affectionibus ita inquit: *Lepra & pruritus & ſcabies & impetigines, & vitiligo, & alopecia à pituita fiunt: ſunt autem talia turpitudo magis quam morbi.* Itaque hanc ob cauſam lex hæc lepræ lata eſt. Vitia cutis quæ fœditatem afferunt, ſunt in triplici genere: maculæ enim ſunt, aut vlcera, aut aſperitates, aut duo horum, aut omnia ſimul. Vitia coloris ſeu maculæ, vocantur Græcis leucæ, & alphi, Latinis vitiligines ſeu morpheæ, Arabibus guada ſeu alguada. Hæc cùm ſummam tenent cutem, nihil adiiciunt aliud, ſed ſunt ſolùm maculæ, alba, aut nigra: vocaturque vitiligo alba, aut nigra: cùm altiùs partem tenent, mox adiiciunt aſperitates exiguas furfuri ſimiles, & Græcis vocatur pſora. Latinis ſcabies: aut maiores ac velut ſqammas & vocatur Græcis lepra. Arabibus barràs, ſeu albarràs, & hæc quoque eſt alba aut nigra, vt fit à pituita ſalſa, aut à melancholia. & propriè quæ nigra eſt vocatur lepra, quæ alba lychen ſeu impetigo. quæ eadem vocatur aliis lepra volatilis, quia ſerpit, videturque volare per partes. Si non ſolùm tenetur cutis altiuſculè, ſed etiam venæ & caro, fit morbus qui vocatur Græcis elephas. Arabes verò, & vulgus, vocant hunc lepram, albarràs nigrum, dicunt lepram antecedere. Elephantem verò vocant Arabes hunc eundem morbum cùm tenet cruta, vt ſæpe ſolet. Itaque leucæ ſeu alphi, ſeu vitiligo, ſeu morphea, ſeu guada, & ſcabies, ſeu pſora, & lychenes. ſeu impetigines, ſeu volatilis lepra. ſeu barràs album, & lepra, ſeu barràs nigrum, & elephas, ſeu lepra vulgò vocata, & Arabibus, vitia & turpitudines externi corporis habitus ſunt fiuntque alia ex aliis, intentione & remiſſione diuerſa, naſcunturque ex redundantia pituitæ, aut melancholiæ. Hæc omnia vitia communi appellatione, vbi ingraueſcentia recedunt à ſimplici ſcabie, vocantur lepræ genera, & iudicium ferre quàm grauis ſit aut ſecus ea

Paſſiones corporum duplices.

Vitiligo.

Scabies.

infectio eſt diſcernere inter lepram & lepram, quod ad ſacerdotem pertinebat, ac nunc quoque ſpiritualiter pertinet. Deſcribuntur ergo hîc quædam notæ, quibus diſcerni poſſint qui grauiter, & qui leuiter infecti ſunt: & qui facilè curentur, aut curationem non admittant: vt qui ſimplici tantùm ſcabie deprehenderentur laborare, mundi iudicati dimitterentur: quos ſpes eſſet fore vt mundarentur, recluderentur, aut ad arbitrium Sacerdotis (hoc eſt, quantùm ſacerdoti videretur eſſe ſatis, ſepararentur: qui iam eſſe viderentur deſperatæ emundationis, omninò ſepararentur & reiicerentur extra caſtra. Tria ſigna ſcribuntur hîc maligni vitij, & ob quod oporteret ita affectos homines ab aliorum conſortio ſeparari, quæ eadem apud Medicos ſcripta reperias, & cauſas habent naturales. Duo eorum ſunt lychenum, ſeu lepræ volatilis, ſeu albarràs albæ, ſeu alphi, quem maligniorem eſſe quàm leucem dicunt: pilos qui ex leproſa cute naſcuntur in album mutari colorem, & ipſam lepram humiliorem reliqua cute. Tertium eſt vitiliginis albę, ſeu alguadà, ſeu leucæ, quæ plerunque leuius malum eſt, aliquando verò etiam eſt grauiùs, & fit alphis. Illud eſt maculum dilatari ac creſcere, ac tranſire in cute priores terminos, hoc eſt, amplificari, ac extendi vitium illud. Apud Auicennam quoque reperias hæc eadem ſcripta cap. 9. tractatus ſecundi, fen. ſeptimæ, lib. 5. his verbis, *Ambigua verò eſt differentia inter alguadà quæ eſt morphea arba, & albarràs malam, & differentia quidem inter vtraſque eſt, quòd pili oriuntur ſuper alguadà, & ſunt pili nigri & flaui, & naſcuntur ſuper albarràs, albi non alij: & eſt cutis magis depreſſa, & vehementiùs defoſſa quàm cutis reliqui corporis.* paucis interpoſitis in eodem capite dicit, *Quoniam de morphea (hæc eſt vitiligo, ſeu guadà) quædam eſt vehementis elongationis à colore corporis, & de ea eſt quæ eſt propinquior ei, & eſt magis ſalua. Et in ea quæ eſt ſubmerſa & non rubet, neque ſanguinẽ emittit (hæc ſunt ſigna peſſima vitiliginis, & lepra iam malitia aqualis) & eſt vehementis dilatationis capiens locum magnum non eſt ſpes, & ſimiliter illa quæ omni hora incipit in additione.* Ecce vt Auicenna deſcribat his eiſdem ſignis peſſimum albarràs album, hoc eſt malignos lychenes, ſeu album, ſeu lepræ quoddam genus, & malignam morpheam, aut leucem, quæ in malignitatem lepræ iam abiit. Porrò lucidum candorem notam eſſe lepræ, conſtat ex verbis vltimis capitis quinti libri quarti Regum, vbi dicitur, *Egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.* Cauſas horum non eſt difficile inuenire. Cùm enim lychenes illi maligni à ſalſa pituita naſcantur, ſola vel cum atra bile miſta, neceſſe eſt vbi partis temperies admodùm labefactata eſt, & in

Tria ſigna maligni vitij.

Indicia vitij.

ipſius

ipſius excrementi naturâ velut mutata, ſalitam admodum eſſe cutem, & proinde ſiccam & contractam, ac reliqua cute quæ ſana eſt humiliorem. Porrò, cùm orta attreſtentur iis ex quibus oriuntur, vbi cutis ob pituitam ita erit facta candida, vt ipſum ſubſtantiæ modum mutauerit in candidiorem, pilos quoque ex ſeſe naſcentes candidos reddet. Quòd morphea, ſeu vitiligo maligna creſcat, eadem cauſa eſt quam Auicenna quoque poſt nuper citata verba appoſuit, ita dicens: *Et ſimiliter illa quæ omni hora incipit in additione, quoniam complexio eius eſt fortis, conuertens illud quod ad eam vadit ad ſuam ſimilitudinẽ, & propter illud eſt mala valde.* Ex dictis facilè intelligentur præſcripta verba, poteruntque explicati phyſicè. Aſſerti iubet ad ſacerdotem quemcunque cui mutatus ſit cutis color, aut innatæ puſtulæ aut quaſi lucens quidpiam, quaſi ſcilicet fulgentes furfures, aut ſquammæ. Nam hæc omnia poſſunt eſſe initia vitij abeuntis in malignum, & in aliquod lepræ genus. Iubet etiam cùm viderit ſacerdos in cute lepram talem, vt pili qui inde naſcantur, in album mutati ſint colorem, & ipſa lepræ ſpecies ſit humilior cute & carne reliqua, ſeparari hominem, quia plaga lepræ eſt: nimirum maligni lychenes. Sin autẽ fuerit tantùm lucens quidam candor in cute, neque tamen cutis fuerit humilior carne reliqua, & pili adhuc retineant colorem priſtinum, nondum conſtat malignum eſſe vitium. Verùm quia ſæpe ab iis initiis proceditur in malignum, non vult eum mox dimitti vt mundum hominem, ſed recludi per hebdomadam, eáque exacta ſacerdotem conſiderare, an vltra creuerint, & maculæ dilatatæ ſint: ſíque non creuerint, rurſum recludi aliam hebdomadam, qua rurſum exacta, ſi obſcurior fuerit lepra, neque creuerit in cute, hoc eſt, non ſe dilatauerint maculæ, & ſigna lepræ facta ſint obſcuriora, ſcire iubet lepram veram non eſſe, ſed pſoram, ſeu ſcabiem, ac proinde dimitti hominẽ locis veſtimentis. Mundus enim eſt, hoc eſt, non eſt leproſus, ſed ſcabioſus ſolùm, quod leue eſt, & ſolo veſtium mundiſſimarum, linearum, vſu, & probo victu liberabitur, præmiſſa, ſi opus ſit, aliqua corporis euacuatione additur dictis. Scabiei remedium

Quòd ſi poſtquàm à ſacerdote viſus eſt, & redditus munditie, iterum lepra creuerit, adducetur ad eum, & immunditia condemnabitur.

Peſſimum eſt cùm morbi alicuius exordia ſeſe inſinuauerint antea, quæ poſteà deſtitiſſe viſa fuerint, hominem in eum ipſum morbum incidere. Nam iteratus morbus, magnum corporis apparatum, & in eum propenſionem ſignificat, ſubeſséque in vitioſa corporis natura morbi velut radicẽ. Morbus verò in Recidiuæ malum.

quem corpus valde propenſum eſt, facilè abit in habitum. Meritò ergo immundus & leproſus cenſetur, cui mundato iam ſemel lepra redit. Quia veriſimile eſt, id non ex prauo victu, quo paulò ante vſus fuerit homo, aut leui aliqua occaſione, ſed ex firmata in corpore Cacochymia naſci. Itaque vt incrementum macularum, ita & repetitio, ſuſpectum & malum ſignum eſt, cenſetúrque meritò, quæ ſemel repetiit, ſæpè repetitura lepra, neque vnquam futurus homo tutus ab immunditia, quare immunditiæ condemnabitur.

Plaga lepra ſi fuerit in homine, adducetur ad ſacerdotem, & videbit eum, cumque color albus in cute fuerit, & capillorũ mutauerit aſpectũ, ipſa quoque caro viua apparuerit, lepra vetuſtiſſima iudicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit ergo eum ſacerdos, & non recludet, quia perſpicua immunditia eſt. Si autẽ effloruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite vſque ad pedes, quidquid ſub aſpectum oculorũ cadit, conſiderabit eum ſacerdos, & teneri lepra mundiſſima indicabit, eò quòd omnis in candorem verſa ſit, & idcirco homo mundus erit. Quando verò caro viuens in eo apparuerit, tunc ſacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur. Caro enim viua ſi lepra aſpergitur, immunda eſt. Quòd ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, conſiderabit eum ſacerdos, & mundum eſſe decernet.

Duo alia ſigna lepræ.

Duo alia præter dicta deſcribuntur hîc lepræ ſigna: alterum vetuſtiſſimæ & incurabilis, ac proinde perſpicuæ immunditiæ: alteram mundiſſimæ ac facillimæ ſolutum peſſimum in lepra eſſe, dicit, *ſi caro viua ſit aſperſa lepra*, hoc eſt, ſi non ſolùm in cute ſit macula alba, aut lucens cum ſquammis, & ea ſit humilior reliqua cute, ſed etiam ipſa caro viua ſub cute ſit ſimiliter infecta, ſit ſcilicet alba & modum ſubſtantiæ carneæ amiſerit. Id verò lepræ vetuſtiſſimæ & cutis inolitæ eſſe conſtat, quia non ſolùm ſit pituita ſalſa excreta ab expultrice vi in cutem ſed ſubiecta etiam carne in vitioſi ſucci naturam mutata. Grauius ergo eſt hoc quàm cutem humiliorem reliqua cute fieri, & capillos candidos. Quia ea infectione ſolius cutis fieri poſſunt, grauius verò eſt infectam etiam eſſe ſubiectam & viuam carnem. Hoc an ita habeat, an inquam ipſa ſubiecti caro ſit leproſa, iubet Auicenna citato capite explorare puncta acu carne: *Si enim* (inquit) *punctura acu extrahit ſanguinem, eſt guadà (ea eſt, vt diximus, leuior affectio) ſi non ſanguinem, ſed humiditatem aquoſam, eſt borràs, & hoc* (inquit) *non ſanatur.* Rurſum explorare iubet fricatione, dicens, *Et iterum quærebat poſt fricationem, eſt ad ſpem decliuis, & ad hoc vt ſit morphea: & qua non rubet per eam, eſt mala.* Nimirum vbi ſubiecta

Exploratio lepræ.

caro eſt munda, acu ſanguis extrahitur, & fricatione allicitur in cutem: vbi verò ipſa viua caro eſt ſecundùm ſuæ ſubſtantiæ modum mutata, velut etiam in iis qui vocantur Leucophlegmatici, extrahitur Ichor quidam, ſeu ſanies aquoſa, & cutis fricata non rubet. Talem dicit Auicenna non ſanari, qui hoc loco dicitur eſſe non recludendus, quaſi qui ſaneſcere facilè poſſet, ſed contaminandus, hoc eſt, ſeparandus, quaſi contaminatus, quia apertæ immunditiæ eſt. Hoc idem docuit Paulus Ægineta libro quarto capite quinto, docẽs diſtinguere leucem medicabilem ab immedicabili. qui locus mihi videtur eſſe corruptus, & ex dictis facilè poſſe reſtitui. Ita enim legitur: *Huius notæ & ſignificationes ſunt huiuſmodi: Acu pungito in ſuperficie cutis leucem non vltra cutem, quòd ſi non niſi ſanguis exeat, incurabilis non eſt morbus: ſin lacteus quidam humor profluit, curationẽ non admittit. Vel laneo pãniculo aſpero ipſam perfrica: quòd ſi rubicundior fiat, curari poteſt: ſi in eodem colore manet, incurabilis eſſe cenſenda eſt.* Vide vt Paulus eadem dicat de Leuce, quæ Auicenna de guadà & morphea. legendum verò eſt haud dubiè, vbi, *quòd ſi non ſanguis exeat*, *quod ſi ſanguis exeat.* Nam curationem admittentis lepræ eſt exire ſanguinem: non admittentis, exire lacteam, aut aquoſam humiditatem. Eſt autem in Græco facillimus lapſus, & emendatio etiam, nam pro εἰ μὴ legendum εἰ μὲν. Hæc eadem ſigna curabilis & incurabilis alopeciæ ſcripſit Galenus primo de compoſitione ſecundùm locos Rectè autem monet Paulus, ne multùm figatur acus vltra cutem: ita enim nulli non exierit ſanguis, ſed ſatis magnũ ſignum erit firmatæ iam lepræ, transfixa cute ſanguinem nullam exire. Auicenna itaque hac in parte ſequutus eſt Paulum. Vterque hac in re mihi videtur errare, quòd velut leniusquiddam & minùs malum commemorent, ſanguinem puncta acu à cute non exire, quàm pilos fieri albos: cùm tamen hîc Propheta Moſes grauius eſſe oſtendat, dicens, *Cumque colrr cutis mutatus fuerit, & capillorum mutauerit aſpectum, ipſa quoque caro viua apparuerit.* Commemorat enim hoc poſtremò velut omnium grauiſſimum atque in initio capitis, eos quibus cutis alba, & humilior cute reliqua, & dealbati eſſent capilli, ſeparari iuſſit ad arbitriũ ſacerdotis: nũc verò adiiciens, *Et caro viua apparuerit*, dicit, *Contaminabit eum, quia apertæ eſt immunditia*: tanquam grauius quiddam dicens Paulum verò & Auic. contrarium inſinuaſſe conſtat, quia infixa acu ſanguinem non exire tribuit Paulus leuce, Auicenna guadà & morpheæ capillos albos fieri Paulus tribuit alpho & Auicenna barràs. conſtat verò leucem quam alphum apud

Leucophlegmatici.

Paulum, & guadà quam barràs apud Auicennam: leuiorem eſſe morbum, atque leucem Pauli eſſe guadà Auicennæ, & alphum barràs. Nos verò ſequuti veritatem dicimus, in his omnibus vitiis cutis, quæ hoc loco lepræ nomine intelliguntur, minus eſſe graue mutari colorem ſolius cutis, quàm capillorum etiam. grauius verò quàm vtrumque, ipſam iam viuam carnem lepra reſperſam eſſe, ita vt transfixa cute ſanguis non exeat, & fricata cute non appareat rubor. Mundiſſimæ lepræ ſignum eſſe dicitur, cùm lepra diſcurrens per totum corpus, operit totam carnem à capite vſque ad pedes, quidquid ſub aſpectum oculorum cadit. Quod ſanè, vt eſt veriſſimum, ita naturalis quoque rationi eſſe conſentaneum facilè intelliget, quicunque medicinæ tantillum deguſtauerit. Nam quantò excrementa abundantiùs extrorſum per cutem emittuntur, tantò internas partes minùs poſſunt lædere, & tantò maior naturalis facultatis potentia ſignificatur. In vitioſis ergo corporum diſpoſitionibus & cacochymiis, exigua quædam in cute eſfloreſcere, ſignum malum eſt, quia impotentia expultricis ſignificatur, & vt cauſa, parum confert, parum enim eſt quod corpore exit. Quare meritò timetur malũ partibus altioribus. Vbi verò contrà, plurimum eſt quod extra cutem traditur vndique à capite ad pedes totum interius corpus manere purum eſt conſentaneum, perinde accidit in vocatis variolis, & morbillis, ſcabie, & aliis quibuſuis exanthematis. Nihil enim potius cenſent Medici, quàm vt pro multitudinis ratione aut cacochymiæ, abundanter erumpant In hanc ſententiam ſcripta ſunt quàmplurima ab Hippocrate multis in locis, apertiſſimè verò, & quod ad locum præſentem maximè facit, ſcriptum eſt lib. 2. Epidemicõn ſect. 2. his verbis, *Sed & quæ ſub cutem abſcedunt foras tubercula, velut putreſcentia, & quæ ſeparantur, aut vlcus, aut eiuſmodi puſtula, aut ſquamma, aut defluuium capillorum, vitiligines lepra aut eiuſmodi, quæ abſceſſus ſunt aceruatim fluentes, & non ſemirepẽtes.* His verbis Hippocrates docet, has omnes excretiones excrementorum in cutem eſſe debere copioſas, non ſemifientes, quia per copioſas excretiones manet mundum interius corpus. Vides vt hæc omnia præterquàm quòd morborum animi curationi rectè accommodantur, ſunt phyſicè ſcripta, vt etiam quæ ſequuntur.

Excremẽta quando debeant eſſe copioſa.

Caro autem & cutis in qua vlcus natum eſt, & ſanatum, & in loco vlceris cicatrix alba apparuerit ſiue ſubruſ, adducetur homo ad ſacerdotẽ. qui cùm viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verſos in candorẽ, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta eſt in vlcere. Quod ſi pilus coloris eſt priſtini, & cicatrix ſubobſcura, &

& vicina carne non eſt humilior, recludet eum ſeptem diebus, & ſiquidem creuerit, adiudicabit eum lepra: ſin autem ſteterit in loco ſuo, vlceris eſt cicatrix, & homo mundus erit. Caro autem & cutis quam ignis exuſſerit, & ſanata albam ſiue rufam habuerit cicatricem, conſiderabit eam ſacerdos, & ecce ſi verſa eſt in alborem. & locus eius reliqua cute eſt humilior, contaminabit eum, quia plaga lepra orta eſt in cicatrice. Quòd ſi pilorum color non fuerit immutatus, neque humilior plaga carne reliqua, & ipſa lepra ſpecies fuerit ſubobſcura, recludet eum ſeptem diebus, & die ſeptimo contemplabitur ſi creuerit in cute lepra, contaminabit eum: ſin autem in loco ſuo candor ſteterit non ſatis clarus, plaga combuſtionis eſt, & idcirco mundabitur, quia cicatrix eſt combuſtura.

Nihil hîc aliud dicitur noui, quàm ſolere in iis qui parati ſunt ad lepram, occaſionē præſtare gignendæ illius vlcera, ſiue quæ ſponte ſint nata, ſiue quæ inuſta, eò quòd ſoleat cicatricibus innaſci. Neque mirum, quia ſponte naſcuntur vlcera in partibus debilibus, ob prauos ſuccos in eas motos, & quæ ſemel vlceratæ ſunt, etſi cicatrice obducantur, manent debiliores. Quapropter & ipſa vlcera ſolent ſæpe in ipſis partibus nouari, & materia lepræ in eadem parte emergere. Orta verò lepræ eaſdem notas habet quas in reliquis partibus: nimirum macula ſerpens, & profundior reliqua cute, & pili mutati in candidum, veræ, ac malignæ lepræ notæ ſunt contrariæ, mundæ ſcabiei. Quanquam enim in magnis profundorum vlcerum cicatricibus nullùs pilus oriri ſoleat, eò quòd non cutis, ſed velut cruſta & callus innaſcatur: tamen in ſponte naſcentem vlcerum cicatricibus tenues cutes fieri ſolent, taleſque, vt, niſi corpora ſint cacochyma, nullæ maneant maculæ, & omnia vlcerum veſtigia euaneſcant. Quare talibus cicatricibus innaſcitur villus, vt cuti reliquæ. Conſiderandum verò hactenus, cùm notas lepræ ſcriberet, non niſi candidæ maculæ meminiſſe, nunc verò dicere, ***Et in loco vlceris cicatrix alba apparuerit, ſiue ſubruſa.*** Illud nomen, ***ſubruſa,*** omnes interpretantur quaſi dicatur ſubrubra: atqui macula lepræ in reliqua cute candida fit, in cicatrice verò relicta ex vlceribus ſponte ortis fit aliquando ſubrubra, eò quòd ſanguis quo pars nutritur, malè ob eius debilitatem mutetur, quæ cauſa macularum eſt.

Notæ lepræ.

Cicatrix de pilis.

Cicatrix rubet.

Vir ſiue mulier in cuius capite vel barba germinauerit lepra, videbit eos ſacerdos, & ſiquidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flauus ſolitóque ſubtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ eſt. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum, recludet eos ſeptem diebus & die 7. intuebitur. Si enim creuerit macula, capillus ſui coloris eſt, &

locus

locuſplaga carni reliquæ æqualis,radetur homo abſque loco macula & recludetur aliis ſeptem diebus. Si die ſeptimo viſa fuerit ſtetiſſe plaga in loco ſuo,nec humilior carne reliqua,mundabit eum,lotiſque veſtibus ſuis mundus erit. Sin autē poſt emundationem rurſus creuerit macula in cute, non quæret ampliùs vtrùm capillus in colorem flauum ſit commutatus, quia apertè immundus eſt. Porrò ſi ſteterit macula, & capilli nigri fuerint, nouerit hominem ſanatum eſſe, & confidenter eum pronunciet mundum.

Eadem ratio eſt dignoſcendi malignā lepram ab ſcabie munda in capite & barba, & in aliis corporis partibus: nimirum quæ humilior eſt reliqua cute, & capillorum mutat aſpectum, & ſeſe effundit ac ſerpit maligna eſt, aut etiam quæ cum videretur eſſe munda, rurſum emergit, redit, & ſerpit. Quæ contraria prorſus habet, nullatenus eſt maligna, vt certè de alia etiam lepra dictum eſt Illud ſolùm intereſt, quòd in reliquis partibus, lepra affectæ cùm ſunt, pili mutantur in albos, in capite & barba in flauos & tenues. Huius cauſa eſt, quòd capitis lepræ innaſci ſolent achores, & ceria vocata, Medicis vulgò, ac quibuſdam etiam Arabum Medicorum vocatur tinea. ſunt verò vlcuſcula quædam manantia ſuccum quendam liquidiori melli ſimilem: quod apertè indicat tali etiam ſanie imbutam eſſe illis capitis cutem. Meritò ergò tales inde capilli naſcuntur, tenues inquam & flaui, vt certè è reliquis partibus quæ ſalſa pituita imbutæ ſunt, naſcuntur albi. Cauſa illius eſt bilis flauæ tenuis cum ſalſa pituita permiſtio, aut etiam cum portione aliqua atræ bilis. Res eſt certè experimento cognita, iis mulieribus præcipuè quæ tinea laborauerint, auro ſimiles capillos oriri.

Indicium malignæ lepræ.

Achores.

Vir ſiue mulier in cuius cute candor apparuerit, intuebitur eos ſacerdos, ſi deprehenderit ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram, ſed maculam coloris candidi, & hominem mundum.

Hîc ſtatuitur differentia inter maculā ſimplicem coloris candidi,eam ſcilicet quam vitiliginem albam vocant Latini,& Arabes gaudà, & inter lepram, aut deteriorem corporis infectionē, hoc eſt,pra uos lycheuas,lepram particulariter vocatam, & elephantem, qui lepra eſt deterior, & achora: nimirùm vbi nihil aliud eſt quàm candor quidam ſubobſcurus,lucens in cute, neque ſcilicet humilior eſt plaga reliqua cute,neque pili naſcuntur albi, neque tenues & flaui, neque ſerpendo creſcit, hæc eſt vitiligo & non lepra,& homo mundus eſt

Vitiliginū à lepra differentia.

Vir de cuiuſuis capite capilli fluunt, caluus & mundus eſt, & ſi à fronte ceciderint pili, recaluaſter & mundus eſt: ſin autem in caluitio,

caluitio, ſiue in recaluatione, albus vel rufus color fuerit exortus, & hoc ſacerdos viderit, haud dubiè eum lepra condemnab·t, quæ orta eſt in caluitio.

Caluities quædam naturalis diſpoſitio eſt, quædam præter naturam & ex morbo orta. Quæ naturalis eſt, fit ob ſiccitatem cutis tegentis ſyncipur Velut enim ex arida terra, & duris lapidibus nullæ herbæ naſcuntur, ita neque ex dura cruſtæ ſimili facta cute naſcuntur vlli pili. Et ij ipſi qui inerant deficiente humore areſcunt, extenuantur ſecundùm radices, & excidunt. Eam verò eſſe cauſam naturalis caluitiei conſtat, ſiquidem contraria cauſa nunquam calueſcunt neque pueri, neque mulieres, neque eunuchi, quibus ſcilicet humiditatis, temperamentum redundat. Cauſam qua quibuſdam ea cutis pars ſucceſſit, Hippocrates ſexto Epidemicon ſectione tertia, reiicit in cerebrum, quòd ſcilicet quibuſdam extenuetur eo loco conſiſtens ſubſtantia cerebri, fiatque minor quàm vt tangere poſſit oſſa, & id accidere poſſe iuxta frontem, vbi anguſtior cerebri pars eſt: in aliis capitis partibus non ita. Atque ob id ſecundùm ſynciput fieri caluitiem. Certè probabile eſt, quibus exterior anterioris capitis pars ſiccior eſt, eſſe etiam & interiorem ſicciorem, ac proinde contractiorem, & oſſa minùs attingere, atque ea rurſum cauſa fieri oſſa, & per ea cutem aridiorem, non tamen neceſſarium eſt. Mille enim inæqualitates temperamenti, ſecundum exiguas etiam & proximas particulas fieri euenit. Eſt tamen ſemper naturalis caluitiei cauſa naturalis ſiccitas, & durities cutis ſyncipitis. Ob id, quibus ea pars ſiccior eſt, ſeneſcentibus fit caluitium, nimirum ſeneſcentibus naturaliter ſubrepit partium ariditas. Quæ verò fit præter naturam, & ex morbo, aliquando quidem vocatur à Medicis caluities, velut in aphoriſmo trigeſimo quarto libri ſexti, vbi dicitur. *Quibus caluis varices fiunt magnæ, ij rurſus capillati fiunt.* Ibi enim de præter naturam caluis ſermonem haberi conſtat, vt Galenus docet in commentario, quia caluitium naturale curationem nō admitit. Rarò verò vocantur id caluitium, ſed alopecia, aut ophyaſis. Alopecia quidem, ſi ſecundùm ampla loca, ophyaſis, ſi circulatim excidāt pili Fiunt hæc ob vitioſos ſuccos corrumpentes radices capillorum. Atqui in malignitate, aut abundantia eorum ſuccorum magna differentia eſt ſecundùm magis aut minus. Eſt aliquando tanta, tamque maligna ibi cacochymia, vt inter lepræ ſpecies annumeretur alopecia, ea verò cacochymia, nulla potiùs nota ſignificatur, quàm maculis in debili parte obortis albis vel rufis. Ea enim ſignificant cutis infectionem à ſalſa pituita, aut à bile

Caluities.

Caluitiei non noxij.

Alopecia. Ophyaſis.

bile ea quæ ſolet facete achoras, quas in lepris etiam eſſe diximus. Has ipſas notas cacochymiæ & alopeciæ recenſet Galenus primo de compoſitione pharmacorum ſecundum locos cap.1.quod eſt de alopecia,caluitie & ophyaſi,his verbis: *Quales autem ſint corrupti humores, ex colore cutis capitis cognoſcet: aliquibus mutata albior apparet, aliquibus nigrior, aut pallidior.* Duobus ergo modis fieri poteſt vt homo caluus ſit, & immundus, aut quòd ipſemet ſuccus prauus qui lepram parit, capillos corrupcrit, quod in malignis alopeciis euenit, vt vidimus nonnullos ex achoribus factos caluos;aut quòd in caluitio, alioqui naturali orta ſit lepra. Vtrumuis fiat, ſignificabitur, maculis cutis. Quod itaque hoc loco dicitur, eſt, eum cui à capite excidant capilli, nullo alio accedente vitio, caluum eſſe hominem, atque ſi ſolùm excidant à fronte, vocari recaluaſtrum, non tamen ob id immundum eſſe: ſi verò in caluitie, aut recaluatione albus vel rufus color ſit exortus, lepræ eſſe ſignum, quæ orta ſit in caluitio.

Duobus modis homo fit caluus.

Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum: contaminatum ac ſordidum ſe clamabit. Omni tẽpore quo leproſus eſt ac immundus, ſolus habitabit extra caſtra.

Hoc idem reperies præceptum apud Paulum lib.4. cap.1. vbi de victu agit laborantium elephante, quæ quidem eſt peſſimæ lepræ ſpecies, cuius hæc ſunt verba: *Quoniam autem in contagioſis eſt hæc paſſio non minùs quam peſtis. habitandum iis eſt longiſſimè ab vrbibus, in mediterraneis, & frigidis, & parum habitatis locis. Atqui ſi fieri poſſit, etiam inde tranſeundem in loca proxima, & ob ſeipſos, & ob alios, qui, vt par eſt, ibi erunt cum minori malo. Nam & ipſi conuenientiori fruentur aëre, & non communicabunt aliis malum.* Hæc Paulus. Quibus præcipit, vt qui immundi ſunt ab vrbibus in vicos ſeu villas,quæ loca ſunt minus frequentia habitatoribus, recedant. Atque adeò ſi fieri poſſit, etiam inde abeant in proximos agros, idque faciant, ſui & eorum, quos eis eſt neceſſarium adeſſe, gratiâ. Nimirum morbus eſt contagioſus non minùs quàm peſtis. In locis verò hominibus vacuis, & frigidioribus, vbi limpidiores perflant venti,ipſi fruuntur meliori aëre, & malum iis, qui illis neceſſariò adſunt (non enim poſſunt ab omnibus deſtituti viuere) minus communicant. Hoc eodem conſilio in peſtilenti tempeſtate, homines primùm recedunt à frequentiſſimis vrbibus, deinde etiam per apertos campos vagantur, ſeorſum alij ab aliis. Huc etiam ſpectant quæ Moſes hoc loco præcipit. Nimirum, quædam horum oportet leproſos agere ſui gratiâ, quædam

Veſtiendi & viuendi ratio.

dam aliorum, quædam vtrorunque. Sui quidem gratiâ habere veſtes diſſutas, nuda raſáque capita, vt expirarent putidi vapores: gratiâ verò aliorum, habere os contectum veſte, & clamare ſe contaminatum, & ſordidum. quia nullo modo magis poteſt hominem inficere homo immundus, quàm expiratione quæ per os agitur. Admoniti ergo clamoribus, alij non accedent, ſi qui verò accedunt, tecto ore minus inficientur: vtrotumque verò gratiâ, habitare extra caſtra.

Veſtis lanea ſiue linea, quæ lepram habuerit in ſtamine atque ſub tegmine, aut certè pellis, vel quidquid ex pelle confectum eſt, ſi alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, oſtendeturque ſacerdoti. Qui conſideratam recludet ſeptem diebus & die ſeptimo rurſus aſpiciens, ſi deprehenderit creuiſſe, lepra perſeuerans eſt; pollutum iudicabit veſtimentum, & omne in quo fuerit inuenta & idcirco comburetur flammis. Quòd ſi eam viderit non creuiſſe, præcipiet, & lauabunt id in quo lepra eſt, recludétque illud ſeptem diebus aliis, & cùm viderit faciem quidem priſtinam non reuerſam. nec tamen creuiſſe lepram, immundum iudicabit, & igne comburet, eò quòd infuſa ſit in ſuperficie veſtimenti, vel per totum lepra Sin autem obſcurior fuerit locus lepræ poſtquam veſtis eſt lota, abrumpet eum & à ſolido diuidet. quòd ſi vltra apparuerit in his locis, quæ priùs immaculata erant lepra volatilis & vaga, debet igne comburi. ſi ceſſauerit, lauabit aqua ea quæ pura ſunt ſecundò. & munda erunt.

Si verè dictum eſt à Paulo, lepram, in morbis contagioſis eſſe non minus quàm peſtem, ſiquidem videmus peſtis ſeminaria, veſtibus, domibus & cubilibus, & etiam ſupellectilibus quibuſcunque hærere conſueuiſſe (per hæc enim omnia accidit fieri infectionẽ) conſtat & lepram poſſe, & veſti hærere, & domui, eſſéque poſſe, & domum, & veſtem, vt peſtilentẽ, ita & leproſam. Verùm domum aliquã duobus modis euenit eſſe peſtilentem. Aut enim ipſa ex ſe ſeparata eſt ad gignendum eum morbum, læditque incolas, velut domus malè perflabiles, & quæ ſimiles ſunt ſuffocatis tuguriis: aut ipſa quidẽ domus, ab aliquo, aut aliquibus incolarum qui laborauerint peſte vitiata eſt, & poſteà ipſa alios qui in ipſam ſuccedãt, lædit. Itaque aut domus per ſeſe eſt ſalubris, aut quòd inquinamenta, ſeu ſeminaria contagionis receperit. An & leproſam veſtem & domum fieri euenit duobus his modis, an altero, & quod eorum oporteat inueſtigare. Non enim aliunde rectiùs videmur poſſe ad præſcriptæ orationis enarrationem procedere. Eius verò diſquiſitionis hoc eſt principium. Morbi contagioſi ſunt, quos qui habent aliis communicant: conſtat verò eam morbi communicationem non poſſe Contagia.

fieri

fieri ſine contactu, vt neque vllam omnino naturalem paſſionem, contactus verò eſſe poteſt ſine medio, aut medium aliqua alteratione tranſmittente. Contactus ſine medio, partium ſolum externarum, & quæ ad cutem pertinet eſſe poteſt. Alteratio non poteſt tranſmittere per medium, quæ vim generandi ſimilem morbum habeat, quin ex corpore malè affecto ſubſtantia aliqua in corpus inficiendum deferatur. Nam ſi medium tantum aut caleſcat, aut refrigeretur, ſiccetur, aut humectetur, aut aliam quampiam qualitatem nudam, ac ſine ſubſtantia ſuſcipiat, alterabitur ſimiliter proximum corpus, non tamen proinde ſuſcipiet morbum corporis longè poſiti. Hanc ob cauſam Galenus, non ſolùm cùm homo ab homine læditur, ſed & cùm prouincia à prouincia, dicit id fieri delatis peſtilentiæ ſeminibus per aërem, hoc eſt, malignè putreſcentibus vaporibus, ſeu corpuſculis. Itaque cùm contagione inficitur corpus quodpiam non proximum, neceſſe eſt à corpore in corpus putidum aliquid deferri, id verò poteſt tranſmitrere, aut per reſpirationem, altero inſpirante quod expirauerit alter, aut per inſenſilem illam euaporationem, quæ ex toto corporis habitu plus minuſve ſemper fit. Hinc ſequitur morbos omnes qui ad curem pertinent, aut ad reſpirationis inſtrumenta, ſi cum aliqua maligna ſuccorum qualitate & putreſcentia ſint, eſſe contagioſos, quia cutis contactu proximo, & inſenſili euaporatione inſtrumenta reſpirationis, reſpiratione facilè inficiunt. Ob hæc cōtagioſa eſſe oportet omnia ſcabiei & lepræ genera, & exanthemata omnia malignitatis aliquid habentia, vt morbillos, & variolas, atque phthiſim, ſed & peripneumoniam, & pleuritidem, ac grauedinem quoque nonnunquam: cùm ſcilicet, cum maligna aliqua materiæ qualitate conſiſtunt. Sunt etiam contagioſi alij, qui etſi neque ad cutem, neque ad inſtrumenta reſpirationis ſpectent, ramen ob malignam ſuccorum intra corpus putreſcentium qualitatem, faciunt malignos vapores & expirari, & exhalari per corpus. Huiuſmodi eſt febtis peſtilens, & morbus vocatus Gallicus, per quem aliquando nullum in cute vitium eſt. Itaque contagio omnis reſpiratione aut exhalatione fit. Id verò nonnunquam euenit, vaporibus qui expiranrur aut exhalant, mox occurrentibus homini alteri, aut rei alteri, in qua aſſeruantur. Atque ita quidam homines inficiuntur ab hominibus, quidam à rebus aliis quæ ab hominibus inquinatæ ſunt, velut à veſte, à cubili, à domo, à ſede, à poculo, poculum quidem, & domus, & ſedes, non adeò ſolent lædere atque veſtis, quapropter eis vti non eſt adeò periculoſum, veſte verò periculoſiſſimum,

Morbi contagio contactu aliis communicatur.

Morbi contagioſi.

Veſtium infectio.

cùm in aliis, tum vel maximè in vitiis cutis Nam veſtis excipit ſudorem, & inuiſibilem expirationem ferè totam, ac per eam effunditur in ambientem aërem, per quem & cubili occurrit, & ſedi, & partibus domus; veſtis verò non ſolùm recipit hæc, ſed etiam aliquando in cutis vitiis, inquinatur ſanie & ſordibus. Fieri ergo hoc pacto veſtem lepra infectam facile eſt, nimirum ſi putridam ſaniem eluerit à leproſo, quam alteri afficando ſimilem infectionem generet. Hoc idem videtur poſſe accidere domui, quamquam tenuiùs, quam veſti. Atqui veſtis inquinata, non ſolùm ſeruabit inquinamenta, ſed etiam putreſcet, eodem modo quo leproſi hominis cutis, nimirum putreſcere poteſt vt & cutis, & putreſcentia non diſſimili. Quapropter præter rationem non eſt, maculas in veſtibus ſimiles fieri & creſcere putredine ſerpente, vt creſcit etiam in eis tinea, vbi ſitu obſitæ ſunt, & non ventilantur. ſi verò indicatum eſt, poſſe veſtem ita putreſcere mutato prutreſcendi principio ab hominis cute; itaque veſtem & cutem poſſe putreſcere eodem modo, quid prohibet quominus & ab eadem cauſa poſſint affectionis principium recipere, ſi modò eſt aliqua cauſa quæ vtrique poſſit admoueri; certè eſus leguminum, aut aliarum rerum praui ſucci, parere poteſt elephantem aut lepram in cute, non tamen in veſte niſi per cutem. in Epidemialibus verò conſtitutionibus per quas morbi aliqui tales populariter graſſantur, & efficiens morbum cauſa eſt aëris intemperies, cur non poſſit veſtis putreſcentiam accipere ab aëre ipſo, quam accipere poſſe diximus à cute? Tametſi enim, res adeò diuerſas, differre naturis ac temperamentis opus ſit, atque ita paſſiones earum ab eadem cauſa non ſint omninò ſimiles. tamen ob communem naturam, qua ſunt omnia, & animata, & inanimata putredini obnoxia, poſſint accipere putreſcentias non omninò diſſimiles, ſed analogas. Neque verò nouum eſt in tempeſtatibus inſalubribus, & magnis aëris intemperiebus, inanima etiam corpora multifariam putreſcere, & ex multiplici rerum putreſcentia imminentis peſtis accipi ſignificationem, ex aquarum fœtore, veſtium tinea, vinorum aceſcentia & animalculorum quæ putredine generantur magno prouentu: veſtes verò & ligna, atque adeò parietes, aeris alterationes ſentire res eſt notiſſima Nam flante Auſtro hæc omnia putreſcunt, Aquilone à putredine liberantur: adeò hæc eſt res manifeſta vt mulieres ad flantem Aquilonem ſoleant veſtes ſuſpenſas diſtendere, vt ſeruentur incorruptæ, Itaque haud eſt rationi aduerſum in veſtibus, domus lignis, aut lapididus putreſcentiam aliquam analogam hominum

Leguminũ noxa.

Auſter. Aquilo.

lepræ generari: præcipuè per magnas abientis aëris intemperies, & morboſas conſtitutiones. Atque ita affecta ſeu veſtis, ſeu domus, noxia erit hominibus, & paſſionem eam afferet vtentibus,quæ eius infectioni eſt analoga. Atque ita poſſit eſſe veſtis aliqua leproſa,etſi ea nullus antea leproſa, vſus ſit,atque ſit domus aliqua non ſolùm inſalubris, ſed & hunc aut illum morbum nata patere, vt leproſa domus,quæ incolas afficiat lepra,ſuntque vt morbi quidam proprij quibuſdam oppidis, quos vocent Medici patrios. ita & proprij quibuſdam domibus,quos licet appellare domeſticos.Quare vbi in domo quapiam morbi frequentes fiunt,ſeu idem morbi genus repetit,aut apprehendit plures,conſultum ſit domum mutare,vt vrbibus etiam exeunt, qui in eis degunt inſalubriter. Quod verò ad veſtes attinet,nihil certè melius neque potius ad omnia cutis vitia, quàm vti mundiſſimis,nouis,aut lotis crebrò: vſque adeò vt ſola mundities ſoleat eſſe ſatis ad curationem: vt contrà qui ſordidis, & putreſcentibus iam veſtibus vtuntur,rarò ſunt liberi ab ſcabie, & pediculis, & immunditiis eiuſmodi, etiam ſi nullus vnquam ſcabioſus eiſdem veſtibus vſus ſit. Nimirum poteſt vt veſtis à cute,ita & cutis à veſte infectionem recipere,& vtrunque ſeorſum putreſcere,& ambo ſordida cùm ſunt,computrefaciunt ſeſe mutuò. Vitare ergo oportet veſtes putreſcentes,ſordidas atque maculatas.Poſſunt enim veſtes putreſcere,& variis quidem putreſcēdi modis,vt varia vitia,noſtræ cutis vitiis analoga in eis oriri poſſint.Hinc fit vt rationi etiam conſonum ſit,fieri in veſte ſiue lanea,ſiue linea,ſiue pellicea lepram,& habere eaſdem notas,quas in hominis cute,maculam ſcilicet albā,vel rufam,non ortas ſcilicet,ob liquores aliquos qui infuſi ſint, velut lac, aut ius aut oleum, ſed ſponte & ſine cauſa manifeſta, & creſcere eodem modo,ac cætera habere, vt cutem,& ſimilem eſſe rationem dignoſcendi Nam præter dictas,eſt in laneis aut pelliceis quædam peculiaris cauſa ob morbos animalium, ex quibus lana,aut pelles detractæ ſunt. Nam ſcitum eſt illud,veſtes ex lana morticinorum pediculos facere, ita verò & morbidorum alias infectiones. Qui verò alias fœlicitates aut infœlicitates in domibus aut veſtibus ponunt,& aſpectus aſtrorum cauſantur,quibus ſunt factæ, nugantur haud dubiè: dictæ verò ſunt naturales cauſæ.

Marginalia: Morbi patrij. — Munditiei vis. — Veſtium putredo. — Pediculorum generatio.

CAPVT.

CAPVT XX.

Leuitici 14. capite: *Locutuſque eſt Dominus ad Moſem & Aaron, dicens. Cùm ingreſſi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in poſſeſſionem, ſi fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius eſt domus nuncians ſacerdoti, & dicet, Quaſi plaga lepræ videtur mihi eſſe in domo mea. At ille præcipiet vt efferantur vniuerſa de domo, priuſquam ingrediatur eam, & videat vtrùm leproſa ſine immunda fiant omnia quæ in domo ſunt; intrabitque poſteà, vt conſideret lepram domus, & cùm viderit in parietibus ipſius quaſi valliculas pallore ſiue rubore deformes, & humiliores ſuperficie reliqua, egredietur oſtium domus, & ſtatim claudet illam ſeptem diebus, reuerſuſque die ſeptimo conſiderabit eam: ſi inueneri creuiſſe lepram, iubebit erui lapides in quibus lepra eſt, & proiici eos extra ciuitatem in locum immundum: domum autem ipſam radi intrinſecus per circuitum, & ſpargi puluerem raſuræ extra vrbem in locum immundum, lapideſque alios apponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum. Sin autem poſtquam eruti ſunt lapides, & puluis elatus, & alia terra lita, ingreſſus ſacerdos viderit reuerſam lepram, & parietes reſperſos maculis, lepra eſt perſeuerans, & immunda domus: quam ſtatim deſtruent, & lapides eius ac ligna, atque vniuerſum puluerem proiicient extra oppidum in locum immundum, quòd ſi introiens ſacerdos viderit lepram non creuiſſe in domo, poſtquam denuò lita fuerit, purificabit eam reddita ſanitate.*

Diſputatum paulò anteà eſt de lepra quæ veſti, & domui, & rebus aliis inanimatis accidere poteſt, indicatumque non eſſe id à Phyſica ratione alienum: ſed nunc quoque aliquid, vt res intelligatur meliùs, addetur. Conſtat res omnes corruptioni obnoxias, communem habere naturam cum animatis (atque adeò cum hominibus) & communem rationẽ patiendi. Nimirum conſtant eiſdem elementis, iiſque contrariis: quamquam præter communem, habeat vnumquodque ſuam naturam, & præter elementa prima, habent animalia ſanguine prædita alia elementa minùs multis communia; & poſteriora, putà quatuor ſuccos: ſanguinem dico, pituitam, bilem, & melãcholiam, Succi quatuor. & ſingulæ animalium partes, præter naturam communem, qua communicant inter ſe, & cum rebus omnibus corruptibilibus, habent ſuã quæuis, qua & ab aliis partibus differũt, & à rebus inanimis, hæc natura eſt in proprio cuiuſque temperamento, & cõpoſitione. Atque, vt agere poteſt res animata & quæcunque eius pars, quædam quà viuens: vt ſentit, & mouetur libere

 animal,

Actiones & paſſiones motus. animal, cor pulſat, ventriculus coquit, qua animalis pars quædam, qua res quædam eſt, vt alia quæuis, velut cadit ab alto præcipitatus homo, non minùs quam lapis, aut lignum, & manus aut pes hominis refrigerat, aut calefacit rem aliam cui admouetur, non certè qua hominis pars, ſed vt fomentum: ita pati etiam euenit animal, aut quamcunque eius partem, quædam quà animal eſt, aut animantis pars, quædam qua res quædam, vt alia quæcunque corruptibilis. Nam delirat homo quà rationalis, conuellitur aut reſoluitur quà motiuus: faſtidit cibos quà ſenſitiuum quoddam animal: vtitur verò igne, madeſcit aqua, duratur frigore, vt & lignum, & corium, & lutum ſeu teſta. Cùm igitur paſſiones quædam accidant animantibus non quà animantia ſunt, conſtat eas omnes pati poſſe

Febris. etiam res alias quæ animantes non ſunt. Febrem ergo non patietur domus, neque veſtis, neque cubile, neque menſa, neque ſedes, quia cordis paſſio eſt, ea verò cor non habent. quare neque linquentur animo, neque patientur ſyncopē, neque ſanè laborabunt phrenitide, neque lethargo, quia neque mentem habent, neque dormire poſſunt: neque tenebuntur fame aut faſtidio cùm ſenſum non habeant alimenti. neque pleuritide aut nephritide tentabuntur, cùm neque latus habeant, neque

Phlegmō. renes: neque omninò laborabunt phlegmone quæ ſanguine carent, quia phlegmon à ſanguine fit, at verò ſcindi, perforari, vri, ac putreſcere, non minùs poteſt pellis, pannus, linteus, lignum, lapis, & res quæuis eiuſmodi, quàm hominis os, caro, & cutis. Cùm ergo ſcabies, & lepræ, & macularum genera omnia, quæ (vt nuper ex Medicorum veterum ſententia diximus) non tam ſunt morbi quàm deformitates, ſeu putreſcentiæ quædam cutis, ſeu putreſcendi modi, non eſt quòd non poſſint in rebus etiam inanimatis apparere, præcipuè vbi à cauſa aliqua communi gignuntur, & populariter graſſantur, aëre enim, qui ſolus communis popularium morborum poteſt eſſe cauſa, vt in initio commentatiorum primi Epidemicon Hippocratis indicaui, tangit vndique atque circunſtat inanima æquè atque animata Non ſanè erit omninò eadem affectio ab aëre, animatorum & inanimatorū, quia non erit idem vtrorunque apparatus: ſed neque ipſa animata patiuntur eodē modo: differentia enim nonnulla erit lepræ, hominis, bouis, ouis, & ſuis: nimirum hæc omnia facit euariare (etiam cùm efficiens cauſa eadem eſt) diuerſus rerum apparatus. Erunt tamen ex earum omnium rerum affectiones, analogæ & propinquæ, adeò vt animatorum diuerſæ naturæ & inanimatorum cum animatis poſſit eſſe contagium. Meritò ergo paſſionum propinquarum

ſimiles

ſimiles ſint dignotiones, & curationes, quò reſpiciens Moſes eandem adhibere curam, & rationem dignoſcendi iuſſit, ſiue lepra ſit humanæ cutis, ſiue veſtis, ſiue parietum domus: nimirum id virium non viuentium ſolum eſt, quia non tam morbus quàm putreſcentia quædam eſt. Et ægrotare quidem ſola viuentia poſſunt, putreſcere verò omnia præter ignem, vt docuit Ariſt. Hactenus de lepra. Ignis imputribilis.

CAPVT. XXI.

LEuitici 25. cap. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta nouem, & clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis, propitiationis tempore, in vniuerſa terra veſtra. Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipſe eſt enim Iubileus.*

Cùm vellet Deus ſæculorum ordine decurrentium fines quoſdam ſtatuere, vt diuenditæ poſſeſſiones ad priores dominos deuoluerentur, redirentque alia poſt alia ſæcula, per quinquagenos annos computationem eorum fieri voluit, quia quinquageſimus continet, & finit ſeptem ſeptennarios annorum, qui ſunt quadraginta nouem, qua in lege magna naturæ ratio habita eſſe videtur. Nam cùm mundus totus nullas naturales habeat ætates, ſiquidem neque interitum habet naturalem: habent tamen res omnes in mundo quaſdam viſſitudines & mutationes, ſecundùm quas mundus ipſe ætates habere dicitur. Hæ ætates partim ſunt fatales, partim legales: fatales ſunt, mutationes quædam contingentes articulis, & momentis à Deo deſtinatis, completo ſcilicet eo annorum numero quem Deus Optimus Maximus apud ſe habebat, velut regna, & imperia diuerſarum gentium, & viciſſitudines imperandi & ſeruiendi, incœperunt ac deſierunt certis quibuſdam annis, quorum numerus ab æterno erat apud Deum, diſpenſante omnia eius prouidentia. Legales velut hæ repetitiones rerum omnium diuenditarum quas per quinquagenarios annos fieri ſemper, lege ſancitum erat. Mirum verò quòd & in numerandis fatalibus mutationibus, & in condendis legibus ad annorum curricula pertinentibus, videtur in ſacris literis (in quibus nihil non eſt perfectum & concinnum) ſemper habita ratio ſeptennarij numeri. Nimirum ſeptimanis dierum redeuntibus tota vita, & ſæcula omnia, ac totus mundi decurſus conſtat, & hebdomadibus annorum redire voluit Deus & terræ ſabbata,

Iubilei conſideratio.

Mundi ætates.

Septenarij ratio vita.

& hebdomadarum hebdomadibus, annos Iubilei. hæc verò omnia ſunt legalia. Sed & fatale tempus aduentus Domini noſtri IESV CHRISTI, à tempore quo Cyrus edicto iuſſit reædificari templum, aut quo Iſaias reædificandum prophetauit, numeratum eſt per hebdomadas annorum, Daniel. 9. Atqui hæc fatalia & legalia, reſpondent etiam naturalibus. Nam vt mundus totus ſeptem diebus conſiſtit, ita homo ſeptem diebus formatur, & vſque ad ſeptem dies ſine refectione durat, & ætates hominum per ſeptennia recipiunt mutationes, & tota hominum vita ſeptenniis numeratur. Vnde ſolenne fuit antiquiſſimis Philoſophis clymatericos, ſeu ſcalares annos vocare quoſdam, quibus frequentiùs quàm aliis mori homines ſoleant: ij verò ſunt qui ſeptenniis clauduntur: in quibus præcipuè quadrageſimus nonus, & ſexageſimus tertius: quòd primus conſtet ſeptem ſeptenniis, ſecundus nouem ſeptenniis. Vocabant veteres (tetigit hoc Plinius lib. 7. cap. 49. atque nos quoque anteà ſuper cap. 6. Geneſeos diximus,) hos annos ſcalares, quòd vita hominis, velut per ſcalæ cuiuſdam gradus aſcenderet: gradus verò eſſent ipſa ſeptennia, & ſingulis gradibus, in ipſis inſignibus vitæ mutationibus, contingeret multos decedere, velut in mortem præcipitatos; nouis illis articulis vitæ occurrentibus morbis, præcipuè verò ex ſeptimo & nono gradibus. Ac proinde celeberrimi clymatericorum eſſe dicuntur quadrageſimus nonus, & ſexageſimus tertius, & experimento dicitur cognitum, his temporibus plurimorum hominum vitas concludi. Quare conſonum naturæ etiam fuit, hunc eundem finem ſæculi vnius ſtatui, & numeratis quadraginta nouem quaſi iam finito vno ſæculo, res nouas rediri, & diuendita reſtitui ſuis familiis. Clymaterici etiam numeri videtur obſeruata lex in Danielis Prophetia; ita enim dicitur: *Poſt hebdomadas ſexaginta duas* (putà ſexageſima tertia hebdomada) *occidetur* CHRISTVS. Magna profectò pulchritudo & perfectio eſt in numeris, atque Deus vt fecit omnia in pondere & menſura, ita & gubernat, quod cap. 11. Sapientiæ dicitur, quo in loco (ſi Deus conceſſerit) plura de hac re, & de Philoſophia Pythagoricorum diſputabuntur.

Hebdomadarum principiū.

Clymaterici dies.

CAPVT

CAPVT XXII.

CAp.27.Num.*Prouideat Dominus Deus ſpiritum omnis carnis, hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc.*

Philoſophi omnes qui palingeneſiam afferebant, cenſentes animantium omnium eſſe communes animas (in quibus fuere Pythagorici, atque vt ego cenſeo, Platonici, & vt ex Auicenna libello qui Arabicè inſcribitur Almahar, accepimus, nunc quoque ſunt omnes Mahometani) locum hunc in ſuam ſectam traherent, affirmantes eſſe ſpiritus communes omnis carnis, hoc eſt, animalium omnium, atque omnibus eſſe ſpiritus, hoc eſt, ſpiritales quaſdam animas, ſeparabiles, & valentes inde migrare, ſiquidem Deus eſſe dicitur ſpiritum omnis carnis, carnem enim vocari in ſacris eloquiis non humanam ſolùm, ſed belluinam etiam conſtat: ſiquidem cap. 9. Geneſeos dicitur, *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidit vobis omnia, excepto quòd carnem cum ſanguine non comedetis.* Ibi carnis nomine caro animalium, quæ homini in cibos data ſunt, intelligitur. videtur ergo hîc quoque affirmari, omnium carne præditorum animantium eſſe communes ſpiritus, aut ſaltem ſi non communes, ſingulis generibus eorum ſuos. omnibus tamen ſpiritus aliquos, ſeu ſpiritales animas quibus viuant. verùm hæc omnia falſa ſunt, & abſurda. Animas enim quæ ſimul & actus corporis, & ſpiritus quidam ſeparabiles ſunt, ſoli habent homines: reliquorum animæ nihil ſunt aliud, quàm actus corporum ſanguine viuentium Hoc autē loco, *Omnis carnis* nihil aliud eſt, quàm ſi diceretur, *omnium hominum*, vt apud Iſaiam, *Et ſciet omnis caro, quia ego Dominus ſaluans te.* & rurſum, *Videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri*, & in Pſalmo, *Ad te omnis caro veniet.* Neque alicubi videtur omnis caro ſignificare aliud, quàm omnes homines. Nomen verò ſpiritus in ſacris literis ſæpiſſimè ſignificat ſpiritalia animæ dona, velut capite 11. libri Numerorum dicebatur, *Deſcenditque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu qui erat in Moſe, & dans ſeptuaginta viris.* non enim abſtulit à Moſe partem animæ, ſed tranſtulit ad eos ſpiritum Prophetiæ. Hoc etiam ſignificato, dicitur ſpiritus ſapientiæ, intellectus, & timori Domini. Hoc etiam modo petebat Eliſeus dari ſibi ſpiritum Eliæ, non enim animam. Dicitur ergo, vt ego exiſtimo, *Deus ſpirituum omnis carnis*, quia diſtribuit omnibus hominibus ſpiritalia dona, vt vult nugaciſſima verò palingeneſia, nullum hinc accipere poteſt adminiculum.

Spiritualiū conſideratio.

Differentia animæ hominis à brutorū.

Spiritus pro dono.

CAPVT XXIII.

DEuter.cap.4. *Ne fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi vel fœminæ, ſimilitudinem omnium iumentorum quæ ſunt ſuper terram, vel auium ſub cœlo volatilium, atque reptilium quæ mouentur in terra, ſiue piſcium qui ſub terra morantur in aquis.*

Piſces an ſub terra.

Eadem verba ſcripta ſunt c.20. Exodi. Euenit dubitare, cur piſces dicantur eſſe ſub terra, ſi ſunt in aquis, cùm aqua, iuxta Philoſophorum ſententiam, vt eſt tenuior ac lenior, ita & ſuperior quàm terra. Certè ſi aqua ſuper terram ſita eſſet, inundaret totam terram, effluens & quærens partium ſuarum æqualitatẽ: ſin autem terra ſupra aquam locata eſſet, rueret, & ita ſub aqua ſeſe mergeret (nam quo pacto terræ pondus ſupra aquam ſuſtentaretur?) atque terra non poſſet aqua irrigari, quod ad generationes rerum eſt apprimè neceſſarium. Nulla ergo alia ratione potuerunt terra & aqua ad ſeſe mutuò aptari, vt generationi ſubſeruirent, quàm ex ambabus ſeſe mutuò ſecundùm magna ſpatia penetrantibus, vnico conflato globo, & eadem vtriuſque exiſtente rotunda ſuperficie, ita vt neutra ſubſit neque ſuperſtet, & vtraque contineat & contineatur. Ita enim neque terram in aquam ruere, neque aquam terram euenit inundare, ſed irrigare ſolùm, & fœcũdare, partimque patet Soli aqua, vt copioſus inde eleuetur vapor, denſatus poſteà in aquam deſcenſurus: partim terra, generationi ſpirantium animalium & vitæ idonea, ſi verò hoc ita habet, vnicuſque globus conſtat terra & aqua, vt vel vmbra indicat in eclipſibus lunæ, & eadem eſt terræ & aquæ ſuperficies, conſtat, quæcunque intra aquam degunt, eſſe ſub terra, quæ repentia adhærent terræ, eſſe in terra, quæ verò cruribus hærentia per terram gradiuntur eſſe ſuper terram, piſces igitur morantur ſuper terra, cùm præcipuè ſub ipſa aqua, intra terræ cauernas ſe recondant.

Terræ globus.

CAPVT XXIV.

CAp.23.Deut. *Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro in Eccleſiam Domini*

Eunuchi.

Antiquitùs vtebantur Principes eunuchis ad cuſtodiam mulierum, vnde & nomen illis datum, eſt, εὐνοῦχος enim Græcis eſt idem, quod Latinis cubilium cuſtodia, ſeu cuſtos. Hanc ob cauſam multi proprios filios tenellos adhuc, eunuchos faciebant, quò ſcilicet ſeruirent principibus. Paulus lib.6. docet

modum

modum faciendi, quem Græci vocabant *ἰυνχισμός*. *Erant verò faciendi multi modi. Quidam enim fiebant exciſione teſtium, quidã veretri etiam cum teſtibus qui mingebant fiſtula anea, vt nunc quoque quibus ob morbum ea pars eſt ſecta, quidam fiebant teſticulorum attritione. ea verò erat, Puello in balneo demiſſo, paulatim teſticulos atterere, vſque dum velut diſſipati euaneſcerent, atque contorquere, vt vena quæ alimentum illis defert, velut nodo interciperetur, atque ita illi tabeſcerent. Itaque erant eunuchi teſtibus exciſis, ſolis, aut etiam cum veretro. Et contritis, qui propterea vocabantur Thlibæ.* Thlibæ. Hoc dicit Paulus. præſtare exſectos contritis, quòd hi appetere venerem non deſinant. Hos omnes prohibebat Moſes Eccleſiam ingredi, quaſi mutilatos, & imperfectos homines. Alij ab Spado his ſunt, qui vocantur ſpadones, hi enim nullius partis patiuntur mutilationem, ſed naturale quoddam vitium: quod qui habent, congredi poſſunt, & erigunt, inſtigantur ad Venerem: ob flexuram verò, aut conniuentiam vitæ, non poſſunt emittere, atque ideò neque generare.

CAPVT XXV.

VIgeſimo ſecundo Deuter. *Si duxerit vir vxorem, poſteà odio habuerit eam, quæſieritque occaſiones quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen peſſimum, & dixerit, vxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam non inueni virginem: tollent eam pater & mater eius, & ferent ſecum ſigna virginitatis eius ad ſeniores vrbis qui in porta ſunt, & dicet pater, filiam meam dedi huic vxorem, quam quia odit, imponit ei nomen peſſimum, vt dicat, non inueni filiam tuam virginem, & ecce hæc ſunt ſigna virginitatis filiæ meæ, expandent veſtimentum coram ſenioribus ciuitatis.*

Ex his verbis conſtat, apud Hebræos fuiſſe in more poſitum, vt mulieres viris deſponſatæ, abſtinerent ab eorum congreſſu, vſque dum ab eis ducerentur, tuncque ſubſtrato linteo coirent, quo virginitatis ſignum, hoc eſt, virginis corruptione profluens ſanguis, in illo colligeretur: atque id linteum daretur puellæ parentibus, quod illi acceptam (non arbitror ſine multis teſtibus) aſſeruarent, vt virginitatis filiæ, vſque in nuptialem diem aſſeruatæ, teſtimonium. Sed euenit hoc loco dubitare, quid interſit inter virginem & corruptam: quæ ſint illa clauſtra virginitatis, quorum dilaceratione ſanguis effluat. ſi enim nulla ſunt, haudquaquam videtur neceſſarium, vt corrumpenda virgine ſanguis effluat: ſin autem neceſſarium non eſt, fallax & periculoſa erat ea ratio diiudicandi, qua explicato De virginitate multa. Virginis explorandæ ratio.

veſtimento, ſeu linteo, in quo primùm coierant, vti iubebant ſenes. Certè vt cuiuis diſſectionis perito conſtare poteſt (quamquam ſunt quidam diſſectores, qui eſſe in ore vteri virginibus membranam quandam annuli forma affirmant) nulla pars eſt in vteri ore, aut ceruice, quæ virginitatis cuſtodia ſit & in corruptione pereat, ſed anguſtia tanta, & ſymphyſis, ſeu coaleſcentia labiorum tanta, vt ſine dilaceratione partium quæ ſymphyſi coierant, admittere virile membrum non poſſit: quare neceſſe eſt ſanguis effluat Atqui tanta coaleſcentia earum partium, vt ſine dilaceratione id non admittat, naturalis eſt. Multis verò per morbos, aut vitioſam naturam tanta eſt obturatio, vt corrumpi facilè non poſſint, aut ſi corrumpantur quatenus poſſint concipere, non tamen deinde dehiſcant adeò eis vteri, vt poſſint parere, niſi aperiantur ab obſtetrice. Nonnullæ adeò magnam adſtrictionem eius partis habent, vt vel menſtruæ expurgationi impedimento ſit. Obturantur verò ſeu clauduntur vteri ora, vel ſymphyſi (vt dictum eſt) magna, vel oborta ibi re aliqua præternaturam, vt caruncula, aut membrana. Adnaſci enim ſolēt multa ori vteri, quæ exciſione indigent, vt vocata Nympha, & vocata Sarcoſis, caro ſcilicet inde prominens, in modum caudæ, & thimi, & condylómata. Horum exciſiones, & clauſuras aperiendi rationem, docet Paulus libro ſexto: horum verò nunc meminimus, vt diceremus, concluſiones has omnes, quæ re aliqua ibi orta, ſiue carne, ſiue membrana, quæ adeò dura quibuſdam mulieribus ibi eſt, vt ſit quaſi quædam cartilago, ſiue tubercula, vitia eſſe naturæ, ſiue morbos: virginitatem verò in naturali quadam, & ſatis ſuperabili partium adſtrictione, & ſymphyſi, ſeu coaleſcentia eſſe, ob eamque corrrumpenda virgine, ſanguinem neceſſariò effluere. Hinc fit, vt eſſe poſſint, ſintque re vera medicamenta ad ementiendam virginitatem, quæ adſtringunt ſcilicet, & corrugant partem nouæ nuptæ. Ergo vbi primùm cum viro coiſſet, non erat præter naturam lintea contemplari, atque vbi ſanguine eſſent infecta, velut virginitatis indicia aſſeruare. Vt enim nihil haberent ſanguinis, duorum alterum eſſe in cauſa poterat, vel quòd mulier corrupta ad thalamum acceſſiſſet, vel quòd ob vteri nimiam clauſuram, aut etiam ob viri frigiditatem corrumpi non potuerit, tuncque huius rei periculum eſſet faciendum, oſtentata muliere obſtetricibus & Chirurgis, vt conſtaret, an tunc quidem, an anteà fuiſſet corrupta. Hæc ita habere facilè intelliges, ſi perlegeris libellum Galeni de diſſectione vuluæ, ac multò magis diſſectionem virginalis vteri faciens.

Virginis aperiēdæ ratio.

Nympha virginea.

Sarcoſis vteri.

CAPVT XXVI.

DEuter.cap. 30. *Si ad cardines cœli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, & aſſumet.*

His verbis nihil aliud ſignificatur quàm ſi diceret, ſi ad extremas terræ regiones, (quæ ſub polis Arctico, & Antarctico ſitæ ſunt,) relegeris, inde te in tuam patriam reuocabo. Sunt enim duo mundi poli, puncta cœli quieſcentia, in quibus, & circa quæ, velut cardinibus quibuſdam voluitur cœlum totum. Conſtat homines diſſipatos, non mitti in cœlum, neque in ipſos polos cœli, ſed cardinum cœli, ſeu polorum nomine, ſignificari regiones ſub illis ſitas. Hæc verba antiquitas omnis putaret dicta per hyperbolem: quandoquidem tota ſibi perſuaſerat è quinque orbis regionibus, quarum duæ extremæ ſub polis eſſent, circulis arctico, & antarctico, finitæ, alia media inter tropicum Cancri & Capricorni, aliæ duæ mediores, hæc ſcilicet quam incolimus inter tropicum Cancri & circulum arcticum, & alia ei reſpondens inter tropicum Capricorni & circulum antarcticum: duas tantum has mediocres, eſſe hominum habitationi idoneas: tres alias inhabitabiles mediam æſtu, extremas frigore. His addebant Chriſtiani, ne eam quidam quæ noſtræ regioni reſpondet, vltra Capricornum, ſitam habitari. cùm enim ab vno Adamo omnes homines fluxerint, ſi per mediam illam regionem, quæ ſub Zodiaco eſt, inter tropicos penetrare nullo modo poſſent, fieri non poſſet vt vltra & citra illam homines eſſent, ſed ea tantùm mundi in parte in qua Adamus creatus eſſet. Hanc ob cauſam Diuus Auguſtinus putauit, omninò nullos eſſe Antipodas. ſi igitur quinque mundi partiũ aut vnica, aut duæ tantùm hominibus eſſent habitabiles, nulli poſſet habitare ſub polis, quare neque ad cardines cœli relegari, neq; reuocari inde. Quapropter antiquitas verba hæc, *Si ad cardines cœli fueris diſſipatus inde reducã te*, non aliter acciperet dicta ac illa, *Si aſcẽdero in cœlum, illic es, ſi deſcẽdero in infernũ, ades.* non ſcilicet quòd poſſint homines traiicere ad cœli cardines, magis quàm in ipſum cœlũ aſcendere, ſed per hypotheſim impoſſibilem, vt ita ſignificaretur, quàm eſſet Deus paratus populum ſuum reuocare: quod ſcilicet vel ex mundi cardinibus eſſet reuocaturus, ſi eò poſſet diſſipatus mitti. Tempus verò rerum omnium magiſtrum, euidenter indicauit illum antiqnitatis errorem, neque vllam mundi partem cœli cauſa inhabitabilẽ eſſe, ſed omnia cœli, vltra, citra, & inter

De mundi polis.

Quinque orbis regiones.

Antipodæ.

inter tropicos,ac citra circulos arcticum & antarcticum : neque hominum diſperſionem intra tam anguſtos fines ſtetiſſe, ſed in vniuerſum terræ orbem, eſſe factam : atque quamquam alij aliorum ob magna locorum diſſidia ſint obliti, tamen Dei prouidentiam,eos, more eius qui ſeminat, hac & illac,quoquò verſus diffudiſſe, ita vt nulla pars hominibus alendis idonea, ſine Adami ſemine relinqueretur. Hanc diſſeminationem,nulla neque memoria hominum, neque hiſtoria cognitam, nobis in hoc ſæculo, velut digito indicauit, ſecundi Adami, hoc eſt, IESV Domini noſtri ſeminis,hoc eſt verbi Dei diſſeminatio. Iam enim Chriſticolæ, Dei prouidentia omnia machinante, perluſtrarunt Orientem & Occidentem : tranſilierunt vtrunque tropicum, viderunt antarcticum polum : ac penetrauerunt verſus arcticum nauigantes, arcticum circulum ; quo pertingunt, vt nobis referunt, in extremo Nouergiæ, Finmachia, & ſub ipſomet polo, Simachia(author eſt Olaus Archiepiſcopus) videruntque hæc omnia ab hominibus habitari : quibus & Euangelium plurimas iam in locis prædicauerunt. Itaque iam fieri incipit (quod verbis præſcriptis inſinuabatur) vt qui diſſipati, ac ſegregati à conuictu populi Dei ſub cœli cardinibus habitabant, nunc ad veram fidem, & Eccleſiæ vnitatem reuocentur : ſperamuſque breui futurum vt cum magna IESV CHRISTI gloria, ſanctiſſimum eius nomen vbique colatur, & vt videant omnes gentes ſalutare Dei noſtri. Neque

Orbis totus habitabilis.

certè omnes antiquos latuit habitari poſſe totum orbem. Nam Auicenna, vt erat philoſophus eximius,intellexit fen. ſecunda primi, doctrina ſecunda, capite octauo, locum ſub linea æquinoctiali, habitationi hominum longè opportuniorem eſſe, quàm qui ſub tropicis : duobus argumentis. Primo, quòd Sol citiùs recedat à capitibus ibi habitantium, biſque in anno, nunc in hoc, nunc in illud latus:à capitibus verò habitantium tropicos tardiùs multò, ac in anno ſemel. cauſa verò celeris receſſus ab æquinoctiali, eſt aſcenſus obliquus Zodiaci ; tardi verò à tropicis, aſcenſus rectus. Hinc fit, vt minori tempore fiant maiores dierum in longiores, & breuiores mutationes, circa æquinoctia quàm circa ſolſtitia. Atque adeò hinc nomen ſolſtitiis datum eſt, quòd in illis ſtare videatur Sol, vt declinat lentè. Secundo, quod in eo loco nunquam eſt dies nocte maior,ſed æqualis ſemper ;quare cùm ſit dies ſplendoris & caloris, nox tenebræ & frigoris mater, in cauſatum æquali-

Tres cauſæ caloris.

tate erit omnium mediocritas & temperies. Cùm igitur ſint tres caloris cauſæ,vicinia, rectitudo, & mora Solis, rectitudo & mora multò plus poſſunt, quàm vicinia. Omnes enim

Aſtrologi

Aſtrologi norunt,in æſtate longiùs abeſſe à nobis Solem,quia eſt in auxe, quàm in hyeme,quia eſt in oppoſito auxis : tamen quia rectitudo radiorum , & dies maior eſt , calent tantò magis omnia per æſtatem. Cùm ergo ſub æquinoctiali citiùs ac pluries declinet Sol , & dies nunquam ſint longiores noctibus , commodior multò ſit ibi habitatio quàm ſub tropicis, atque adeò omnium commodiſſima : quod noſtri iam habent perſpectiſſimum. Simili etiam argumento ſuaderi poteſt (etſi id nondum ſit adeò perfectum)ſub ipſiſſimis polis poſſe homines habitare.eſt enim in eo loco totus annus dies vnica, quandoquidem æquinoctialis linea,eorum horizon eſt.habent ergo conſpicuum Solem menſes ſex , & totidem latentem. itaque & in mundi medio , & in extremis , æternum æquinoctium eſt, tamen hoc intereſt , quòd ſub polis nunquam recedit Sol ab horizonte vltra viginti gradus , ac proinde nox tota crepuſculi ſunt (nam & apud nos vſque dum triginta gradus mergitur ſub horizonte Sol , crepuſculum eſt) ac licet dicere ibi nullam eſſe noctem , ſed tempus totum Solis,aut crepuſcula. cùm ergo ea regio vincat proximas,ac reliqua Septentrionales, plus dierum longitudine , quàm rectitudine radiorum vincatur , & vicina multò minùs frigida , & habitationi opportunior ſit, quàm ille. Qua cauſa mihi perſuadeo, vt quæ eſt ſub æquinoctio , commodior eſt quàm quæ ſub tropicis , ita eas quæ ſub polis , commodiores eſſe iis quæ ſub circulis arctico & antarctico. Quòd ſi mediam & extremas regiones habitationi idoneas eſſe indicatum eſt , conſtat totum terrarum orbem habitabilem eſſe. duas enim reliquas, & mediocres conſtat habitabiles eſſe , ſiquidem earum altera eſt hæc quam incolimus , cui reliqua , & quinta ſimilis protſus eſt. niſi igitur pars quæpiam ob ſoli incommoditatem eſt inhabitabilis , ob cœli tamen & Solis poſitum, nulla eſt in toto orbe Lubet hoc loco admirari Dei. Opt.Max. ſapientiam,ex Solis corporis omnium quæ vita carent præſtantiſſimi poſitu & curſu. Eo enim illum loco aptauit, & eum curſum inceſſanter tenere iuſſit , quo ſolo poterat omnes mundi partes habitationi facere idoneas, & vtrique mundi lateri virtutem ſuam iuſtè ac æqualiter impertiri. Fertur enim Sol per mundi medium inter duos cardines , non ita tamen , vt per eandem lineam ſemper latus , æqualiter ab vtroque ſemper diſtet; ſed latus obliquè,nunc in hoc , nunc in illud inclinet : ita tamen vt inæqualis illius diſtantiæ æqualitas,temporum æqualitatem quandam faciat. Ita fit vt omnibus. virtutes largiatur, per viciſſitudines rerum generationi neceſſarias. Si enim Sol citra, aut vltra æquinoctialem lineam

Aeſtiui caloris cauſæ.

De ſole multa.

ſemper conſiſteret, oppoſiti poli partibus nunquã illuceſceret. Quapropter, ſub æternis tenebris, haudquaquam eſſe poſſent hominibus alendis & ſeruandis aptæ, & poli alterius partibus nunquam occultaretur, quare alterum mundi latus neſciret noctem, alterum diem. Neutrum verò amat hominum vita, neque terræ natura; quæ luminis & vmbræ, caloris & frigoris viciſſitudine fœcundatur. Præter hæc, ea medietas mundi, intra quam Sol ſe ſemper contineret, vrgeretur calore, multò plus, ac ſecundùm partes longè maiores quam oppoſita altera frigore: neque partes mundi æquè diſtantes à polis & à mundi medio, æqualibus gauderent diebus & noctibus. Quapropter haudquaquam Sol mundi partibus omnibus virtutes ſuas impertiretur, ſecundum æquabilitatem, & iuſtitiam, vt nunc facit: quam tamen iuſtitiam diſtribuendi virtutes æqualiter ſecundùm latera, ſi, vt Galenus animaduertit, adeò natura ſeruauit in formandis, regendiſque humani corporis partibus, multò magis ſeruari in maioris mundi formatione oportuit. Si verò Sol per ipſam lineam æquinoctialem ſemper ferretur, ita vt neque in hoc, neque in illud latus inclinaret, nulla ratione deteriùs poſſet mundo & hominum vitæ ſeruire, quia partes ſub polis ſitæ, neque diem neque noctem haberẽt vllam, ſed in horizonte Solem ſemper, cuius dimidium ſpectarent, quod parum omninò abeſt ab æterna nocte. Neque Sol in horizõte ſemper volutatus, poſſet ſatis calefacere, ac fœcundare terras, quas nunc cum viginti tres gradus ſupra horizontem eleuetur, tamen calefacit tenuiter. Iam verò terra mundi media, rectum ſemper ſupra ſe Solẽ ſuſtinere non poſſet, ſed vreretur: atque hæ & aliæ omnes mundi partes, cùm nullis potirẽtur viciſſitudinibus, ſed eodem modo ſemper afficerentur, nequaquam poſſent generationibus eſſe aptæ. Non enim poteſt idem, & eodem modo habens tempus, ſementi & meſſi, neque vindemiæ, & putationi eſſe aptum. Nimirum vt omnis generatio eſt ex contrariis in contrarium, ita inter contrarias verſari cauſas debet, quia contrariorũ contrarias eſſe cauſas neceſſe eſt. Niſi igitur Sol per mundi mediũ ferretur obliquè, nunc in hoc, nunc in illud latus nutãs, nequaquam eſſet mundus hic idoneus generationibus. Quid ergo ſupereſt, an vt obliquitas Solis minor eſſet, aut maior quàm nunc eſt: ſed ponamus primum eſſe minorem, velut v. g. receſſus Solis ab æquinoctiali, quàm nunc ſunt viginti trium graduum, eſſe ſi placet tantum decem, quid fieret? Primum quidem oportet Zodiaci ipſius amplitudinẽ, quæ nunc duodecim graduum eſt, ad proportionem contrahi: in tanta autem Zodiaci anguſtia, duplo plures congrederentur Planetæ in ecliptica, ac

Generatio in quo.

duplo

duplo plures fierent eclipſes, & virtutũ cœleſtium ſubtractiones,quod non videtur citra noxam accidere. Præterea, quantò minor eſſet Zodiaci obliquitas, tãtò eſſent minores temporum viciſſitudines, & tantò minus tempora à temporibus diſſiderẽt. quapropter ſub æquinoctiali,vbi parum nunc tempora diſſidẽt, haudquaquam eſſet ſufficiens ad generationes viciſſitudo, ac ferè perinde eſſet atque ſi per æquinoctialem ſemper voluere-tur: ſi verò obliquitas eſſet maior quàm nunc eſt, vt ſi v.g. receſſus Solis ab æquinoctiali qui nunc eſt viginti trium graduũ, eſſet quadraginta, illæ ſolum mundi partes quæ ſub Zodiaco eſſent, coli poſſent: reliquæ ſuſtineri non poſſent, partim tantam temporum diuerſitatem, partim tantum Solis receſſum. Natura enim animantium cùm nihil quod ſit nimium ſuſtinere poſſit,omnium minimè ſuſtinet cauſarum contrarietatem. quare ſi extrema Moſcouiæ pars multò fieret frigidior quàm eſt, haud eſſet habitationi idonea. maius enim eſſet id frigus,quàm vt viuere quidpiam in eo poſſet. Sed neque Africa, ſi vt nunc æſtate æſtuans,hyemes haberet quales Germania,habitari poſſet, quia tantam mutationem aëris haudquaquam poſſent homines ſuſtinere. ſi verò Sol recederet gradus quadraginta ab æquinoctiali, nunc in hanc, nunc in illam partem, gentes quæ ſub Cancri tropico degerent,aut viginti gradus diſtarent à tropicò, æſtuarent vt nunc Africæ intima, ac nihilominùs hyemes haberent quales Germania: recederet enim ab eis Sol centum gradibus,ipſi verò Germani,ac multò magis qui ſub circulo eſſent arctico, haudquaquã poſſent hyemis frigus ſuſtinere, quia recederet ab eis Sol multò magis, nunc verò malè ſuſtinent. Cùm igitur quæ habitationi ſunt futuræ idoneæ mundi partes indigeant mutationibus,non quibuſuis,ſed quibuſdã ſi Sol per anguſtiorem verſaretur circulum,minores eſſent viciſſitudines temporum, quàm vt generationi rerum eſſent ſatis.ſi per ampliorem,maiores quam vt ſuſtineri poſſent.Deus verò hæc exactiſſimè computauit,vnde argumentũ accepit gloriæ Dei Dauid Pſal.9. dicens: *Cœli enarrant gloriam Dei*,& rurſum, *In Sole poſuit tabernaculum ſuum & ipſe*(Sol ſcilicet)*tanquam ſponſus*(hoc eſt, pulcher & ornatus) *procedit de thalamo ſuo à vertice cœli exultauit vt gigas ad currendum viam* hoc eſt,fertur citra defatigationem mirabili celeritate,*à ſummo cœlo*,hoc eſt,ab Oriente, *egreſſio eius,& occurſus eius vſque ad ſummum eius*,hoc eſt,vſque ad Occidentem, *neque eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, hoc eſt, cum tenet curſum,& eo ſemper circulo voluitur,vt nulla mundi regio ſit quam non illuſtret, calefaciat, & fœcundet, facietque plus aut minus,ſatis tamen habitationi idoneam.

CAPVT

CAPVT XXVII.

CAp.9 Iudicum: *Nunquid poſſum deſerere vinum meum quod lætificat Deum & homines*; rurſum Pſal.1.c.3. *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet.* & c.35. Prou. *Date ſiceram mœrentibus, & vinum iis qui amaro ſunt animo, bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur ampliùs.*

De vino multa. Vinum, quod eſt Noë inuentum, eſt ſuccus vuæ maturatione perfectus. Ita dico, quia recens expreſſus, neque per eam ebullitionem quam ciet naturalis ipſius calor perductus ad perfectionem, muſtum potiùs eſt & potui minimè aptum, ac

Potionum genera. ſi quis potet, noxium. Multæ aliæ potiones ſunt illi nõnihil ſimiles quibus in penuria homines pro illo vtuntur, vt quæ noſtris Cantabris vocatur *Sidria*, quæ *Ceruiſio* Belgis, quæ Germani *Medo*, quæ omnes potiones vno nomine Hebræo vocari poſſunt *Sicera*. Id enim nomen tribuebatur potioni omni, quæ poteſt inebriare vini more. Atque ob id datur mœrentibus & in magno aliquo labore conſtitutis vinum, aut ſicera ad obliuionem egeſtatis & doloris. Quatenus hoc faciendum aut cauendum ſit, Theologis mitto dicendum, ad me tantum ſpectat, quod pertinet ad naturam. Itaque potiones ſunt multæ ex multarum rerum ſuccis paratæ, & ſimplices & compoſitæ,

Panis. ſola tamen ea quæ ex ſucco fit vuæ, vocatur vinum. Ita etiam antonomaſticè, ac propriè vocatur panis, qui paratur ex farina triticea ſubacta cum aqua: qui verò paratur ex aliorum frumentorum, aut leguminum (nam ex his omnibus parari ſolent in caritate annonæ) farinis, aut cum alio ſucco, dicetur panis cũ adiecto vt panis hordeaceus, typhaceus, fabaceus, aut apud

Mayz. Indos ex mayz (ita illi vocant quoddam genus frumenti, ex quo parabant ſibi panes) aut panis dulciarius, aut lacticinus: panis verò ſimpliciter, eſt qui ex triticea fit farina cum aqua. Inter ea omnia quibus veſcuntur homines, panis & vinum tenent primas, quia alij omnes cibi dati ſunt hominibus ad delicias, & ad abundantiam: hi verò ad neceſſitatem & ſufficientiam, & his maximè vtuntur homines. Nullis cum maiori malo carere poteſt, & nullis magis contenta eſt natura: quia ſunt omnium optimè parabiles, mortalibus omnibus maximè communes, optimè omnium nutrientes: non tamen panis & vinum eodem modo, neque eiſdem de cauſis, ſed panis, quia ſubſtantiam

tiam habet bene craſſam, boni ſucci, & cum ſubſtantia noſtra bene agglutinatur, habétque tantò plus alimenti, quantò medicamenti minus, cùm ſit moderatum quiddam, neque calidum, neque frigidum, neque humidum, neque ſiccum, neque facultate vlla medicamentoſa, vt expurgandi, aut ſiſtendi, aut laxandi, aut aliud eiuſmodi faciendi, ſed ſi quid tantillum inclinat in calidum, quo natura gaudet & fruitur. Itaque eſt panis pro omnibus cibis, quia mediocritatem tenet omnium, & tenuium, & craſſorum, & facultatum medicamentoſarum maxime expers, vt ſit mere alimentum Has ob cauſas ſymbolum eſt omnis eſcæ, ac totius nutritionis, petenteſque huic corpori neceſſaria alimenta, ſolum panem iubemur petere, quem quotidianum vocamus, quia corpora indigent quotidiana refectione. Neque ſatis eſt, ſi quantum corpulentiſſimus athleta ſanguinis habeas; & ſuccorum intra venas repoſitum niſi recenti refectione quotidie vtaris, quæ quidem neceſſitas, ex ſpirituum facili diſſipatione naſcitur. Has ob cauſas Eliæ fame pereunti, panem quidem ſolum eúmque quotidie mittebat Deus per coruum. Vinum non nutrit tam firmiter quàm panis, tamen multò citiùs, quia non eſt tam aptum in denſam, ſolidam, firmamque ſubſtantiam abire, tamen abit citiſſimè in vitales ſpiritus, ac ſatis citò in ſanguinem tenuem & calidum. Hinc fit, vt optimè maximeque ſecundùm eorum naturas, dicatur panis confirmare cor hominis, & vinum lætificare. quia euenit his quod & aliis cibis, vt ſcilicet quò citiùs nutriunt, eò citiùs diſſipetur quā præſtiterint ſubſtantia contra quò tardior, eò firmior refectio ſit, & diutiùs duret; in eam enim ſententiam ſcriptum ab Hippocrate eſt, *Eorū quæ celeriter nutriunt, celeres quoque fiunt excretiones*. Quæ ergo tardiùs nutriunt, ſolidius præſtant robur, poteſtque qui eis vſus ſit, diutiùs ſine alia refectione perſiſtere, pugnare, arare, aut aliud quiduis laboris ſuſtinere: quæ verò nutriunt citò, præſtant alacritatem, refectione illa facili ſpirituum, reuocant ab exolutione, & deliquio, ſi quod eſt: itaque exhilarant, robur verò & ad ſuſtinendos labores vim non præſtant, etſi quis impleatur, quia diſſipantur facilè. Igitur quod maximè firmat, roboratque ſi modò vnicus cibus capiendus ſit, eſt panis (quò ſpectat illud capitis 28. primi Regum, *Et robur non erat in eo qui non comederat panem tota die illa:* nimirum, vt dictum eſt, ad robur indigemus pane, eoque quotidiano) quod maximè exhilarat, vinum: exhilarat verò cùm ebrietatem affert, quia obliuiſci facit paupertatis, & doloris, denique omnes moleſtias, curaſque facit deponere. Nam vt

Panis bene moderatus.

Vini natura.

Hippocrates libello de flatibus inquit, *Ebrij fiunt præſentium malorum obliuioſi,ac futurorum bonorũ fœcunda ſpe beantur.* Vnde conſtat hilaritatem maximã ex vino, initium quoddam ebrietatis eſſe. Tametſi etiam citra vllam ebrietatis, ſeu dementiæ partem, lætitiam afferre poteſt mediocrem. Nam c.31. Eccleſiaſtici dicitur, *Vinum ad iucunditatem creatum eſt, & non ad ebrietatem initio.* Eſt igitur iucunditas ex vino citra omnem ebrietatem, cauſæ verò illius ſunt, dicta ſpirituum vitalium refectio, quorum penuria quia laborant melancholici, triſtes eſſe conſueuerunt, & quòd calefacit, laxat, funditque cor: quem eundem motum illud per lætitiam ſubit. Vt enim per triſtitiam contrahitur, & torpeſcit, ita per lætitiam laxatur & titillat, cuius motus, calor ſuauis accommodatiſſima cauſa eſt. Quòd ergo vinum lætificet, has habet cauſas manifeſtas, præter indicibilem quampiam ſympathiam, quam fortaſſe habet cum corde, quæ in eius ſubſtantiæ modo conſiſtet, cùm ad iucunditatem creatum ſit ab initio. Quòd lætificare Deum quoque dicitur, maius aliquod ſuſpicor habere ſacramentum, enarrandum Theologis: mihi illud occurrit, quandoquidem dicitur Deus in initio Geneſeos, vidiſſe cuncta quæ fecerat, delectatuſque quòd eſſent valde bona conſonum eſt, vt tantò intuitu rei cuiuſque magis delectetur, quantò ea eſt melior: aut (vt meliùs dicam) tantò res quæcunque ſit potior, quantò Deo magis placuerit. quapropter perinde ſit dicere, rem aliquam lætificare Deum, & eſſe optimam: eſt verò vinum optimum, niſi quis eo vtatur ad ebrietatem, facit enim ad iucunditatem, & ad ſanitatem animæ & corporis, & ad vitæ æquitatem, & bonos mores. Ita enim dicitur capite nuper citato Eccleſiaſtici. *Exultatio animæ & corporis vinum moderatè potatum, ſanitas eſt animæ & corporis ſobrius potus*, & rurſum: *Æqua vita eſt hominibus, vinum in ſobrietate*, nimirum vt cap.30 eiuſdem libri dicitur, *Multos occidit triſtitia.* His cauſis Seneca libro de tranquillitate vitæ, ad eam obtinendam, ebrietatem laudat, exemplo Catonis Solonis, & Archeſilai, qui illi indulſerunt Sunt verò illius hæc verba, *Nonnunquam & vſque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, ſed vt deprimat curas: eluit enim curas, & animo animum mouet, vt morbis quibuſdam, ita triſtitiæ medetur.* Hæc ille. Nobis tamen neque ſanitatis, neque hilaritatis cauſa procedendum vſque ad ebrietatem vnquam eſt, neque quæ ad mores ſpectant, petenda à Medicis, neque Philoſophis; niſi quatenus cum diuina conſonan ſapientia, quæ tantum permittit vinum in ſobrietate.

Melãcholici cur triſtes.

Cur vinũ lætificet.

Ebrietatis ex antiquis commendatio.

CAPVT XXVIII.

CAp.16. lib.1. Regum ita eſt ſcriptum. *Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te. Iubeat dominus noſter rex, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara, vt quam arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuiùs feras.*

Duplex hic occurrit naturalis dubitatio. prima, An Dæmones poſſint morborum, qui alioqui in ſuccorum & tẽperamentorum, aut etiam compoſitionis vitia referantur, eſſe cauſæ. Deinde, An eadem auxilia deſiderent illi morbi, ac cum ſine Dæmonis opera orti ſunt. Nam ſi Saül melancholiæ morbo tenetur, haud dubiè conſultum eſſet, iuxta medicinæ præcepta tibicines quærere & Citharœdos, qui muſica inſtrumenta pulſando animum illi demulcerent. nam eùm metus & triſtitia ita ſint huius peſſimi morbi accidentia, vt etiam fiant illius augendi cauſa, nulla ratione meliùs ſuccurritur, quàm omni genere delectamenti; abigendo mœſtitiam, & euocando mentem à rerum terribilium conſideratione: vſque adeò vt eùm morbus nondum eſt admodùm inueteratus, neque ſuccus plurimum redundat: ſola iucunda viuendi ratio ſoleat eſſe ſatis ad recuperandam ſalutem: præſtare verò muſicam magnam animæ hilaritatem, Eccleſiaſticus dicit ter aut quater, cuius in c.40. ſunt hæc verba, *Vinum & muſica lætificant cor.* meritò igitur muſica mœſtis, quales maximè ſunt melancholici, naturaliter ſuccurrit. ſi verò Saül non humore agitabatur melancholico, ſed Dæmone, quæ cauſa eſſe poſſit, vt citharæ pulſatione iuuaretur, & leuiùs eam exagitationem ferret? An Dæmon miteſcit muſica? Hanc ob dubitationem, plurimi nihil hîc cenſent fuiſſe naturale, ſed diuina vi effectum, vt pulſante Dauide citharam abigeretur Dæmon, non tam ob ſoni numeros, quàm ob diuinos hymnos quos ille cantando recitabat. Itaque diuinis Pſalmis, vt exorciſmis abigit Dæmonem. Ego quidem hoc non nego, neque dubito illa ratione, vim verbi Dei, & Dauidicæ Prophetiæ ſignificatam eſſe: nihilominus cenſeo, naturalem quoque cauſam cum diuina illa coniunctam eſſe, atque admirandum illum effectum, in vtramque referendum fuiſſe. Hoc indicabo facilè, productis in medium quibuſdam Auicennæ verbis, ex cap.18. fen.1. tract.4. quod eſt de melancholia, ea verò ſunt hæc: *Et quibuſdam Medicorum viſum eſt, quòd melancholia contingat à Dæmonio, ſed nos non curamus, cùm Phyſicam docemus, ſi illud contingat à Dæmonio, aut non contingat, poſtquam dicimus, quòd ſi contingat à Dæmonio, tunc contingit ita*

Morbi à Dæmonibus quomodo curandi.

Melãcholiæ remedia.

Muſices vis.

vt conuertat complexionem ad choleram nigram, & ſit cauſa eius propinqua cholera nigra, deinde ſit cauſa illius Dæmonium, aut non Dæmonium. His verbis Auicenna inquit, nihil referre ad curationem, ſiue Dæmon ſit qui melancholica inferat accidentia, ſiue non: eò quòd non poſſit ea inferre, aliter quam per ipſos melancholicos ſuccos. Itaque cauſam proximam ſemper ad ipſos ſuccos deuolui, atque cum ablatione cauſæ proximæ, neceſſe ſit tolli morbum, vtentibus nobis naturalibus auxiliis, & cauſam tollentibus, neceſſe erit tolli morbum, etiam ſi Dæmon eum excitauerit. Ratio ſanè hæc, partim quidem rectè procedit, partim tamen deficit quandoquidem, vt morbus qui pendet ex cauſa, niſi ſublatione cauſæ proximæ non tollitur; ita neque ipſa cauſa proxima, niſi ſublatione prioris: etiam ſi ſit externa, modò non receſſerit. velut ſi Sol bilem excuſſit, atque ita febrem fecit, tolli non poſſit febris niſi bile euacuata, aut conſumpta: ſed neque hæc penitus euacuari aut conſumi, niſi ægrotus à Sole recedat, & in frigidiorem locum ſe transferat. ſi verò iam receſſit, ſolum ſupereſt vt euacuetur bilis. Igitur eodem modo, ſi quis Dæmon, melancholicum ſuccum agitando & augendo, melancholica intulit ſymptomata, iam receſſit, ſolum ſupereſt, vt naturalibus agatur auxiliis, aduerſus morbum & cauſam humoralem: ſi verò adhuc immanet, neceſſe ſit ſimul vti remediis quæ Dæmonem abigant, & quæ melancholicum ſuccum euacuent, & compeſcant. Effectum itaque hac ratione eſt, non vt omninò ſit indifferens, ſiue ſit morbi cauſa Dæmon, ſiue ſecus, vt volebat Auicenna; tamen, vt quæcunque auxilia naturalia curare poſſunt morbum, cum is à Dæmone non pendet, poſſint etiam aliquatenus ſubuenire cùm pendet. Si ergo cantilenæ, & muſicorum inſtrumentorum concinnus ſonitus, placare naturaliter poſſunt melancholicorum ſæua ſymptomata cùm eo morbo quis laborat, poſſint certè eodem modo, & eadem prorſus cauſa, cùm eius morbi author Dæmon eſt. Verùm hoc ipſum quod aliquatenus videtur iam eſſe demonſtratum, euadet longè euidentius, ſi hæ dubitationes priùs explicatæ ſint. Prima an malus Dæmon poſſit morborum cauſa eſſe; ſecunda, quomodo? tertia, an ſint aliqua naturalia remedia, quæ per ſe, ipſos abigant Dæmones, an non, ſed ſpiritalibus ſolum agendum aduerſus eos ſit, vt Ieiunio, & Oratione? His enim deciſis, facilè eò quò volumus perueniet diſputatio. Antiquiſſimas eſſe has dubitationes, neque Chriſtianis ſolùm aut Iudæis, ſed & Mahometanis & Idololatris agitari ſolitas conſtat. Primùm quidem ex eo Auicennæ loco quem produximus, deinde & ex libro de morbo ſacro, qui nomine

Hippocrates circumfertur, toto enim eo libro diſputatur aduerſus affirmantes, Epilepſiam ad Dæmonem referri, & eos, qui eo malo teneantur, ſolere in domum fugere, aut aliter à multorum conſpectu ſe ſubtrahere, perſentientes inuadi ſeſe à Dæmone, atque adeò contendentes eiuſmodi, non medicinalibus auxiliis, ſed expiationibus eſſe curandos. cenſet verò is author, eam opinionem non aliunde, quàm ex ignoratione naturalis epilepſiæ, cauſæ naſci: plauſibilem verò eſſe vulgo, eò quòd morbus videatur eſſe mirabilis, & ab aliis diuerſus: atque quòd expiatio minùs moleſta curatio eſſe videatur quàm quæcunque medicinalis, aut chirurgica. Atqui profectò, vt qui Philoſophiæ ſunt ignari, ob multarum rerum naturaliũ ignorationem fieri ſolent creduli, & ſuperſtitioſi: ita qui Phyſicæ plus ſatis ſunt dediti, rebus omnibus quæ corpora non ſint, aut eorum motus, periclitantur diffidere. Nunc verò cùm de Dæmonibus tam multa à Philoſophis diſputata ſint, non video cur quiſpiam, quantumuis rigidus Philoſophus eſſe velit, tollat è medio Dæmones, nullamque cauſæ rationem in morbis excitandis & torquẽdis corporibus eos habere cenſeat. Nam hæc cõſecutio nihil valet, poteſt melancholia & epilepſia vt quiuis alius morbus, citra Dæmonem fieri, ob ſuccos ita aut aliter motos aut vitiatos: ergo non poteſt fieri per Dæmonem. At verò neque hæc. Quiuis morbus talis fit ab humore & cauſa naturali, ergo nullus fit à Dæmone, quia is ipſe morbus qui fit à Dæmone, fit per cauſam naturalem, ſi Dæmon non aliter quàm per ipſos humores, infert tales morbos, habetq; Dæmon vicem cauſæ externæ, vt dictum eſt. niſi verò negetur, Dæmonem poſſe mouere ſuccos: at verò moueri corpora ab ſpiritalibus ſubſtantiis, neque Ariſt. quidem, qui minimè de Dæmonibus eſt philoſophatus, negauerit. Ille enim cauſas omnes corporum motrices reducit vſque ad indiuiſibilem & incorpoream. Itaque poſſe fieri, vt Dæmonis præſentia morbos excitet, neque quidpiam in hac aſſertione Philoſophorum placitis eſſe repugnans indicatum eſt. At verò eſſe re vera ita, ſupereſt indicemus. Primùm quidem literarum ſacrarum teſtimonio, deinde & argumento ab ipſis rebus accepto. D. Lucæ cap. 8. ita ſcriptum eſt: *Occurrit illi vir quidam, qui habebat Dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.* & paucis interpoſitis, *multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus, & ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deſerta.* Ex hac narratione facilè conſtabit cuiuis, qui vel ſummis labiis deguſtauerit medicinam, hunc hominem laboraſſe ea maniæ

An morbi per dæmones excitentur.

Lycanthropia. ſpecie, quæ vocatur à Medicis Lycanthropia, ſeu lupina inſania. His enim præcipuè accidentibus definitur is morbus quòd ita affecti domi contineri non poſſunt, ſed circa ſepulchra frequenter vagantur. Iam verò eum, cuius mentio fit 9. cap. Marci, conſtat fuiſſe epilepticum, ita enim dicitur: *Et attulerunt eum, & cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum, & eliſus in terram volutabatur ſpumans.* conſtat verò elidi in terram, ac volutari, & ueri ſpumam circa os, certiſſimas notas Epilepſiæ ſigna. eſſe Epilepſiæ. Quin etiam (quod aliquantò videtur rarius) conſtat 13. cap. D. Lucæ, puellam quandam conuulſionem ſpinæ accepiſſe à Dæmone: qua laborauit decem & octo annos. Manifeſtum ergo eſt, quanto in errore ſint, qui quòd indi-Cathocus. cauerint, eum qui defertur ad exorciſtas, teneri epilepſia, aut cathoco, aut melancholia (iis enim morbis frequenter tenentur) aut alio quouis morbo, putant ſe iam indicaſſe, non eſſe id à Dæmone: cùm his exemplis conſtet, eos morbos quandoque fieri à Dæmone. Neque verò cùm Dominus noſter inter mortales ageret, vexabant hominum corpora Dæmones, ac non etiam nunc vexant. Non enim ſancta Eccleſia quæ diuino regitur ſpiritu, vteretur exorciſmis, ac crearet quotidie exorciſtas, niſi vexarentur nunc quoque hominum corpora à Dæmonibus. ſed & ex his quæ homines fide digni, & verbis, & ſcriptis teſtantur, facilè indicatur, eſſe etiam hoc tempore talium malorum cauſas immundos ſpiritus. Nam ferunt, horum multos reſpondere, appoſitiſſimè loqui, linguis alioqui ignotiſſimis, vt ruſticum & ignorantiſſimum Latinè, Græcè, Exorciſtarum vis. aut Chaldaicè: præterea iuſſos ac coactos ab exorciſtis, ſignificationes de ſe euidentes præbere immundos ſpiritus, & homines ab eis detentos multa diuinare, & narrare, quæ in remotiſſimis mundi partibus agantur. quæ ſanè conſtat nullatenus habere poſſe Phyſicam cauſam. Veriſſimè enim dictum eſt illud ab Ariſtotele, ſiquid aliud, intellectum hominis non poſſe aliter intelligere, quàm phantaſmata intuentem; atque adeò nihil Intelligendi modus. in eo eſſe poſſe, quod priùs non fuerit in ſenſu. Cùm igitur anima ruſtici nullum, ne minimum vnquam conceperit Græci ſermonis phantaſma, vnde poſſit eius intellectus nunc abſtruſiſſimas phraſes eius idiomatis haurire? Eſt certè intellectio, animæ rationalis actio propria quamque citra organa corporea poteſt exercere, vnde & ſeparabilis eſſe cognoſcitur: ea verò, etſi per ipſiſſimam mentem citra organa agatur corporalia, non tamen dum anima in hoc corpore eſt, citra corporalia phantaſmata. Illud enim intelligere, eſt de vniuerſalibus, & à materia ſeiunctis cogitare: ſeiunguntur verò à corporalibus phan

phantaſmatis, vi intellectus agentis Quorum ergo nulla vnquàm concepta ſint phantaſmata, nulla poteſt eſſe intellectio. Iam verò vt intellectio eſſe non poteſt eorum, quorum nulla fuerunt phantaſmata, ita neque recordatio, quorum non fuerit imaginatio, neque imaginatio, quorum non fuerit ſenſus. Ergo quæ alibi agantur certò cognoſcere nullus poteſt: per nullam enim internarum potentiarum, cùm talium nullus anteceſſerit ſenſus. Dixi verò certò cognoſcere, quia temerè, caſu quodam aliquid prædicere, aut præcogitare, garrulis euenit, & iis qui variis imaginationibus æſtuant, vt mare. Scio quoſdam Philoſophos minùs exactos, & qui admirationi magis ſtudent quàm veritati, cenſuiſſe admirandas has vires eſſe humoris melancholici, fierique poſſe, atque adeò ſolere, vt quidam (in quibus ſcilicet is ſuccus abundat) loquantur linguis ignotis, diuinent, quin etiam citra contactum moueant aliena corpora, cogant pluuias, excitent procellas, atque adeò eò vſque procedunt quidam, vt in neſcio qua naturali quarundam animarum præſtantia, vim mirabiliora opera efficiendi conſtituant. Verùm ex dictis cônſtat horum aſſertiones deuolui ad aſſertiones illas Platonicas, Intelligentem animam non eſſe corporis actum, & vt Ariſtoteles loquitur, entelechiam, ſed aſſiſtere vt intelligentiam cœlo: noſtroſque animos ſciuiſſe quidem anteà omnia, diſcere verò nihil aliud eſſe quàm recordari. Ita enim, quandoquidem intelligens anima neque corpus naturale ſit, neque naturalis corporis actus, non teneatur legibus cauſæ naturalis, ſed poſſit mouere ſine contactu, & quia priùs omnia nouerat, poſſit extra materiam diuagata, aut quietem agens per ſomnum, ſubtrahenſque ſeſe à ſenſuum perturbationibus, vt illi philoſophantur, per ſeſe ſcire, quæ à nullo ſenſuum acceperit. Verùm dictas aſſertiones conſtat ſapientium omnium conſenſu cenſeri iam abſurdas, & eſſe dogmatibus eccleſiaſticis diſſonas. Igitur qui vaticinantur, ſiue per ea inſomnia, quæ vocantur diuina, ſiue vigilantes, qui ignotis anteà loquuntur linguis, ope ſpiritus cuiuſpiam id faciunt ſiue boni, ſiu e mali. Cùm verò torquere hominum corpora ad immundos potiùs ſpiritus ſpectet, conſtat eos qui torquentur ſimul tale quidpiã faciunt, teneri à ſpiribus immundis, atque ſpiritus immundos taliũ morborũ cauſas eſſe. Sed quo pacto eſſe poſſint dicamus. Dæmon cauſa eſt externa morborum. Non enim intra corpus ipſũ latẽter naſcitur, ſed extrinſecus accedit morbos illaturus, eos igitur qui pendent ex materia, non aliter infert, quàm aliæ cauſæ, procatarcticæ, putà mouẽdo internas, vt melancholiam morbum, augendo melancholicum ſuccum, & eum qui inerat

Phantaſmata.

Melãcholiæ vis.

Vaticinia vnde.

commouendo, deferendoque in cerebrum, & internorum ſenſuum ſedes vapores nigros. Augere verò poteſt melancholiam eam quæ naturaliter generatur, detinendo ne expurgetur; aut quaſcunque exurentes cauſas admouendo, Epilepſiam verò, Apoplexiam, Paralyſim, aut Catochum, deferendo craſſos ſuccos; ac per eos cerebri ventres, aut ipſas neruorum radices obſtruendo. Cæcitatem, aut ſurditatem eodem modo, excrementa ad oculos, aut aures aceruando: quãquam hæc duo mala ſine interna cauſa facere per ſeſe poſſit, neruos viſorios aut auditorios comprimendo, quominùs per eos facultas ſentiendi tranſmittatur; aut cæcitatem quidem humorem aquæ qui cryſtallino oppoſitus eſt agitando: ſurditatem, detinendo aërem congenitum (hunc enim exiſtimo proprium eſſe audiendi inſtrumentum, vt & Ariſtoteles) quominùs moueantur. Vt enim niſi humor cryſtallinus colorum fulgoribus intinguatur, agi non poteſt viſio: ita neque niſi internus aer externi excipiat motitationem, auditio. Itaque aqueum humorem tranquillum eſſe expedit, vt rectè agatur viſio, & aerem internum agitari, vt auditio Multa alia mala ſunt huiuſmodi, quæ aut per ſeipſum poſſit Dæmon facere, per internas cauſas. quapropter ad tollendum ea mala, quæ per ſeſe faciet, ſolis exorciſmis ſit ſatis vti: ad ea verò quæ per internas cauſas, medicinalibus pariter auxiliis vtendum erit. Non ergo erit ſemper ſatis fugaſſe Dæmonem, niſi morbum etiam cures (vt neque ſatis ſemper ſit ad tollendam febrem, quam peperit ira aut labor, miteſcere, aut quietem agere) neque vnquam ſatis ſit naturalibus inſtare remediis, niſi Dæmonem fuges quò fortaſſe reſpiciens Hippocrates in prognoſtico dixit: *Si quid etiam eſt in morbis diuinum, illius quoque oportet diſcere prouidentiam.* Nimirum refert ad curationem, & ne hoc ignoras & ſolum naturalem cauſam ſuſpicatus, ineptè prædicat. Sed an ſint aliqua naturalia remedia, quæ per ſeſe in ipſos dæmones ferantur, & illis naturaliter aduerſentur, dignum eſt conſideratione. Videtur enim conſentaneum, in ipſis naturalibus rebus eſſe quaſdam Dæmonibus gratas, quaſdam ingratans, & quibuſdam allici quibuſdam fugari naturaliter, vt capite ſeptimo, & quintodecimo huius libri diſputare cœpimus) ſiquidem inter omnes gentes, quia expiationibus curare morbos huiuſmodi tentauerunt, res quaſdam cauere iuſſerunt, & quibuſdam vſi ſunt, idque diuinitatis ipſius morbi cauſa dicentes ſe facere. Nam Hippocrates in illo libello de morbo ſacro (nimirum erant etiam inter idololatras qui expiamentis tentarent curare) ita ſcripſit aduerſus expiatores: *Cæterùm qui primi* (loquitur de Epilepſia) *hunc morbum ſacrum*

Humoris Cryſtallini agitatio viſum impedit.

Expiationis inuentio.

pronum

pronunciarunt, tales mihi hi fuiſſe videntur, quales etiam nunc ſunt Magi, & Expiatores, & Circulatores, qui ſe vehemēter pios eſſe ſimulant, & amplius quid ſcies. Hi itaque conſilij ac mentis inopes prætexentes diuinitatē, cùm nihil haberent quòd exhibitum prodeſſet, vt ne manifeſta fieret eorum ignorantia, ſacrā hanc eſſe affectationem pronunciarunt, & rationibus idoneis collectis curationem conſtituerunt ſibipſis ſecuram, expiamenta offerentes, & incantamēta, & à balneis abſtinere iubentes, & à cibis multis, velut ex marinis quidē à mulo & melanuro, mugilique, ac anguilla: ex carnibus verò à caprina, ceruina, ſuilla, ac canina: ex volucribus autē, a Gallo, turture, ac otide: ex oleribus à menta, allio, & cæpa. pallium præterea nigrum habendum non eſſe, neque in caprina pelle decumbendū, neque eandem geſtare oportere, neque pedē ſupra pedem habendum eſſe, neque manum ſupra manum. Hæc illo in loco. Ex quibus intelligimus, Magos illos ſiue expiatores, qui inter gentes verſabantur, cùm morbum diuinum, hoc eſt, à Dæmone eſſe cenſerent, res quaſdam interdixiſſe, vt naturaliter noxias iis, qui ita laborarent. Quin etiam hoc tempore ſcimus, multos exorciſtas ſolere ſuffitu quarundam rerum vti, vt ipſi dicunt ad torquendum fugandumque Dæmonem ipſum. Nimirum dicunt, eum moleſtiſſimè ferre ſuffitum cornu caprini, & cuiuſuis ſtercoris, præcipuè humani, & ruta, ac hypericone (quem ob id fugam Dæmonum appellant) fugari. Sed quod maioris momenti eſſe videtur, & eius quod propoſitum eſt maiorem fidem facere, Tobias iunior ſuffitu iecoris cuiuſdam piſcis, iuſſu ſancti Raphaëlis, fugauit Dæmonem, qui ſeptem viros illo priores interfecerat. Videtur itaque his teſtimoniis effectum, pro ipſomet Dæmone fugando, eſſe naturalem quandam curationem. Nihilominùs vt nuper citatis capitibus indicauimus, ſi Dæmones penitus ſunt incorporei, vt certè ſunt, nullam à corporibus naturaliter paſſionem poſſunt accipere: ſed neque ſi corporei eſſent (niſi etiam eſſent corruptibiles) voluptate aut dolore affici poſſent: quia neutrum horum poteſt eſſe ſine ſenſu, neque ſenſus eſſe poteſt, niſi cum organis, habentibus communem naturam cum ipſis ſenſibilibus. Quapropter corruptibilium rerum ſenſitiua, corruptibilia eſſe corpora neceſſe eſt. Niſi igitur Dæmones corporei & corruptibiles ſint (quales certè non ſunt) neque voluptate neque dolore affici poſſunt naturaliter ab vlla qualitate corporali. dixi naturaliter, quia prima cauſa, quam nullis naturæ legibus teneri in Phyſicis fuſiùs demonſtraui, poteſt corporibus præſtare vim attingendi etiam incorporea. ea verò vis non fuerit naturalis, ſed ſuperior, vt igni torquendi diabolum & angelos eius, & benedictæ

Quas res dæmō fugiat.

aquæ eoſdem fugandi & abluendi mentes. Huiuſmodi quandá virtutem tributam eſſe hepati illius piſcis, quo Tobias vſus eſt, crediderim. Aliorum verò quæ propoſita ſunt, aliæ ſunt cauſæ.

Balnea quibus interdicta.

A balneis ſuſpicor circulatores illos arcere ſolitos ægrotantes, quo ſublata maxima ac notiſſima talium morborum curatione, maior expiationibus authoritas accederet. Nimirum melancholici morbi, quales ſunt plerunque quos Dæmon ciet, nullo auxilio magis quàm balneo curari ſolet, atque eo magis quàm vllo alio Medici vtuntur. Tollebant ergo hoc, vt viderentur tollere totam curationem naturalem. Cibos illos omnes interdici ægrotis idoneum erat ob ipſos morbos, quandoquidem ob craſſitiem, aut melancholicum ſubſtantiæ modum, aut acrimoniam erant noxij. Imponebant verò illi hac in re vulgò, id quod erat naturale ad diuinam cauſam referentes. Nigro indui

Pallij nigri vſus interdictus.

pallio, ad melancholicas paſſiones non eſt vtile: manum habere ſupra manum, aut pedem ſupra pedem, otioſi & cogitabundi eſt, quod etiam melancholicis obeſt indui pelle caprina, aut in ea decumbere, proprietate quadam eſſe noxium epilepticis Trallianus capite proprio tradidit. At verò quòd ſuffitu cornu caprini, & ſtercoris torqueatur Dæmon, dicunt cauſam eſſe, quòd contemni ſe non ferat, cùm ſit ſuperbiſſimus. Ego verò exiſtimo, ventum eſſe illis in eam opinionem, quia vt Medici omnes teſtantur, illarum rerum ſuffitu epilepſia manifeſtatur. ſtatim ergo ac epilepticus illis ſuffitur, corripitur paroxiſmo, aut ſi

Hypericō.

paroxiſmo tenetur, ingraueſcit. illi verò putant irritari Dæmonem. Rutam & Hypericonem ſalutares herbas eſſe ad dictos morbos, res eſt apertiſſima: cuius præcipua cauſa eſt, quòd flatus abſumunt, atque ita humores ſedant, qui magna ex parte flatuum agitatione perturbantur, vt libello de flatibus probat Hippoc. ſi modò ipſius eſt ille liber. Itaque vtuntur quibuſdam rebus, quas (cùm ad morbos illos curandos conferant) cenſent conferre ad fugandos Dæmones, & aliis quibuſdã quæ nocent, hac ratione putantes ſe torquere Dæmonē, cùm torqueant potiùs miſeros ægrotantes. Hæc cùm ita ſe habeant, cõſtat ex his omnibus quæ dicta ſunt, veriſimile eſſe, plurimos eorũ, qui Dæmonis opinione ad exorciſtas deferuntur, Dæmonē non habere, ſed morbis aliquibus eorum qui dicti ſunt, teneri & præ inopia conſilij, cùm tentatæ ſint aliæ curationes anteà, neque ſufficiãt, deferri ad illos id quod meritò ab Hippoc. lib. de morbo ſacro reprehenditur: eſſe tamen etiam aliquos, quibus talium morborum cauſa eſt Dæmon, illiſque curationē naturalem non eſſe ſatis, conferre tamen, non ipſos Dæmones per ſe, ſed ob morbos aut eorum ſymptomata, aut internas cauſas, quas Dæmon ciet.

Dæmones quos inuadant.

Exemplo

Exemplo eſt Saül, qui cùm à Dæmone torqueretur, ſuauitate Dauidicæ citharæ delinitus mitiùs ferebat: nimirum, vt melancholico occupatus morbo. Neque enim eſt quòd quiſpiam ſibi perſuadeat, Dæmonem eſſe qui muſicæ ſuauitate captus miteſceret, atque adeò illum torquere ſineret. Hoc enim refutatum iam anteà eſt, diſputatumque de ea re aduerſus quoſdam *Platonicos* c.16.huius operis, in explicatione c.2.Leuitici, quod bis iam citaui. Solum fortaſſe ſupereſt, quòd hoc loco quiſpiam dubitet, qua ratione fiat, ſi Dæmones nihil habent commune cum vllo corpore, vt melancholicos homines magna ex parte inuadant, aut melancholicos ipſi morbos inferant. Mihi quidem videtur ad eorum nequitiam referendum, non ad naturam: nimirum melancholicus ſuccus, maximè omnium paratus eſt in inſaniam & deſperationem adigere, quæ illi nequam maximè exoptant. Saulis morbus.

CAPVT XXIX.

LIb.3. Regum cap.1. ita habetur: *Et rex Dauid ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies, cùm operiretur veſtibus, non caleſiebat, dixerunt ergo ei ſerui ſui, quæramus domino noſtro regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram rege, & foueat eum, dormiatque in ſinu ſuo, & calefaciat dominum noſtrum regem. Quæſierunt igitur adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſraël, & inuenerunt Abiſag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem, erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, & miniſtrabat ei, rex verò cognouit eam.*

Cùm quis ſatis veſtibus operiatur non caleſieri, naturalis caloris defectum ſignificat, quia veſtes non calefaciunt calore proprio quo actu ſint, vt ignis, neque quo potentia, vt medicamenta, ſed ſolũ retentione, ac quodam repercuſſu caloris noſtri: nimirum noſtri caloris vi, expirat ſemper vaporoſum quiddã ac calidum ex noſtris corporibus, quod vocat Galenus calidum effluuium. illud veſtes detinent, ac circa noſtram cutem geminatum, faciunt ſiſtere, atque ita calefaciunt, præterquam quòd externum frigus arcent, vt & domus parietes, & tecta. Cùm igitur corpus non caleſcit veſtibus, nõ poteſt alia eſſe cauſa, quàm quòd non eſt calidũ effluuium, atque eò magis, quòd externum frigus ſẽper arcent, vtcũque habeat corpus. Igitur ſi ne ſic quidẽ caleſcit, conſtat corpus eſſe valde frigidũ, ac nihil, aut quàm minimum calidi ſpirare. Vt autẽ hoc eueniat duplex poteſt eſſe Veſtium vſus. Calidum effluuiũ.

cauſa

cauſa. aut enim ipſum innatum calidum affectum eſt, vt per magnum rigorem euenit, etiam valde calido iuueni, aut per ſeſe eſt tenue & exiguum, in ſene verò, neque rigore, neque horrore occupato, neque alia vlla paſſione præter naturam, conſtat ab exiguitate & tenuitate caloris naturalis, quæ ipſius extremæ ſenectutis omnes naturaliter eſt, naſci, cùm verò Dauid tanta caloris naturalis penuria laboraret, nullum ſalubrius conſiliũ excogitari potuit, quàm quod ſerui eius ceperunt quærentes virgunculam formoſam, quæ in ſinu eius dormiret, videbantúrque legiſſe Galenum lib 7. Methodi. vbi imbecillitatem frigidi cum ſiccitate ventris curans, inquit. *Ex iis verò quæ extrinſecus applicantur, boni habitus puellus vna ſit accubans, vt ſemper abdomen eius contingat.* Multò itaque meliùs illi conſuluerunt, quàm ſi eum magna veſtium mole oneraſſent, aut multo igne lectum concalefeciſſent, aut inuoluiſſent ſenem totum linteis igne concalefactis, aut oleis calidis inunxiſſent, aut etiam ſinapiſmis aut rubrificantibus; ac multò magis quàm ſi vino meraciori ingurgitauiſſent: quia nullus calor naturali noſtro magis conformis, aut eſſe, aut excogitari poteſt quàm qui feruet in pueruli aut adoleſcentulæ corpore: nimirum humanus ille eſt, & ob ætatem vigens. Itaque perinde eſt ac ſi ſenili corpori puerilem calorem manu admoueas, cuius ſolùm defectu illud laborabat. nulla ratione potiùs videaris tribuere illi quod deeſt. Verum hoc vt apertiùs iudicemus, quid interſit calorem ſimpliciter dicas, an naturalem calorem, oportet explicare.

Caloris frigus.

Senes calefaciendi ratio.

Nam Stoici (vt apud Ciceronem libr. 2. de Natura Deorum, videre eſt) cenſuerunt (quorum etiam ſententiam hac in parte multi ſecuti ſunt) vt duplex à Platonicis ignis ſtatuitur, cœleſtis & elementaris, ita etiam eſſe in rebus duplicem calorem, alium quidem cœleſtem vt ſolarem, qui omnia generet, foueat, & ducat incrementum: alium igneum, qui omnia diſſipet atque abſumat. Atque in primo quidem genere eſſe calorem naturalem rerum omnium viuentium, in altero calorem ignis quo vtimur. Solis enim calore foueri terram, & fruges omnes tum naſci, tum ducit ad incremmentum, igne verò admoto conſumi omnia: ita calore noſtro ac naturali coctiones omnes agi generatíque ac nutriri omnes in nobis partes, alieno verò & præter naturam, vt febrili, ad tabem deduci, eſſeque hos calores (quadoquidem adeò efficiant contraria) longè diuerſos, alterum quidem natura cœleſtem, alterum elementarem. Ego verò cœleſtem calorem nullum eſſe exiſtimo, niſi eſt etiam frigus aliquod cœleſte, quod nullus

Ignis duplex.

Caloris vis

An ſit calor cœleſtis.

nullus ponit. Omni enim calori frigus contrarium eſt: neque minus admota niue refrigerantur, quæ à Sole quàm quæ ab igne ſunt concalefacta. Quòd ſi non minùs ſolari quàm igneo contrarium frigus eſt, niſi illi idem eſt calor frigus duo habet contraria: ſin autem alterum frigus etiam eſt, idque cœleſte, certè cœlum non minùs ſit corruptibile quàm aër, cùm contrariorum ſit capax, & vtrumuis ſecundùm naturam habeat, alterum præter naturam pati poſſit. Non igitur eſt calor vllus cœleſtis, ſed vt omne frigus ex elementis eſt, ita & calor omnis. quin potiùs hæc eſt ratio cœleſtis ignis, quòd lucidus ſine calore eſt. Itaque cùm ignis ſtatuatur duplex, lux communis vtrique eſt, differentia verò in calore & eius vacuitate. Atqui profectò calor quem Sol infert, ad elementarem ignem refertur (vt aliis locis diximus) qui ſplendoris analogia allectus, cum Sole circumfertur. Nam præter dicta, ſi calor naturalis non eſt igneus, ſed à cœlo tributus omnis calor naturalis talis etiam ſit, neque ſolùm humanus, ſed & qui omnium animalium; neque horum ſolùm, ſed & omnium ſtirpium, neque certè harum ſolùm, ſed & omnium quæ ſuo calore ſeruantur, & admoto igne corrumpi poſſunt, cuiuſmodi eſſe videmus ſuccos omnes, vt lac, vinum, mel, oleum florum omnium ac herbarum ſuccos ſiue deſtillatione, ſiue compreſſione extractos. Quod enim horum non corrumpitur, cùm proprius calor tabeſcit? aut non poteſt admoto igne penitus abſumi? Igitur his quoque eſt calor cœleſtis, quandoquidem ab eo ſeruantur, cùm corrumpi poſſint ab externo, atque adeò tantò citiùs, quantò habent propriis minus. Vinum enim natura robuſtum & calidum ſuſtinet magnum aëris calorem ſine corruptione: frigidum verò & languidum vel à repente aëre vertitur in acetum. Quòd ſi inanima & fluentia habent cœleſtem calorem, cur non & ſolida, vt metalla, & gemmæ, ac denique quæcunque vi frigoris & caloris poſſunt deduci ad interitum? ſi enim vi frigoris interire poſſunt, proprij caloris retentione ſeruantur: ſi autem ſeruantur proprio, & corrumpuntur alieno calore, proprium habent à cœlo: hæc enim erat cauſa, qua naturalis cœleſtis ſtatuebatur. At verò vt vi frigoris & caloris intereant, neceſſe eſt accidat omnibus quæ concreta ſunt ex vocatis elementis. Nam quod calidi & frigidi contemperatione conſtat, vtriuſque exceſſu neceſſe eſt interire, quia mediocritatem vterque exceſſus corrumpit. Fit igitur ex dictis, vt rerum omnium concretarum naturalis calor ſit cœleſtis. Vnde rurſus fit, vt ignis elementum non ſit, ſiquidem in miſtis non ſeruatur virtus eius, quæ enim niſi calor; quòd ſi ignem

Vini robur.

An ignis ſit elementum.

è

è numero elementorum tollis, neceſſe eſt tollas & aquam, alioqui miſtio non fiet, ſed corruptio, quia erunt duo frigida, aqua ſcilicet & terra contra vnum calorem aeris, & duo humida, aqua ſcilicet & aer, contra vnam ſiccitatem terræ: non ergo erit mediocritas, neque attemperatio. Quòd ſi aquam tollis quoque, neceſſe eſt tollas omnia, quia terra & aer non ſunt bene miſcibilia ſine craſſa aquæ humiditate. Neceſſe eſt igitur calorem proprium rerum omnium igneum eſſe, aut elementa,& miſtionem è rebus penitus tolli,ac longè aliter de natura rerum ſtatuere, atque hactenus ab omnibus Philoſophis qui in pretio fuerunt. Quæ igitur eſt differentia caloris naturalis, & præter naturam, ſi vterque eſt elementaris? certè quæ frigoris naturalis & præter naturam:ita etiam & humiditatis & ſiccitatis, quòd ſcilicet proprius eſt aut alienus, eſtque cuicunque rei proprius calor, qui ſecundùm naturalem eius miſtionem moderatur, & qui mediocritatem exceſſit, iam eſt alienus. Atqui calor internus rei, ab exteriùs accedente quopiam aliquando corrumpitur, aliquando iuuatur Atque vt iuuetur,facit ſimilitudo duplex:altera quæ in eius intenſione eſt, vt ſcilicet non valde excedat, altera quæ in ſubiecto, vt ſcilicet ſimilis ſit ſubſtantia corporis quod admouetur. Si enim aridioris, aut humidioris admodùm ſubſtantiæ eſt, & ſi non ſupereſt intenſione,alter vret,alter putrefaciet, vtraque ergo ratione fit,vt nihil vtiliùs poſſit admoueri quibus calor naturalis extinctus penè eſt,quàm corpuſculum pueruli aut iuuenculæ calidioris. Nam is calor in ſubſtantia eſt ſimillima,& niſi eueniat febricitare, humani caloris gradum non ſuperat. Neque quidem præter rem erat ſpecioſum quæri, quandoquidem iucundiores fierent ita amplexus, abeſſetque omne tædium,atque ita foueretur magis ſenem,non aliter ac elinguntur ſuauiores cibi,ac medicamenta minimè inſuauia,ne venter reſpuat. Quòd ſi frigidum iam ſemen multis veſtibus obruas, onerabis quidem plus,calefacies verò nihilo magis:quia veſtes parum calefaciunt, niſi ſit internus calor quem cohibeant. Si verò linteis calidis inuoluas, aut lectum ipſum admoto calefacias igne:primùm quidem is calor cùm ſiccior ſit, ſiccitatem auget ſenilem,& calorē alioqui exiguum diſſipat: deinde cùm is calor præter naturam inſit ipſis linteis, citò deficit,ſimulque cum illis refrigeratur rurſum corpus: ſi verò oleis calidioribus, aut aliis medicaminibus ademptis velis calfacere, nec ſic quidem proficies multùm, quia medicamenta proſunt quatenus ab ipſo naturali ac proprio nobis calore deducuntur ad actum:id verò niſi calor poſſit,medicamenta nihil efficiunt,aut etiam

Caloris differētia.

Caloris auxilia.

etiam refrigerant. Quòd ſit multa affricatione, aut igne fiant actu calida, eadem ac maiora afferent incommoda, quæ & calefacti ad ignem lintei. Iam verò nihil arbitror ſtultius, quàm ſenibus caloris augendi gratia, vinum abundanter, merum præcipuè indulgere. Quantò enim vinum calidius eſt per ſeſe, tantò maiori ventris ac viſcerum omnium calore opus eſt vt superetur; alioqui à minori aceſcit, crudúmque ſuccum auget, vnde & calorem naturalem ſuffocat, & morbos innumeros parit, ac mortem properat. Quare vinum eſſe lac ſenum, non valde probo; cenſeo potiùs ſenibus ſenſim eſſe dandum dilutius, vſque dum in extremo ſenio conſtitutis toto vino detracto, detur pro eo mulſa aut decocta aqua, ſatius enim eſt permittere calori naturali ſenſim venire ad naturalem interitum quam vino obruere & ſenectam facere miſerabiliorem, & breuiorem. Rectè itaque procuratus calor eſt Dauidi ſeni: quod præcipuè ea in ætate effectum eſt, qua non potuerit virginem agnoſcere: alioquin multò magis læſiſſet congreſſus, quàm contuliſſet admotio.

Vinum ſenibus interdicitur.

CAPVT XXX.

Lib.4.Reg. c.3. dicit Eliſeus Propheta: *Nunc autem adducite mihi pſaltē: cùmque caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus, facite alueum torrentis, &c.*

Itaque facta ſuper eum manus Domini, hoc eſt, correptus ſeu afflatus diuino ſpiritu, vaticinatus eſt. Id vero vt fieret, poſtulauit adduci ſibi pſaltem, ad cuius cantum facta eſt ſuper eum manus Domini. Quæ ſanè verba magnam habent cōtemplationem. Si enim cantus & muſicus concentus vim quāpiam habent ad vaticinandū, ipſa vaticinatio naturalis eſt, hoc eſt, ex naturalibus procedens cauſis. Nam concentus, naturalis quædam eſt cauſa. Videntur itaque ſpiritus vaticinij naturaliter allici concentu, aut anima per cātum naturaliter ad vaticinandum diſponi. Quod ſanè ita eſſe, Quintus frater in 1. lib. de Diuinatione Ciceronis, ex ſententia grauiſſimorū Philoſphorum, quam eo loco tutabatur, iis verbis aſſeruit: *Ergo & ij quorum animi ſpretis corporibus euolāt, atque excurrunt foras ardore aliquo inflammati, atque incitati, cernunt illa profectò quæ vaticinantes pronunciant, multiſque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus inhærent, vt ij qui ſono quodam vocum, & Phrygiis cantibus incitantur.* Maximi ergo momenti fuit, rigidiſſimè examinare vim quā habet hæc res, atque adeò totā de diuinatione doctrinā, quandoquidem maxima ſacrorum liberorū pars

De vaticiniis multa.

Carmina Phrygia.

Prophe

Prophetia conſtat. quod maximum eſt fidei noſtræ firmamentum, iuxta illud 2. Petr. 1. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes.* Si verò vaticinandi vis naturaliter hominibus accideret, qua ratione fidei, quæ de ſupernaturalibus habetur, argumentum eſſe poſſet? Vniuerſim de diuinatione plurimùm diſputatum eſt à veteribus Philoſophis Stoicis aſſerentibus eſſe re vera omnia ea diuinationum genera, quibus gentes omnes vtebantur, adeò vt neque auſpicia, auguria, neque ſortes, neque iudiciariam Aſtrologiam, quam ſcientiam Chaldæorum vocabant, repellerent. Epicurei ea omnia deridebant, putabantque eſſe impoſturas quaſdam, per credulitatem, & timiditatem hominum inuentas. Diogenes à quo fluxerunt Cynici, cùm intueretur vitæ gubernatores, Medicos, atque Philoſophos, dicebat animalium omnium ſapientiſſimum hominem eſſe: cùm autem inſpiceret ſomniorum interpretes, coniectores, & vates, huiuſmodi, dicebat nihil ſe ſtultius exiſtimare homine. Itaque & Cynici deridebant hæc omnia. Peripatetici quædam aſſerebant. Quod vt apertiùs exponamus, ab ea partitione incipiemus, qua Cicero vtitur in libris de Diuinatione. Omnia diuinationum genera, quibus homines vti tentauerunt, ad duo rediguntur: vnum quod ad artem quampiam videtur pertinere, alterum quod arte caret, videturque potiùs conſtare natura. In primo genere ſunt auguria, & auſpicia, & obſeruationes portentorum, & aſtrologia iudiciaria, & miſſiones ſortium, & prognoſtica medicinæ, & phyſionomia, cuius chiromantia pars eſt. In ſecundo genere ſunt inſomnia, vatum furores, & oracula, & Pythonum ex ventre reſponſa, & omnis necromantia. Rurſum horum quæ in ſecundo genere continentur, quædam extrinſecus petuntur, vt oracula, & Pythonum, & mortuorum reſponſa. quædam in ipſa noſtra anima eſſe videntur, vt inſomnia, & furores vatum. Porrò ipſi ſomniantes aut furentes, vocantur Platonici Vates; qui verò interpretantur, vocantur Prophetæ, itaque vates non intelligere quæ dicunt: Prophetas verò exponere quæ dicunt vates; quamquam in ſacris libris hic omnium vſus non ita obſeruatur, ſiquidem Cayphas dicitur prophetaſſe, cùm neſciret quid diceret. Ergo nos quoque nunc indiſtinctè vocamus, ſiue vaticinari, ſiue prophetare, præſentire, aut prædicere quæ futura ſunt. Stoici vt dicere cœpi, nihil horum repellebant, ſed omnium gentium hac in parte credulitati fauentes, confſebant & auſpicia, & auguria, & portenta, & ſcientiam magnorum, & ſortes, aliquid continere in ſeſe certi & firmi, atque adeò vanum non eſſe eis vti, &

De diuinatione multa.

De diuinatione opiniones.

Diuinationum genera.

Stoici vaticinia habuerunt.

& auſpicatò quiduis aggredi, quod in vita eſſet magni momenti, aut inire prælium, vxorem ducere, aut aliud quiduis facere. Itaque non niſi præter rationem dimitti poſſe, contemplationem dextri & ſiniſtri volatus auium, lugubris, aut hilaris cantus, & extorum in ſacrificiis. Prærer hæc etiam, eſſe vim quandam quibuſdam hominibus, & in quibuſdam locis vaticinandi nunc dormientibus, nunc furore percitis: eſſe quoque Deorum de futuris rebus reſponſa. Primum quidem argumentum, & quod vniuerſum de omnibus concludebatur, accipiebant ex communi omnium gentium conſenſu, qui (vt alibi dicit Cicero) lex eſt naturæ. Vix autem reperiri poterat gens vlla, ad quam Romanorum nomen perueniſſet, quæ non haberet eas omnes prædicendi artes, & apud quam non narrarentur fuiſſe vlla vaticinia. De ſingulis verò ita argumentabantur (eligam quæ videntur firmiſſima) primùm quidem auſpices, augures, & portentorum, & aſtrorum obſeruatores, & ſacerdotes qui conſiderabant exta, non temerè proferebant quidquam; neque niſi conſideratis quibuſdam ſignis, vtenteſque quibuſdam artibus, non aliter ac Medici, conſideratis in facie, & ſpiritu, & decubitu noctis, prædicunt hunc moriturum, victurum illum: atque agricolæ conſideratis volatu auicularum, & ranarum cantu, & grunnitu ſuum, præſentiunt pluere, & nautæ, piſcium conſideratis ſaltibus, & maris colore, inſtantem procellam. Vt ergo nemo eſt qui hæc præſenſionum genera vt naturalia non recipiat, ita nemo eſſe debet qui illa repellat. Nihil enim videtur intereſſe, præterquam quòd eorum cauſæ videntur ignorari. Si verò (inquiunt) experimento res conſtat, vt omnium gentium videtur vſu probari, etſi ignoretur cauſa, non eſt detrahenda fides, ſed cenſendum omninò eſſe aliquam, quia nihil ſine cauſa fit. Iam verò diuinationem illam aliam, quæ veriùs diuinatio dicitur, quæque ſine vlla arte intra nos eſſe videtur; dormientes, aut furentes, aſſeritur exemplis multis, quia præter vetera quæ narrantur quamplurima, vix vllus incidet in hanc lectionem, quia non audiuerit multa ad hanc rem pertinentia. Poſt exempla verò addebat Cratippus hoc argumentum, quod ſibi perſuadebat eſſe firmiſſimum. *Quodcunque animal vel ſemel in tota vita vidit cœlum, aut omninò colorem, fulgoremve aliquem, etiamſi centies millies videre nequiuerit, aut videndo deerrauerit, neceſſe eſſe habere vim facultatemque cernendi: nam quod ea omninò orbatum eſt nunquam videre poterit.* Ergo & quicunque homo, vel ſemi præſenſerit diuinaueritque futura, etiamſi errauerit ea in re pluries, habet in ſeſe facultatem diuinandi. At vero nemo neget

De diuinatione per ſomnia.

plurimos ſomniaſſe aliquando, aut etiam vigilantes dixiſſe res futuras, quæ verè conſequutæ ſunt. Porrò (dicunt) vt naturaliter tributa eſt animæ vis quædam ſentiendi præſentia, quæ dicitur ſenſus, & alia ſentiendi præterita, quæ eſt memoria, ita oportet tributam eſſe aliam futurorum, putà vim diuinandi. Collocant itaque ſenſum, & imaginationem, quæ ſine ſenſu temporis eſt, inter memoriam & diuinationem. His argumentis, & aliis multis (quæ vt minùs naturalia ſciens prætermitto) affirmabant eſſe in humanis mentibus vim quandam diuinandi, quæ plerumque langueret, nonnunquam verò excitaretur vehementer, aut calore quadam intrinſecus excitato, vel vehementi motu, vel lino, vel flatu aliquo diuino talē habente naturam, eumque vel ex terræ quibuſdam locis non continenter, ſed ex temporibus quibuſdam exhalare, ac ſeſe, non in omnes, ſed in natura magis paratas mentes inſerere, illiſque diuinationis, velut quædam, circa eum calorem vel flatum, obturata foramina reſerare, ab eius quoque facultatis vſu mentem, præſentia rerum externarū, inter quas verſamur ſemper interturbari. proinde tunc maximè poſſe, cùm externis relictis rebus per ſe mouetur, vt in ſomnis, aut cùm eleuata eſt, vt cùm muſico concentu detinetur. Licet tibi hæc legere. vt multis aliis in locis, ita apud Plutarchum libello de defectu oraculorum. Quibus plurimum videtur adſtipulari factum Eliſei. ſiquidem petiit adduci ſibi pſaltem, vt vaticinaretur. Epicurei omnia diuinandi genera deridebant, cenſentes nihil eorum quæ omninò non ſint, ſciri poſſe, futurorum verò nullum eſſe adhuc. ſed quoniam neque præterita iam ſunt, meliùs videtur ratio hæc ita concludi poſſe. Quæ neque ſunt, neque fuerunt vnquam, nullo modo ſciri poſſunt; nam neque per ſe vt quæ actu ſunt, neque per ſui ſpecies, ac velut veſtigia quæ reliquerint, vt quæ præterierunt: nulla eſt igitur diuinandi ratio. Cenſebant ergo, eorum quæ præcognita prædictáve per quoduis diuinationis genus eſſe narrantur, plurimas eſſe vulgi ineptias, aut ſacerdotum impoſturas: imperitæ verò multitudini, prætextu pietatis & religionis facilè perſuaderi, nõnulla caſu euenire, vt ſcilicet euenire potuit aliud quiduis. Neque enim neceſſariò non euenit quod prædictum eſt, ſed & cùm non euenit, potuit euenire. Peripatetici, vt Cicero refert, omne id genus diuinationum, quod artis alicuius erat particeps, tollebant, vt Epicurei; id verò quod arte caret, vt diuinationem dormientium, & furentium, & eorum qui morti proximi ſunt, concedebant, vt & Stoici. Plato vtrunque mihi videtur recepiſſe, alterius verò cauſam reieciſſe in Dæmones, alterius in naturam

Epicurei diuinationes derident.

Peripatetici quid de diuinatione.

Opinio Platonis.

ram

ram. Nam in conuiuio ſiue de Amore, differens de natura Dæmonum,quos inter homines & Deos cenſet intercedere,inquit: *Per hanc vaticinium omne ſacerdotúmque dulgentia circa ſacrificia, expiationeſque, & incantationes, & diuinatio omnis, atque magica.* idem in dialogo de Natura, vaticinium ſtatuit in iecore, cenſens ſcilicet diuinandi vim tributam eſſe hominibus à natura, & ea vi tunc maximè eos vti, cùm minimè vti poſſunt prudentia: ſunt verò eius hæc verba: *Quòd autem dementia humanæ Deus diuinandi vim dederit, illud argumento eſſe poteſt, quòd nemo dum ſanæ mentis eſt, diuinum & verum vaticinium vllum aſſequitur, ſed cùm vel ſomno prudentis vis præpedita eſt, vel oppreſſa morbo, vel diuino aliquo raptu à ſua ſede dimota fieri diuinatio ſolet.* In Apologia idem Plato Socratis nomine, dicit eos qui proximi ſunt morti ſolere diuinare. Pythagoram narrat Laërtius diuinatione per auguria eſſe vſum, & inter ſymbola ſcripſiſſe, *diuinationem omnem honora.* Ariſtoteles quoque ſect.30. problematum, cauſas quibus Sibyllæ & bacchantes, & vates fiunt, reiicit in calorem quem in mentis ſede ciet atra bilis, eius verò ſunt hæc verba: *Multi etiam propterea quòd ille calor ſedi mentis in vicinio eſt, morbis veſaniæ implicantur, & lymphatici fiunt; vnde Sibyllæ, & bacchantes, & diuino ſpiritu afflati fiunt, cùm non morbo, ſed temperie naturali fiunt.* Ex his verbis conſtat, Ariſtotelem cenſere, vel ſaltem eo loco affirmare (nam vt hoc obiter dicam, eius viri ſententia propria malè petitur ex problematis, quia in eorum diſſolutione ſæpe vtitur alienis placitis) eſſe in hominum mentibus naturalem facultatem futura præſentiendi; eam verò incitari calore, in quibuſdam quidem morboſo, eoſque dici maniacos, phreneticos, aut lymphaticos: in aliis verò naturali, quòd ſcilicet atra bile, eáque calida, naturaliter iuxta mentis ſedem, hoc eſt, in cerebro abundent, eáque cauſa fieri Sibyllas & vates, atque adeò prophetas, ſed & in libro de mundo ad Alexandrum, extant hæc Ariſtotelis verba, quæ plurimum dictis de naturali diuinatione videntur fauere. *Atque etiam per multa ſpirituum genera pleriſque in locis terræ oſtio patefacta ſunt, quorum quidem ſpirituum alij aduentantes inſtigant, alij inediam tolerare faciunt, & alij vaticinari, vt in Delphis & in Lebadia.* Itaque conſtat Philoſophos omnes, præter Epicureos, qui non adeò ſunt à multis exiſtimati ſapientes, cenſuiſſe eſſe aliquam diuinandi facultatem, hominum mentibus inſitam naturaliter, etiamſi ea facultas non niſi in raris quibuſdam eſſet conſpicua. Nam etſi de artibus illis diuinatoriis,aruſpicum ſcilicet, & augurum, ſortilegorum, Chaldæorum, &

Ariſtotelis opinio.

Lymphatici & Sibyllæ.

Diuinationē eſſe cenſent Philoſophi.

Magorum, & Sacerdotum, & ſimilibus diſſentirent, aliis has quoque habere aliquid naturale putãtibus, aliis eſſe vanas prorſus, & nihil habere certi, retineri verò propter mores patrios, ne tollantur ſimul leges, Platone aſſerente ea quoque diuinandi genera, non tamen naturales habere cauſas, ſed fieri Dæmonum interuentu; tamen de ea diuinatione, quæ citra omnem artem in nobis ipſis ſita eſſe videtur, quales Sibyllarum, Prophetarum & ſomniantium, omnes præter dictos, conſentiebant, naturaliter eſſe in ipſis noſtrûm mentibus. Ex ſacris eloquiis dubitare meritò poſſet, quam ſententiam colligas. Nam cap. 23. Numer. Balaam afflatus diuino ſpiritu, & laudes populi Iſraëlitici commemorans, inquit, *Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſraël*, itaque quaſi augurium & diuinatio omnis ſint vana, aut malorum Dæmonum interuentu fiant, dicit, non eſſe horum quidpiam inter fideles. Hanc ob cauſam Saül, dum bonum ageret coram Deo, eraſit è terra Iſraël magos, & ariolos, & habentes Pythones in ventre interfecit. Itaque omnes qui vtebantur artibus diuinatoriis, aut magos & ariolos è terra relegauit: admittentes verò malos Dæmones intra ſeſe, interfecit. Hæc itaque omnia partim ſunt cenſenda vana, partim praua, quòd partim ſunt impoſturæ, partim agantur, interuentu malorum Dæmonum, quod idem vel ex noſtris legibus conſtare poteſt, quibus impoſtores omnes, qui vtcunque diuinationem profitentur, relegari iubentur, vtentes autem diaboli opera, vel comburi, iuxta id arbitror quod Saül initio ſui regni feciſſe narratur, cap. 28. primi Regum. itaque videtur omnis diuinatio populo Dei eſſe interdicta. Alia tamen ex parte videri poſſunt non minùs, ſed plus etiam quàm gentes vſi omni genere diuinationis. Nam in ſecundo genere (vt ab hoc nunc incipiam) eſſe videntur viſiones omnes Prophetarum & prædictiones, quæ non ſemper & vtcunque, ſed efflatis numine quibuſdam occaſionibus fiebant, velut cùm Saüli obuius fieret cuneus Prophetarum, inſiluit ſuper eum ſpiritus Domimini, & prophetauit in medio eorum: itaque velut furens repente ſe coniecit medium inter Prophetas, prophetauitque cum illis; cuius rei nouitas prouerbium peperit, *Saül inter Prophetas*, vt narratur cap. 10. primi Regum Eliſæus loco citato ad cantum pſaltis prophetare cœpit. In hoc genere etiam erant ſomnia, & ſomniorum interpretationes, Ioſeph, & Danielis. In primo genere eſſe videbantur miſſiones ſortium, quæ quàm maximè videntur probari in ſacris, ſiquidem 16. Prouerbiorum dicitur, *ſortes mittuntur in ſinum, ſed à Deo temperantur.* Ioſue cap. 7. ſuæ hiſtoriæ habetur, mittens ſortes primùm per

Diuinatio populi Dei interdicitur.

Augurij vſus in ſacris.

per tribus, deinde per domos, poſtremò per ſingulos, reperit Acham filium Chaim, eſſe anathema. Diuus quoque Mathias electus eſt in Apoſtolatum miſſis ſortibus inter eum & Ioſeph: vt narratur capite primo Actuum Apoſtolorum. Augurio videtur etiam vſus Eliſeus, qui lethaliter iam ægrotans, prophetauit Ioë regi Iſrael, fore vt vinceret Syriam ter, eò quòd terram ſæculo ter percuſſiſſet: ſi autem pluries percuſſiſſet, fuiſſe deuictarum eam vſque ad conſummationem. Itaque ex numero iaculationum videtur præſenſiſſe numerum victoriarum: non aliter ac Calchas Agamemnoni narratur, ex numero paſſerum prædixiſſe numerum annorum belli Troiani. Sed & 40. cap. Geneſeos ſcriptum eſt, Ioſephum ſolitum eſſe augurari in ſcypho, in quo bibebat: atque ideò ipſemet dixit, *An ignoratis, quòd non ſit ſimilis mei augurandi ſcientia?* Necromantiæ etiam exemplum eſſe videtur in ſacris. Nam Saül cùm conſultus Deus ei non reſponderet neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per Prophetas, curauit vt Pythoniſſa ſibi ſuſcitaret Samuelem, quem conſuleret. Obſeruationis etiã auium & inſpectionis extorum, formam videtur præ ſe ferre illud, quod Deo imperante fecit Abrahamus, quod narratur cap. 15. Geneſeos his verbis: *Et reſpondens Dominus, Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, & vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit, aues autem non diuiſit: deſcenderuntque volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham, cumque Sol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum, dictumque eſt ad eum, ſcito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, &c.* Videtur ſanè in hoc oraculo, & inſpectionem extorum fuiſſe, ſiquidem diuiſit per medium tria illa animalia, & eorum partes contra ſe altrinſecus poſuit auium quoque habitam rationem, ſiquidem deſcenderunt ſuper cadauera: porrò acceſſiſſe diuinationem ex inſomnio, ſiquidem poſt ſoporem dictum eſt ei quod ſemini eius erat euenturum. Arti quoque Chaldæorum, hoc eſt, Aſtrologiæ iudiciariæ, fauere videtur illud, quod capite quinto libri Iudicum ſcriptum eſt, *De cœlo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Si enim ob infœlicem ſtellarum in cœlo manentium ordinem Siſara deuicta eſt, potuit certè præuiſo eo ſtellarum ordine ſuam calamitatem præſentire. Sed & chiromantici habent in ſacris, quo ſe tueantur: ſiquidem capite 37. libri Iob ita habetur: *Qui in manu omnium hominum ſignat, vt nouerint*

Necromãtiæ exemplũ in ſacris.

De Aſtrologia iudiciaria.

ſinguli opera ſua Iam verò oraculis nulli homines videntur magis vſi quàm Iſraëlitæ. Nam Dauid conſuluit Deum c. 5. lib. 2. Samuelis: *Si aſcendam contra Philiſth aos & tradas eos in manus meas? qui reſpondit, non aſcendas contra eos, ſed gyra tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pirorum.* Conſulebant etiam per Prophetas: nam cap. 16. ſecundi Paralipomenon, dixit Ioſaphat ad regem Iſrael: *Conſule obſecro in præſentiarum ſermonem Domini. Congregauit ergo rex Iſraël Prophetarum quadringenta viros, & dixit ad eos: In Rhamoth Galaat, ad bellandum ire debemus, an quieſcere?* poſteà horum reſponſo non contentus, accerſiri iuſſit Michæam. Quæ igitur diuinatio non erat in Iſrael? Certè primæ de diuinatione queſtioni, An ſcilicet ſit vlla diuinatio, nullus locus relictus eſt. Eſt enim re vera diuinatio aliqua, vſque ea ſunt non tantùm populus Dei, ſed & aliæ gentes: nam vt fuerunt Prophetæ inter Hebræos, fuerunt & inter Græcos, & Latinos Sibyllæ, & Balaam prophetauit inter gentes, & reſponſa accipiebant Idololatræ à ſuis Diis. nam præterquàm quòd nimis eſſet proteruum, negare omnia quæ de Ammone Ioue; & Delphico Apolline celebrauit antiquitas, Rex Ochozias miſit nuncios ad Belzebub Deum Acharon conſulendum de ſua ſalute, quaſi ſcilicet ad reſpondere ſolitum Quapropter faceſſet ſtulta Epicureorum deriſio, qui omnia ſiue de ſacrificiorum inſpectione, ſiue de diuinatione ex inſomniis, ſiue de Prophetiis, ſiue de oraculis, ac prorſus de quouis diuinationis genere, vbi terrarum eſſe dicebantur, cenſebant eſſe meras nugas, ac non ſolùm non eſſe vllam diuinationē naturalem, ſed ne eſſe quidem poſſe: qui hac vna cauſa mihi videntur laudandi, quòd ſcirent, quid ex ſuis placitis eſſet conſequens. Nam illi nullam vim naturalem diuinādi eſſe cenſentes, cùm & nullos Deos qui rebus humanis proſpicerent, eſſe putarent, ſed (vt rectè Cicero intelligit) per deriſum dicerent, eos eſſe imagines quaſdam per aerem vagantes, non poterant vllam diuinationem recipere. Nos ergo quibus ex tam multis teſtimoniis doctiſſimorum ac grauiſſimorum auctorum, ac quod firmiſſimam fidem facit, ſcripturæ ſacræ conſtat eſſe re vera, fuiſſeque ſemper inter mortales futurarum rerum præſenſiones, diſputandum eſt, quæ diuinatio ſit (poſita enim ſunt plurima illius genera) atque quæcunque eſſe probetur quàm habeat cauſam, an naturalem, an diuinam. Diſputetur primùm quidem vniuerſim, perinde per ſingula genera, hinc ſumpto initio. Quicunque futura tentant prædicere, aut ex conſideratione cauſarum, ſignorumve procedunt, aut non, ſed ſine vllis ſignis aut argumentis, quaſi res ipſas per ſe videant,

Epicureorū deriſio arguitur.

videant,id faciunt: illud pertinet ad coniecturam,hoc ad diuinationem. Rurſum, coniecturarum quædam ſunt coniunctæ cum vera prudentia, quædam ſunt vanæ, vt ſcilicet ipſæ, ſiue cauſæ, ſiue notæ, ex quibus ratiocinatur. ſunt vt coniecturæ quibus Imperator in bello, & ciuilis vtitur in admiſtranda Republica, & Medicus in curandis morbis, & nauta in ſoluenda à portu, aut retinenda naui, & agricola in mittendis ſeminibus,coniunctæ ſunt cum prudentia, quia cum naturali ratione, aut diuturna experientia rerum ſecundùm naturam contingentium.Quibus verò vtuntur Auſpices, aut Augures, aut extorum inſpectores, aut pullarij, aut obſeruatores portentorum,vt videtur pleriſque,vanæ ſunt.Neque in volatum auium, neque in extis hoſtiarum, neque in paſtu pullorum, neque in caſu contingentibus portentis,videtur poſſe eſſe vlla naturalis ſignificatio exitus bellorum, aut mortis vt principium, aut eiuſmodi aliarum rerum, quarum gratia hæc obſeruabantur. Vanæ diuinationes.

Diuinatio propriè vocata,aut vaticinatio, aut prophetia, nulla eſſe poteſt(quidquid grauiſſimi illi Philoſophi dicant)merè naturalis:cur dicam merè,explicabo poſteà.Nam qui diuinat,aut tunc primum illud didicit, aut anteà quoque ſciebat non animaduertat tamen tunc quidem diſcere non potuit, quia cùm non didicerit colligens ex præexiſtenti aliqua cognitione cauſarum, aut ſignorum,aut cuiuſpiam corporalis paſſionis quam acceperit,neque omninò collegerit ratiocinando ex aliis aſſertionibus (id enim non diuinare, ſed, vt diximus, coniectare eſſe oportet ex ipſius obiecti præſentia ſcientiam comparauerit:at verò quod neque omninò eſt neque fuit, non poteſt eſſe præſens obiectiuè,igitur ſupereſt,vt qui diuinat eius quod diuinat notitiam ſemper apud ſe habuerit: id verò nulli finitæ facultatis menti contingere poteſt. Neque igitur vlla poteſt eſſe naturalis diuinatio. Nam facultas diuinandi ſi quæ eſt, non eſt quorundam, ita vt aliorum non ſit; neque futurorum quædam diuinari poſſunt, quædam non poſſunt: ſed ea facultas erit per ſeſe omnium futurorum, vt memoria eſt per ſe omnium præteritorum, & quantum in ea agitur,quidquid futurum eſt diuinari poſſit. Neceſſe eſt ergo,ſi quæ diuinandi facultas naturaliter ineſt humanæ menti, in ea eſſe rerum omnium futurarum ſpecies, & notitiam. Diuinatio non eſt merè naturalis.

Quoniam verò præſentia omnia & præterita aliquando fuerunt futura, tuncque pertinuerunt ad diuinandi facultatem, neceſſe eſt ea quoque ſint in anima quæ eam habeat potentiã; ergo neceſſe eſt habeat humana mens in ſeſe ſpecies & notitiam rerum omnium,præſentiũ,præteritarum, & futurarum:

id verò fieri non poteſt, neque per infuſas rerum ſpecies, neque per participationem idearum, neque aliter, cùm ſit finitæ ac certæ virtutis. Nam vt qui non eſt potentiæ infinitæ, non poteſt omnia facere, ita neque qui non eſt infinitæ ſapientiæ, poteſt omnia ſcire: ſit ergo, vt non poſſit eſſe in homine vlla naturalis facultas diuinandi. Ponere enim calorem quendam, ſiue bilis atræ, ſiue flatus cuiuſpiam, auræve talis, quæ incitando mentem inſtiget ad diuinationem, niſi priùs explices, qua ratione poſſit mens ipſa diuinare; an euoluendo quas in ſe habet notitias, an recipiendo quæ accedant extrinſecus, inutile eſt. Si enim ipſa diuinatio eſſe non poteſt, neque vlla ſit in mente diuinandi vis; ea verò ſi non eſt, calorem vel afflatum ponere, vt diuinetur, perinde eſt ac ſi quis putet hominem natura cæcum, cuiuſdam ſplendoris acceſſione poſſe videre. Quidam neoterici hoc argumentum ſibi videntur effugere, ponentes humanam mentem per ſe, ac niſi corporeis impedimentis teneretur, omniſciam eſſe, ac proinde cùm aliquando dimiſſis rebus corporeis, quaſi vinculis ſoluta euagatur, per ſeſe etiam ſine vllis obiectis res alioqui occultas, aut futuras, agnoſcere. Sed hi conditionem animæ alligatæ corpori non norunt, quæ niſi per ſenſus receperit, agnoſcere nullo modo poteſt: & ipſam humanæ cognitionis rationē tollunt, quæ nihil eſt aliud quàm quodammodo ab obiectis pati. Præterquàm verò quòd tam multa receptiſſima à Philoſophis placita perdunt, non vident ſe finitæ formæ perfectionem adſcribere infinitam. Scire enim præcipua mentis perfectio eſt, & quò plurium eſt ſcientia, eò maior; quæ ergo omnium, infinita ea, cùm non niſi in prima cauſa (quam infinitæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis eſſe alibi priùs, & in hoc ipſo opere monſtraui) eſſe poſſit, conſtat neque ſcientiam futurorum poſſe eſſe, niſi penes primam, & infinitæ ſapientiæ intelligentiam, penes quam, vt inquit Plato, *neque eſt, erat, & erit, ſed eſt.* Igitur neque certa, neque ambigua prædictio rerum futurarum, taliumque, vt earum non potuerit eſſe vlla certa coniectura ex rebus ſenſibilibus, neque ex poſſint ſecundùm aliquam corporalem paſſionem ſignificari, euidenter atteſtantur primæ veritati, quæ penes primam intelligentiam eſt, neque minùs quàm miracula confirmare eam poſſunt apud homines: imò plus etiam, quia multò meliùs poſſent Cacodæmones ſenſibus noſtris illudendo miracula ementiri, quàm certò & ſine fraude, futura prædicere. Sine fraude dico, quia hac etiam in parte tentauerunt imperitiſſimæ rerum diuinarum gentilitati imponere, & veri Dei opera vtcunque imitari: nimirū, vt ille reſpondebat ex propitiatorio, vera, certa,

Futurorum cognitor ſolus Deus.

Dæmones Dei ſimiæ.

& omni fraude vacantia verba,& veris Prophetis vera ſuggerebat;ita illi aut ex idolis, aut per pſeudoprophetas reſpondebāt nunc ambigua, & quæ in vtramuis partem flecti poſſent,nunc nugas,nunc mendacia. Ambigua,vt quidquid eueniret illi prædixiſſe putarentur;quale eſt illud, *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe*: nugacia,vt quæ ipſis manifeſta eſſe poſſunt,& hominibus occulta reſpondentes, ipſos in admirationem rapiebant, putantes quòd ſcirent occulta, poſſe etiam ſcire futura. quod tamen longè differt. huiuſmodi eſt illud. Cùm quidam ad oraculum miſſus eſſet, tenens manu placitam ſyngrapham, in qua ſcripta erat hæc interrogatio, *Vtrum mauis tibi bouem immolari, album, an nigrum*, ipſi neque interroganti quidquam, neque verò ſcienti quid manu gereret, bis ad autem reſponſum eſt, *album*: quæ res magnam Amoni authoritatē conciliauit,quaſi potenti de quacunque re conſuleretur, reſpondere. ea verò res nihilò maiorem edmirationem afferre debuit, quàm ſi aperta voce interroganti,qualem vellet immolari bouem, reſponſum eſſet,*album*. Cur enim Dæmonum natura ad agnoſcendas voces,quàm literas cenſeatur eſſe aptior,cùm non magis auribus, quàm oculis præditi ſint? mendacia ſuggerebant pſeudoprophetis ad decipiendum. Exemplo eſt id quod euenit Achab regi Iſraël, cui quadringenti ferè Prophetæ, ſpiritu mendacij inſtigati reſponderunt, fore vt debellaret & bello caperet Remoth Galaad,cùm tamen ille bello illo eſſet caſurus,& eius exercitus diſſipandus. Iraque vera & certa futurorum prædictio, ac prophetia, inſpirationis à ſummo Deo, per ſe, aut per bonos Angelos facta,euidens argumentum eſt,falſa verò, aut incerta, aut pertinens ad res præteritas, occultas tamen, vt furtorum, aliorum facinorum detectio (hanc enim etiam vocant diuinationem, quin & prophetiam, vt conſtat ex cap. 13. Lucæ vbi dicitur, *vetauerunt eum & percutiebat faciem eius, & interrogabant eum dicentes, prophetiza qui eſt qui te percuſſit?*) hæc inquam inſpiratione fieri poteſt prauorum Dæmonum, cuius inſpirationis, nonnunquam ipſi diuinatores ſunt conſcij, vt cùm conſulto, & præ impietate cum illis pepigerunt: nonnunquam ipſi etiam ignorant. Atque ignorantium nonnulli putant ſe à Deo Optimo Maximo inſtigari, velut quadringenti illi Prophetæ,qui deceperunt Achab: nonnulli neque an extrinſecus veniat vlla inſpiratio, an intrinſecus in ipſis orta ſit ea præſenſio,norunt. atque bene hi præcipuè ſunt,per quos ſibi multi Philoſophorum perſuaſere, eſſe hominibus ſecundùm naturam vim aliquam & facultatem occulta & futura diuinandi. Cùm enim diuinationē videant & inſpirationem non

Dæmonū reſponſa.

An facultas diuinandi ſit naturalis in hominibus.

agnoſcant,cauſantur naturam. Certè longè facilius,ac ſuaſibilius eſt,Dæmonem tacitè rem quampiam phantaſiæ repræſentare, quàm eſſe vim naturalem agnoſcendi futura, quæque nondum ſint, & occulta, quorum formæ per organa ſenſuum non ſubierint, cùm hoc adeò naturæ ipſius animæ, & conditioni humanæ cognitionis indicatum ſit repugnare;illud verò ſit perfacile: agitatione enim ſpecierum rerum præteritarum, quæ in memoria ſunt repoſitæ, poſſunt fieri futurarum rerum, aut occultarum ſpectacula: id verò niſi rarò & caſu quodam fiat (in pleriſque enim eorum quæ narrantur, caſus & credulitas pepererunt diuinationis opinionem) à Dæmone fit. Itaque omnis propriè vocata diuinatio, quæque nullam habet adiunctam coniecturam,fit à Dæmone bono aut malo, neque eſt in hominibus vlla naturalis facultas diuinandi,neque vllus ſenſus futurorum. Argumentum verò, cui Cratippus maximè fidebat, nullius momenti eſt. Si enim nemo, neque dormiens neque vigilans quidpiam futurorum præſentit, neque prædicit (præter afflatus Dæmonum) niſi caſu, non certè quia prædicit, prædicendi facultatem cognoſceretur habere. quod enim fit caſu,fit per accidens,quod à facultate,fit per ſe: non ergo à facultate quod caſu. Caſu verò fieri ratas illas quæ narrantur diuinationes, conſtat, quia quod per ſe & à facultate fit, ſemper aut plerunque: quod caſu, fit rarò, aut ſemel: malè ergo ille colligit,ſi vel ſemel prædictum ſit quod poſteà eueniat,eſſe facultatem nobis diuinandi. Neque illud aliud quod de memoria cui facultatem diuinandi volunt opponi,rectè concluditur. Neque enim quia præſentiũ & præteritorum eſt ſenſus, oportet vt & futurorum ſit, cùm præſentium, & præteritorum ſit vnde accipiantur certæ ſpecies,futurorum non ſit,niſi per accidens, ex ipſis præſentibus, & præteritis. Non eſt itaque vera diuinatio naturalis:nihilominùs habet etiã in diuinatione partem aliquam natura,idque duobus modis: vno quidem, quòd quædã vocatæ diuinationes ſunt meræ naturales:altero, quòd ipſa etiam propriè vocata diuinatio,& prophetia, ob naturales quaſdam cauſas,accidit potiùs huic quam illi,hoc aut illo tempore, hoc aut illud agenti, hoc aut illo modo diſpoſito.primus ergo modus primùm explicetur,deinde alius. De Aſtrologia & Phyſiognomia, cuius Chiromantiæ prædictio pars eſt,quandoquidem artium quarundã eſſe videntur,certum eſt ſeorſum diſputare,an fide aliqua ſint dignæ, an prorſus ſint vanæ,vt etiam de Necromantia,ne tam multa vno cap.inuoluamus.Superſunt auguria,ſeu auſpicia,& extorum inſpectiones,portentorum interpretationes,ſortes,& inſõnia. Augurij & auſpicij nomẽ pro-

priè dicitur de diuinatione, quæ ex cantu aut volatu, aut paſtu auium, procedit: latiùs verò patente nomine, etiam de ea quæ ex aliis quibuſuis rebus caſu incidentibus, vt quòd hoc aut illud nomen auditum eſt, quòd talis aut talis homo occurrit, agenti iter, quòd hinniuit equus, aut ceſpitans cecidit, quòd in menſa ſal excidit aut vinum effuſum eſt, quòd tactus baculus bene in terram cecidit aut malè, & innumera alia, quæ neque vlla conſtant ratione, neque eadē apud omnes ſunt, ſed quæ ſibi quiſque fingit. Extorum inſpectionibus vtebantur ſacerdotes in ſacrificiis idolorum, vtque animalium quæ immolabantur, erāt viſcera integra aut vitioſa, ita bene aut malè ominabantur iis quorum gratia ſacrificia fiebant. Vtraque horum erāt prorſus vana, ac ex ſuperſtitione hominum profecta; ſi quid verò maius in his eueniebat, quàm vt caſu fieri cēſeri poſſet, id omne (vt Plato etiā author eſt loco quem citauimus) Dæmonum interuentu fiebat ideóque meritò datum laudi eſt Saüli, quòd eraſerit à terra Iſraël omnes Ariolos, ſimul cum Magis, & Pythonem habentibus. Nihil occurrit in ſacris quod augurij aliquam ſpeciem præ ſe ferat, niſi fortè illud quod Eliſeus reſpondit Ioë regi, victurum ſcilicet ter, quòd terram ter percuſſiſſet iaculo: id verò non ita oportet interpretari, quaſi triplex iaculatio triplicis victoriæ augurium præſtiterit, ſed quòd Eliſeus eam recepiſſet reuelationem à Deo, fore vt Ioe toties vinceret Syriam, quot ab eo iuſſus mitteret iacula: hæc verò diuinatio non ex augurio, ſed ex diuina reuelatione proceſſit. Iam verò quòd Abraham vaccam, capram, & arietem per medium ſecuit, ſacrificium fuit, non extorum inſpectio abigebat verò volucres non auguriū captans, ſed ſacrificij reuerentia. Iam verò Ioſeph putabatur ab Ægyptiis augurari in ſcypho, cùm tamen ille re vera nihil tale faceret ſed eſſet & prudentiſſimus coniectator, & propheta iiſſe vt ſe magis diſſimularet apud fratres, ad opinionem Ægyptiorum interrogauit, *An ignoratis quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia*? nihil ſanè affirmans, ſed illos terrens, ac fingens eſſe alium. Portentorū interpretationes vanas omninò non eſſe conſtat: ſiquidem Deus Optimus Maximus, gubernationem rerum humanarum penes ſe eſſe, vbi magnæ aliquæ earum mutationes inſtant, portenta quædam faciens indicare ſolet. Velut cùm placeret Domino transferre imperium Aſſyriorum in Medos, facta eſt portentoſa illa viſio manus ſcribentis in pariete, *Mane, Thecel, Phares*, quod interpretatus eſt Daniel, non certè aliter quàm per propheticum quem habebat ſpiritum. Porrò cùm mundi ageretur redemptio, & reconciliatio hominum cum Deo, & mutatio ſæculorum,

Scyphus augurationis.

Portenta.

ac

ac filius Dei moreretur, tenebræ ſunt factæ ſuper vniuerſam terram horis tribus,& velum templi ſciſſum,& lapides collidebantur mutuò, & ſurrexeruut plurimi à monumentis: quorum interpretatio per ſanctum Spiritum facta eſt Eccleſiæ. Porrò interpretatio illa portendoſi illius eclipſis Apollophanis Philoſophi in Heliopoli agentis (vt narrat Diuus Dionyſius in epiſtola ad eundem Apollophanem) minimè fuit vana, qui interrogatus quid de ea iudicaret, reſpondit: *Diuinarum rerum viciſſitudines.* qui mihi videtur maius quiddam, quàm humana ſapientia conſequi poſſet dixiſſe, ac fortaſſe propheta uit hic quoque, neſciens quod diceret: dixit verò rem veriſſimam. Nunquam enim tanta rerum diuinarum viciſſitudo facta eſt, quàm tunc, cùm ceſſare cœpit ſcripta lex, & idolorum cultus cadere, atque omnia cedere legi gratiæ, initiumque accipere regnum Dei. Quoniam verò Deus non Chriſtianarum rerum ſolùm, ſed humanarum omnium prouidentiam habet, & gubernationem, vt ex eo quod contingit Balthaſari palam fit, non eſt quòd fidem abrogemus iis, quæ de Romanorum, & aliarum gentium portentis narrantur, vt neque iis quæ Ioſephus accidiſſe narrat paulò ante excidium Ieruſalem, cùm præcipuè libro ſecundo Machabæorum capite quinto, ante illud templi & Ieruſalem excidium, quod fecit Antiochus, dicantur quadraginta diebus apparuiſſe per aerem tam multa portenta. Verùm in hoc quoque præſenſionis genere, ſunt innumera vana, & falſa. Vana quidem, quoniam ea quæ vt portenta narrantur, leuia ſunt, vel caſu facta, & quæ non tunc primùm, aut ſolùm accidunt, ſed tunc conſiderantur, quòd nouæ aliquæ res conſequuturæ ſint, velut narrant Bœotios Thebaïdæ vidiſſe ex magno ac denſo cantu gallinaceorum victoriam eſſe Thebanorum; fuiſſet verò, vt ſcitè dicit Cicero, portentum, ſi ceciniſſent piſces: falſa verò plurima ſunt eorum, quæ in Principum obitu narrantur accidiſſe: ea enim, vt & diuinos titulos & honores, largita eſt illis adulatio. Itaque portenta, & eorum interpretationes, etſi magna ex parte, non tamen omninò vana ſunt. quandoquidem, vt indicatum eſt, nonnulla ſunt portenta diuina voco, quæ voluntate Dei, aut interuentu Dæmonum fiunt. ſunt enim etiam multa huiuſmodi, vt quæ faciebant Magi Pharaonis concertantes cum Moſe, quos tamen confudit Deus in Ciniphibus re omnium viliſſima, vt inde palam fiat hominibus, Dæmones ne minutula quidem poſſe, niſi Dei permiſſione facere. Quoniam verò Deus in ſuæ prouidentiæ, & gubernationis argumentum facit aliquandò portenta illi ſuperbiſſimi, Dei quo ad poſſunt æmuli, nonunquam in aëre tumultus

Interpretatio eclipſis Apollophanis.

Victoria cantu gallinaceorum.

Dæmones Dei æmuli.

rus cient, voces emittunt, aut phantaſmata fingunt, cùm vident aliquid noui inſtare: præſentiunt verò id per coniecturas, vt ſunt quàm nos perſpicaciores. Huiuſmodi eſſe puto, quòd auis dicitur clamaſſe ad Romanos, vt à Gallis cauerent. ſunt itaque eorum quæ de portentis dicuntur, quædam vana (coniungo nunc cum vanis falſa) quædam diuina ſed & naturalia etiam ſunt portenta, quorum eſt etiam naturalis aliquando interpretatio. vocantur enim portentia ea etiam, quæ etſi naturaliter fiant, ob raritatem admirationem aliquam faciunt, velut mulæ partus & fœtus monſtruoſus. Hæc omnia cenſet vulgus hominum ſignificare res nouas, velut dicunt Zoroaſtrem dentatum exiſſe in lucem, ac mox riſiſſe, qui magicæ inuentor dicitur fuiſſe. Verùm hoc quod de Zoroaſtre ferunt, neſcio, vt habuerit: monſtruoſos verò & portentoſos partus ſiquidem cauſas habent naturales, conſtat, ob neceſſarias potiùs cauſas circa materiam contingentes fieri, quàm vt quidpiam futurorum ſignificent. naturales verò interpretationes ſunt naturalium portentorum, velut Pherecydes magiſter Pythagoræ prædixit fore terræ motus, eò quòd defeciſſet aqua in iugi puteo, & ſimilibus his portentis admonitus Anaximander, dicitur Lacedæmoniis prædixiſſe inſtare magnos terræmotus, quòd ita re ipſa conſequutum eſt, vt vrbs corruerit tota. Ita etiam inſolitus ranarum, murium & reptilium prouentus, præmonſtrant peſtem. Tamen re verà hæ & eiuſmodi aliæ præſenſiones, non magis diuinationes ſunt, quàm quibus Medici, agricolæ, & nautæ vti ſolent. Sortes nihil poſſunt habere naturale, quia ipſa ratio bene mittendi ſortes, in eo maximè conſiſtit, vt tollatur omnis cauſa ſiue naturalis, ſiue voluntaria, ita aut aliter cadendi, ſed res tota, aut caſui, aut occulto motori, eique diuino committatur. Si enim quis in vas mittens pilulas, aliquam facit aliis maiorem, aut parum verſat, vt poſſit extrahere, quam velit; aut ſi qui ſpoponderit cuius calculus priùs cadat, faciat ſuum grauiorem, hæc non ſortes, ſed impoſturæ ſunt: ſi verò omnis naturalis motus, & deliberationis cauſa abſit, verè ſors eſt. Igitur per ſortes nihil futurorum poteſt præſentiri, neque occultorum agnoſci naturaliter: poteſt verò Deus per has, vt multis aliis modis ſenſibilibus, quarum velit rerum ſignificationem præſtare, vt præſtitit Ioſue, & Petro cum conſulentibus: tuncque veriſſimum eſt quod in Prouerbiis dicitur, *ſortes à Deo temperari*. Hoc quoque ſunt imitati mali Dæmones, reſpondentes iis qui eos conſulunt per ſortes. Ex dictis conſtat ſortes mittendas non eſſe, niſi cùm Deus ſe ita reſpondere velle reuelauerit, quod ſanctiſſimis illis viris

Roma auis clamore ſeruata.

Terræmotus prædictus.

Peſtis prænunciationes. Sortium conſideratio.

viris accidiſſe credo ; aut cùm nullum humana prudentia locum habet. Nam tunc quoque veriſimile eſt, ſi res ſint magni momenti. Deum qui humanas rés non negligit, niſi peccata obſtent, ſortes temperare : alioqui vanæ aut ſuperſtitioſæ ſunt, quia imprudentiſſimæ fortunæ, aut nequiſſimis Dæmonibus cõmittuntur. Dormientibus fieri poſſunt futurorum, & eorum quæ occulta ſunt reuelationes, ac fortaſſe etiam magis quàm vigilantibus, vt poſteà dicemus. Sed & citra has, eſt quædam naturalis diuinatio ex inſomniis, de qua ab omnibus ferè Philoſophis diſputatum eſt, atq; à me nunc iuxta illorum placita, eſt agendum. Res quarum per ſomnum poteſt præſenſio fieri, quædam à nobis ſunt agendæ, aut ſuſtinẽdæ, quædã omninò extra nos futuræ ſunt, neque in nobis vllum ſui principium habituræ. Noſtræ quidem actiones aut paſſiones ſunt, velut ſi ego iturus ſum Romam, Rex futurus, febricitaturus, aut moriturus: extra nos ſunt, vt ſi futurum eſt nauale bellum, occupanda quæ nunc obſidetur, Goleta, aut fugandi Turcæ, aut futura ingens procella, aut largus imber. Porrò eorũ quæ extra nos ſunt, quædam talia ſunt, vt cum eorum cauſis nullã habere poſſimus compaſſionẽ, aut talia, vt poſſimus. Atqui vt non poſſimus cum eorum cauſis cõpaſſionem habere, aut ex natura rerum naſcitur, aut ex tanta diſtantia, vt nullus contactus eſſe poſſit (ſcimus enim actiones nullas naturales ſine contactu fieri) vt à cauſis futuræ cras hîc pluuiæ, poſſum ego pati humectatus, emollitus, atque vexatus fluxionibus quod palã faciunt podagrici, & qui hernia laborant : tamen à cauſis futuri belli, aut interitus Pontificis, aut fugæ Turcarum, ob ipſarum rerum naturam, nullam ego poſſim accipere paſſionem corporalem. Neque certè Madriti agens à cauſis futuræ Romæ pluuiæ, aut futuræ hîc anno ſequenti, diſtantiam loci, aut temporis, rerum huiuſmodi à quarum cauſis nullam accipere poſſumus paſſionem, nulla neque dormientibus, neque vigilantibus eſſe poteſt naturalis præſenſio, niſi per coniecturas. Sed cùm euenit quempiam vigilantem cogitare, aut dicere, vel dormientem ſomniare, aliquid quod poſteà re vera fiat duorum alterum neceſſe eſt ; aut id fortuitò fieri, non aliter ac cùm nobis de aliquo homine loquẽtibus ille ſuperuenit, aut à Deo cui omnia futura conſpicua ſunt, aut à ſagaciſſimo coniectore Dæmone factam eſſe reuelationem. Aliarum verò rerũ, quarum principiũ intra nos eſt, aut à quarum cauſis pati poſſumus præſenſio multò meliùs ac faciliùs accidit dormientibus, quàm vigilãtibus. Nam duplex ratio eſt qua res tales præſentimus, quid facturi ſimus, conſultãdo quid facere nos poſteà expediat

Inſomnia.

Præſenſionis ratio.

Duplex præſẽſionis ratio.

expediat: quid paſſuri, ſentiendo in nobis exigua imminentium paſſionum initia. Primo modo admonemur ſæpè per inſomnia quid ſimus facturi. Nam ſæpè de rebus agendus cœpta interdiu cogitatio, per ſomnum continuatur, inueniunturque tunc temporis accommodatiſſima ad finem media, quæ cùm expergefactis placent, opere exequimur, putantes nos a Deo admonitos quid facto opus ſit, cauſa verò talis euentus eſt naturalis. Nam vtrunque dictorum, conſultatio ſcilicet & ſenſus minutularum paſſionum, melius multò accidit dormientibus quàm vigilantibus, ſi modò ſomnus placidus ſit, neque multis craſſisque vaporibus conturbetur: tunc enim velut in agitata conturbataque aqua multæ variæque redduntur rerum imagines, nulla verò certa ac conſpicua. Cùm verò ſomnus eſt moderatus, neque perturbatus multis animi motibus, aut morboſo apparatu, aut crapula, dicta illa accidunt meliùs, quia anima intro ſe colligens, & nullis externis ſenſibilium motionibus diſtracta meliùs ac perſpicaciùs conſultat. Argumento eſt, quòd qui de rebus maximis cogitare volunt, in ſilentio, obſcuris, concluſiſque cubilibus, & ſæpe etiam oculis id faciunt. Nimirum ſubtrahunt ſeſe ab externorum ſenſu, vt cogitationi vacent. Conſtat verò nulla ratione magis animam vacare ab externis ſenſibus, quàm dormiendo, non verò ita vacat ab internis, ſiquidem ſomniat. quod Hippocrates libello de inſomniis ſignificauit his verbis: *Cùm corpus dormit, anima vigilat.* Eandem ferè ob cauſam fit vt minutulæ paſſiones, quæque vigilantes latent à dormientibus ſentiantur, videanturque illis eſſe multò quàm ſint maiores. nimirum ſomnus habet ad vigiliam rationẽ, quàm nox ad diem, tenebræ ad lucem, ſilentiũ ad clamores: at verò cõſtat noctu & ſilentibus cunctis, ſtrepitus vel exiguos videri magnos interdiu, & vbi eſt magnus ſtrepitus, magnos etiã latere, adeò vt qui iuxta Nili orrum ſunt, dicantur eſſe ſurdi. Horum verò cauſa eſt duplex. In ipſa anima, quòd ſenſus coniunctus ſemper eſt cum imaginatione, quæ cum animaduerſione operatur, diſtrahitur verò ob aliorum ſenſibilium magnitudinem aut potentiam. In ipſo organo, quòd vbi multæ recipiuntur figuræ aliæ alias obſcurant, velut in aqua indicatum eſt. Itaque anima per ſomnum attentiùs cogitat quàm per vigiliam, & minutulas paſſiones maiores eſſe indicat. Sunt verò hæ paſſiones, & à cauſis internis, vt ab humoribus, & flatibus, & ab externis, vt ab aëris intemperie. Hinc fit, vt ex inſomniis poſſimus multa de imminentibus morbis, aut latentibus morborum cauſis, præſagire; nonnulla etiã de externis, vt de procellis, imbribus, & eiuſmodi. Porrò ſcire oportet, velut cum vigilãtes loquimur,

Ratio ſomnij ad vigiliam.

aut cogitamus, aliquando id facimus per proprias appellationes aut notiones, aliquando per figuras, velut per ſimilirudines,& allegorias;ita etiam ſomniare,atque ita aliquando opus non eſt interprete ſomniorum, ſed illud ipſum quod ſomniatur ſignificatur, vt ſi quis ſomniat ſe febricitare, eſt quòd timeat febrem, & qui eſurit ſomniat ſe comedere, & qui ſitit bibere; vt dicitur Iſaiæ 23. Aliquando opus eſt interprete, qui calleat ſimilitudines, & tranſlationes, velut ſi quis ſomniet terram vri,aut præ vſtione findi,eſt quòd timeat febrem.ſi quis ſomniat ſe eſſe languidiſſimum,eſt quòd timeat paralyſim; ſi ſomniat ſibi fieri crus lapideum,cruris paralyſim timebit. Perinde etiam accidit in externis:ſiquis ſomniet largum imbrem, neque in ſeſe catharrum, aut illius agnoſcat exordia, imbrem præſagiet. Hoc idẽ præſagiet,ſi ſomniet ſe videre multos qui latè terram irrigent. Neque mirum videri debet pluuiam ſomniare ſignum eſſe pluuiæ; ſi enim videmus imminentem pluuiam, cornicem,delphinos,ſues,araneos,& innumera alia animalcula ita afficere,vt ex eorum cantu, ſaltu frequẽti,grunnitu, & errabundis motib facilè eam prænoſcamus; quid mirum eſt noſtra corpora aliquatenus etiam affici,affecta verò ita, vt humectata,quid mirum de pluuia ſomniare; vt ſcilicet redundãte ſemine ſomniant de Venereis, redundante bile de præliis, & quibus plena veſica eſt,de lacubus, & fluminibus.cogitante anima quæ appetit aut fugit;ſi verò mirum non eſt ſomniare de pluuia, cùm ea imminet, neque impoſſibile ſit, vigilantem imaginari(tametſi rarius hoc ſit, quia,vt dictum eſt,minutulas paſſiones dormientes ſentimus magis, quàm vigilantes) vnde factum eſſe arbitror,vt Auicenna, & ſi qui alij eius ſententiæ ſunt, quòd vim habet ſigni, vim cauſæ habere putantes, aſſeruerint animam hominis vim habere mouendi externa,& quæ longè poſita ſunt: nonnullos enim cogitãtes de pluuia, eam feciſſe:cùm tamen iuxta dicta veriſimilius ſit,illos quòd inſtaret pluuia,de ea cogitaſſe. Ecce modos & cauſas diuinationis naturalis ex inſomniis, quæ vt in reliqua vita alicuius, ita in medicina maximi momenti eſt. Plerunque enim internæ illæ paſſiones,ex quibus naſcuntur inſomnia, morborum aut ſymptomatum initia ſunt. Inſomnia etiam diuina, quæ eſſe diximus rerum quæ in nobis principium nullum habere poſſunt, neque nobiſcum vllam ſympathiam, ſunt plerunque allegorica: atque ita ratio ea interpretandi, eadem eſt quæ & naturalium allegoriarum:nimirum per enodationem allegoriæ,velut explicari ſolent ænigmata. Atque,vt in his explicandis ſunt alij aliis prudentiores, ita & in interpretandis inſomniis. Quo fit,

Somniorũ interpretatio.

Pluuiam quæ prænuntient.

Symptomata morborũ.

vt ſit ſæpè ſomnium diuinum, interpretatio vero naturalis: nonnunquam interpretatio quoque diuina: cùm ſcilicet eadem diuinatione opus eſt ad interpretationem, atque ad inſomniũ. Velut inſomnia Ioſeph videntis manipulum ſuum conſurgere, & fratrum manipulos coram illo cadere, & iterum Solem & Lunam & vndecim ſtellas adorare illum, diuina fuerunt haud dubiè; interpretatio verò facilis, & quæ mox ſuccurrit. primi quidem fore vt fratribus imperaret: ſecundi, vt ab illis, & patre & matre adoraretur, quod multò poſt euenit. Diuina etiam fuerunt inſomnia præpoſiti pincernarum, & principis piſtorum Pharaonis (cap. 40. Geneſeos) & inſomnia ipſius Pharaonis: interpretationes verò non eſt neceſſe per reuelationem, ſed per prudentem coniecturam eſſe factas, tametſi prudentiam illam Ioſeph dono Dei habuit, vt & Salomon ſapientiam gubernandi: atque illo loco Geneſeos coniector vocatur Ioſeph, non Propheta, Daniel vero non potuit Nabuchodonoſor reſpondere (cap. 2. Danielis) niſi per diuinam inſpirationem, quandoquidem reuelauit ei ſomnium quod exciderat, & appoſuit interpretationem, quod euidentiſſimum fuit argumentum reuelationis diuinæ, vel ipſis Magis Nabuchodonoſor aſſerentibus, qui ita reſponderunt: *Sermo quem tu quæris, rex, grauis eſt, neque reperietur quiſpiam qui indicet illum in conſpectu regis, exceptis Diis, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio*, hoc eſt, nemo poteſt cogitationes hominis, & ſomnia ſcire niſi Deus Opt. Max. ac per illum boni ſpiritus, qui non conuerſantur cum hominibus huiuſmodi, cum Magis ſcilicet, & Ariolis, itaque iſta reſponſio eſſe non poteſt niſi Prophetæ ſummi Dei; atque ita Daniel oratione impetrauit à Deo reuelationem, quam nocte accepit per viſionem, Somnij etiam ipſius Danielis, quod cap. 7. narratur, interpretatio diuina fuit, vt ex ipſa conſtat narratione. Itaque duplex ratio eſt diuinandi ex inſomniis, quædam naturalis, quæ duas habet cauſas, eſtque re vera quædam coniectura procedens ex naturalibus ſignis, quæ præſtantur in ſomnis: quædam diuina, quæ ex reuelatione procedit, atque cùm ea reuelatio Dei eſt per ſe, aut per bonos Dæmones, eſt verè prophetica. Multi etiam ſunt, qui præter hæc putantur ex ſomniis diuinare, eò quòd aliquando conſequutum ſit, id quod futurum eſſe ſomniauerint, nonnunquam ita, vt euentus maximam afferat admirationem: tamen re vera illud caſu fit: euenitque hominibus ſomniabundis, cuiuſmodi ſunt multi atrabiliarij. nimirum illi cùm plurima eaque varia ſomnient, fit caſu, vt aliquando in res, quæ futuræ verè ſunt incidant, vt (inquit Ariſtoteles) qui

Duplex diuinandi ratio.

diem totum iaculatur, aliquando collimat, etiam ſi iaculandi peritus non ſit. Neque ſanè adeò mirum eſt, cùm tam multi homines ſemper ſomnient, aliquem aliquando incidere in rem futuram Neque minus haberet admirationis, ſi nulla vnquam incidiſſet. Neque minori diſquiſitione indigeret, cur non poſſet fieri id quod ab aliquo ſomniatum eſſet Cur igitur nunc miramur, ſi aliquando fiat? itaque verè diuinandi, hoc eſt, prænoſcendi futura citra coniecturam, & quæ nullam in nobis habere poſſit paſſionem ſui indicatricem, nulla facultas naturalis in nobis eſſe poteſt: tamen diuinandi quodammodò, per inſomnia quidem magis, ſed & per vigiliam aliquatenus eſt in nobis quædam facultas: ea verò malè à Platone collocatur in iecore. Nam cùm diuinare quodammodo ſit contrarium ipſi memorari, ad eandem animæ partem pertinere neceſſe eſt, putà ad ſentientem, quam Plato (vt & omnes Medici) in cerebro ponit: in hepate verò, aut nullius principium eſt, aut appetentis ſolum: itaque etſi appetitiua plurium inſomniorũ principium, & cauſa ſit, velut cùm quis cibi laborãs penuria, ſomniat ſe comedere affatim multa, & ſemine redundans, congredi cum mulieribus, inde tamen non ſit, vt eiuſdem ſit facultatis aut partis, appetere & ſomniare, ſed vt facultatum & partium animæ ac corporis tanta ſit ſympathia, quæ, vt hoc ita multis aliis argumentis aſſeritur. Sed redeamus ad pẽſum. Cùm ergo per omnia genera indicatum ſit, diuinationes quaſdã eſſe vanas, quaſdam naturales, quaſdam diuinas, vanis quidem non vtebatur Iſraël, vt Balaam prophetãdo dixit, naturalibus vtebatur vt aliæ gentes. diuinis meliùs multò quam alij omnes: etiamſi aliis quoque populis dedit Deus veros Prophetas, qui aduentum ſuum illis, & alia quàmplurima demonſtrabant; vt Græcis & Romanis Sibyllas: Orientalibus populis Balaam. Verùm hoc intererat, quòd Iſrael (niſi cùm adulterabur) non vtebatur Pythonibus, neque oraculis cacodæmonũ, neque eorum prophetiis, ſed ſolùm Dei Optimi Maximi reſponſis, & inſpirationibus per viros ſanctos. Proinde auguriis non vtebantur niſi peccãtes (quod acriter reprehendebant Prophetæ, vt certè Oſeæ c. 4. dicẽs: *Populus meus in ligno ſuo interrogauit, & baculus eius annunciauit ei*) neque extorum conſideratione, quia hæc vana ſemper ſunt, aut praua, multò minùs Pythonibus, aut omninò Necromantia, quia hæc praua ſemper ſunt. Vtebantur verò reſponſis Dei, & prophetiis Sanctorum, atque eorundem inſomniis, & interpretationibus, nonunquam ſortibus; his verò non leuiter, & vtcumque (ita enim eſſent vanæ) ſed accedente ſemper diuina inſpiratione, in re iuſta, & magni momenti. De primo itaque

Animæ & corporis ſympathia.

itaque modo, quo poteſt diuinatio quædam eſſe naturalis, hactenus dictum ſit. Supereſt ſecundus, quo ſcilicet in ipſa vera, ac prophetica diuinatione partem aliquam habet natura. Certè quòd diuinetur propriè, ac verè, nulla naturalis cauſa eſt ſatis, quandoquidem indicatum eſt, nullam eſſe in nobis facultatem naturalem diuinandi, ſed effectiuum principium externum eſſe ac ſpiritale: tamen poteſt eſſe in ipſo qui talem accipit inſpirationem naturalis quæpiam diſpoſitio, magis aut minùs accommodata ad accipiendum. Non ita quidem vt ea diſpoſitio cauſa ſit inſpirationis neceſſaria, neque qua præſente neceſſariò fiat, neque ſine qua fieri non poſſit. Si enim Deus Optimus Maximus eſt principium efficiens veræ prophetiæ, vt monſtratum eſt his, cùm ne ad creationem quidem adſtrictus ſit cauſæ vlli neceſſariæ, multò minus ſit in largiendis his donis: ſed cum is (quæ ſua eſt bonitas) ſoleat diſponere omnia ſuauiter, in his quoque quæ ſupra naturam facit, quoad fieri poteſt, rationem ſeruat naturæ, velut & miraculorum exemplis pluries iam indicatum eſt. Quandoquidem diuinatio non naſcitur in nobis vt reliquæ ſenſationes ab obiectis (hæc enim nondum ſunt) ſed à diuinitus factis repræſentationibus, conſtat eam fore accommodatiſſimam diſpoſitionem, per quam maximè vacat à motibus, quos cient ſenſibilia. Nam, vt nuper diximus, vt in aqua quieta facilè redditur quæcunque figura, in agitata verò non poteſt reddi, ita & in quieſcente à ſenſibilibus animo, repræſentatio quæcunque: ab eo verò qui plurimum volutatur circa ſenſibilia, excluditur omnis inſpiratio. Hanc ob cauſam, qui orationi volunt vacare, eligunt ſilentium, quietē, & tenebras, vt ſcilicet audiant quid loquatur in illis Deus. Itaque qui minimè vtitur ſenſibus, is maximè valebit diuinatione. qua de cauſa Plato & Ariſtoteles, diuinationem in fatuis ac ſtupidis eſſe dixerunt, in quibus ſcilicet minimè eſt prudētia (quod mihi videtur fabula, vt multa alia, adumbraſſe antiquitas, dicens Tyreſiam cùm donaretur facultate diuinandi factum eſſe cæcum) & in furentibus magis quàm ſanæ mentis hominibus, & dormientibus magis quàm vigilantibus. Eadem quoque ratio eſſe videtur, quòd moribundis magis quàm per reliquam vitam. Verum ne hæc tumultuariè prætereamus, ſed expēdamus ſingula, quòd fatui diuinationem habeant pro prudentia; contrà prudentes hanc pro diuinatione, videtur conſentaneum, quia vt ſe habent bruta ad hominum genus, ita inter ipſos homines fatui ad prudentes: at verò vt homines prudentia, ita bruta videntur valere diuinatione. Nam piſces multi ſolent incautis præmōſtrare nautis tempeſtatem, vt auiculæ agricolis,

Diuinationis diſpoſitiones.

Fatuorū diuinationes.

Brutorum præſenſiones.

armenta bubulcis:& minores greges aliis paſtoribus, & mures in proximam confertim abeuntes, dicuntur præmonſtrare incolis ruinam domus. Multa etiam alia his admirabilora narrantur de brutorum præſenſione, quàm illis velut inſtinctum quendam videtur dediſſe natura, pro prudentia. Ita igitur & inter ipſos homines, imprudentibus datam eſſe diuinationem, eſt conſentaneum. Sed vt hæc quatenus verum ſit conſtare magis poſſit, operæ pretium fuerit dicere, quæ cauſa ſit magnæ illius præſenſionis, quæ in brutis conſpicitur. Ea certè eſt, maior brutorum compaſſio cum cauſis corporalibus. Cùm enim hæ ſenſus afficiant, brutorum animæ (vt quæ mente carent) ſenſibilibus magis afficiuntur: quapropter exordia futurorum motuum ſenſus brutorum magis afficiunt. Itaque vt qui carent oculis audiunt exactiùs, ita quæ mente carent animalia exactiùs ſentiunt. Adeò conſpicuum eſt, quòd rationalis contemplatio detrahit ſenſui, vt qui intentiùs diſputant, meditantur, aut orant, ſoleant plurima quæ coram fiunt, aut dicuntur, neque videre neque audire, ac nonnunquam ſenſuum munere priuari, quàm vocant ecſtaſim, vt Socrates, qui (vt narrat Alcibiades in Conuiuio) in medio exercitu aliquando, vno gradu diem & noctem ſtetit, vſque ad Solis exortum cogitabundus. eadem ratione euenit plerunque, vt qui exactiſſimos habent ſenſus, ſint ad factorias artes aptiſſimi, ad contemplationem non adeò: contrà, qui in hac valent plurimùm, ſint ad res tractandas parum idonei. Conſtat ex dictis eam diuinationem, quæ in brutis & hominibus rudioribus præcipuè eſt, in eo eſſe genere diuinationis, quod naturaliter ineſt per compaſſionem cum cauſis, aut per exordia rerum futurarum. Illa igitur nullatenus eſt vera diuinatio, quæ & prophetia dicitur. Sunt alij homines, imprudentes illi quoque, non tamen fatui aut ſtupidi, ſed dementes, inſani, & furentes, aut naturali vitio aut morbo, hos dicunt plus aliis omnibus futura prædicere, quod nonnulli in atræ bilis, quæ furoris eſt cauſa, naturam referunt per ſe, quaſi ſcilicet ea ſit eius ſucci vis naturalis, quia talis ſubſtantia, aut quia calida & ſicca. verùm hoc falſum eſſe conſtat. Nam nullum omninò eſſe poſſe naturalem vim diuinandi, generatim iam monſtratum eſt: ſi autem nulla eſſe poteſt, certè neque in hoc, neque in illo temperamento, neque in hoc neque in illo ſucco: non igitur atræ bilis eſt ea vis per ſe, ſed per accidens, quia ſcilicet atrabiliarij ſomniabundi ſunt & loquaces, fit vt nonnunquam incidant ſomniando aut loquendo in id quod futurum eſt, velut qui ſæpe iaculando aliquando collimat, vt nuper quoque diximus. Fit verò vt loquantur quiduis

Bruta cur præſentiant.

Ecſtaſis.

Somniabundi.

quiduis, & quia imaginationibus denſis,& calore inſtigantur, & quia cùm ſint inſani, non habent (inquit Cicero) quam prudentia ſoler afferre timiditatem,hoc eſt, nihil diſſimulaur, ſed omnia effutiunt. quid ergo mirum ſi aliquid exit quale futurum eſt? hæc verò longiſſimè abeſt à vera diuinatione. Aliam quoque cauſam habent melancholici diuinationis, atque eam etiam per accidens, nimirum Dæmones faciliùs apprehendunt hos quàm alios homines, quia plus habent imaginationum,& minus prudentiæ.Cacodæmon verò vbi adeſt, quandam oſtentat diuinationis ſpeciem : nimirum affecta, ſemper opinionem diuinitatis, ad quam ſolam ſcit pertinere veram futurorum, per ſe, & non per præſentes cauſas ac notas præſenſionem. Parati etiam hi videntur ad inſpirationes, quia cum ſint alienati mente, minùs intenti ſunt corporalibus paſſionibus. Adeo enim verum eſt eos qui mente laborant, ſenſibus non eſſe intentos, vt dicat Hippocrates eos ne dolores quidem ſentire: argumento verò eſt, quòd videmus tales, & plagas,& vulnera, & nuditatem, & famen, & paſſiones alias quaſcunque ſenſibiles faciliùs tolerare : tales ergo parationes ſint ad inſpirationes recipiendas.At verò rectè videtur cenſere Ariſtoteles libro de inſomniis indignum eſſe, putare Deum cum hominibus dementibus colloqui, præteritis bonis & ſapientibus. Plato quoque diuinam reuelationem amicis Dei fieri putat: nam *maiora iis quæ humana mens conſequi poteſt, ſcit* (inquit) *Deus,& qui Dei ſunt amici* : amicos verò Dei, quis dixerit alios, quàm probos & ſapientes? Hoc argumento videtur Ariſtoteles velle tollere omnem diuinam prophetiam :illi verò ſolum concedimus, quod & ipſe dicit diuinationem illam melancholicorum diuinam non eſſe, ſed naturalem,aut dæmoniacam. Diuinas verò inſpirationes, quas prophetias vocamus, fieri per viros prudentes, atque magna ex parte optimos, dico, magna ex parte, quia aliquando etiam locutus eſt Deus per improbos, vt conſtat exemplo Balaam, qui etſi aſtutus, ac ſuo modo prudens erat nequam, indignum certè loqui Deum per ſtultos & imprudentes homines : digniſſimum loqui per prudentiſſimos, & optimos. Ne verò meritis potiùs quàm dono Dei prophetiæ ſpiritus contingere cuiquam putaretur, datus etiam aliquando eſt impio, vt & alia dona, vt certè ſanitatis. Igitur atrabiliarij, & mente moti præ multitudine imaginationum & inſomniorum, & loquacitate, videntur aliquando diuinare : atque eoſdem nonnunquam occupant Dæmones. Nec ad veræ prophetiæ ſpiritum recipiendum oberit eius ſucci aliquid,cum neque tantus,neque talis eſt, vt aliquam pariat inſaniam.

Melancholicorũ diuinatio.

niã. Nam dictas ob cauſas,quod inſanientibus accidit, dæmoniacum potiùs eſt quàm diuinũ:irruit verò etiam diuinus ſpiritus in quoſdam, qui præ mentis ecſtaſi, quæ ex contemplatione rerum diuinarum fit, videntur inſanire, vt Saul cum ſe coniecit in medios Prophetas.

Furor diuinus.

Hic vocari poteſt furor diuinus, eſtque re vera coniunctus cum maxima ſapientia, etiam ſi interim tollit prudentiam huius ſæculi. niſi enim hãc abſtuliſſet, non impuliſſet Dauidem, depoſita regia ſeueritate ſaltare coram populo. Itaque mentis eleuatio ab humanis curis & ſollicitudinibus. maxima diſpoſitio eſt ad propheticam captandam inſpirationem, eaque naturalis, quia rerum humanarum curæ, plurimum auocant ab omni rerum ſuperiorum contemplatione. Quæcumque ergo naturaliter reddunt animum vacuum à talibus curis, naturaliter etiam diſponunt, & ad diuinorum contemplationem,& ad phrophetiam,etiamſi ipſa prophetia ſupernaturale donum eſt,&veritatis diuinæ euidẽns argumentum.

Prophetarum ad vaticinãdum præparationes.

Hanc ob cauſam Prophetæ variis modis ſe præparabãt ad recipiendum ſpiritum: nunc ſe conuertebant ad ſomnos,vt Ioſephus & Daniel,vt in illa requie mentis & trãquillitate,ſine ſtrepitu externorum ſenſibilium,viderẽt viſiones(qui prophetandi modus inſinuatus eſt illis verbis Ioëlis,cap. 2. *Senes veſtri ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt,* quod impletum eſt, vt in aliis multis, ita vel maximè in Ioſepho viro ſanctiſſimæ Mariæ, & in Magis) nunc quoque ſe præparabant oratione, vt in mentis ad Deum eleuatione, melius reciperentur eius inſpirationes:præparabant etiam ſeſe muſico concentu,quia hic quoque mentem erigit,& à ſenſibus abſtrahit.

Muſices vſus in ſacris.

Hæc cauſa fuit,vt Eliſeus rogatus diuinũ reſponſum, peteret acceſſiri ſibi pſaltem. Hac eadem, ſancta Eccleſia, quæ diuino regitur ſpiritu,in celebrandis ſacris vtitur muſicis cantibus & ſuauibus ſonis,iuxta exhortationem Dauidicam: ***Laudate eum in tympano & choro:Laudate eum in chordis & organo: Laudate eũ in cymbalis bene ſonantibus, omnis ſpiritus laudet Dominum.*** Itaque muſica facit plurimum ad demulcendum animum,ac deponendas humanas ſollicitudines: his itẽ diſpoſitis multò faciliùs is transfertur ad diuina.

Moribundi prophetant.

Qui proximi ſunt morti,ſolẽt prophetare,velut Iacob,qui iamaiam moriturus vocauit filios ſuos, dicens, *Congregamini vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in nouiſſimis diebus.*hoc idẽ fecit Moſes,cùm eius inſtaret obitus, tribubus Iſrael: nimirum nunquam veriùs à ſollicitudinibus ſeculi auocatur animus. Sed & illud eſt optimè ſic natura comparatum, vt illa hora extinctis ſenſuum motibus, & depoſito omni animi circa res ſenſibiles affectu, mens ad

ad eorum, quæ verè ſunt in contemplationem conuerſa, veritatem eò clariùs intueatur, quo neglectis caducæ huius vitæ voluptatibus, ad futuram eamque æternam aſpiret auidiùs, & quæ ſuperiori vita, dum adhuc ſenſus vigerent, vel ſola mortis recordatione terrebatur, tunc nihil niſi peccata pertineſcat.

CAPVT XXXI.

CAp. 5. libri Iudicum ſcriptum eſt: *De cœlo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.*

Quamquam alia nonnulla Scripturæ ſacræ loca, ſoleant in ſuum vocare ſubſidium, qui iudiciariæ Aſtrologiæ ſunt addicti, nullo tamen mihi videntur meliùs, quàm hoc vti poſſe. Nam quod ex 1. Geneſ. adducunt, facta eſſe aſtra in ſigna, atque proinde ſignificare poſſe futura, interpretatum mihi illic eſt, ita vt nihil ad Aſtrologiam, nimirum eſſe aſtra ſigna temporum, velut guomon in horologio ſignum eſt horarum: itaque Cœlum totum eſſe chronologium, aſtra verò ſigna temporum. Quod adducunt ex Pſal. 19. *Firmamentum annunciat opera manuum eius,* hoc eſt (vt illi interpretantur) quæ Deus facturus eſt firmamentum annunciat, longè potiorem enarrationē accipit; pulchritudinem ſcilicet cœli, & firmamenti quod conſpicitur, quodammodo nobis indicare poſſe pulchritudinem operū Dei, quæ cōſpici non poſſunt, tamen quod dicit, de cœlo dimicatum eſſe cōtra eos, & ſtellas manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnaſſe, plurimū videtur Aſtrologiæ fauere. Nam quo alio potiùs modo, victoriæ cauſam in aſtra reiiceret, diceretque curſum & ordinem, quem eo die tenuerunt ſtellæ, fuiſſe Siſaræ infauſtum, & exitioſum? ſi igitur quia ſtellæ eum ad ſeſe tenuerunt ordinem Siſara petiit, potuiſſet is per Aſtrologiam periculum præuidere, atque adeò (niſi vel inuitos fata trahunt) deuitare, quod ſi ita eſt, poſſunt quidam aſtrorum curſus, & ordines eſſe fauſti & infauſti: atque adeò iidem quibuſdam fauſti, & quibuſdam infauſti, is enim aſtrorum ſiue ordo, ſiue aſpectus fuerit Siſaræ infauſtus, Hebræis fauſtiſſimus, ſi verò ita habet, prudenter ſanè eo die Siſara timuiſſet cœlum, ac deuitaſſet prælium. Cur ergo Dominus Ierem. c. 10. præcipit, dicens, *A ſignis cœli nolite metuere, qui timent gentes?* Neque verò illa (quod aliquis fortè interpretetur) vocat ſigna cœli, tonitrua, fulgura, aut fulmina, aut cometarum omne genus, & quæcumque

Aſtrologiæ iudiciariæ reprehenſio.

Signa cœleſtia.

homines vocant portenta: ſed idem eſt quod hîc prohibet, & apud Iſaiam c.47. deriſit: dicens Babyloni, *Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent & ſaluent te augures cœli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent tibi ventura.* Itaque vocant Aſtrologos augures: horum ergo diuinationes vt & alias omnes, pars eſt, intelligas prohiberi fidelibus, c.19. Leuitici, vbi dicitur, *Non augurabimini.* & Numer.23. Deut.18. & Iſaiæ 47. Conſtat Dei populum ab hac diuinationis ſpecie qua Chaldæi maximè omnium vſi ſunt, vt & ab omni alia præter veram prophetiam, abſtinuiſſe, ſiquidem Num.23. dicitur: *Non eſt augurium in Iacob, neque diuinatio in Iſraël.* quid eſt ergo quod nunc Debora ſtellarũ curſui, & ordini putat victoriam populi Dei? Mihi non eſt hæc quæſtio, vt neque alia vlla in hoc opere, tam diſputanda Theologicè, quàm iuxta conditionẽ argumenti, Phyſicè. Quapropter videndũ eſt, an ea Aſtrologia diuinatrix, quam veteres vocabant, vt videre eſt apud Ciceronẽ, ſcientiam Chaldæorum, ſit ars quæpiam naturalis, an potiùs impoſtura quædam, quod examinauit diligẽtiſſimè, atque vt mihi videtur magna ex parte veriſſimè, Picus Mirandulæ comes. Ego verò mihi hanc quæſtionem ſuſcipio, non quidem tam diffusè, quàm ille, ſed preſſiùs, meo more tractandã. Duas partes habebit diſputatio: altera verſabitur circa ipſam naturam cœli & aſtrorum, altera circa ipſos Aſtrologos; & videtur quidem hæc ex illa pendere: ſi enim aſtrorum, pro mira quam habent varietate, ac pro ſua innumerabili multitudine, ſunt etiam plurimæ eæque mirabiles virtutes, quibus inferna hæc moueant, videntur Aſtrologi laudandi, qui non patiantur eas latere mortales: ſin autem non ſunt plures quàm apparent cuiuis è plebe, damnandi ſunt, quòd tam leuiter illis tribuãt multa quibus carent. Hanc ob cauſam Picus, acerrimus Aſtrologorum impugnator, affirmat aſtris nihil eſſe præter motũ & lumen, & motu mouere, & lumine calefacere, calore, vt ille putat, quodam viuifico, à calore elementari & igneo, natura diuerſo. Aſtra itaque hæc ſolũ facere, atque omnia idẽ, plus aut minus: multiplices verò illas rerũ mutationes, & affectionum differentias imputari materiæ. Diſputat multa hinc inde, vt detractis cœlo omnibus virtutibus, præter motum, & lumen, effecta tueatur. In duas verò præcipue, pro illis omnibus fertur reſponſiones, ſcilicet, aut alias omnes paſſiones, præter motum & calefactionem fieri per accidens à calore aſtrorum, aut calorem illum eſſe cauſam vniuerſalẽ, ac proinde effectiuam per ſe multorum, atque adeò contrariorum, cõcurrendo cum multis, & contrariis naturis particularibus. Hæc arbitror ſumma eſt totius

Aſtrologia diuinatrix.

De Aſtrologia diſputatio.

Aſtrorum vis.

totius libri tertij Pici, qui ſolus eſt Phyſicus, alij enim partim ſunt Teologici, partim Aſtrologici. Mea verò hac in parte, plurimũ diſſidet ab illius ſententia, nam motus cœlorum, qui circularis eſt, haudquaquam poteſt motuum, qui in aëre cõtingunt, eſſe cauſa. Concepit Picus Ariſtoteli, ſi cœlum quieſceret, futurum vt nihil moueretur: cœlum igitur circumeundo mouet hæc inferna: aut ergo motu ſuo per ſe id facit, aut per accidens, per ſe dico, ſi cœlum id facit tantùm quia mouetur: per accidens ſi quia mouendo communicat facultatem mouendi reliquis: velut ſi quis manu admouet ſtupæ candelam, manus motu ſuo mouet candelam, & comburit ſtupam, illud per ſe, quia non aliter mouet candelam quàm mouendo manum, hoc per accidens, quia mouendo manũ ac candelam, admouet ignem, qui vrit per ſe. Si igitur cœlũ ſuo motu facultatem aliquam immittit rebus, qua adiutæ mouentur, habet iam vim aliam mouendi præter ſuum motum, ſin autem nullam mittit, ſed mouet ſolum quia mouetur, perinde eueniret, ſi cœlum ligneũ, aut æneum, aut lapideũ eſſet, atque ita vt nunc circumferretur: non eueniret autem. Cur enim ſi lignea ſphæra ſuperiori loco ferretur circulo, hîc apud nos ferretur recta lapis & fumus, ille deorſum, hic ſurſum; nam quidquid mouendo mouet aliud, id quidem facit impellendo, aut trahendo, volutando, aut vehendo: at verò lapis cadens, neque trahitur, neque pellitur, neque portatur à cœlo, neque verò volutatur, cùm feratur recta: concurrit ergo cœlum cum iis quæ feruntur, virtute aliqua motiua quam immittit, quæ motus non eſt, ſed neque lumen (quanquam id ille concedit, ſatius verò ſit indicari,) nam lumen illuminat; illuminãdo verò nõ poteſt per ſe mouere, ſed per aliud, hoc eſt, per illuminationem immittens vim mouendi. quod ſi ita eſt, habet cœlũ, quã communicet vim aliam à motu & lumine, ſed quod accepimus ita patet. Si lumine moueret, nõ eſſet latio primus omniũ motuum, ſed altero: nam cœli lumen non pendet à motu, luceret enim Sol quieſcens, non minùs quàm latus (conſtare id potuit pugnante Gedeone) penderent verò lationes aliarũ omniũ rerũ ab illuſtratione, quæ alteratio quædam eſt: non eſſet ergo latio primus motuũ quod Ariſtoteli cõcedit Picus. Neque verò eſt quod tã apertè ſubuertat eius ſententiam, quàm id quo maximè ſe tueri vult, *vt* (inquit) *cor ſuo motu mouet alias omnes corporis partes, ita cœlũ alias mundi.* conſtat verò cor non ſolùm alias partes, quæ ad illud non ſpectant, ſed neque arterias mouere ſuo motu, ſed facultate pulſandi quam illis mittit, quã & vitalem Medici vocant. Niſi quidẽ moueretur non moueret, id verò eſt per accidẽs, quia ipſũ extingueretur, neque poſſet aliis

Cœli motus.

Lumẽ cœleſte cauſa.

Localis locus primus.

virtutem demandare; eſt itaque cœlo virtus, qua mouet hæc inferiora, præter motum. conceſſum ſanè, quòd niſi mouendo, eam mouendi vim non communicaret: nihilominùs virtus illa mouendi, aliud eſt quàm motus: vel hoc ſolùm argumento, quòd facultas ſeu virtus nomen eſt immanentis qualitatis; motus, paſſionis cuiuſdam. Iam verò neque quòd lumine calefacere dicit, probare poſſum, neque quòd calorem quem cœlum gignit ſpecie differre dicit ab eo què ignis. Nam quæ maximè cœleſtem fulgorem videntur participare, vt ſpiritus in nobis, qui ſenſibus ſeruiunt, neque calidi ſunt neque calorifici, ſed ſine calore fulgidi, vt hoc modo differat, authore Galeno ex ſententia Platonis, quem maximè ſequitur Picus, ignis cœleſtis ab elementari, quod ille ſit ſine calore lucidus, hic calidus & lucidus. Exemplo conſtat id oculi, qui ad ignem refertur ob fulgorem ſpirituum, ad illum è cerebro venientium confertim, alioqui verò eſt ſubiecto frigidus, & plenus aqua: quod ferre natura non poſſet, ſi is fulgor eſſet caloris effectiuus: non igitur illud lumen calorem rebus affert per ſe, ſed per aliquod accidens. Atque eum calorem quem Sol vtcunque facit, ſpecie non differre ab igneo conſtat, cùm incidentes in eandem ſubſtantiam, vnicam reddant intenſionem. quid enim? Si quis à Sole ſimul & igne calefit, duos concipit calores, ac non potiùs vnum intenſiorem duabus cauſis in idem opus incumbentibus? Si vnicum, non different ſpecie, qui ſeſe augentes conflant vnum numero: porrò ſi duo, vterque excludit frigus. vtrique ergo erit frigus contrarium quod; ſi vtrique æquè, non ſunt illi diuerſi, ſed idem, quia vnum vni contrarum, eſt. Non igitur ſolaris calor erit minùs quàm igneus alia ratione, quàm quòd moderatior, neque certè coquit & vegetat magis, niſi ob eam moderationem, & coniunctiſſimas quaſdam benigniſſimas influentias, quas, quia ſe putat Picus facere contra Aſtrologos, referens omnes in motum & lumen? certè facit nihil etiam ſi concedantur omnia. dicit enim, ſtellis eſſe nihil aliud quàm motum & lumen. Quid, quòd calefaciunt, quid aliud eſt quàm illuminare? Reſpondet, vt cœlum eſt cauſa vniuerſalis, ita & eius virtutes eſſe vniuerſales & eminentes, ac proinde poſſe facere multa, ac varia, atque adeò contraria etiam. Quid ergo intereſt ad Aſtrologiam, ſiue per plures, ſiue per pauciores facultates poſſit cœlum facere multa eaque varia, ſi modò poteſt? concedet tibi Aſtrologus, vt viter rixas, cœlo nihil eſſe præter motum & lumen, id verò lumen cœleſte, quia cauſa vniuerſalis eſt, eminenter continere virtutes omnes rerum

muta

Marginal notes: Calor cœleſtis. — Oculi natura. — De Sole multa.

mutabilium, atque ita poſſe hæc & illa, quantacumque ſcilicet, volet confingere. Vſque adeò falſum eſt, omnia quæ facit cœlum, facere motu & lumine, & ad propoſitam diſputationem nihil intereſt. Neque verò ego (vt hoc obiter dicam) propter calorem ſolùm, dico cœlũ vires habere alias quàm mouendi ſeſe & illumandi. Nam, vt alibi indicaui, cœlo non eſt vis calefaciendi, ſed lumine gignit calorẽ, id verò non per ſe, ſed ob analogiam, & ſimilitudinẽ naturæ, alliciendo ad illuminatũ aerem cum igne, qui per hanc corruptibiliũ ſphęram permeat. Itaque calor non cogit nos affirmare, eſſe in celeſtibus corporibus alias virtutes à motu & lumine: ſed lationes potiùs horũ inferiorum, quas à motu cœli pendere cũ omnibus Philoſophis fatemur: non tamen ob ipſum motũ per ſe, ſed ob aliquas virtutes, & influentias motrices, quas motu immittere, hîc, & alibi anteà probauimus. neque ſolum eas virtutes in cœlo, eiuſque partibus eſſe exiſtimo, ſed innumeras alias indicibiles, quibus omnium mutationũ, quæ hîc penes non aguntur, in efficientis genere cauſæ ſunt priores quidẽ iis, quæ ipſi materiæ ſunt proximæ, poſteriores verò quàm: liæ quæ ſuperiores ſunt, & ordine quodam poſitæ, vſque ad primã: quæ omniũ, quæ vbi mundi, ſiue inferioris, ſiue ſuperioris aguntur, cauſa eſt. Neque verò puto. omnibus cœli partibus omnes eas virtutes ineſſe eodem modo: ſed vt lumen quod conſpicimus, videmus alias aliis partibus conferre, vt Solem Lunæ (ne de quibus dubitatur affirmemus quidquã) ita alias quoque virtutes, quas neque nominare poſſumus, neque ſentire, eſſe alias in aliis aſtris, aut ſolis, aut præcipuè, & aliis ab aliis demandari, ita vt ne minima quidem ſtella ſit, quæ non conferat peculiarẽ aliquam commoditatem, & toti mundo, & reliquis partibus. Quorſum enim Deus tot in firmamento ſtellas, neque plures, neque pauciores, & hoc ordine, & his interuallis, vt hæ Coronæ, illæ Canis, aliæ Buccinæ, aliæ Currus redderent figuram? cur omnes & fixas & errantes, has hac, illas illac, tanto has tẽpore, tanto illas facit circuire, ita certa lege vt nulla per innumera ſecula, vel latũ vnguem poſſit declinare? An caſu horũ quidpiã, vel fruſtra, ita vt aliter fieri, vel quod minutulum in eis eſſe videtur, poſſet citra mundi læſionem? minimè. Si enim in formatione hominis tanta eſt operis perfectio, & elucet formatoris ſapientia, vt ne minimæ quidem particulæ addi detrahíve poſſit quidpiam, magnitudini, numero, figuræ, aut poſitioni, vt Galenus toto opere de partium vſu ſapientiſſimè indicauit, ſed neque in mure aut formica, ſed ſunt vnicuique iuxta ſuam naturam accommodata omnia organa, vt nulli vllum aliter meliùs, quantò magis id cenſere

Influentia cœleſtes.

cenſere æquum eſt, de perfectiſſimis & pulcherrimis illis corporibus? profectò qui in numero, pondere & menſura fecit omnia ſapientiſſimè, non fecit illum ornatum cœlorum caſu, velut lapillos multos ſparſim proiiciens, vt quiuis fortè ceciderit: ſed pro numero virtutum fecit aſtra, & ſingulorum à ſingulis diſtantiam iuxta certam proportionem dimenſus eſt: atque ex ea proportione natæ ſunt multiplices illæ figuræ. Ea vero proportio interuallorum non fuerit, quæ maximè ſpectantium oculis placere poſſet, ſed quæ communi mundi vſui maximè accommodaretur, vt ſcilicet diſtarent ſingula à ſingulis, vt maximè poſſent virtutes ſibi communicare mutuò in vtilitatem totius. Hæc eſt enim veræ pulchritudinis lex, partium nempè omnium ad vtilitatem totius accommodatiſſima compoſitio. Vtilitati verò huic accedit harmonia ſecundùm perfectiores Arithmeticas, & viſui grata pulchitudo. Nimirum illa, vt & alia omnia quæ facta ſunt, fluxerunt à perfectiſſimo & pulcherrimo exemplari. Vt verò hæc quæ commemoraui, pulchritudinem operis, & artem opificis indicant; ita, ſi vnius aut duarum virtutum facta eſſet tanta corporum multitudo, nullam neque ob diſtantias, neque mutuos aſpectus, neque varios motus afficiendi habens differentiam, eſſet ſanè & opus minimè pulchrum, & opifex inertiſſimus. Non eſt igitur ita: ſed fateri oportet, eſſe in cœleſtibus corporibus multas mirabileſque virtutes. Nam quod dicunt, multiplicis mutationis cauſam referendam eſſe ad materiam, nihil obſtat: ſiquidem mutationum & alterationum in materia tantùm eſt paſſiuum principium: effectiuum verò eſt in formis rerum proximarum, ac multò priùs in ſuperioribus cauſis: per quas ordine quodam priorum & poſteriorum, deriuatur virtus primæ vſque ad res ſingulas. Si igitur (quod ad ſecundam diſputationis partem attinere iam incipit) ita habet, cur Aſtrologia iudiciaria, à viris doctis deridetur vt inanis, à cordatis exploditur vt inutilis: à diuinis legiſlatoribus & vatibus interdicitur, ac ſecundùm idololatriam vituperatur, vt impia atque adeò multis Pōtificum decretis, & Imperatorum etiam, quorum extant adhuc multa edicta, de Aſtrologis vrbe pellendis? Sub Claudio (authore Cornelio Tacito) de Mathematicis Italia pellendis, factum eſt Senatuſconſultum atrox & irritum.

Harmonia cœleſtis.

Mutationis multiplicis cauſa.

Aſtrologia indiciaria reprehenditur.

Mathematici Italia pulſi.

Nam neſcio quo magno malo, aut quo Dæmonum aſtu fit, vt cùm vbique gentium decretis expellantur, nunquam tamen extingui poſſint, imò neque deterreri, quod ſanè nouum non eſt. nam idem Tacitus in libro decimoſeptimo de Mathematicis dicit. *Genus hominū petentibus infidum, ſperātibus fallax,*

quod in ciuitate noſtra, & vetabitur ſemper, & retinebitur. Sed videamus quod ſit eius impoſturæ principium? hoc certè. Eſſe multiplices virtutes aſtris, quibus omnia quæ hîc geruntur, gubernantur, atque pro differentia aſpectuum ad ſeſe & ad res infernas, varias naſci affectiones, quod videmur recepiſſe, atque confirmaſſe: itaque quia videntur habere virtutes multas, & habere has & illas, colligunt temerè. quæ temeritas eſt certè, & inanis, & noxia, & parū pia. quæ diſtinctioris doctrinæ gratiâ, ſeorſum indicabuntur. Ac primùm eſſe inanem, hoc eſt, vanam, nullius veritatis participem, atque omninò ſcientiam non eſſe neque artem, ſed inpoſturam, & figmentum, idque eò maius aliis figmentis quod illis ſolent impoſtores alios homines decipere, ipſi nequaquā decepti: hoc verò ipſis etiam impoſtoribus imponitur. non enim arbitror, omnes qui hanc fictitiam artem profeſſi ſunt (nam tametſi ea fluxit ab idololatris, qui adorabant cœleſtia corpora, & à Iudæis, & Mahometanis magna ex parte aucta eſt, inciderunt tamen in eam nonulli ex noſtris non parum docti & probi quæ vafritie & malignitate voluiſſe vulgaribus imponere, ſed eorum non paucos præ curioſitate qui non exiguus animi morbus eſt, in eam credulitatem incidiſſe, & (quæ hominum eſt fragilitas) cum multis eſſe deceptos): ſatis arbitror conſtat, me non vituperare eam Aſtrologiam, quæ in cognoſcendi cœli motibus verſatur, cùm ea nihil eſſe certius in humanis poſſit, neque iis quæ circa propriam illius materiam fiunt præſenſionibus: non enim minùs certum eſt futurum poſt biennium eclipſim Lunæ, quam futuras in menſe Iunio breuiſſimas noctes. nam niſi quis ſupputando decipiatur, eadem vtriuſque ſcientia eſt Illam vitupero diuinationem, quam quondam vocauerunt ſcientiam Chaldæorum, nunc vocant Aſtrologiam iudiciariam, quam qui profitentur annuatim nobis prænunciant futuras aëris temperies, & temporum conſtitutiones, ſalubritatem aut inſalubritatem, abundantiam frugum aut penuriam, otium aut bella, & eorum exitus triſtes aut fortunatos, Principum incolumitatem aut mortem. hi ipſi electiones faciunt horarum fœlicium, aut infœlicium, pro quibuſvis negotiis ſuſcipiendis: per interrogationes, quas illi vocant reſpondent de re quacumque interrogati: velut quis furatus fuerit quod domi deeſt, quò fur abierit. Iam verò per natales horas diuinant futuros hominis cuiuſque mores, eiuſque fortunam, viuendi & moriendi ſortem. Hæc omnia vana ſunt, etſi non omnia æquè. nam cùm mutationes omnes corruptibilium corporum ad calidum, frigidum, humidum, & ſiccum referantur, & hæc in

Chaldæorū reprehenſio.

in cœlis habere cauſas priores & ſuperiores quæ per influẽtias communicantur conceſſerimus,pluuias quoque ac ſerenitates, flatus & tranquillitatem aeris cauſas illic habere conſequens eſt. Si autem hæc, & fructuum prouentus boni aut mali, & morbi, & ſalubritas; horum enim cauſæ maximè ſunt in temporum conſtitutionibus, quæ in calida vel frigida temperie aeris, pluuiis aut ſerenitate, flatuum abundantia aut vacuitate ſpectantur, vt apud Hippocratem videre eſt alibi ſæpe, & maximè in Epidemicis;in his ergo bonam cauſæ partem videntur habere poſſe aſtra, poſt hæc ſecundo etiam loco nonnullam & in formandis moribus hominum, ſi enim ad temperiem alterabilium omnium faciunt, & temperies ad mores, vt libello proprio indicauit Galenus, poſſint etiam nonnihil aſtra ad mores. Ad fortunam verò quid poſſunt aſtra; nam hoc ipſum caſu, aut fortuna aliquid fieri, eſt nihil aliud quàm ſine cauſa certa & per ſe fieri,ſi Ariſtoteli credimus; cõtradictionem ergo inuoluit, cauſas eſſe in aſtris eorum quæ caſu contingant, aut fortuna, vt, quòd illo prætereunte lapis ciderit, & quòd fodienti illi vineam theſaurus inuentus ſit:nihil enim minus fortuna aut caſu fieret,quàm illud quod cauſam haberet certã in incorruptibilibus & æternis. Quæ fortuita ergo ſunt, vt quòd ille ſit à latronibus occidendus, quòd alius ruina, alius fulmine moriturus, quòd alius domi, alius in agro, quòd exeunti ab vrbe furi verſus Orientẽ prætor longè viſus ſit, ac proinde ad Occidentm deflexerit,nullam cauſam habere poſſunt in aſtris, ſed neque in vniuerſa rerum natura per ſe, ſed ex accidenti quodam:vtpote quæ caſu aut fortuna fiunt: ſunt verò hæc in quibus maximè gloriantur. Hoc ergo genus præſenſionum, quod ſpectat ad fortunam, & caſum, Phyſica ratione penitus excludetur illud quod ſecundo loco memorauimus, pertinétque ad mores hominum: ſiquidem pro moribus, de faciendis etiam feratur iudicium, penitus erit vanum: vt ſi cùm eſſet dicendum, mulier hæc erit libidinoſa.aut ne ita quidem, ſed calida dicas erit meretrix, aut infidelis viro: aut cùm dicendum, erit auarus aut ne ita quidem, ſed natura propenſus, dicas furabitur: alterius enim cauſa partim in educatione eſt, partim in natura, alterius verò in arbitrio, quæ plurimum diſſident. ſi qui verò aſtra neceſſitatem putant arbitrio ponere, hi humanam tollunt libertatẽ,& rationem omnem boni aut mali, meriti aut demeriti. Supereſt ergo ſolùm primum genus, quod ad aeris pertinet alterationes, & in hoc ſecundo exigua quædam particula. Sed & in his ipſis incertitudo ſumma,ob cauſarũ implicationes, ea verò apertiùs conſpicietur in eo quod pertinet

Aſtris nihil cum fortuna.

Aſtra non neceſſitãt.

ad mores. nam ſit, ita, faciat Mercurius fures, an cùm hîc naſceretur, erat ſolus Mercurius in cœlo? habes aliorum omnium perſpectas naturas, omniúmque ſubduxiſti rationem quantum ſcilicet ſingula annuerent? non (dicunt) ſed quorundam. quid ergo? omnia reliqua ſcis eſſe neutra? ſed ſint, aut habueris omnium rationem, atque iam non Mercurius ſolus, ſed cœlum totum illa hora faciat fures? An non per temperamentum principiorum & materiæ generationis, id fieri dicebamus? ad eam ergo temperiem, parentum temperies non minùs facit quàm cœlum, non ſunt verò parentes omnes qui eadem hora coeunt eiuſdem tēperamenti. oportebit ergo te iam videre, non ſolùm natalem horam huius, ſed & ſuorum parentum & auorum, ac denique omniū à quibus in hunc poteſt aliquis naturalis motus deriuari; ſcimus verò aliquando ſimilitudines etiam ab atauis. Sed noueris maiorum omnium ſecundùm vtramque partem temperies, ſcis etiam victus rationes, atque quid congeſſuri eſitauerint, piſces, an allia? nam ad ſeminis temperiem plus facient hæc, quàm Mercurius aut Venus. interrogaſti quibus cibis vſa ſi prægnans? ô quàm exigua manet iam cauſæ portio in iſtis ſchematis aſtrorum, quæ pro natali hora faciunt. Sed ſit hæc qnatulacunque, an non erit maior in hora conceptionis? dicunt ſe vtriuſquè horæ rationem habere, atque ex hora ortus horam conceptionis agnoſci. omnes igitur eadem hora nati, eadem etiam concepti ſunt, non ergo poſſunt naſci ſeptimeſtres, & nouimeſtres, & decimeſtres ſimul: at verò quacumque hora poteſt naſci ſeptimeſtris, ergo nunquam poteſt naſci vllus nouimeſtris. quòd ſi non quacumque hora poteſt naſci eorum quilibet, ſint quædam horæ ſeptimeſtrium, quædam nouimeſtrium, quædam decimeſtrium: at verò nullæ tales definitæ ſunt ab eis. non poſſunt ergo ex hora ortus ſcire horam conceptionis? neque igitur ex naturalibus figuris poſſunt quidpiam præſentire. Quid ergo ſupereſt? vt prædicant nobis pluuias, aut ſerenitatem, flatus aut tranquillitatem, frigora, aut æſtus, ac per hæc de morbis & eorum curationibus etiam quædā. itaque ſupereſt ſolùm Aſtrologia agricolarum, nautarum, & Medicorum, quæ perexigua eſt. nam agricolæ & nautæ meteorologis ſignis magis vtuntur, quàm æthereis: Medici paucorum admodùm aſtrorum conſiderant ortus & occaſus, Pleiadum ſcilicet & Arcturia aſpectus verò Lunæ & Solis: atq; hæc quoque multi doctiſſimorū cēſent eſſe ſuperſtitioſa. Sed huic præſenſioni non admodùm repugno, quamquam ei quoque obſtant duo magni

Mercurius facere fures creditur.

Aſtrologia agricolarū, nautarum & Medicorum.

momenti

momenti. Primum quidem, multiplicium cauſarum concurſio, quarum neque perſpecta eſſe poteſt natura, neque haberi ratio. Alterum quod in Phyſicis indicauimus, quódque omnem ex cauſis naturalibus diuinandi rationem eleuaret, etiamſi omnium virtutes eſſent perſpectiſſimæ, atque ob oculos poſitæ, videlicet, primum motorem non ſolùm mouere primum mobile, ac per illud alia ordine quodã vſque ad vltima, ſed præter commune hoc mouendi principium, quod ſimul æquè præbet omnibus, cooperari immediatè (quid vetat ita dicere?) cum ſingulis eſſeque cauſam liberam, quæ ſingula deflectit, non quò cœlum trahit, ſed quò ipſe vult. neque verò ſolùm miraculosè, ſed naturaliter, & cum magna ſuauitate. cur enim miraculum hoc ſit, magis quàm ſi mea me mens trahit aliò, quàm cœlum aut natura impellunt? prætereà neceſſe eſt ſcientiam omnem reſolui in principia, quæ per ſe nota ſint, aut inſtrata, aut alia ſcientia denuo cognita experimento, aut à prima veritate reuelata; Aſtrologiæ verò iudiciariæ principiis nihil horum accidit. ea ergo non eſt ſcientia, ſed inanis impoſtura (exceptis minutulis illis) nihilominùs quàm ſortilega. Primum quidem ea non eſſe per ſe cognita, neque in alia ſcientia demonſtrata, ipſi dabunt: reuelatam eſſe dicunt eorũ quidam, alij ab angelo Adæ, alij Enoch, alij à Raphaële Tobiæ, ipſis verò Aſtrologis quis reuelauit factas eſſe antiquis iſtas reuelationes? Certe ipſi ſibi. Nam quæ Eccleſia, quæ ſacra ſcriptura, dicunt, Traditio eſt; per quos Apoſtolos? Non igitur eſt maior fides illarum reuelationum, quàm ipſorum Aſtrologorum authoritas. hæc verò eſt quæ in dubium tunc vocatur, non eſt ergo ſuorum principiorum fides. Supereſt vt ſint experimento cognita: hoc vt perſuaderent Chaldæi, Græcis, & Romanis dicebant (vt primo libro de Diuinatione licet apud Ciceronem legere) ſe obſeruationes horum feciſſe per quatercentum ſeptuaginta millia annorum, ac rectè quidem dicebant. nam tot ac multò pluribus erat opus, vt ſingularum figurarum tenerentur perpaucæ obſeruationes. Nam ſi toto anno magno, quem quadraginta nouem millibus annorum eſſe dicunt, cœlum totum nunquam ad eandem penitus redit figuram, totis quatercentum ſeptuaginta millibus, rediiſſet minùs quàm deberi, teneri debent multæ obſeruationes: paucæ enim caſui poſſunt imputari, & cap. 1. Metaphyſicorum dicitur, multæ eiuſdem rei memoriæ vnius experientiæ vim habent. Illi igitur mentiebantur conſentaneè: multò impudentiùs noſtri, qui cùm credant, mundi totius nondum eſſe exactos

Diſputatio de Aſtrologia iudiciaria.

ſeptem

ſeptem mille annos, & multis iam myriadibus iactari iſtas impoſturas, dicunt nihilominùs experimentis cognita eſſe tot, quot vel fingendis miror mundum fuiſſe ſatis. Quod verò Thaletem Mileſium primo Politicorum, capite ſeptimo, dicit Ariſtoteles per Aſtrologiam proſpexiſſe vbertatem oliuarum futuram, non admodùm curo; præuiderit enim ille per incipientis iam anni conſtitutionem, vt agricolæ, aut Medici, at præuidiſſe per Aſtrologiam, fuerit inanis fama; eſt enim, vt indicatum eſt, inanis hæc Aſtrologia. Quòd verò ſi inanis ſit, etiam noxia, facilè conſtare poteſt, quandoquidem multis credulis, & puſillanimis, quæ prænuntiata fuerunt dira, præ timore totius vitæ ſuauitatem abſtulerunt, ingerentia melancholiam, atque adeò veram inſaniam; & quod grauius quidem eſt, nonnullis, nimiùm cautis, ipſe timor facit certa eſſe pericula, velut ſi timet à muliere, ipſa zelotypia, ſi ab hoſtibus, aſſidua armorum geſtatio: ſi ab aqua, pauor pontes anguſtos prætereundo: denique à quibus quiſque timet, in ea videmus faciliùs incidere; vel permittente ita Deo, ita enim legimus capite vltimo Iſaiæ: *Vnde & ego eligam illuſiones eorum, & quæ timebant adducam eis*; & capite decimo Prouerbiorum: *Quod timet impius, veniet ſuper eum.* Atqui hæc ſanè fuerit vna cauſa, qua quæ ominantur, aliquando eueniant. Si igitur prænunciant mala, hoc modo nocent: ſi verò bona, quòd inani ſpe ſeducentes, multa impellunt fruſtra tentare, atque interim magnis ſe exponere periculis, aut certis aliis ſeſe priuare bonis, tametſi enim fieri poſſit, vt quiſpiam ſpe inariter concepta, tandem compos fiat leuiter ſperati boni, multò tamen plures fuerint, qui ſpe cadentes, magna ſiut experti pericula, vt qui Imperij concepta ſpe, factus prædo, perit in furca: aut certa bona amiſerint, velut qui theſauri inueniendi, aut chymica arte faciendi aurum ſpe allecti, laborauerunt, quorum vix quiſpiam eſt, qui non rem totam perdiderit, quidam verò qui non quærebant, inuenerunt theſaurum. Satius ergo multò ſit vt inuenias, vineam tuam fodere; quàm de theſauro cogitare, ita vtilius multò ſit hominibus, vitam prudenter inſtitutam agere, quam diuinatione agi. Sed neque ſatis piam eſſe, præter ſacræ ſcripturæ loca quæ produximus, hæc indicant, quod facit periclitari fidem de Dei prouidentia, & de libero arbitrio, tametſi enim præfari ſemper ſoleant, ſe illa imprimis ſalua eſſe velle: ſunt verò adeò nimij narrando tam mul.a & ſtupenda, vt latenter de neceſſario fato, facilegam audientium animis ingerant opinionem. Huc accedit multos, huius prætextu, Necromantiam exercere. Dæ-

Oliuarum vbertas prædicta.

Necromantia.

N monesque

moneſque(vt quæ commemorauimus mala accidant mortalibus, & hac via nonnulli à fide deerrent) exequi quo ad poſſunt illorum prænunciata, quæ alia cauſa eſt, vt eueniat, opereque comprobentur nonnulla. Præter dictas verò duas cauſas alteram ab effectibus eorum quibus prænuncientur, alteram à Dæmone, eueniunt quædam caſu, non ſunt autem tam multa quæ non mentiuntur, vt dictæ tres cauſæ (ſi modò caſus in cauſis eſt,) non poſſint eſſe ſatis. Eorum mendacitatem facetè admodum notauit Seneca, in ludo de morte Claudij Cæſaris, inducens Clothum ita loquentem: *Patiar aliquando Mathematicos verum dicere, qui illum poſtquam princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus efferunt.* Accedit etiam, eam credulitatem coniunctam adeò eſſe cum Idololatria, vt Babyloniorum religio nihil fuerit aliud, quam ipſa ſcientia Chaldæorum. nam eadem Deorum & aſtrorum nomina, & eadem canebant de Diis in ſacrificiis ſacerdotes quæ prædicant de aſtris Aſtrologi. nimirum illis furatum eſſe boues Mercurium, hi ſub Mercurio natos eſſe fures:& alia omnia eodem modo, & meritò quidem; nam perſuaſi bona malaque omnia ab aſtris venire, neque quod amarent, neque quod timerent habebant aliud, quam aſtra. Proinde ſimul cũ idololatria dãnatur hæc Aſtrologia loco citato ex Ieremia, his verbis: *iuxta vias gentium nolite diſcedere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.* Vide vt leges gentiũ coniungit cum timore aſtrorũ. Peccant etiam Aſtrologi in ipſa aſtra imputantes illis tam multa: nam cum facta ſint omnia à ſummo bono, boni gratia, vt ſcilicet gignant, foueant, & augeant, in mortes in crimina, in bella, nullum factum eſt, neque quidpiam inde malignum venit, niſi ex accidenti quodam. Quo pacto ergo ſtellæ pugnauerunt contra Siſaram? nullo certè, quis enim congredientium ſimul hominum, poſſet illis eſſe delectus, vt Hebræos tuerentur, & debellarent Chananæos; ſed ſtellarum nomine haud dubiè illi vocantur Angeli, qui iuuarunt populum Dei aduerſus impios Dicuntur verò manere in ordine ſuo, quod ſuo quiſque eſt ordine cœleſtis illius hierarchiæ: quia nihil eſt in rebus creatis pulchrius, aut ordinatius. Curſus verò Angelorum, dicitur aſſidua illa & continens cooperatio, qua homines cuſtodiunt, & gubernant. Angeli igitur cuſtodes Hebræorum, quorum princeps Michaël, ſuo quiſque ordine perſiſtentes in defendendi munere, pugnauerunt contra Iabin regem, & ducem excercitus Siſaram. atque hic eſt ſenſus literalis huius loci, non aliter ac 12. cap. Apoc. dicitur, *cauda draconis illius trahebat tertiam partem ſtellarum, & miſit eas in terram,* quo

Stellarum nomine Angeli.

Angelorũ curſus.

quo loco ſignificatur literaliter tertia pars Angelorum. vnde nihil hic habere Aſtrologiam iudiciariam quo ſe tueatur: ſed oportere, vt contemptis his vanitatibus, bene ſemper ſperemus, & actiones noſtras prudenter inſtituamus, dantes gloriam Deo.

CAPVT XXXII.

CAp.37. libri Iob ita habetur: *Qui in manu omnium hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua.*

His verbis ſolent ſeſe, qui Chiromantiam profitentur, diuinantes ex lineis manuum, neque minora neque pauciora, quam Aſtrologi ex ſchematis ſtellarum. itaque intelligunt verbis his Iob ſignificari Deum, cuicumque depinxiſſe in manu ſigna eorum quæ facturus eſſet: illi verò prædicunt, & quæ perpeſſurus, ſiue ab internis cauſis, ſiue ab externis, ſiue propriè, ſiue longè poſitis, ſiue naturalibus, ſiue fortuitis, qui cum hæc ſibi perſuaſerint, poſſunt etiam in ſubſidium trahere locum alium ex 13. Exodi, quo ita dicitur, *Erit igitur quaſi ſignum in manu tua.* Ariſtoteles quoque author nunquam contemnendus, cap.15. primi de Hiſtoria animalium, ita dicit: *Pars interior manus, quæ vola dicitur, carnoſa eſt, & ſciſſuris vitæ indicibus diſtincta longioris, ſcilicet vitæ ſingulis, aut binis ductis per totam, breuioris binis quæ non longitudinem totam deſignent.* Operæ pretium ergo erit hoc loco conſiderare, An ſit aliqua ex forma manus naturalis ſignificatio, an omne id ſtudium vanum ſit. Eatenus verò, vt mihi quidem videtur, naturalis ars, & certitudinis aliquid habens cenſeri debet quatenus referri poſſit in naturales aliquas cauſas, habeatque principia, aut per ſe nota, aut alibi demonſtrata, aut procedat ex certis experimentis: quatenus verò nihil habet horum, vana. Qui igitur palmas, fictis quibuſdam lineis in partes quaſdam diuidunt, ſingulaſque tribuunt ſingulis planetis, & naturaliter innatas lineas, ſecundùm conceptam vulgo opinionem de naturis planetarum interpretantur, nihilominus vani ſunt quàm ipſi Aſtrologi iudiciarij: imò eò plus, quo plures poſitiones accipiunt gratis, & ſine vlla monſtratione. Illi enim gratis accipiunt, hoc aſtrum hæc facere ſub illo natis, illud illa: hi addunt, manum hanc aream eſſe Iouis,

Chiromantiæ examen.

Chiromantici Aſtrologis vaniores.

illam Veneris: & rurſum hæc illa ſignificare. quæ autem horum monſtratio? quæ naturales cauſæ? experimenta verò iactare poſſint, vt ipſi Aſtrologi, caſu quodam, rariſſimè verarum pronunciationum. vani igitur ſunt, qui ita procedunt, multò verò magis, cùm non ſolùm procedunt ad interpretandos mores hominis, ſed & fortunas, & quæ non in eo cuius contemplatur manus, ſed in lege poſitis, cauſas habent, velut dicunt, hæc nubet ter, hic percutietur capite. Id verò mihi videbatur coniectandum ex manibus maritorum & eius qui percuſſurus eſt, nam quo pacto connubia poſſint habere cauſas in nubentium altero, cùm ad ambo pertineant? ac percuſſio in percuſſo ſolo, ac non potius in percutiente? Quid ſi primus maritus habet lineam vitæ longiorem quàm mulier? quo pacto poterit nubere illa pluries? percuti verò non poteſt hic, niſi qui percutiat, aut lapis tegulave cadat, cauſa enim percuſſionis percutiens eſt, aut ruina: igitur eadem cauſa eſt linearum manus Petri & iræ Ioannis, aut caſus tegulæ; niſi enim referantur ad eandem cauſam, non poſſit alterius eſſe ſignum, neque alterum cauſa eius quod alterum ſignificat. At verò cauſa linearum manus, intra ipſum hominem eſſe videtur, & ex illius natura fluere, iuxta Petrum itaque eſt cauſa caſus tegulæ è recto: at hoc abſurdum. Dicunt, in eodem aſtro cauſam eſſe harum linearum, & caſus. redeunt eadem argumenta, quæ aduerſus Aſtrologos, & illud maximè, quod ſi naturalia, vt lineæ manuum, & fortuita, & caſus & ruinæ eaſdem habent cauſas, nihil eſt fortuitum, cum omnia habeant cauſas per ſe, hoc longè abſurdius. nam vt cadat tegula, cauſa eſt qui tollit fulcrum, vt verò cadat in Petrum, nulla eſt per ſe, ſed eædem cauſæ, quæ per ſe faciunt lapidem cadere, & Petrum tranſire, faciunt ex accidenti quodam & fortuito lapidem incidere in Petrum. Hactenus igitur vana eſt Chiromantia: neque video quæ poſſit non eſſe talis, niſi fortè ea, quæ ſubalternata Aſtrologiæ non ſit, ſed pars quædam Phyſiognomiæ. Nimirum Phyſiognomus non ſolùm conſiderat faciem (quamquam eam maximè vt quæ ſenſuum organis conſtat, & mentem maximè prodit) ſed aliarum etiam partium conſtitutione: nam capitis totius & pectoris, & dorſi, & vocalium, & genitalium, & pedum; ita verò & manus contemplatur: atque adeò poſt faciem, magis quam alia omnia: nam manus humana organum organorum eſt, authoribus Ariſtotele & Galeno, atque vt facies intellectiuas virtutes ita manus factiuas maximè poteſt indicare, habétque ſe manus ad

Phyſiognomiæ conſideratio.

rationem

rationem, vt inſtrumentum ad artem, quia vt ratio eſt ars ante omnes artes, ita manus organum ante omnia organa. Nihil igitur in homine, ea quæ ſpectant ad rationem præcipuè factiuam, æquè poterit indicare ac manus. Igitur ea manuum contemplatio, quæ Phyſiognomiæ fines non tranſgreditur, Phyſiognomiæ pars eſt. & parem cum ea habet authoritatem: quam ergo habere debeat Phyſiognomia, hoc loco videndum eſt. Non eſſe profectò omninò vanam, vel illud vnum argumento eſſe poteſt, quod Ariſtoteles, author minimè vanus, librum proprium dedit ei doctrinæ, & ſparſim ſcripſit de ea multa in libris de Hiſtoria animalium; ſed & Hippocrates, qui iudicio omnium eſt ſeueriſſimus, ſparſim ſcripſit multa ſpectantia ad Phyſiognomiam, quale eſt illud lib.2. de morbis popularibus: *Quicunque ruſi naſo acuto, oculis paruis mali. Quicunque ruſi, ſimi, oculis magnis boni.* Et iterum, *magni, calui, balbi graciti voce præditi boni rurſum. Caput magnum, oculi parui, balbi iracundi ſunt.* Et rurſum, *Oculi non nictantes iracundi.* Et rurſum: *Magnum caput oculi nigri & magni, naſum craſſum & ſimum habentes, boni.* Sed & legibus etiam ciuilibus, in quibus iniquum ſit cenſere eſſe aliquid futile, aut vanum, cautum eſt, vt ſi duo homines inciderunt in criminis ſuſpicionem, is primum torqueatur qui ſit aſpectu deformior. Cuius legis ratio eſt in Phyſiognomia, Eccleſiaſticus etiam capite 13. bonam faciem vocat veſtigium boni cordis. ſed & experimentó probat Ariſtoteles eſſe artem Phyſiognomicam: quia quicumque plurimum inter animalia cuiuſpiam generis verſati ſunt, ſciunt ex forma dignoſcere bona & mala, velut equites equos, venatores canes, neque in hac dignotione falluntur, ſed ſemper aut magna ex parte euenit, vt illi iudicant Eſt igitur aliqua Phyſiognomia. Verùm eſt, multò certiorem fore eam quæ verſetur in dignotione brutorum, quàm quæ hominum, quia illa nihil habent præter ipſam naturam, in hominibus verò plurimum ad formandos mores educatio, & diſciplina, & quod his omnibus maius eſt, Dei gratia. Sed neque hæc penitus eleuant Phyſiognomiæ facultatem; vt neque naturam. Notæ quas Phyſiognomi obſeruant accipiuntur primùm à ſimilitudine cũ aliis animalibus: vt qui paruis ſunt oculis timidi, vt ſcilicet & ſimiæ, qui magnis ſtupidi, vt & boues & aſini. Deinde & cùm diuerſarum nationum aut ſexus hominibus, vt qui valde nigri ſunt timidi, vt Aegyptij & Æthiopes; qui valde candidi, timidi etiam vt mulieres, deinde ab ipſis paſſionibus, quare erat illud Hippocratis, *Qui oculis non nictant iracundi*: quia & qui irati ſunt ſolent immo-

Phyſiognomica ars.

tis oculis & palpebris intueri. Poſt hæc loca argumentorum habent etiam præcepta conferendi ſigna cum ſignis, & colligendi quædam ex quibuſdam: velut (dicunt) ſi quis eſt iracundus & triſtis & prauus, neceſſe eſt ſit inuidus. Sed nunc non eſt animus hanc artem perſequi. ſed hæc ſumma eius capita attingere, vt videamus quas in naturales cauſas referri poſſunt. Inter omnes Philoſophos conuenit omnibus animantibus data eſſe inſtrumenta, ſuis moribus accommodatiſſima, velut leoni, tauro & apro, vtpote ferocibus, vngues & dentes validos, aut cornua, aut exertos dentes: equo, vtpote veloci, & generoſo, ſuperbo & calcitranti, vngulas fortes, longa crura, & ornamentum iubæ: timidis verò & fugacibus, vt lepori & ceruo, pro armis dedit artus ad celeritatem comparatos, ita & alia omnia circa animalium ſingulorum partes fabricata eſt natura: quod mihi nunc ſatis ſit pro re præſenti attigiſſe, tractat diffuſe Ariſtoteles in libris de partibus animalium. Dubitatum eſt à veteribus an animalia talia ſint, quia talia habent inſtrumenta, an talia habeant inſtrumenta, quia talia ſunt. velut, an taurus, quia cornua habet, ſit ferox: an quia ſit ferox, habeat cornua: lepus quoque an quia eſt inermis ſit timidus, an quia timidus, ſit inermis. Anaxagoras, vt dicit Gal. primo de vſu partium, affirmabat animalia talia eſſe, quia talia habent inſtrumenta, quaſi animæ ipſæ omnes ſint eædem aut ſimiles, ſed pro differentia inſtrumentorum varios induant mores: Galenus contra cenſet, animas ipſas per ſe differre moribus, & vnicuique data eſſe inſtrumenta accommodata. Mihi verò vtrumque videtur verum, & animalibus data eſſe talia organa, quia ſunt talia; & eſſe talia, quia habeant talia organa. Nam & homo, quia audax eſt, arripit enſem: & quia enſem habet, fit audacior: ita vitulus, anteà etiam quàm ei exorta ſint cornua, ipſo naturæ impetu inuadit, quaſi velit cornu ferire: idem verò taurus iam factus, ſi ferrentur cornua, ferocitatem deponit: ſcilicet ipſa organorum vacuitas facit diffidentiam. Sed etſi inſtrumentorum commoditas mores illos augeat, ſiquidem non vnica eſt cauſa eorum, neque à principio facit, neceſſe eſt vt ſit alia cauſa differentiæ morum, prior ipſis organis: hæc verò, vbi fuerit niſi in animabus quæ diuerſæ ſint, aliæ audaces, aliæ timidæ, aliæ agreſtes, aliæ cicures, aliæ ſolitariæ, aliæ gregales.

Organorũ cõſideratio.

Morum differẽtia vnde.

Quid ergo, ipſæ animæ per ſe ante talia corpora ſunt tales? non certè. nam brutorum animæ ante corpora ne ſunt quidem, cùm educantur de potentia materiæ, & ſint nihil aliud

quàm

quàm ipſi corporum actus. Quid ergo fit? Certè vt in ipſis corporibus ante organa ſit aliquid, quod & morum, & organorum cauſa ſit, hoc verò eſt temperies, ſeu natura; quæ facit eſſe ſubſtantiam hoc aliquid; id verò in brutis eſt ipſa anima, atque adeò in hominibus ſecundùm partem ſentientem, perinde eueniunt omnia, ac ſi anima ipſa corporis temperies ſit: non enim ob hanc partem agnoſcitur anima noſtra eſſe ſeparabilis, ſed ob mentem. Cum ergo motum differentia non ex mente ſit, ſed ex iraſcibili, & concupiſcibili, & internis ſenſibus, quæ conſiſtunt in organis corporalibus, quod ad hoc attinet, perinde de nobis ac de brutis cenſere oportet. Igitur ſi temperies parit hos aut illos mores, & his talia aut alia ſuccedunt organa, profectò temperies prior eſt organizatione, & cauſa illius: quod ſi temperies cauſa eſt motum, & compoſitionis, certè compoſitio ſignificatiua ſit motum, quia referuntur ambo ab eandem cauſam, atque adeò, vt Sextus Philoſophus inquit, *etiam corpus ſit quadam animi imago.* Ratio verò agnoſcendi, quæ figura quos indicet mores, nulla potior ſit, quam ex obſeruatione figurarum quæ tales mores ſolent comitari, tranſlata ratione ab aliis in alia: ſiquidem indicatum eſt, hac in re eſſe omnium eandem rationem. Cur igitur notæ morum à figura rectè capiantur, & tales rectè transferantur ab aliis animalibus ad alia, hæc eſt cauſa. Quòd verò & ab ipſis paſſionibus rectè accipiantur (quem tertium argumentorum locum eſſe diximus) ex dictis etiam conſtare facile poteſt. indicatum enim eſt, animalia quædam ad quaſdam paſſiones eſſe propenſa naturaliter, vt hæc ad iram, illa ad timorem, ad mœſtitiam alia, alia ad gaudium. Porrò per has paſſiones, non viſcera ſolùm, & in eis inhabitationes ſpiritus, & ſucci, ſed & externæ partes modo quodam permouentur. Non enim difficile eſt, ex facie cognoſcere iratum, timentem, hilarem, & triſtem. cùm igitur omnia ſponte ferantur, etiam ſine vllo externo motore in quæ propenſa naturaliter ſunt, incidet per ſeſe quoruncunque hominum vultus, etiam cum de nulla re cogitant, in eas diſpoſitiones, in quas vergunt naturaliter, vt vultus iracundi in toruum aſpectum, etiam cùm non erit iratus: triſtis in demiſſionem quandam, etiam cùm non mœrebit. Huc ſpectat Phyſiognomicum illud 12. cap. Paralip. *Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtam, facies eorum quaſi facies leonis.*

Tēperies quid, & quorum cauſa.

Exempla Phyſiognomiæ.

Eſt igitur agnoſcere animi robur ex facie, per ſimilitudinem aliorum animalium: ex paſſionibus verò ſeu ex paſſionum vacuitate eſt phyſiognomicum illud Eccleſiaſtis capite octauo: *Sapienta hominis lucet in vultu eius.* Et illud Prouerbiorum, *Cor gaudens exhilarans faciē.* Et illud. *In facie prudētis lucet ſapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ.* Nimirum, vt à facie quàm à reliquo corpore, ita ob oculis plura quàm à reliqua facie capiuntur argumenta: quia velut feneſtræ animæ ſunt, atque inter cætera à modo intuendi. Nam rectà deſpicere, oculis parum demiſſis, verecundi, immotis neque nictantibus. impudentis & iracundi: plurimum nictare, timidi aut inſanire parati: obliquè intueri, vt cùm ſit è regione, habeat oculos in finibus terræ, eſt ſubdoli & deriſoris, quem ſtulſtum vocant diuina prouerbia. Poſt faciem, in manibus potiùs quàm in vlla alia parte, dictis de cauſis locum habent ſigna, huiuſmodi. Manus ergo bene magna multis lineis deſcripta, neque omninò glabra, neque piloſa, & longi digiti, ad naturalem proportionem inæquales, qui facilè & abducantur, ſapientiam indicant, & bonos mores, maximè enim humana eſt talis manus. Curtam verò, rotundam, breuibus digitis, & æqualibus, glabram nimis, aut valde piloſam, qualis erat Eſau, aut vngues habentes incuruos & longos, & nullis aut pauciſſimis lineis eſſe diſtinctam: hæc omnia belluina ſunt, & ad aliqua brutorum genera referuntur. Quare piloſa manus ſignificabit hominem agreſtem, & ferum more vrſi, vngues incurui, rapacem more accipitris, rotunda ac breuis ac ſine lineis, ſtupidum, qualia quadrupedum plurima. Ita etiam & à paſſionibus: qui contractas ſemper gerunt manus, timidi & auari eſſe dignoſcuntur; contra qui extenſas, audaces & liberales; qui pendentes aut demiſſas, aut aliam ſuper aliam, deſides: qui elatas aut mobiles, ſolliciti, & negotioſi: qui ad faciem aut os adducunt, cogitabundi. Ex his conſtat Chiromantiam, niſi vltra Phyſiognomiæ fines ſe effundat, vanam non eſſe, niſi verò intra illos ſe contineat vaniſſimam, velut, & ipſa Phyſiognomia ſuos egreſſa fines, vana fit: vt cùm Phyſiognomi, non ſolùm naturales cuiuſque mores, & ingenium volunt dignoſcere, ſed & fortunam prænunciare, dicentes alios eſſe Iouiales & fortunatos, alios Saturninos & infœlices. Nimirum ſi rectè anteà monſtratum eſt, Aſtrologiam iudiciariam cùm præcipuè de fortuitis agit, vanam eſſe, neceſſe eſt omnes eas artes quæ ad illam referuntur vanas eſſe, vt Phyſiognomiam, quæ Martes, Ioues, aut Saturnos nominat &

Manus conſideratio.

Geoman

Geomantiam, quæ loca planetarum deſcribit in terra: multò autem magis & Hydromantiam, & Pyromantiam, & innumera alia figmenta futiliſſima: quæ omnia ſunt merè ludrica, aut adiunctam habent operam Dæmonum. Cùm ergo Chiromantiam bona ex parte receperimus, licebit verba alia Iob, *Qui in manu omnium hominum ſignat, vt nouerint ſingula opera ſua*, Chiromanticè interpretari. Verùm occurrit mihi alia interpretatio, quæ multo magis arridet, nimirum vt Galenus loco citato ediſſerit, data manus eſt homini vt rationali ac ſapientiſſimo animali. Nam æquum erat, habenti artem ante omnes artes, hoc eſt, rationem, dari organum ante omnia organa, hoc eſt manum: vt igitur fabrum dolabra & ſerra; agricolam ligo & falx, ſui muneris faciunt recordari: ita manus hominum, humani officij. Ergo vel ſuas ipſius manus intuens homo, agnoſcet ſe eſſe natum ad omnes artes exercendas, ad adorandum Deum, ad erigendas Deo aras, ad ſacra facienda, ab ſcribendum, docendumque omnem ſapientiam etiam poſteros, dicent Pythagorici ad numerandum; quandoquidem calculi numeri, qui omnes continent numeros, in ipſis digitis poſiti ante oculos ſunt. Signauit igitur Deus in manu omnium, vt nouerint ſinguli opera ſua, hoc eſt, quæ eos facere oporteat, & ad quæ nati ſint: nimirum admonent nos aures, natos nos eſſe audire, nares odorari, lingua guſtare, oculi videre. Hæc verò omnia, opera noſtra non ſunt, ſed ſunt pleriſque communia: manus verò ſapientiæ & diuini cultus, & rationis numerandi, exercendarum omnium artium nos admouent; quæ ſua hominis opera ſunt. Quod decimotertio Exodi dicitur, *Erit igitur quaſi ſignum in manu tua*, nullatenus pertinet ad Chiromantiam, ſed alludit ad conſuetudinem hominum, qui cùm rem quampiam volunt memoriæ commendare, ſignum aliquod alligant digitis, quòd ſcilicet manus ob oculos verſentur ſemper. Eum verò eſſe legitimum ſenſum verborum ſequentia indicant *Erit igitur* (inquit) *quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid ob recordationem ante oculos tuos.* Quod Ariſtoteles primo de hiſtoria animalium dicit ſciſſuras manus longioris aut breuioris vitæ notas continere, non tam eſt à ratione alienum, quàm fortuitorum euentuum ſignificationes inde peti, quòd ſciſſuræ illæ ad formationem ſpectant, & formatio ad temperiem rationem habet, bonúſque aut malus corporis habitus naturalis, qui compoſitione conſtat & temperie, longioris aut breuioris vitæ & eius interitus qui ab intrinſecis cauſis cietur, præcipua cauſa eſt. Tamen neque hoc mihi, vt verum fateat, ad-

Geomantia. Hydromantia, & pyromantia quid.

Vitæ longitudo.

modùm arridet: multis enim experimentis confirmanda foret eius aſſertionis fides. Neque me ſanè plurimum moueat Ariſtotelis eò loci verba, ibi enim non Philoſophum, ſed Hiſtoricum agit: longè autem minor Hiſtoricorum, quàm Philoſophorum authoritas eſt.

CAPVT XXXIII.

De Necromantia.

De Necromãtia multa.

NEcromantia, vt ipſum præ ſe fert nomen, eſt diuinatiò quæ procedit ex conſultatione mortuorum, cùm ſcilicet Necromantici, incantationibus, & characteribus, aut certis quibuſdam peractis, velut expiationibus, aut cæremoniis, mortuos accerſerunt, quos de occultis aut futuris rebus conſulant: cui rei magnam videtur authoritatem conciliare, quod eueniſſe Sauli narratur cap.18. primi Regum, cui opera cuiuſdam mulieris pythoniſſæ, hoc eſt, familiaritate Dæmonis vtentis, inuocatus ſuſcitatuſque Samuel, finem ſuum imminentemque illi ac filiis ſuis à Philiſtæis, indicant. Si enim in ſacris legimus, per muliereulam Necromantiam ſuis magicis artibus vtentem Prophetam adeò Deo charum ſuſcitatum eſſe, & Regi veriſſimum futurorum reddidiſſe reſponſum, cur non putemus magicis incantationibus, characteribus, ac reliquis ſignis, facultatem aliquam ineſſe, aut naturalem, quæ vim etiam poſſit ipſis ſpiritalibus ſubſtantiis inferre, aut diuinam dæmoniacis illuſionibus longè ſuperiorem? Non enim videtur dici poſſe non fuiſſe verè Samuelem, aut eius animum, eum qui reſpondit Saüli; ſiquidem in c.46. Eccleſiaſtici, de Samuele, poſt alia eius acta ita ſcriptum legimus: *Et poſt hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia, delere impietatem gentis.* Quid enim aliud indicant hæc verba, quàm quod illo loco narratum eſt Samuelem poſtquam dormiuerat, rurſum exaltaſſe vocem de terra, & notum feciſſe Regi finem vitæ ſuæ in prophetia? quod certè non aliàs fecit, quã cùm à Pythoniſſa eſt excitatus. Scio de hac re diuerſas eſſe Theologorum opiniones, aliis dicentibus fuiſſe verè Samuelem

Pythoniſſa.

Samuel an verè ſuſcitatus.

lem qui indicauit Regi finem ſuum, aliis eius imaginem, quas nolo ego aliter examinare, quàm dicens quod mihi videtur probatiſſimum: quandoquidem Eccleſiaſticus narrans Samuelis geſta dicit poſtquam dormiuit notum feciſſe Regi finem ſuum, & excitaſſe vocem de terra in prophetia, non dubito quin fuerit ipſe Samuel; non dico ipſe Samuel ſuſcitatus, ſed illius anima apparens in corpore aëreo, vt ſolent Angeli. Neque enim mihi pro aſſerenda Eccleſiaſti veritate (tametſi id dicat vir ſanctiſſimus æquè ac doctiſſimus Auguſtinus) videtur eſſe ſatis dicere, vocare Samuelem, Samuelis imaginem, videndum enim quorſum hæc narret Eccleſiaſticus: non certè aliorſum, quàm vt narret geſta Samuelis, & illius laudem. quam autem laudem mereatur Samuel, quòd Dæmon eius imaginem induens, pro illo reſponderit, aut quomodo quiſpiam hoc inter illius rectè geſta iure commemoret; accedit quòd ex Eccleſiaſtici verbis conſtat, illum non ſimpliciter pronunciaſſe Regi finem ſuum (hoc enim malus etiam Dæmon poſſet fortaſſe facere, aut coniectura, aut à Deo per bonos Angelos accipiens,) ſed concionatum etiam eſſe aduerſus idololatriam, quod malus Dæmon non feciſſet. ita verò inquit Eccleſiaſticus, *Et exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Exiſtimo itaque verè fuiſſe Samuelem. Monſtratum verò mihi alibi eſt, nullam vim naturalem eſſe verbis, neque characteribus. Porrò monſtratum etiam eſt, nullam Dæmonibus eſſe cum corporalibus ſympathiam, neque antipathiam: vnde fit, nihil penitus poſſe Necromantiam niſi ex pacto: ſiquidem vim naturalem inferre ſpiritualibus ſubſtantiis nullam poteſt: neque quidem ex pacto ſine Dei permiſſione, ſiquidem non annuente prima cauſa, ne eſſe quidem quiſpiam poteſt, nedum operari. Quid igitur ſupereſt? certè Necromantiam nihil eſſe aliud, quàm Dæmonis illuſionem, hominum verò infidelitatem, qui cacodæmoni ſe deuouent. Quoniam autem neque Dæmon poteſt ex pacto reſpondere ſine Dei permiſſione, fit nonnunquam vt Deus Dæmones coërceat, ipſe verò aliquid in illorum qui ſe deuouent perniciam fieri permittat, atque vt dicitur capite vltimo Iſaiæ, *Eligat illuſiones eorum & quæ timebunt adducat eis.* Velut nunc in perniciem Saulis, qui volens ac ſciens defecit à Deo, atque ad Dæmonem ſe contulit, permiſit vt Pythoniſſa Dæmoniacas artes exercente appareret Samuel, & illi finem ſuum indicaret, maiorem fraudi finem adhibens induraretur, & adductus in deſperationem periret in peccato ſuo. Cenſere verò aliquid

Necromãtia quid.

præter

præter nequitiam eſſe in Necromantia, hominum eſt indoctiſſimorum pariter ac leuiſſimorum. Non deſunt, qui aſſerentes non fuiſſe phantaſma dæmoniacum, ſed ipſum Samuelem, exiſtiment aſſumpſiſſe Dæmonem Samuelis corpus, atque ex illo reſpondiſſe, atque vocari Samuelem, vt cuiuſque hominis cadauer ipſius nomine dicimus: hoc verò ſine omni probabilitate, neque ſine Prophetæ iniuria, videtur dici, nam longè faciliùs erat Dæmoni aëreum corpus effingere, aut videntium oculis illudere, quàm diſſolutum iam in ſepulchro corpus, in formam priſtinam, vel apparentem reſtituere. Quod autem maius opprobrium fieri poterat Prophetæ corpori, quàm à Dæmone aſſumi. hoc igitur minimè eſt probabile: quare ſupereſt, id ſolùm quo dictum eſt permiſſu Dei veniſſe animam Samuelis, atque aſſumpto corpore aëreo Saüli reſpondiſſe. Neque verò vellem hinc augeri credibilitatem indocti & ſuperſtitioſi vulgi, de reditu animarum hominum vita iam defunctorum. Verùm quia redeant an non, nihil habet cum naturali Philoſophia, atque ad huius operis ſpectat argumentum. De his hactenus.

CAPVT XXXIV.

QVarto Regum, cap. 2. *Dixerunt quoque viri ciuitatis* (Hierichontis ſcilicet) *ad Eliſeum, Ecce habitatio huius ciuitatis optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. At ille ait, Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal, quod cùm attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus, Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque ſterilitas: ſanatæ ſunt ergo aquæ vſque in diem hunc iuxta verbum Eliſei, quod locutus eſt.*

Non dubium eſt hoc quoque, vt alia pleraque contigiſſe populo illi in figura, vt teſtatur Diuus Paulus, & aliquam aliam aquarum emendationem ſignificaſſe, factumque eſſe ob aliquod ſacramentum: an verò hic quoque aliqua naturæ ratio habita ſit, præſentis operis eſt exiſtimare. Dictum enim non ſemel eſt, atque indicatum, etiam in efficiendis miraculis, plerumque vti Deum aliqua naturali cauſa, idque multis atque optimis rationibus, quas, vt pote alibi dictas, non eſt nunc animus repetere, ſed id præſtare ſolùm quod pro-

Miraculorum ratio.

poſi

poſitum eſt. Quandoquidem terræ ſterilitas curatur in aquis, conſtat nihil aliud inſinuari, quam aquas fuiſſe tales, vt earum vitio irrigata terra ſterileſceret. id verò vitium videtur rationi conſentaneum fuiſſe ſalſuginem, & quia id ſolet eſſe frequens in aquis, & quo quamplurimæ fiunt ad potandum inutiles, & quia id ſolet omnium maximè ſterilitatem afferre. Quo factum eſt, vt ab antiquiſſimis ſeculis venerit in conſuetudinem, vt ſolo, quod ob patrata ibi facinora, & proditiones deuouetur, ſal inſpergatur: quod feciſſe legimus Abimelech deleta vrbe Sichimorum, capite libri Iudicum: quin & Pſalmo 106. ita dicitur, *Poſuit terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Itaque ſalſugo maxima cauſa eſt ſterilitatis terræ, & inſperſus ſal ſterilitatem inducit & maledictionem. Si autem ſalſæ erant aquæ Hierichontis, atque ideò hominibus erant ad potum inutiles, & terræ afferentes ſterilitatem, quæ vis naturalis eſſe poterat in ſale ad ſanadum eas? cùm præcipuè Diuus Iacobus in ſua epiſtola, capite 3. dicat, *Nunquid poteſt fratres mei ficus vuas facere, aut vitis ficus?* ſic neque ſala dulcem poteſt facere aquam. Neque dubium, cùm ſint contraria contrariorum remedia, quin ſimilibus augeantur rerum vitia. Alterum igitur duorum dicendum eſt, aut in illo Eliſei miraculo nullam eſſe habitam naturæ rationem, ſed adhibitam eſſe rem prorſus aduerſam & noxiam, maioris portenti cauſa (nam hoc quoque nonnunquam legimus factum) aut vitium illud aquæ, non fuiſſe ſalſuginem, ſed corruptionem putridam, & olidam, hæc enim vt aliis omnibus in rebus, ita etiam in aqua, ſalis admiſtione corrigitur. Nam ſal calidæ & ſiccæ naturæ cùm ſit, & facilè cùm aqua diſſolutus commiſceatur, putres in ea ſiue vapores, ſiue partes abſumit, & putredinem emendat atque integritatem facit diutius retinere, teſtantur enim nautæ, aquas nonnihil ſalſas, aptas verò adhuc potui vtiliores eſſe nauigantibus, quòd diutius incorruptæ ſeruari poſſint, ac proinde ſuas ex puteis mari vicinis ſolere haurire. Quin etiam qui naturas rerum diligenter ſcrutantur, affirmant puteos malè olentes, & prauo aliquo ſapore infectos nulla ratione meliùs expurgari, quam ſale in eos iniecto: iniici verò ſolitam, quartam partem modioli in ſingulos, quamquam non poteſt hoc eſſe in omnibus ratum, ſed plus aut minus debet iniici, vt in ipſis puteis ineſt aquæ. hoc igitur videtur maximè conſentaneū, quia præter dicta, ob putreſcentiam, & graueolentiam euenit aquas eſſe mortiferas, magis quàm ob ſalſuginem: ſed & ſteriles, quia ſalſugo niſi omninò

Aquæ ſalſæ monumenta.

Sal cur terris aſpergatur.

Aquæ ſale iniecto curatæ.

Salſugo. omninò ſit maxima, vt in mari Sodomæ (quod quia nihil viuum generat, ac ſi quid in ipſum incidat neeat, mortuum appellatur) neque lethalis eſt neque fœcunditati officit: quin potiùs cùm ſine putreſcentia eſt, & intra quamdam mediocritatem, vt in mari, ipſas aquas fecit fœcundiſſimas: nullibi enim mundi adeò luxuriatur generandi facultas, neque eſt tam multiplex generatio. Atqui profectò, vt ego exiſtimo, ille ipſe Dei Spiritus, qui aquas incubauit initio (quem ego ignem eſſe cēſeo) tales reddidit, craſſas, inquam, & ſalſas; atque ita multiplici rerum generationi, aptiores multò quàm dulces.

Aqua ſalſa fœcundiſſima.

Iam verò irrigata aqua, non vtcumque ſalſa officit plantis, neque æquè omnibus; ſed ſunt quædam plantæ, quæ gaudent etiam quadam ſalſugine, & puteales quæ ſalſugine aliqua plerumque participant, deſinunt priùs eſſe aptæ potui, quàm irrigationi, nimirum in potu inſuauiſſima eſt ſalſugo, quia ſitis humidi & frigidi appetitus eſt, irrigari verò alimenti magis rationem quàm potus habet, nutrit enim plantas, atque ita non ſtatim officit, neque enim niſi cùm multa eſt, vt ſi muria, aut murina rigentur plantæ, aut inſpergatur ipſe ſal. facit verò, ſi qua vlla in re, in ſale maximam, ipſum plus, aut minus differentiam. multa enim ſalis irrigatio aut inſperſio, ſiccat omnes plantas, & ſolum ipſum vrit ac facit ſterile: moderata, quibuſdam plantis eſt amica, nullis plurimum nocet. Animantia omnia à maxima ſalſugine, qualis maris mortui eſt, necantur (vtuntur enim) moderatiori, qualis reliqui maris, generantur quamplurima, & in molem ingentem augentur, ac maximè fruuntur ſalubritate, & mortua etiam aſſeruari poſſunt diutiùs: tametſi nonnulla ne tantam quidem ſalſuginem ſuſtinent, neque conſiſtere poſſunt, neque viuere, niſi in dulcibus aquis, & alia etiam quædam vtranque vitam ſuſtinent: tanta naturarum varietas eſt. Iam verò hominibus multi ſalis vſus eſt morbidus, quia ſanguinem ſalſum facit, & ſterilitatem infert ſiccando vehementer, & acriùs efficiendo ſemen: moderati verò, facit ſalacitatem, & irritationem, & pruritum augens, ac proinde ad generationem confert. Quare indiſtinctè mihi videntur altercari nonnulli, partim dicentes ſalem ſterilitatem inferre ac mortem, ac proinde ſolitum inſpergi in ſolum quod deuouetur: partim fœcunditatem & incorruptionem, ac proinde fabulatos eſſe Poëtas, Venerem natam eſſe in mari, decidentibus in illud Cœli verendis, atque ab ſpuma vocatam, *aphroditim*. Nam re vera non ſunt hæc tam propria ſalis, quàm conſiſtunt in vtendi modo, eſtque verum, ſalis nomine hieroglyphicè ſignificari plurima:

plurima: nam & ſterilitatem, & ſalacitatem, & ſapientiam, & incorruptionem, & ſuauitatem, & mordacitatem; quibus verò cauſis ſingula, oportet Philoſophos diſtinguere, vera ſalis natura perſpecta, ac neque laudando neque vituperando eſſe nimios. Cùm enim, vt Hippocrates mirè dixit, ſint omnia ad aliquid bona & mala, de ſale videtur id multò meliùs poſſe dici; eſt enim ſæpè ac plurimis rebus noxius ac ſterilis, plurimis etiam aliis non raró vtilis eſt, & fœcundus: putrida verò corruptio ſemper eſt mortifera & ſterilis, cùm contraria ſit omni naturali ortui, veniantque res omnes, teſte Ariſtotele, per putredinem ad interitum. Cùm igitur hæc mortem & ſterilitatem afferre nata ſit rebus omnibus, & ſalis admiſtione naturaliter emendetur, conſentaneum eſt id fuiſſe vitium aquarum Hiericontis, & Eliſæum in earum curatione naturalem ordinem tenuiſſe, Deo interim adiiciente plurimum facultati, quam ſali ab initio indiderat. alioqui enim, neque tam multæ aquæ expurgandæ fuiſſet ſatis tam modicus ſal, neque ea ſanitas duraſſet in hunc vſque diem.

Sal Hieroglyphicè quid.

Plantis quæ aquæ noceant.

CAPVT XXXV.

Lib. 4. Regum cap. 4. ita habetur: *Ingreſſus eſt ergo Eliſeus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius: ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum, & orauit ad Dominum, & aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri, at ille reuerſus deambulabat domi, ſemel huc atque illuc, & aſcendit, & incubuit ſuper eum, & oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos.*

Puer reſuſcitatus ab Eliſeo.

Puerum verè mortuum atque ab Eliſeo ſuſcitatum eſſe, dicendum (quæ magis communis & verior erit ſententia) miraculoſe peractam eſſe rem hanc, ita tamen, vt & in hoc miraculo habitus ſit naturæ honor, adhibita mortuo ea curatione, quæ ad ſyncopem, quæ integra fere extinctio naturalis caloris eſt, ac velut mortis initium, ſolet adhiberi, vt his cauſis, naturalis caloris velut igniculum adhibentibus, ac Deo peragente id, quò ipſæ non poſſunt pertingere,

ageretur ſuſcitatio, velut quædam reuocatio à deliquio aut ſyncope. Quibus autem rationibus velit Deus cauſas naturales, etiam in peragendis miraculis, adhiberi, alibi dictum eſt. Eſſe autem vt dicimus, atque adeò in miraculis etiam maximis edendis, vti ſolere Deus naturalibus cauſis, non adeò magnis, innumeris conſtat exemplis, nam ad ſiccandum vna nocte mare vſus eſt vento vehementi, & vrente, vt narratur cap. 14. Exodi. Quem autem ventum, aut quàm vrentem putes fuiſſe ſatis ad ſiccandum vna nocte mare niſi Deus, naturalem alioqui eius potentiam, vehementer & ſupra naturam auxiſſet?

CAPVT XXXVI.

Lib. 4. Regum cap. 4. ita habetur: *Et egreſſus eſt vnus in agrum, vt colligeret herbas agreſtes, inuenitque quaſi vitem ſylueſtrem, & collegit ex ea Colochyntidas agri, & impleuit pallium ſuum, & reuerſus conſcidit in ollam pulmenti, neſciebat enim quid eſſet. infuderunt ergo ſociis, vt comederent, cumque guſtaſſent de coctione, clamauerunt dicentes, Mors in olla, vir Dei, & non potuerunt comedere, at ille, Afferte, inquit, farinam: cumque tuliſſent, miſit in ollam, & ait, Infunde turbæ, vt comedant, & non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in olla.*

Colochyntidis natura. Nonnulli ſuſpicantur alias colochyntidas fuiſſe has, quas Eliſeus immiſſa farina adeò emendauit, vt dulces & eſui aptas reddiderit à medicamentoſis illis, quibus ad vehementer expurgandum vtuntur Medici. Sed meo quidem iudicio falsò: nam præterquam quòd nomen id præ ſe fert, deſcriptio quoque, & notæ indicant, nam re vera colochyntis herba ſarmenta profert & folia viti ſylueſtri non diſſimilia, dicit præterea Meſue colochyntidam vocare ſolitos Perſas cucurbitam Cucurbita deſerti. Fel terræ. deſerti: quid autem aliud eſt dicere colochyntidas agri, quam cucurbitam deſerti? eſt verò adeò amara, vt fel terræ ab eiſdem vocaretur, & Dioſcorides dicat fructum eius eſſe vehementer amarum, quo guſtato, exclamauerunt dicentes, *Mors in olla*, non potentes comedere. Nam ob amaritudinem id contigiſſe, ſequentia illa verba declarant. *Et non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in olla.* Sed quo pacto (dices) fieri potuit, vt vera colochyntis, quæ non amara ſolùm eſt, ſed adeò pernicioſa, vt

ſi

ſi ſupra quatuor obolos, etiam emendata ſumatur, poſſit ſuper purgationes,& exulcerationes ventris,& mortem afferre,atque adeò admota exteriùs enecet fœtus, ſolius farinæ ſiue triticeæ, ſiue hordeaceæ immiſtione emendari adeò,vt mox daretur turbæ abundanter pro cibo? Non certè id naturaliter & citra miraculum effectum eſt, cùm præcipuè inter agreſtes herbas collectæ illæ colochyntides ſint. culturæ enim hortenſes effectæ, non parum fortaſſe miteſcerent, agreſtes verò, præcipuè quæ non inter alias,ſed ſeorſum naſcuntur,pernicioſiſſimæ ſunt.itaquè miraculo effectum eſt, vt dulceſcerent, & noxam deponerent; ita tamen, vt hîc quoque, velut in aliis pleriſque,modus quidam naturalis operationis retentus ſit. Nam Medici omnes inter emendantia colochyntidem, recenſent ea quæ lenta ſunt & glutinantia,cuiuſmodi eſſe conſtat amylum,quod ex tritico conficitur, atque poſt hoc, etiam farinam triticeam, hæc enim ſuæ ſubſtantiæ modo lento & glutinoſo,& ſapore grato,atque vt ita dixerim, cibali, præſentem iam dyſenteriam ſanant, & imminentem anteuertunt, eiuſque cauſis & efficientibus, & iam paratis obſiſtunt, mordacitatem & amaritudinem,aut acrimoniam hebetantia, & membranas internas ventris oblinentia. Haud dubiè igitur amylum & farina triticea, in emendantibus colochyntidem non inſtrenuæ ſunt. non ita tamen, vt tantum tam citóque valerent,niſi plus ſolito illis aſpiraſſet prima cauſa, quæ, vt rerum naturam à principio fecit, ita vtitur ea vt vult.

Cultura vis.

Amyli vtilitas,& farinæ triticæ vis.

CAPVT XXXVII.

CAp.6.lib.4.Regum: *Accidit autē,vt cùm quidam materiam ſuccidiſſet,cadere ferrum ſecuris in aquam,exclamauitque ille, & ait, Heu heu heu domine mi,& hoc ipſum mutuò acceperā.dixit autem homo Dei, vbi cecidit?at ille monſtrauit ei locum. Precidit ergo lignum, & miſit illuc, natauitque ferrum,& ait,tolle,qui extendit manum, & tulit illud.*

Res eſt experimento compertiſſima, multa quæ in aqua quieta ſubſident, cùm conturbatur, agitata aut ligno aliquo, aut re aliqua eiuſmodi in eam iniecta, emergere, efferrique in ſublime,& innatare : non quidem id accidere ſolet ferro, aut grandioribus lapidibus, aut denique rebus grauioribus quàm vt agitatæ aquæ impetu moueri poſſint, ea præcipuè agitatione, quæ immiſſum in eam lignum poſſit ciere. nam per maiores ac violentiores aquæ perturbationes, vt fluminibus

Ferri natatio.

violenter decurrentibus, & voluari in aqua videntur magni lapides & euelli grandes pontes. hîc verò non potuit immiſſione ligni commota aqua, ſecuris ferrum vſque ad ſummum eleuare. Neque ſanè ſuſpicor id fuiſſe certum aliquod lignum, quod extrahendi ferri virtute valeret (quod enim eſſet?) ſed quodcumque occurrit: neque denique aliud quidpiam eſſe appoſitum ad eleuationem ferri, quàm aquæ commotionem; ea verò cùm ſatis non eſſet pro tanto pondere, ſupereſt rem non eſſe ſine miraculo tranſactam, ita tamen vt commotio aquæ appoſita ſit, & Deus ferro pondus detraxerit, adeò vt agitata aqua valuerit ſubleuari, arenularum more. Cur autem putemus Deum velle adeò leues cauſas, naturales tamen adhiberi, cùm ipſe nullis indigeat adiumentis? certè, vt ego exiſtimo (dictæ verò alibi aliæ etiam cauſæ ſunt) quò intelligamus, quantopere deerrent, qui nullam in rebus ſuis adhibentes operam cùm poſſint, tantùm orant Deum, quem vident ne miracula quidem perficere, niſi rariſſimè, citra vllam naturalium cauſarum admotionem; nedum ea, quæ naturalem habent prouidentiam.

CAPVT XXXVIII.

CAp. 5. lib. 4. Regum narratur, Naaman Principem militiæ Syriæ mundatum eſſe à lepra, quòd iuſſu Eliſei ſepties in Iordane ſe lauerit: contemnebat verò, vt ibidem legitur, hanc curationem vt leuem, neque pro tanto morbo futuram ſatis: atque ob hanc diffidentiam, niſi à ſeruis ſuis perſuaſus eſſet, penitus dimiſiſſet: *deſcendit verò ſepties in Iordanem & mundata eſt eius caro, factaque vt pueri paruuli*, haud dubiè in ſeptena illa lotione, eáque per Iordanis aquam facta, magnum aliquod latebat arcanum & diuinorum ſacramentorum ſignificatio, eóque diuina virtute factum eſt, vt quæ (ſi res ſoli naturæ committeretur) leuiſſima fuiſſet curatio, pro tanto & tam inueterato morbo, fuerit ſufficientiſſima ac perfectiſſima: non tamen ita fuit diuina ac miraculoſa curatio, vt non etiam velut initium quoddam habuerit naturalis. Nam deſcendere in fluuiales aquas crebrò, innataréque, præcipuè ad rapidos aquarum vortices, plurimū facit ad eluendam omnem cutis immunditiam, atque ſanandum omne genus ſcabiei: neque quidem ſolùm ſcabiei ſimplicioris, ſed etiam lepræ, & lychenum. nam cùm hæc ſint cutis quædam ſordities, naſcanturque à ſalſa pituita, aut

Fluuialiū aquarum vis.

aut vſta melancholia, lorio eluendo fortiter expurgat, atque adeò epidermidem ipſam ſeu cuticulam euellit ſæpè: aqua verò ipſa humiditate & frigore, & naturali illa dulcedine, temperat & ſalſuginem pituitæ, aut aciditatem atræ bilis diluit & diſſoluit. Atqui profectò ſi lepra illa fuiſſet recentior, nec ſubiectæ carnis temperies eſſet iam mutata, & recens expurgatum eſſet corpus Naaman, ne intra illud ſubeſſent praui ſucci, fortaſſe pura natatio pluries repetita ſuffeciſſet: quoniam verò res non ita habebat, ſed multo tempore, multa lepra perſperſus fuerat, neque vlla tunc temporis præmiſſa eſt corporis expurgatio, miraculoſa fuit curatio lepræ, qua ſe tunc temporis Deus gentibus dedit agnoſcendum, atque in poſterum venturæ Eccleſiæ, ſuæ immenſæ miſericordiæ præſtitit ſignificationem.

CAPVT XXXIX.

QVarto lib. Reg. c. 20 Cùm Ezechias ægrotaret vſque ad mortem, Deo ita iubente, ſanatus eſt ab Iſaia, admota maſſa ficorum. Verba verò ſunt hæc:

Dixitque Iſaias, Afferte maſſam ficorum: quam cùm attuliſſent, & poſuiſſent ſuper vlcus eius, curatus eſt. hæc eadem verba ſcripta ſunt cap. 38. Iſaiæ. Morbi qui miraculosè ſunt curati, vel ab ipſo Deo, cùm inter mortales ageret, vel diuina virtute à viris Dei amicis, partim curati ſunt citra rei vllius admotionem, ſolo verbo, vt Dominus ſanauit leproſum, ſolùm dicens, *volo mundare*, & cæcum, imperans vt reſpiceret, vel oratione, vt orante Abrahamo ſanauit Deus Abimelech, & vxorem eius: aut tactu, velut per manuum impoſitionem: quin & per tactum veſtimenti, atque etiam vmbræ: nam cap 6. Lucæ dicitur, *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* exemplo eſt mulier, quæ cùm fluxu ſanguinis laboraret decem annis, tangens fimbriam veſtimenti eius ſanata eſt. Porrò 5. Actuum Apoſtolorũ narratur, ſoliros deferri ægrotos ad vmbram Petri, vt ſanarentur, partim verò curati etiam ſunt multi horũ, admotione quarundam rerum, quaſi medicamentis quibuſdam, velut hîc Ezechias ab Iſaia admoto cataplaſmate ex maſſa caricatum, & Tobias à cæcitate, infuſa in oculos bile, & Naaman à lepra, lotus ſepties in Iordane. Sed an hæc quæ Dei iuſſu ſanandis corporibus admouentur, re vera ſint medicamẽta, eaque natura prædita, vt per ſeſe nata ſint eos morbo curare, Miraculoſæ curationes.

an non, ſed ea in re præcipua ſit ratio miraculi, quod earum rerum admotione, quæ nullatenus id ſint natæ facere curentur morbi, dignum eſt conſideratione, & ſpectat eius rei examen ad Phyſicum. Quod ad Tobiam ſpectat, & ſi quæ alia eiuſmodi ſunt, ſuo quoque loco declarabitur: de curatione quoque Naaman dictum eſt anteà: nunc quod propoſitum eſt enarremus oportet. Caricæ, vt videre eſt apud Dioſcoridem & Galenum, atque adeò vt inter omnes Medicos conſtat, vim habent extergendi, & calefaciendi ordine primo, aut etiam initio ſecundi, idque cum partium tenuitate: quapropter diſcutere poſſunt tumores paratos diſcuti, & emollire ſchirros & ad ſupputationem perducere, ſi quæ ſunt ad ſupputationem parata: maximè verò efficient hoc aut illud, vt hoc aut illo modo parantur: nam decoctæ & cum triticea farina contuſæ, mouent plus, cum hordeacea diſcutiunt. Neque verò quia loco citato tantùm dicitur Iſaias admouiſſe maſſam ficorum, neceſſe eſt ſolis ficubus factum eſſe cataplaſma. nam, & ſi acciperet caricarum, & farinæ (ſiue hordei, ſiue tritici, vt res poſceret) æquales partes contuſas & commiſtas cum decocto caricarum, vocaretur meritò maſſa ficorum. Galenus ſecundo de arte curatiua ad Glauconem capite ſeptimo, ad eos tumores, qui neque facilè ad ſupputationem perueniunt, neque facile diſcuti poſſunt, iubet, vti cataplaſmate ex caricis, docétque ibidem eius compoſitionem. Sed ob hæc omnia non videtur ea maſſa potuiſſe ſanitati reſtituere Ezechiam. nam ille laborabat vlcere: vlcera extерſionem & deſiccationem poſtulant, haudquaquam diſcuſſionem, emollitionem, aut ſupputationem. hæc enim tumorum curationes ſunt, non vlcerum. Certè vlcera, quà vlcera, & per ſeſe, nihil aliud deſiderant, quàm agglutinationem. Cùm enim vlcus ſit partium deciſio & ſeparatio, quæ alia eius curatio ſit, quàm vnitio & agglutinatio? atque ita vlcera ſimplicia ſola agglutinatione curantur, etiam ſi oſſium fracturæ, nedum ſciſſuræ carnis. Cùm verò ſimplicia non ſunt, ſed alias habent adiunctas affectiones, vt ſi cum ſciſſura eſt etiam excauatio, & carnis defectus, aut ſi vlceris labia ſunt inflammata, aut dura, callo aut ſchitro obſeſſa, aut ſubiectæ partes corruptæ, aut vehementer intemperatæ ſint, fuſtra quis vtetur agglutinantibus, antequam adiunctis affectionibus accurrat. Cùm verò cum ea affectione, cuius curationi inſiſtimus, aliæ aut aliæ affectiones copulantur, cùm multa variaque ſint auxilia quæ expetuntur, ordine quidem opus eſt, vt illis quis rectè vtatur. Eius autem ordinis triplex ratio eſt, vt Galenus docet. Prima quidem, & quæ aliis omnibus præfertur, eſt, vt ſi quid eſt quod ita vrgeat

Caricarum vires. — *Caricarũ cataplaſma.* — *Vlcera quid deſiderent.* — *Vlcerum curatio.* — *Triplex ratio vlceris curandi.*

vrgeat, vt curationem legitimam non expectet, ei ante omnia occurratur: velut ſi cum vlcere tantus etiam dolor ſit vt penè exanimet, ac per ſeſe in mortis adigat breue periculum, admouenda ſunt ſtatim anodyna, hoc eſt, dolorem ſedentia, aut etiam ſtupefacientia, etiam ſi ipſi vlceri ea obſint. Secunda, vt vbi ſublata fuerint vrgentia, ſi quid ſit quod rationem habeat cauſæ ſine qua non, hoc eſt, quo non ſublato morbus qui curatur tolli non poteſt, ei occurratur ſtatim: velut ſi in vlcere eſt labiorum tumor, aut callus, detrahi debet antequam curetur vlcus; quia callus & tumor labiorum prohibet partium vnitionem eadem ratione, ſi eſt in vlcere cauitas, & ſubiectæ partis imtemperies, repleri debet priuſquam vniatur. quia quî poſſint vniri, quæ propter defectum carnis diſſident; ſed & temperari antequam repleantur; quia ſine partis attemperatione, non poſſit generari caro quæ repleat. Tertia, vt vbi nullum adſit impedimentum, videatur tamen an ſit aliqua cauſa quæ faciat, & ea: tollatur ea ſublata tunc demùm rectè acceditur ad ipſius præcipui morbi curationem: velut cùm pars exulceratur à fluxione biliosa aut ſalſa, ea fluxio tollenda eſt, & eluendum id ſordium quod influxit, Hanc ob cauſam vlcera pleraque amant exterſionem, omnia verò ſiccationem, vt rectè curentur, & agglutinationem humiditas non prohibeat. Quādoquidem Ezechias proximus erat morti conſentaneū eſt eius vlcus, ſiue internū ſiue externum eſſet, neq; benignū fuiſſe, neque ſimplex, ſed malignum & complicatum: malignum quidem, ob peſſimum ſuccum quo imbutum eſſet; complicatum verò cum inflammatione. fieri ergo poteſt, vt à coniuncta inflammatione magis, quam ab ipſo vlcere periclitaretur. ita enim euenit, vt ob coniunctam inflammationem trahantur partes principes in compaſſionem, maximè cerebrum; & ob vlcus partium anteriorum, cum delyrio; poſteriorum, cum conuulſione homo moriatur. Si igitur dicto modo Ezechias periclitabatur, nulla ratione meliùs illi ſubueniri poterat, quàm admoto cataplaſmate ex carne caricarum cum farina hordei, ſi reſolutionem admittebant inflammatio; ſin minùs, cum farina tritici, vt facta ſupputatione miteſcerent febres, & reliqua accidentia. Sed ſi hoc ita eſt, quid habuit hæc curatio miraculi? habuit certè aliquid. nam etſi eſt indicatum, ficus, vim medicamentoſam habere ad illius morbi curationem accommodatam; tantam verò non habent, vt qui ægrotabat vſque ad mortem, die tertia poſſet ſanus in templum aſcendere, vt Ezechiæ euenit, niſi Deus peculiari auxilio, & ſolito maiori medicaminis vim auxiſſet. Vnde facilè conſtat non

Vlcerum & inflammationis malignitas.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

De medicina. tam eſſe fidendum medicamentorum facultatibus, quàm gratiæ Dei, qui his ipſis aſpiret: neque mirum. Cùm enim Deus rerum omnium quæ ſunt, quæque fiunt, prima cauſa ſit, nihil aliorum mouere poſſit, niſi quatenus ab eo moueatur. Quod itaque medicamenta etiam mediocria fauente Numine plurimum poſſint, argumento eſt Ezechias; quòd verò illo non fauente tota medendi ars nihil poſſit, argumento eſt Aſa Rex, qui ex podagra mortuus eſt intra triennium: neque exceſſit 41 ætatis annum, quia, vt dicitur cap. 16. ſecundi Paralip. *Neque in infirmitate ſua quæſiuit Deum, ſed magis in Medicorũ arte confidit.* Ita ergo fidendum arti eſt, vt Deum potiùs quæras: ita verò orandus Deus, vt artẽ non contemnas, quandoquidem & ſancti Dei viri medicamenti vtebantur, ſcilicet, vt commendaretur apud homines medicina vt ſanctum Dei donum.

CAPVT XL.

SEcundo lib. Paralip. c. 21. mors Regis Ioram ita deſcribitur: *Et ſuper hæc omnia, percuſſit eum Dominus alui languore inſanabili, cumque diei ſuccederet dies, & temporum ſpatia voluerentur, duorum annorum expletus eſt circulus, & ſic longa conſumptus tabe, ita vt egeret etiam viſcera ſua, languore pariter & vita caruit.* Hoc exemplo, vt ex aliis multis, cõſtat morbos diuinos, hoc eſt, à voluntate Dei pendentes, habere etiam cauſas naturales, & eandem eſſentiam cum aliis affectionibus: velut hîc Ioram, non tam profectò quod prauis cibis eſt vſus, quàm auertit populum à lege Dei, & occidit fratres ſuos, correptus eſt alui languore inſanabili: tametſi nihil obſtat, quin & ex vitioſo victu is morbus ſit natus, ſed ſi ipſe populum non auertiſſet à Deo, neque occidiſſet fratres, aut minùs erraſſet victu dirigente eum Domino, aut ab eodem victu minùs læſus eſſet, Deo ita volente. nimirum Dei voluntas prior eſt aliis omnibus cauſis, naturales verò non tollit. Morbus hic haud dubiè fuit diarrhœa, ſeu alui profluuium, adeò diuturnum & malignum, vt ad tabem hominem deduxerit, & mortem: non quidem ad eam quæ peculiariter à Medicis vocatur Phthiſis, ſeu tabes. quæ ſcilicet eſt cõſumptio ex pulmonis putreſcentia ortum habens, ſed quæ communi appellatione, ad colliqueſcentiam ſcilicet, & conſumptionem totius corporis. Euenit verò hoc non rarò per malignam diarrhœam: nimirum tabes naſci ſolet ex maligna putredine ſuccorum, ob quam retineri non poſſunt, ſed egeruntur aſſiduè, ſerpente verò ea malignitate

Morbi diuini.

Diarrhœa maligna.

Phthiſis.

tate, & aliis ab aliis ſuccis infectis, euenit nonnunquam nihil manere integrum, ſed ipſum etiam partium rorem malignè putreſcere, & cum aliis egeri ſuccis, & fieri deiectiones colliquatiuas, ipſaſque partes primùm deſtitutas ab alimento tabeſcere, deinde & computreſcere cum ipſis ſuccis, & in ſaniem ſolutas egeri, eas præcipuè, quæ velut ex concreto ſanguine ſubſtantiam habent, vti lienem & hepar: quod euenit miſero huic Regi, & in multis eorum, qui ex diarrhœa mortui ſunt vidimus. Eſſe enim ipſum hepar aut lienem diſſolutum, ac putre quod egeritur, modus ipſe ſubſtantiæ qui conſpicitur in deiectione oſtendit: vt & renis etiam ſubſtantia aliquando diſſoluta mingitur diuturnus verò eſt hic morbus, niſi cùm coniungitur cum febre continua, atque ita durauit huic integrum biennium. Renes mingũtur interdum.

CAPVT XLI.

Tobiæ cap. 8. ita ſcriptum eſt: *Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Cùm diſputatum alibi, atque indicatum in hoc ipſo opere ſit, Angelos nullatenus eſſe corporeos, ſed ſine omni magnitudine merè incorporeas ſubſtantias, magnam dubitationem ingerunt hæc Tobiæ verba. Nam quî fieri poſſit, vt alter alterum apprehendat, religet, & certe quodam loco ligatum manere cogat? nam ne eſſe quidem in loco poteſt quod corporeum non eſt, cùm enim locus æqualis ſit locato quarto Phyſicorum, æquale verò & inæquale tantùm dicitur de magnitudine, conſtat quòd nulla eſt magnitudine, non poſſe eſſe in loco: ſi autem in loco eſſe non poteſt, neque moueri loco poſſit, ferri enim eſt fieri in loco: non poteſt autem fieri quod eſſe non poteſt: quantò ergo minus poſſit apprehendi, & religari? Innumera loca ſunt in ſacris, tam veteris quàm noui Teſtamenti, in quibus dicuntur Angeli alicubi eſſe, & moueri, mitti, accurrere, ſtare, obſiſtere, & multa alia eiuſmodi facere & pati, quorum omnium cauſa, dicendum eſt, quid ſecundùm naturales contemplationes videatur conſentaneum. Angeli ſunt ſubſtantiæ ſine corpore, non tamen ita, vt vniuerſalia ſeparata, intelligimus, quorum nulla neque actio, neque paſſio eſt per ſe; ſed vt ſuppoſita quædam, & ſingularia. omnis enim Angelus eſt Angelus An Angeli ſint corporeæ ſubſtantiæ.

quidam, & hic, vt & quiuis homo. Neque proinde non ſunt eiuſdem ſpeciei multi Angeli, quòd non ſint ſinguli ſuppoſita quædam indiuidua, ſed quòd ſingulorum ſpecies multiplicari non poſſint, ſed ſeruentur in ſingulis indiuiduis, vt ſpecies Lunæ & Solis. Hoc verò ita habet in omnibus rebus incorruptibilibus, ſiue corporeæ ſiue incorporeæ ſint. quia non ſeruantur in multis, niſi quod non poteſt & ſeruari in ſingulis ob corruptionem, quæ proinde defectum ſuum ſimilium compenſat generatione, quorum verò interitus non eſt, neque generatio eſſe poteſt, neque multiplicatio, ſed ſpecies ſeruantur in ſingulis. Itaque Angelus eſt ſuppoſitum quoddam ſubſtantiæ incorporeæ, non igitur vt vniuerſales naturæ dicuntur eſſe, quia eſſentiæ quædam ſunt, non tamen exiſtere alicubi, aut aliquando, ſed omnes aſſertiones, quæ de illis dicuntur, ſunt abſolutæ à tempore & loco, vt diximus, humanitas eſt natura, ratio, ſeu quod quid eſt hominis. nemo tamen interrogat, vbi exiſtit, aut quando niſi per accidens, vt eſt in ſingulis: quia humanitas nullibi eſt ſeparata, neque vllo potiùs tempore eſt quod eſt. eſſe enim dicuntur talia, non exiſtere: non inquam, ita Angeli, ſed cùm ſint ſubſtantiæ quædam ſingulares, & ſuppoſita, accidet eis quædam agere, & pati. Atqui, quoniam virtutis finitæ ſunt, non poſſunt agere vbique & ſemper, vt Deus, ſed alicubi, & aliquando. & quoniam ſine corpore ſunt, non poſſunt eſſe in loco, vt corpora, ſed quoniam alicubi operantur, neceſſe eſt ſint alicubi, modo aliquo nobis ob inexperieatiam paſſionum inſenſibilium, non ſatis intelligibili. Itaque intelligimus Angelos eſſe alicubi; quia alicubi operantur: an verò ipſum alicubi eſſe, aliud ſit quàm alicubi operari, magna eſt dubitatio. Mihi quidem videtur fieri neceſſariò, vt ratione ſint diuerſa, quia in his orationibus, Raphaël eſt in deſerto ſuperioris Ægypti, & Raphaël ligat Dæmonium, prædicata pertinent ad diuerſas categorias, alterum enim ad vbi, alteram ad agere: quapropter ratione ſaltem non poteſt eſſe idem.

Angeli quid ſint.

Verùm Angelus non poteſt eſſe in loco propriè, nam ſiue locus ſit extremitas immobilis corporis continentis, vt fert plurimorum opinio: ſiue id ſpatium quod locati corporis dimenſionibus occupatur, vt ego exiſtimo, quod corpore caret, in loco eſſe nom poteſt, quia neque extremitate circumſcribitur, neque dimenſiones habet; ſed eſt vbi operatur per præſentiam virtutis. vnde fit, vt Angelus in maiori aut minori loco per ſe non ſit, quia per ſe nullam extenſionem habet, ſed per accidens, per magnitudinem ſcilicet corporis in quod operatur. Quia enim non poteſt operare in quantumcunque corpus non

Angelus propriè non eſt in loco.

poteſt

poteſt quantuncunque locum tenere ; ea verò limitatio non naſcitur ex corporis magnitudine , ſed ex operis difficultate. non enim quia Angelus non poteſt tantopere extendi, cùm nullatenus extendatur ; ſed quia non poteſt tanti operis difficultati ſufficere , cùm finitæ virtutis ſit, atque alius alio maioris aut minoris. Quærere verò an ſit minimus locus quem poſſit quiuis Angelus tenere , ita vt non poſſit eſſe in minori, & an poſſit eſſe in puncto indiuiſibili , debilis dubitatio eſſe videtur: quid enim obſtare poteſt incorporeo, quominùs ſit in loco minori? an quod non poteſt adeò ſeſe contrahere, aut alas adducere? Dicere verò venire poſſe Angelum ad adeò exiguum locum , vt operari in minori , ſit maioris difficultatis, inane etiam eſt. Nam aut illa difficultas naſcitur ex operis magnitudine, aut ex applicatione virtutis ad corpus: ex opere minimè, quia poni poteſt , imò verò plerunque erit, minus opus in loco minori: ſi verò ex applicatione, non poteſt eſſe alia difficultas, quàm quòd amplior , latiorve ſit ea virtus , quàm vt poſſit ad tantas anguſtias contrahi. Hoc verò abſurdum eſt cenſere , vbi nulla magnitudo eſt ; non tamen proinde poteſt eſſe Angelus in puncto indiuiſibili, quia vt in controuerſiis Phyſicis ad tyrones indicauimus , punctus re vera nihil eſt , vt neque linea, neque ſuperficies , ſed hypotheſes quædam vtiles ad doctrinam. Eſt igitur Angelus in loco , ſed quia modo alio quàm corpora, maior an minor ſit locus ad eum , nihil facit niſi per accidens , quia maius aut minus ſit corpus circa quod operatur , aut quòd non poſſit mouere tantum, quantum capit tantus locus : exiguitatis loci in quo eſſe poteſt, neque per ſe neque per accidens eſt vllus finis. Hinc etiam fit , vt præter rationem negetur poſſe eſſe duos, aut etiam plures in eodem loco , cur enim ita ? An quia quæ ſunt in loco vt corpora non poſſunt in eodem loco eſſe , neque quæ ſunt vt ſubſtantiæ incorporeæ poſſint. Quid illis obſtat ? corporibus enim obſtant dimenſiones , & repletio ; at Angeli non excludunt corpora, cur excludunt incorporea? quia (dicunt) duæ cauſæ completæ non poſſunt eſſe immediatæ vnius, & eiuſdem rei : non video tamen cur Angelus ſit neceſſariò cauſa completa eius actionis quam obit, ac non potiùs poſſint duo, tres, ac etiam plures, in eandem actionem conſpirare , velut eundem mouere lapidem, non ſecundùm diuerſas partes lapidis , ſed ſecundùm eaſdem & totas. Dicunt , vt fieri non poſſe vt duæ lucernæ in eodem exactè loco exiſtentes vna non fierent , ita neque duos Angelos, vt pote duas virtutes poſſe in eodem exactè loco exiſtere . Mihi tamen videtur res longè diuerſa : nam Angelus faculta-

Quomodo Angelus eſt in loco.

An duo poſſint eſſe in eodē loco.

O 5 tem

tem habet mouendi lapidem , non tamen eſt ipſa mouendi facultas, ſed ſubſtantia quædam & eſſentia , ſecundùm quam non numero ſolùm differunt, vt lucernæ,ſed etiam ſpecie; præterea, neque duos Angelos, qui eodem exactè ſint loco eſt neceſſe eiuſdem actionis eſſe cauſas:poſſent etiam contrarias actiones obire , & in eodem eſſe loco : velut ſi Angelus ſtatuam Apollinis euertere , & Cacodæmon hanc ipſam ſuſtentare contendat. Itaque neque hæc conſequutio valet, Sunt in loco, ergo ſunt cauſæ completæ ; neque hæc, Sunt in eodem loco, ergo ſunt eiuſdem rei cauſæ, neque ſi hæc valeret, eueniret quidpiam abſurdum , aut impoſſibile. Cenſeo itaque multos Angelos poſſe eſſe in eodem loco , vel hoc argumento, quòd corpora noſtra poſt reſurrectionem poterunt in eodem loco eſſe multa quia exuta impedimenta corporalia conditionem induunt ſpirituum. Quantò ergo magis id poſſint ipſi ſpiritus ; nimirum verò ſi multitudo illa ingens Dæmonum, quam vnico ex corpore expulit Dominus (narratur Marci quinto) per diuerſas particulas oberrabat , vt alius in pupilla , alius in palpebra, ſub vngue alius ſe contineret; dicendum quoque eſſe maximā dæmonū multitudinem , quam vnumquodque corpus poſſit capere ; atque adeò pomilionem non capere tot dæmones , quot procerum hominem. Hæc verò quæ neceſſitas cogit dicere: quid verò impediet mox dicere, eſſe Angelos palmares, & cubitales & vlnares. Ob hæc omnia mihi videtur , quod & anteà dictum eſt, Angelos eſſe in locis per ſe, quia alicubi operantur, in tantis autem, aut tantis per accidens, ob magnitudinem corporum in quæ operantur. Locorū verò magnitudinem quam tenere poſſunt , non diffiniri magnitudine corporū , ſed operis quod exercent difficultate vt explicatū eſt : vnde multò magis euenit , vt ſi corporis & loci magnitudo ad eos nihil facit niſi operis augeatur difficultas , multò minus faciat loci figura, ſiue in longum porrectus ſit, ſiue quadratus, ſiue alia quacunque figura, non tamē quia dictū eſt poſſe eſſe multos Angelos in eodē loco, cenſendum etiam poſſe eundem eſſe in multis locis, nam longè alia ratio eſt, quia tametſi Angelorum non eſt magnitudo, eſt tamen numerus, eſtque eorum quiuis vnus, proprius etiam quàm quodcunque corpus , ac proinde non niſi in vno loco eſſe poteſt ; eius verò nullam magnitudinem occupat per ſe, ſed ſolùm per accidens vt explicatum eſt. De modo igitur quo ſunt Angeli in loco hæc videntur probabilia. De modo quo mouentur , ſuccedit ſtatim dubitatio. conſtat enim, quādoquidem neque ſunt vbique neque nullibi, neque eodem ſemper in loco , non eſſe omninò immobiles , quoniam verò

De motu Angelorum.

ſunt

ſunt ſine magnitudine, non poſſunt moueri propriè, ita enim moueri paſſio corporum eſt: ſupereſt ergo eos non moueri per ſe, fieri tamen in alio & in alio loco, aliquo alio modo quàm corpora. Qui ſit is modus, difficile ſanè poſſit à nobis intelligi, cùm non poſſimus cogitationẽ à corporalibus phantaſmatis ſemouere; at verò poſſumus ita diuinãdo pocedere. Quoniam non mouentur per ſe vt corpora, ſupereſt, vt moueantur per accidens, aut aliter mutentur: moueri per accidens dico, quæ mouentur motu alterius rei, velut quæ naui vehitur, mutari verò, quæ in alio & in alio loco fiunt: non tamen per ſucceſſiuam illam, & continuatã loci commutationem quam motum vocamus. Primo modo mouentur Angeli, cùm volunt humanas actiones imitari, ac cum hominibus conuerſari, vt Raphaël cum Tobia, aut cum Abrahamo, qui ad delendam Sodomam properabant, & Gabriel cùm miſſus eſt in Nazareth alloquuturus Deiparam virginem, & Hieroſolymam, Zachariam; nimirum aſſumunt tunc temporis tenuia corpora, ex aëre aut igne, mouentque illa vt volunt, atque cum illis vtpote quibus hæſerunt mouentur per accidens, ſine corporibus verò poſſunt fieri in alio ex alio loco, neque inſumẽtes in eam mutationẽ tempus, neque dimetiẽtes ſpatium, ſed mutatione non quanta vt ipſorum ſubſtantia eſt. At verò neceſſe, quo in alio fiant loco, vt in priori eſſe deſinant: ſiquidem non poſſunt eſſe in duobus locis ſimul, vt dictum eſt: incipiunt verò eſſe in loco per primum eſſe, & deſinunt per primum non eſſe, iuxta conditionem formarum omnium, quæ comparantur inſtantaneè, ac ſine ſucceſſione. Itaque primum inſtans quo Angelus eſt Romæ, verbi gratiâ, eſt primum quo non eſt Madriti. Fieri verò etiam poteſt, vt hæc Angeli mutatio ſucceſſiua ſit, & continuata, ac tempus inſumat, non quidem per ſe, & ob ipſius mutationis modum, ſed ob continuitatem ſpatij, cùm ſcilicet Angelus partes omnes medij commouere vult, velut ſi hinc Romam abiens, partes omnes aeris in via poſitas commoueat: fiet enim tunc temporis continuata, & neque momentanea, neque intercisa mutatio: vt generatio etiam ſubſtantiæ nonnunquàm fit ſucceſſiua ob materiam, vt cùm admota vni extremitati ſcintilla, decurrit flamma per totam ſtupam Aliter vero nõ videtur mihi, temporalem & continuatam mutationẽ efficere poſſe Angelus. Si enim rectè Ariſtoteles *dicit* quodcunq; corpus ferretur per vacuũ, latũ iri in inſtanti, quia omnis tarditatis, ſeu moræ cauſa eſt in reſiſtẽtia, cur non etiam incorporeum per plenum. Nam cur magis poſſit plenum incor

Quo modo mouētur.

Angelus nõ poteſt eſſe in duobus locis ſimul.

incorporeum, quàm vacuum corpori reſiſtere ? ſi cui verò ob rei difficultatem videtur inopinabile eſſe, à re quapiam quæ virtutis finitæ ſit, fieri mutationem inſtantaneam, is tenebitur meo iudicio dicere, Angelos nunquam moueri poſſe niſi aſſumptis corporibus, aut commotis omnibus ſpatij partibus. Quæ hæſitationes magnæ illæ quidem, tam multos, atque adeò inſignes Philoſophos impulerunt dicere, Dæmones omnes eſſe corporeos. Verùm quandoquidem multis aliis argumentis indicatum anteà eſt,eos corporeos non eſſe, ſolùm ſupereſt opinemur,Angelos dictas habere mutationes, inſtantaneas per ſe, & ſucceſſiuas per accidens, aut nullatenus moueri poſſe niſi per accidens, & aſſumptis corporibus, aut agitatis omnibus medij partibus,quæ in via poſitæ ſunt. vtrum horum potius ſit Deus nouit. Ego enim vel de rebus ſenſibilibus vix quidquam affirmo, nedum de his quæ tam longè à ſenſibus poſitæ ſunt: vtcunque verò hoc habeat, quandoquidem poſſunt vno eſſe in loco, atque eo relicto in alium tranſilire,cohiberi etiam poſſunt imperio Dei quominùs loco exeant,quod quidem eſt firmiſſimo vinculo religari. Nam tametſi diabolus imperiũ Dei quo ad poteſt detrectet, tamen neque loco exire, neque aliud quidpiam facere, neque omninò eſſe poteſt niſi Deus eius actionis, aut vitæ velit cauſam primam ſe exhibere. Nolle igitur Deum illum inde exire, inſuperabile vinculum penitus eſt.Tale igitur imperium Domini exequutus Raphaël, *apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperiori Ægypti.* Poſſunt etiam ipſi dæmones ſeſe continere in palla annuli, & vitreo vaſe, & vbi alibi: atqui peracto mundi iudicio, omnes detinebuntur in horrendis illis cauernis à quibus exire virtute Dei in æternum prohibebuntur. Huiuſmodi ſunt omnia quæ de Angelorum,ſiue motu, ſiue viſibilibus miniſteriis, legimus in ſacris eloquiis. Honor & gloria ſit Angelorum opifici Amen.

Dæmones includuntur.

CAPVT XLII.

TObiæ c.2. ita ſcriptum eſt: *Contigit autem vt, quadam die fatigatus à ſepultura veniens in domum ſuã,iactaſſet ſe iuxta parietem,& obdormiſſet,& ex nido hirundinũ dormiente illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos eius, fieretque cæcus.* Rurſum c.10. ita habetur: *Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui, & ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horã,& cœpit albugo ex oculis*

tum, quaſi membrana oui, egredi quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatimque viſum recipit.

His verbis narratur cauſa externa ſeu occaſio cæcitatis Tobiæ, & ipſius affectionis ſpecies, & curatio: conſtare verò facilè poteſt, etſi hæc Deo ita permittente, maioris cuiuſpiam vtilitatis cauſa acciderint, facta eſſe ſecundùm naturam. Primùm quidem iuxta naturam eius auiculæ contigit is euentus: nam ſemper nidificat hirundo ſuper domorum parietibus, & vt naturales narrant, cacat ſemper extra nidum auerſo podice, atque perinde facere docet ſuos pullos. Itaque meritò euenit, vt iacenti ſupino iuxta parietem, ſtercus hirundinis inciderit in oculos: ſed & vt excæcaretur. Nam videmus oculos partem eſſe adeò delicatam, atque tam leuibus de cauſis nonnunquam hos morbos contrahere, vt admirationis nihil præſtet, ſtercus hirundinum calens actu, in ambos ſimul oculos incidens, albuginem feciſſe; non quidem (vt arbitror) quòd vlla proprietas illi ſtercori ſit, eo modo oculis aduerſa, ſed ob qualitatem manifeſtam. De hirundinis ſtercore.

Sunt qui proprietatem obcæcandi tribuant excrementi eius auiculæ: idque duobus argumentis. & quia is morbus familiaris illi eſt, à quo illa cenſetur ſuos pullos liberare vſu chelidoniæ herbæ, quæ ab illa nomē traxit, & quia cinis capitum eiuſdem commendatur ad extergendum oculorum albugines & cicatrices, & vocata pterygia. Non videntur autem hæc duo argumenta omninò leuia. Nam morbi contingunt animantibus ſecundùm naturam ſuccorum quibus aluntur: alimenta verò ſymbolum habent cum excrementis. Porrò nihil magis cognitum experimento, quàm animalium partes vtiles eſſe ad eos morbos curandos, quos ſua excrementa efficiunt, ſiquidem curamus carnibus viperæ, quos ea momordit, & ſua ſaliua infecit, & demorſis à cane rabido cenſetur auxiliari, iecur canis qui momordit, & ictos ab ſcorpione ſanat ipſe ſcorpio ſuperpoſitus Verum ego vbi manifeſta eſt cauſa, non libenter confugio ad iſtas occultiores. Nimirum ſtercus earum auicularum calidum ſatis eſt & ſiccum, accederetque calore actuali, vim habet rubrificandi, atque nonnihil exurendi, vt & ſtercus columbinum. Incidens ergo in oculos, partem ſenſus adeò acris, exuſſit nonnihil extremam membranæ ſuperficiem, & conuocata præ dolore fluxio eſt & genita albugo. Eſt enim albugo, quædam cicatrix in ipſa oculi externa membrana orta. fit verò cicatrix, aut curanda ruptura, aut per vſtionem (relinquuntur enim etiam cicatrices ex inuſtionibus) ita igitur facta in oculis albugo eſt, quæ hominem excæcauit. Albugo quid.

Hanc

Hanc ſententiam iuuant illa ſacri contextus verba, *cùm calida ſtercora inciderunt in oculos eius.* innuunt enim id feciſſe ſtercora potiùs quia calida, quàm quia talia. Ego certè non ſolùm non crediderim excrementa hirundinis proprietate excæcare, ſed putauerim, ad extergenda quæ pupillæ innaſcuntur eſſe vtilia in collyriis. ſiquidem & columbinum ſtercus commendatur, & lacertinium, quia vim habent valde extergentem, & nonnihil exedentem: quæ etiam ineſt fimo hirundinis, & turturis, & ſimilium auicularum. Putauerim ergo ſtercora hirundinis, quæ calida incidentia in oculos hominem excæcarunt, potuiſſe adiumento eſſe, ſi tenuiſſimè trita in dote, & diluta aqua eſſent oculis admota, vt colũbæ ſtercora ſolent: vt etiam hæc ſi calida in oculos inciderent ſine vlla lotione atque omninò ſine correctione, excæcarent. Sanatus verò eſt illito felle cuiuſdam piſcis Qui piſcis fortaſſe fuerit, qui vocatur Græcis Callionymos, id eſt, pulchri nominis, qui idem, vt Plinius author eſt, vocatur Vranoſcopus, quòd habeat oculum inſignem in capite quo cœlum ſpectat; aut Hyena, quia cùm ad extergendas albugines inueteratas nihil magis à Medicis omnibus celebratum ſit, quàm fel, inter omnia eius genera omnium maximè commendatur, datur fel Callionymi piſcis, & mox Hyenæ. Galen. 10. de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap. 12. ita inquit: *Porrò quorundam animalium ſingulariter bilis à Medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum & ſuffuſionum initia digerat, velut piſcis quem vocant Callionymum, Hyena, & ſcorpij marini, tum galli & perdicis* Itaque primas defert Gal. hac in re bili Callionymi piſcis, ſecundas Hyenæ. Plin. quoque cap 7. lib. 32. ita ſcripſit: *Callionymi fel cicatrices ſanat, & carnes oculorum ſuperuacuas conſumit. nulli hoc piſcium copioſius, vt exiſtimauit Menander in comœdijs.* Itaque dicit Plin. & ex ſua, & Menandri authoritate huic piſci fel eſſe copioſius, quàm vlli aliorum, idque albugines ſanare.

Oculis exedentia. — *Callionymi piſcis natura.* — *Hyena & ex ea remedia.* — *Felis vires.*

Idem dicit Ælianus, idem & Odoardus Oxonienſis, qui diligentiſſimè ſcripſit nuper de animalium differentiis. Ælianus libro decimotertio, capite quarto, ex Ariſtotelis ſententia dicit Callionymo piſci in iecore magnum fel ſitum eſſe. quod etiam confirmat ex ſententia Menandri, & anaxippi. Veriſimile itaque eſt hunc eſſe quem Tobias è Tigride flumine traxit, & exenterauit: quandoquidem, vt iidem authores narrant, eſt voraciſſimus, & carniuorus, aſpectu immanis, nam eſt ſerratis dentibus, oculos habens in ſummo vertice, & os inter oculos ſitum. Quapropter non mirum ſi puer rerum inexpertus, territus eſt ignotæ formæ intuitu piſcis irruentis quaſi ad

Callionymi forma.

de

deuorandum: nam impetebat vt voraciſſimus & carniuorus. Huc accedit, quòd, vt Ariſtoteli placet, eſt litteralis & ἡμερό-κοιτ☉ hoc eſt die dormiens, nocte exiens & oberrans. Cùm ergo totam diem egiſſent iter, prima manſione ad noctē manſit iuxta Tigrim, & cum tunc vellet defatigatus ex itinere pedes lauare in littore, exiens irruit immanis & littoralis piſcis vt voraret. Neque obſtat quod Opianus Pelagium vocat, neque quòd Plinius in marinis ponit, quominùs eſſe poſſet in prægnagno fluuio, quia id non adeò cõuenit inter authores, & quia etſi marinus ſit, potuerit refluere ex mari, cùm præcipuè Plinius dicat, Euphratem & Tigrim mirum in modum ſtagnare: per ſtagnantem verò fluuium faciliùs retroceditur. Controuertitur etiam an ſit eſculentus, aliis dicentibus, aliis negantibus: verùm ſi hic eſt quem apprehendit Tobias, eſculentum eſſe magna authoritate probatur, ſiquidem aſſarunt, & ſalierunt, vt eo veſcerentur in via. Sed ſiue hic fuerit ſiue alius (hoc enim certò ſcire non poſſum) non dubium multorum piſcium ac fortaſſe omnium, fel vtile eſſe plus aut minus (non enim omnium æquè) ad extergendas albugines. Nam vt dicit Galenus loco citato, à cuius ſententia nullus Medicorum hac in parte diſcrepat, ſuccus hic vim habet valenter extergendi, qua facultate & albugines, & vocata pterygia, ſeu vngues, exedit. Plinius lib. 23. c. 11 de ocularium morborum curatione agens inquit: *Ad omnia autem inueterata fel efficacius putant.* Itaque omnia hæc per naturales cauſas euenerunt Tobiæ, permiſſu tamen Dei, qui primum quidem virum ſanctiſſimum morbo tanto probari voluit, deinde medicamen idoneum, cùm ſibi placitum eſt, reuelauit, & in maiorem ſui gloriam auxit vires medicamenti: vt hinc euidenter conſtet, eam etiam ſanitatem, quam Medicorum induſtria recipimus, eſſe in Dei benignitatem referendam, qui illis pro re præſenti idonea indicat medicamina.

CAPVT XLIII.

Cap. 8. lib. Iudith, mors Manaſſis mariti Iudith, ita narratur: *Vir eius fuit Manaſſes, qui mortuus eſt in diebus meſſis hordeaceæ. inſtabat enim ſuper alligante manipulos in campo, & venit æſtus ſuper caput eius, & mortuus eſt.*

Tametſi neque cauſa externa, neque omninò cauſa vlla poteſt interficere per ſe, neque lædere quidē actiones, vt maxima De Manaſſis morte.

ac præcipua pars Medicorum cenſet, ſed morbum inferendo, à quo actionum læſiones primùm, deinde & mors proueniat, cùm tamen ea maxima eſt, & nimis diligens ſermo intempeſtiuus, dicere ſolemus ab ea mortuum eſſe hominem, vt Aſclepiadem ſcalarum lapſu, Anacreontem multo vino: ita hunc Manaſſem multo Solis æſtu. Verum & ſcalarum lapſus, & vini potus, & longa mora in Sole, lethales illis hominibus morbos intulerunt: primùm quidem mora in Sole fecit calidam capitis intemperiem, id enim ſignificat illa verba. *Venit æſtus ſuper caput eius.* Conſentaneum verò eſt cenſere, eam non fuiſſe quam Medici vocant nudam intemperiem, ac ſine ſucco, non enim fuiſſet adeò lethalis, ſed cum ſucco, natúſque fuerit ex calore morbus alius vt Phrenitis niſi fortè mortuus eſt repente (vt diximus nonnullos afferri ex meſſibus) fueritque facta Apoplexia, obſtructis meningibus & toto cerebro à conuocato in caput confertim ſanguine. Quantum verò poſſit qui in corporibus præerat apparatus, vt externæ cauſæ plurimum obeſſe poſſint, aut minimum hinc diſces, quòd cùm eorum qui alligandis manipulis inſudabant læſus fortaſſe fuerit nullus, hic qui illis tantùm præerat mortuus eſt.

Aſclepiadis & Anacreõtis mors.

Æſtus noxa.

CAPVT XLIV.

IOb cap. 7. Dominum ita alloquitur: *Quare poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis?*

Quæ verba hominis naturam quam poſt corruptionem primi peccati habet, optimè declarant: ſiquidem conqueritur eſſe ſe poſitum contrarium Deo, hoc eſt ſentire ſe (vt inquit Paulus) aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi Dei, ob hanc ipſam cauſam, eſſe ſibimet grauem, ac moleſtum. Igitur eſt homo naturaliter contrarius Deo, & ſibiipſi, quod ſi ita eſt, conſtat eſſe hominem Deo ſimilem, & contrarium: non poſſunt autem contraria ineſſe eidem ſecundùm idem; inſunt ergo ſecundùm diuerſa. Sunt ergo in homine duæ partes, altera ſecundùm quam in bonum fertur naturaliter, atque ſecundùm legem Dei operari expetit, altera quæ naturaliter etiam fertur in malum, & Dei legi repugnat, videtúrque quiuis homo hanc repugnantiam in ſeipſo experiri. Nam optimus quiſque habet ſtimulum carnis, quo colaphizatur; malus verò neque ipſe eſt ſponte malus, ſed, vt dicitur Prouerbiorum 12. *vult & non vult*

Hominis & Dei contrarietas.

pigeri

piunt. Vterque autem, & bonus inquam, & malus, vult, & non vult, bonus quidem bonum vult, quodammodo autem non vult: malus vult malum, quodammodo autem neque ipſe vult. Quo pacto autem poteſt velle, & non velle, niſi habeat duplicem voluntatem; habet ergo homo voluntatem duplicem, alteram naturaliter propenſam in bonum, & honeſtum, alteram in delectabile, etſi ſit inhoneſtum. expetit verò voluptates, omnem dolorem refugit. Nam ipſa voluptas in doloris exolutione habet eſſentiam: refugit verò naturaliter dolorem totum corpus, atque omnis agnitio corporalis. Omnis ergo corporalis agnitio capitur voluptate. igitur honeſtatis & iuſtitiæ, atque diuini cultus cura, eſt in alia parte præſtantiori & minimè corporali, quare & incorruptibili, qua generatio & corruptio paſſiones corporum ſunt, ſicut & motus. Porrò, quandoquidem ſunt in homine duæ partes, & voluntates duæ, neceſſe eſt alteram eſſe altera præſtantiorem, alioqui nihil potiùs ſequeretur homo, ſed diſcerperetur ſemper, eſſetque non vnum verè, ſed quaſi hominem bicipitem intelligas: atque contineretur ſemper in perplexitate, neque conſultaret, ſed vtraque ferretur in ſuum obiectum, neutra alteri cedens: nunc autem eſt verè vnum, & conſultat, eſtque alius bonus, alius malus. Neceſſe eſt ergo vt vtraque aut altera potentia libera ſit, vt poſſit ſi velit alteri cedere, aut non cedere, alioqui neque bonus neque malus eſſet quiſpiam, ſiue hæc vinceret, ſiue illa, ſi neutra libenter cederet. Nam ob ea quæ inſunt nobis natura, neque laudamur, neque vituperamur: nunc autem & laude, & vituperio, & pœna, & præmio inueniuntur omnium hominum conſenſione, qui digni ſint: igitur eſt altera aut vtraque voluntas libera. Vtraque quidem eſſe non poteſt, quia eueniret ſæpe, vt neutra vellet alteri cedere, aut vtraque alteri. Vtrumuis horum fieret, non eſſet penes hominem libertas, neque poſſet ſequi hoc, neque illud, eſſentque multæ actiones earum, circa quas vitium & virtutem eſſe omnes homines fatentur, in quibus neque laudari, neque vituperari homo meritò poſſet: at verò non ita eſt, ſed talia omnia liberè gerit, & de omnibus eiuſmodi actionibus laude & vituperio dignus eſſe iudicatur, dum ſanus eſt, & mente conſtat: igitur & naturaliter & per ſeſe (ſiquidem in bene naturaliter diſpoſito) altera dictarum voluntatum libera eſt. Neceſſe eſt autem eandem eſſe liberam & dominam, alteram verò ſeruam, ſiquidem hoc ipſum, non poſſe aliter facere ac facias, dominationi repugnat. Igitur neceſſe eſt dictarum voluntatum præſtantiorem eſſe liberam, & natura dominam, deterio-

Voluntas duplex.

Liberum arbitriũ.

rem verò eſſe natura ſeruam : atque ſi homo velit, trahi poſſe. Hac cauſa, & quia homo hac libertate arbitrióque differt ab aliis animantibus, Plato in dialogo de hominis natura, parti illi præſtantiſſimæ & penitus incorporeæ, quæque dominatur corpori, & illo vtitur, poteſtque il bene aut malè exequi pro ſuo arbitratu (quam nos mentem vocamus) nomen hominis tribuit: corpus verò, & corporea omnia, non hominem, ſed hominis quædam eſſe dicit. Nos verò mentem eſſe dicimus præſtantiſſimam hominis partem, per quam à brutis ſeparatur, ficque liber, & ſuarum actionum dominus, virtutis & vitij capax, & diuinarum rerum contemplator. Hanc humanæ naturæ dignitatem indicauit Deus ipſe Cain (cap. 4. Geneſeos) his verbis: *Nonne ſi bene egeris, recipies, ſint autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit; ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Appetitum peccati vocat eam hominis partem ſecundùm quam conqueritur Iob, eſſe ſe poſitum contrarium Deo, & ſibiipſi grauem; & quam Paulus dicit ſentire ſe in membris ſuis, legem repugnantem legi Chriſti: nimirum lex Chriſti vocat nos in amorem contemptus, & vilitatis, & inopiæ, & laborum: appetitus peccati in ſuperbiam, faſtus, abundantiam & voluptates. Hunc appetitum peccati, edicit Dominus Cain ſub ſua eſſe poteſtate, eſſeque cum illius dominum Secundùm alium igitur appetitum præſtantiorem, rationalem ſcilicet, quæ ipſa mens eſt incorporea, ſeparabilis, & æterna. Conſtat ex dictis, penes bruta nullam libertatem eſſe poſſe, ſed moueri ſemper pro ratione obiecti quod ſeſe offert. quòd ſi quando videntur quod præſens eſt deſpicere & quaſi præſtantius aliquid cogitantia ad aliud conuerti id quidem ex deliberatione & arbitrio non naſcitur (etſi nonnunquam ita videtur intuenti) ſed euenit, quia obiecit ſeſe terriculum aliquod in memoria, vt fortaſſe verberum, aut iucundius irritamentum in imaginatione; vt prædæ: neque enim hæc priuauit Deus internis ſenſibus, per quos & memoria præteritorum, & ſpe futurorum commouentur; ſed ſapientia, quæ diuinarum & humanarum rerum eſt ſcientia, cum virtute neceſſariò coniuncta: quare & cum libertate. Cùm igitur Medici animales motus appellant actiones voluntarias, non quaſi liberas intelligendum eſt, ſed quaſi ex appetitu cum ſenſu profectas. Dico cum ſenſu, quia in rebus inanimis appetitum quendam ponunt Phyſici, quem vocant naturalem, quem naturalem impetum videntur mihi meliùs appellaturi. Itaque differerentia propria hominis, eſt ſapientiæ eſſe capacem: atqui quoniam ſapientia cum vera virtute coniuncta neceſſariò

Appetitus peccati.

Bruta libertate carent.

Hominis differẽtia propria.

eſt,

eſt, & hæc cum Dei timore, omnium optimè definiuit hominem Eccleſiaſtes in verbis vltimis ſuæ concionis, dicens: *Deum time & mandata eius ſerua. hoc eſt enim omnis homo*: quod nihil aliud eſt dictu, quàm homo; homo enim eſt animal capax ſapiētiæ veræ, quæ in timore Dei & legis eius meditatione cōſiſtit, quantò autem propiùs accedat ad hominis eſſentiam differentia hæc quàm rationale, inde intelliges, quod vt alibi indicauimus bruta omnia, rationabilia etiam quodammodo & circa quædam ſunt, & intelligentiam quandam habent; ſapientiæ verò nullatenus ſunt capacia: itaque hominem eſſe animal ſapientiæ capax multò cum minori ambiguitate dicitur, quam animal rationale. Quare propriam hominis naturam definitio hæc continet. Vita verò eius qua homo eſt (qui eſt ſecundus eius actus, & qui ex propria natura fluit) eſt militia ſuper terram. Nam ſecūdùm ſapientiam operari, ſeu ſapienter agere, eſt irrationalibus affectibus repugnare, atque appetitum peccati, ob quem conqueritur Iob factū ſe eſſe ſibiipſi grauem, coērcere, vt rebellem ſeruum: qui enim contra facit, ac libertate ſuas abutens illi obedit, fit ſimilis iumentis inſipientibus, ac comparatur illis, quia viuit vt illa. Neque tamen ob hæc cogunt argumenta Platonis fateri, hominem nihil eſſe aliud quàm animam, corpus verò non hominem, ſed hominis aliquid: ille enim in Alcibiade primo, ſiue de natura hominis, ita argumentatur: *Neceſſe eſt aliud ſit id quod vtitur, & aliud quo vtitur, & aliud quod imperat, & cui imperatur, vt aliud eſt cerdo qui inſorio vtitur, & aliud inciſorium quo vtitur; aliud quoque dominus, aliud ſeruus. vt verò cerdo, & inciſorio dicitur incidere & manibus: vt manus autem, ita & pes, & oculus, atque corpus totum, eſt res qua homo vtitur: homo igitur, & eſt aliud à corpore, ſiquidem corpore vtitur, & eſt res illa quæ corpore vtitur: at verò anima vtitur corpore, homo igitur ipſa anima eſt. Nam* (inquit) *homo eſt anima, aut corpus, aut ambo ſimul. corpus non eſt, quia corpore vtitur, homo verò eſt qui vtitur: ſed neque ambo, quia ſi duorum alterum non vtitur, neque ambo vtuntur: ſupereſt vt homo anima ſit.* Eodem modo concluditur hoc argumentum, ſiue dicas vtitur, ſiue imperat, ſiue dominatur: nam ipſum vti imperio agitur, imperat enim cerdo manui, & inciſorio, hæc verò obſequuntur tracta. Itaque Plato ob hæc cenſet, hominem animam ſolam eſſe re vera, & in dialogo dicto, & 12. de Legibus, dicens re vera vnumquemque noſtrum animam immortalem eſſe, corpus verò aliquid illius, vt veſtem, aut loricam, cui conſonum etiam eſt poſſe commutare corpora, fierique vt quæ anima hu-

Bruta quomodo rationabilia.

Homo an ſola anima.

Palyngeneſia. mano vſa eſt corpore, in palyngeneſia (quam ille vt Pythagoricus profitetur) induat equinum, leoninum, ſuillum, aut piſceum quodcunque accommodatum ſit moribus, quibus ſeſe in ſuperiori vita imbuit: non aliter ac ſi cerdo, ac ſutoria arte per negligentiam vacans, in fabrili ſe exerceret, deponeret poſtremo acum & inciſorium, acciperetque ſerram & malleum. nimirum conſtat quibuſcumque moribus aſſueſcat, fieri animi ad eos propenſionem, vſque adeò, vt quantò diutiùs aſſueuerit, tantò difficiliùs poſſit ſe quiſpiam ad alios transferre, & illa libertas qua hominem natum eſſe diximus, videtur perire. Qua cauſa Stoici homines, atque adeò & omnes Philoſophi (etſi non omnes æquè) affirmauerunt, ſtultos eſſe ſeruos, & ſapientes liberos. atque Dominus noſter dicit, hos ſeruire mammonæ. Idémque octauo Ioannis, *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*. ſunt innumera alia oracula in ſacris, quæ hoc ipſum innuunt. cùm ergo videatur anima conſuetudine mutare naturales appetitus & propenſiones atque vnicuique videatur animantium tributa corpora ſecundùm ſuos mores (rapacibus enim vngues acutos, firmos & curuos; voracibus, dentes & capacem ventrem, & inteſtina minimè flexuoſa, ferocibus cornua dura; fugacibus longiora crura) conſentaneum cenſet Plato, & mutatis animabus quas ſolas homines eſſe cenſet, commutari corpora, atque hanc cenſet eſſe brutorum generationem in Timæo: & decimo de Republica, ſiue de Iuſto, cenſet hanc eſſe impiorum pœnam, quò quidem videtur ſpectare illa comminatio Pſalmi trigeſimi primi, *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*. & illa imprecatio. *In chamo & fræno maxillas eorum conſtringe qui non approximent ad te*. Verum hæc omnia Platonis dogmata plauſibilia magis ſunt quàm vera, & Poeticè magis quàm Phyſicè colliguntur. nam habitus longè alia res eſt quàm natura: facitque habitus propenſiones contrarias, natura manente. Neque quidpiam tam diſſentaneum, quàm hominum brutorúmque eaſdem eſſe animas, aut animarum ipſarum, in alias animas fieri mutationes. non eſt ergo ita, ſed quantumuis habitus difficultatem ingerat efficiendi contrarium, vt auaritia erogandi, luxuria continenter agendi, tamen quia natura non mutatur, quia natura liber. & ſuarum actionum dominus effectus eſt homo, liber neceſſariò manet poteſtque ſeſe in alios transferre mores, ſi velit; tametſi difficilius multò eo, quam niſi deterioribus aſſueuiſſet. Atque peccati vocatur ſeruus, non quòd non poſſit illi imperare, ſed quia obedit voluptate deuictus, quia (vt dicitur in ſecunda epiſtola Petri) *à quo quis deuictus eſt, eius eſt ſeruus*. appel

Stulti ſerui.

Habitus & naturæ differentia.

Serui peccati.

appellationes verò belluarũ accipit, non ob naturæ vllam mutationem, ſed quia ob belluinos mores comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis. Pſalm. 48. Neque ſanè homo ipſa anima eſt, ſiquidem eſt animal, quapropter & corpus tale, animarum ſcilicet. neque quidquam habet abſurditatis idem imperare ſibiipſi, & vti ſeipſo, & eundem a ſe ipſo domari, vinci, & coerceri, eundemque ſibiipſi repugnare. nam & lapides quoque & metalla, & inanima omnia corpora, per ſeſe mouentur, quo illa ſua fert natura, grauia deorſum, leuia ſurſum. vt alibi monſtrauimus: neque ſunt hæc abſurda, quia etſi inſunt hæc eidem, non ſecundùm idem. ſed ſecundùm animum alia, alia ſecundum corpus, ex corpore verò & animo conflatum animal homo eſt, qui ſe pro ſuo arbitratu gerit. nam tametſi anima imperat corpori, & ratio appetitui, propriùs autem dicitur homo imperare, quia actiones ſuppoſitorum ſunt; vt tametſi oculos videre dicitur, propriùs autem ac priùs, homo videt. Itaque & mens imperat corpori, & homo: mens tamen homo non eſt, ſed pars hominis, per quam ille imperat. Vt homo videt & oculos videt, non tamen oculus homo eſt, ſed pars hominis, per quam videt: ita etiam corpus repugnat rationi, ſed & homo eſſe repugnat rationi ſecundùm corporalem appetitum, quapropter multò meliùs, ac exactiùs quàm Plato dixit Iob, factum ſe eſſe ſibiipſi grauem Nimirum homo ſecundùm duplicem, qua eſt, naturam, pugnat ſecum & reſiſtit ſibiſpſi. Pulcherrima eſt illa comparatio, quam Ariſtoteles innuit capite vltimo primi Ethicorum. Nimirum duo animæ appetitus, ſunt vt duo corporis latera, atque vt cùm quis remiſsè vnum mouet in alterum fertur, ita qui remiſsè vtitur ratione, incontinenter fertur in appetitiones, & qui remiſsè appetit, fit continens: eſt verò ratio vt latus dextrum firmiùs, fortiúſque, & quod ſi velit contendere, poteſt alterum trahere Adhuc etiam videri poſſit alicui appetitus peccati, neque ſub mente, neque ſub homine eſſe, neque hominem poſſe illi dominari, cùm eſt malus; ſed neceſſitate quadam, vbi qui malus fit, in deteriora ferri Eam (dicunt) vt febris phrenitis, & hydrops morbi ſunt corporis, ita luxuria, iracundia & auaritia, morbi ſunt animi, vt ergo non poteſt qui ægrotat corpore morboſos appetitus cohibere, vt ſitim febricitans aut hydropicus, & furorem phreneticus: ita neque qui ægrotat animo, poſſit cohibere appetitus irrationales, qui peccatorum appetitus ſunt, alioqui (dicunt) non ægrotet. neque igitur (dicunt) pœna quiſpiam dignus ſit ob peccata, ſed perinde ſit furem verberare quòd furetur; ac ſi febricitantem verberes quòd

Dextri perfectio.

Morbi animi & corporis.

febricitet, vtrumque enim inuito ineſt, & per morbũ, illud animi, hoc corporis. Hæc videri poſſint leuiter conſideranti probabilia? ſunt tamen ſophiſtica & inepta. recipio enim, luxuriã, auaritiam, & iracundiam, morbos eſſe animi, non minùs quàm febrẽ, hydropiſim, phrenitidem corporis, atque adeò vt ex his ſitim & amentiam, ita ex illis libidinem, iram & aliarum rerum cupiditatem naſci, atque adeò non magis poſſe luxurioſum non prurire libidine, & iracundum ira intumeſcere, & auarum appetere aliena, quàm febricitantem, & hydropicum non ſitire, & phreneticum non inſanire. Quid tunc poſteà? an proinde non eſt dominus ſuarum actioum vterque? abſit. Nam & febricitans & ſitiens poteſt non potare, auarus & concupiſcens res alienas, poteſt non furari. quapropter meritò fur verberatur, non quia auarus, ſed quia furatur, vt febricitans reprehenditur, non quia ſitit, ſed quia intempeſtiuè potat. Peccatum verò non eſt in concupiſcentia, ſed in facinore, aut certa voluntare committendi. non enim laude dignus minùs eſt, qui cùm ſit natura libidinoſus, non agit quidpiam petulanter. quàm qui talis non eſt: imò magis etiam fortaſſe aliquando, quia *virtus in infirmitate perficitur*, vt inquit D. Paulus, 2. ad Corinth. & virtus verſatur circa difficilia, vt inquit Ariſtot. 2. Ethic. Eſt igitur in noſtra poteſtate, non ille irrationalis appetitus, qui naturaliter exurgit ex noſtræ naturæ corruptione, quam ſæpe ipſa elementorum & humorum temperies auget, ſed qui verè eſt appetitus peccati, hoc eſt, vera & certa deliberatáque voluntas aliquid contra Dei Opt. Max. legem committendi. quapropter vbi in decalogo dicitur, *Non concupiſces res alienas*, non ita eſt accipiendum, quaſi qui concupiſcentiam habet rerum alienarum in peccato ſit, etiam ſi nolit, quamquam poſſit, furari, ſed is ſolus qui vult furari ſi poſſit: hæc enim voluntas eſt appetitus peccati. ille prior appetitus ſine culpa eſſe poteſt, quia ex morbo naſcitur, vt ſitis ex febre. Vt igitur febricitanti nullus Medicus imperet, noli ſitire, ſed noli potare etſi ſitias: peccat verò in Medicum non qui ſitit, ſed qui potat, aut vult potare, quidquid Medicus iubeat; ita in Deum, non qui vtcumque concupiſcat aliena (nam qui poſſit non concupiſcere aurum inops, aut auarus;) ſed qui velit furari ſi poſſit, quidquid Deus imperet. vnde conſtat, nos natura dominos eſſe appetitus peccati, etiam cùm mali ſumus, etiam ſi vitio & culpa ſimus ſerui peccati. conſtat quoque totam bene viuendi normam eò redigi, vt Deum timeamus: quandoquidem tota boni iuſtique regula, in Dei, vtpote rerum omnium Domini, voluntate conſiſtit, peccatum verò in accuſatione, ſed (vt hæc apertiùs eloquar) poteſt

Cõcupiſcentia, nõ eſt peccatum.

teſt quiſpiam eſſe libidinoſus, aut iracundus naturâ, aut habitu, atque vtcumque ſit talis, propenſus erit ad Venerem, aut iram. Intereſt verò multùm, nam quorum natura tantùm eſt talis, neque pœnæ, neque reprehenſione dignus eſt, quia neque vituperari neque laudari quiſpiam debet, ob id quod naturâ illi ineſt quin potiùs ſi rectè agit, talis cum ſit maiori eſt dignus præmio: qui verò talis eſt ſecundum habitum. reprehenſione & vituperio dignus eſt, quia in ſua poteſtate fuit eius habitus principiũ ſed ſi ne tunc quidem exerceat Venerea, aut iraſcatur, non eſt dignus pœna, quia peccatum in actione eſt, in habitu vitium ſolùm. poteſt verò iniuſtus non iniuſtè agere, etiam ſi non ſtatim ac vult poteſt habitum commutare, ſed longa aut magna exercitatione opus eſt. Culpa itaque iniuſti, quod talis ſit, ſolum eſt in principio, quòd iniuſtè agat in ipſa voluntate, quæ actiones noſtras ſemper comitatur. Quod diſertè docuit Ariſtoteles cap. 5. tertij Ethic. dicens: *Verum non ſimiliter noſtra ſponte actus ac habitus fiunt: actuum enim à principio ad finem domini ſumus ipſa ſingula cognoſcentes, habituum verò principium.* Igitur punitur fur non quia fur eſt (quanquam hoc quoque ſi habitu conſtat eſt vituperabile) ſed quia furatur: vt neque reprehenditur febricitans quia febricitat, neque quia ſit (tametſi vituperatur, etiamſi ob prauum victum in eum affectum incidit) reprehenditur verò, quod potet cùm non expedit, atque adeò iure poſſet puniri, ſi ſit ſeruus. Itaque peccata ex animi naſci morbis, niſi obſtat quominùs ſponte committantur, ſitque penes nos liberum arbitrium, & mens appetitus ſit natura domina.

CAPVT XLV.

CAp. 10. ita Iob Deum alloquitur: *Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti?*

Quæ verba non ſunt oſcitanter prætereunda Phyſico, neque quaſi non explicent naturalem hominis ortum exactiſſimè; prima enim verba continent primam hominis formationem ex primis elementis, ſecunda generationem ſingulorum hominum ex ſemine. Quæ vt apertiora euadant, præfari oportet, quàmplurimas fuiſſe Philoſophorum ſententias de rerum corporearum elementis, antequam in illam vnam peruentum omnibus eſt, de calido & frigido, humido & ſicco, ſeu terra, De elementis.

 aqua,

aqua, aere & igne, plurimi enim cenſuerũt, elementa corporum eſſe corpuſcula indiuiſibilia, nonnulli ſubſtãtias homogeneas, atque horum vtrique nihil errabant in notione elementi. alij enim principij & elementi rationem non diſtinguentes, dicebant elementa rerum omnium eſſe litem, & amicitiam, alij raritatem & denſitatem, alij craſſitiem & tenuitatem, alij alia. Cęterum, ſi quæ rerum naturalium elementa ponenda ſunt, nulla æquè probabilis atque illa ab omnibus rectè Philoſophantibus (nam & ab Stoicis & Academicis, & Peripateticis) recepta opinio, quæ ab Hippocrate fluxit, eſſe rerum omnium corporearum elementa, terram, aquam, aerem, & ignem, quia horum præcipuè corporum eſſe videmus qualitates, quarum mutua pugna fiunt ortus & interitus, quædam enim fiunt ex quibuſdam creſcente calore, quo aliquando extincto, hæc eadem abeunt in alia: ita etiam, ſiccata quædam intereunt, & alia humectata nimis: nihil autem interit, quin aliquid aliud ex illo fiat. itaque fiunt omnia dictarum qualitatum actione, quare & miſtione illorum corporum, quorum illæ qualitates ſunt primò, videntur generari, atque adeò (ſi quæ) illa eſſe corporum aliorum elementa. Cæterum neque hoc videtur mihi (quando non iam cum tyronibus agitur) leuiter prætereundum, ſed examinandum, an verè Philoſophi corporum naturalium elementa prima ponant. at ſit hæc hypotheſis, vt multæ aliæ in ſcientiis. ſi enim, vt Ariſtoteles ſecundo de ortu & interitu multis contendit, rerum omnium generatio agitur circulo, non generantur omnia ex quibuſdam, ſed ex quocunque quodcumque. Quare nulla re vera ſint aliorum elementa. Porrò monſtratum alibi eſt nulla eſſe ſimplicia elementa in rebus: atque adeo digito monſtrari poteſt. quæ enim terra? an hæc, quæ nitro, ſulphure, argento viuo, & metallicis omnibus concretionibus eſt interſita, & alicubi eſt gypſus, alibi calx, creta alibi? Quæ aqua? an marina, quæ hîc intolerabiliter ſalſa, alibi etiam eſt amara? Quis aer? an hic turbidus, qui vapor aut nebula, aut nubes, aut ignea exhalatio, aut horum quædam confuſio eſſe videtur? Quis ignis? an carbo, qui terræ multis generibus eſt craſſior? an flamma, quæ nihil eſt niſi fumus ardens? quod ſi nullibi vnquam elementa ſimplicia ſunt, nec eſſe quidem poſſunt, vel hoc argumento (tametſi aliis etiam non ineuidentibus eſt à me monſtratum alibi) quod in æternis idem eſt quod eſt & quod poteſt, quod ſi nulla ſunt elementa ſimplicia, quorum miſtione generentur reliqua, ne miſtio quædam eſt vlla. Quorũ enim eſt miſtio, niſi miſcibiliũ. quod ſi miſtio non eſt re vera, ſed conficta, neque reſolutio fit in ſimplicia. nihil

Elementorũ impuritas.

Reſolutio.

nihil igitur fit ex elementis, neque finitur in elementa, quare neque elementa ſunt omninò in rebus; niſi enim orationes in dictiones & dictiones in ſyllabas, & ſyllabæ in literas reſoluerentur, à quibus coagmentatis extiterunt, haudquaquam diceremus literas eſſe verborum elementa. non igitur ſunt alia aliorum elementa, ſed fiunt alia ex aliis mutuo, & circulo quodam, vt ex pruno prunum, ex hoc nucleus, ex hoc prunus: & ex ſemine ouum, ex ouo pullus, ex pullo ſemen. his argumentis fieri videtur, nulla eſſe rerum elementa. Nihilominus eſt quod reſpondeamus, veram ſimul de elementis ſententiam ſtatuentes. tamerſi enim verè dicatur rerum generatio eſſe circularis, non tolluntur elementa. Non enim fiunt omnia ex omnibus eodem modo: ſed quædam ex quibuſdam compoſitione; alia ex aliis reſolutione. quis enim non videt lignum ex miſcella terræ & aquæ, quam radicibus hauſit, eſſe nutritum, atque ita ex illis effectum, reſolui verò ignis vi in aquam, quæ inuiſibiliter abit in vaporem, & cinerem terreum qui ſupereſt? fit haud dubiè ex ligno cinis reſoluendo, quia deponendo quædam; ex terra lignum componendo, quia aſſumendo aquam. Sed quàm ſint res omnes multarum compoſitione factæ, ipſa reſolutio indicat. quotæ enim quæque res ſunt, ex quibus non ſeparet ratio diſtillandi terreas fæces, & partem aqueam, & oleoſum quiddam, abeunte interim fumo? haud dubiè igitur ſunt rerum ex rebus compoſitiones, & rerum in res reſolutiones. Quapropter cùm ex aliis procedatur reſoluendo, neceſſe eſt eſſe rerum elementa prima. quia cùm poſteriorum natura naſcatur ex prioribus, ſi nulla ſtatuerentur prima, ſed abiretur reſoluendo in infinitum, vt in diuiſione continui, non eſſet vnde inciperet compoſitio, neque vnde flueret rerum natura, quare neque eſſet illarum vlla natura. Neceſſe eſt igitur ponere aliqua corpora, quorum natura per ſe inſit illis, neque ab aliis emendicata corporibus, illa verò ſunt elementa prima: quæ quidem, pura & inalterata, neceſſe quidem, neque ſi eſſent, videri poſſent: quandoquidem ſenſibiles omnes qualitates præter primas, à temperamentis fluũt, temperamenta verò miſtione conſtant. Supereſt igitur vt ſint in hac vniuerſitate alterata elementa: ea verò ſunt, ſi grandes hæ mundi partes, terra, mare, & circunſtans aer, & qui per alia omnia penetrat ignis, Hæc enim minimam omnium quæ in mundo ſunt miſtionem habent, & omnium maximè accedunt ad quatuor illas naturas corporeas & ſimplices, quas actu quidẽ nullibi, potentia verò in omnibus eſſe dicimus, neque proinde falſum eſt, aut tantùm hypotheſis, eſſe hæc elemẽta Sunt

Diſtillãdi ratio.

Elementa prima.

enim reuera, vt dicimus, potẽtia ſcilicet, velut re vera eſt in theriaca opium, & caſia Neque minus hæc in theriaca eſſent, etiãſi totum mundi opium eſſet in eam inſumptũ, neque alicubi maneret actu: vt nunc in mundum inſumpta ſunt tota, aqua, terra, aër, ignis, vt nihil illorũ iam ſuperſit, ſed aquea, terrea, aërea, & ignea corpora. Sunt itaque quatuor elementa, quorum naturæ in his aſpectabilibus mundi partibus, terra, inquam, aqua, aëre, & igne præcipuè ſe exerunt: atque hæc quidem alterata elementa, ſunt re vera actúque in mundo, & conſpiciuntur: illa, inalterata & ſimplicia, ſunt re vera, non tamẽ actu: atque vt ſunt, ita miſtione generant. Nimirũ alterata hæc, præexiſtentia actu commiſcentur, & generant: inalterata illa, nunquam præexiſtunt actu, ſed potentia ſemper ſunt, & in ipſa miſtione & in

Elementorum diuerſitas.

miſtis. Horum quatuor elementorum, duo præcipuè (aqua inquam & terra) præſtant corporibus craſſis, & ſolidis, vt lapidibus metallis, & arborum atque animalium partibus corporaturam: duo reliqua admiſcentur propter temperiem, & facultates, & primò quidem omnia neceſſe eſt conſtiterint horũ concretione, poſterius verò quædam, vt quæ præſtantiora cùm ſint reliquis, præſtantiorem etiam habent ortum, fiunt virtute ſeminali & muratione, elementorũ miſtione latitante, & in ipſo ſemine, & in eo quod oritur. Nam ipſa maturatio nihil aliud facit, quàm perfectiorem, ex imperfectiori, elementorum miſtionem. itaque imperfectiora corpora, & quæ neque viuunt, neque vegetantur, eodem penitus modo neceſſe eſt à principio mundi conſtiterint quo nunc. concretione quadam elementorum, quadam proportione coëuntium, quod in lapidibus apertè conſpicimus: qui aqua & terra deſuper commiſtis, & dureſcentibus, augentur. Iis verò quæ ſeminali virtute generantur. neceſſe eſt duplicem tribuere ortum, alium quo conſtiterint ab initio; alium, quo nunc oriantur: oriuntur nunc ex ſemine, ex quo quidem à principio fieri non potuerunt, cùm ſemina poſteriora ſint natura, & tempore rebus ipſis: ſiquidem fructus ipſarum rerum ſunt, vt anteà ſuper c. 1. Géneſeos indicatum eſt. Igitur cùm à principio facta ſunt ſimul omnia, in illa communi omnium geneſi facta ſunt ex communibus principiis, hoc eſt, ex elementis: poſterius verò ſingula ex propriis principiis. & ſuo

Homo ex quo primum.

quodque modo. Igitur homo à principio factus eſt ſecundùm corporeã molem ex terra & aqua commiſtis vt ſcilicet fit lutũ, atque adeò ex limo terræ, hoc eſt, ex terræ, & aquæ miſtura atque inde fluimus omnes, illamque naturã nobiſcum deferimus. hanc primam rerum omnium geneſim obumbrauerunt Poetæ connubio Pelei & Tethidis, id eſt, luti (πηλὸς enim lutum eſt)

&

& aquæ, quibus nuptiis dicebant Deos omnes interfuiſſe,præter diſcordiam. Quia ſcilicet, virtutibus cœleſtibus & diuinis coniungentibus, & in concordiam trahentibus elementa, orta ſunt omnia. nunc verò noſtrum quilibet à parentum genitalibus emulgetur in ſemine ſicut lac,& in vtero coagulatur,ſicut caſeus. Eſt verò appoſitiſſima & maximè naturalis comparatio. nam conuenit ſemini cum lacte materia & conditionibus, & generationis modo, & officinis quibus fiunt, & vſu. Vtrunque enim fit ex ſanguine, maturatione quadam, alterum in teſtibus, alterum in vberibus, partibus ſubſtantiæ modo valdè ſimilibus,ſuntque ambo ſucci albi & craſſi. vtitur verò natura, altero ad generationem, altero ad recenter genitorum nutritionem. vt alimento ſcilicet parum euariante ab ipſo generationis principio. Ipſum igitur ſemen veriſſimè dicitur eſſe, vt quoddam lac: ipſa verò prima embrionis generatio, coagulatio eſt,vt caſei ex lacte. nam Ariſt. cap.21. de generatione animalium ita inquit, *Velut in lactis coagulatione corpus quidem ipſum lac eſt, ſuccus autem coagulatum quod principium habet coagulandi ita quod à viro in muliere ſecernitur.* Conſtat ex dictis quanta proprietate ſanctus Iob vtrumque hominum ortum recenſuerit, & eum qui primò fuit omnium, & eum qui deinceps eſt ſingulorum.

Lac ex quo & quomodo generetur.

CAPVT XLVI.

CAp.14. Iob ita inquit: *Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit, rurſus vireſcit & rami eius pullulant, ſi ſenuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quaſi cùm primùm plantatum eſt: homo verò, cùm mortuus fuerit, & nudatus atque conſumptus, vbi quæſo eſt?*

Hîc deplorans Iob humanæ vitæ conditionē,quæ tam facilè pereat, atque cùm ſemel perierit,adeo fit irrecuperabilis, confert hominem cum ligno, dicens, miſerabiliorem eſſe hominis conditionem; quia lignum etiamſi præciſum ſit poteſt rurſum reuireſcere,atque adeò germinare,& infixū in terra in arborem integram abire, atque adeò in arborem etiam diuerſi generis inſeri, inſitionēque procedere copioſos ramos,& multum fructum,quin etiam ſi ſenuerit in terra radix,& truncus eius emarcuerit, mortuuſque ſit, ſi ſumma eius pars, & rami mucro infigatur in terram ad odorem aquæ (hoc metaphoricè dicitur,

Arborum ortus.

hoc eſt, ſi abſit aqua, vt ex aqua cum terra miſta, alimentum capiat, germinabit, & mucro ille radices proferet in terram, & surſum faciet comam, itaque & nouam integramque arborem. His modis agricolæ & vineas renouant, nimirum inſitione, plantatione, & germinatione, vt quius rei ruſticæ vel exiguum peritus ſcit, & Theophraſtus docet primo de hiſtoria plantarum. Homo verò nihil tale habet, ſed quæcumque pars illi abſciſſa ſit, emoritur ſtatim, nullam neque plantationem neque inſitionem recipiens, neque omninò vllam habet rationem reuiuiſcendi Iam verò ſi homo mortuus ſit, nulla eius pars viua manere poteſt, ex qua re vireſcat vt arbor. In primis hoc explicemus vt habeat, mox naturalem cauſam apponamus: Homini quidem emori poteſt pars vna aliqua ante alias, vt digitus, auricula, pudendum, aut etiam pes, manus, crus, aut brachium, vt per gangrænam emoriuntur nonnunquam, aut Eſthiomenum; tamen mortuo homine, hoc eſt corde, quod vitæ radix eſt, nulla ne minima quidem, neque extima pars manere poteſt viua, vt arbori, cui exciſa, & exuſta penitus radice, manere poſſunt virentes ramuli, atque mucrones quibus in terram infixis, arbor renaſcatur. Verùm neque arboris ſemel ſiccata & emortua pars, poteſt ampliùs vlla ratione reuiuiſcere, magis quàm mortuus homo, hæc enim in parte eadem ratio eſt, marcor enim & confirmata ſiccitas, in omnibus vegetabilibus eſt irremediabilis: neque ſolùm non poteſt ſemel emortuum lignum ſecundùm eandem partem qua emortuum eſt, reuireſcere, ſed neque qua parte conſenuit, poteſt (vt ita dicatur) reiuueneſcere habent enim etiam ſuas ætates, vt animantia quas (mortalia cùm ſint) neceſſariò percurrunt, neque datur à poſterioribus ad priores retrocedere. Euenit verò aliis partibus ſenio confectis alias recentiores eſſe, & aliis emortuis, alias adhuc viuere & germinare, & euulſa arbor poteſt rurſum terra condi & renutriri; niſi verò condatur, ſed maneat euulſa, ſine ſpe vlla moriatur, vt & homo ſi omni alimento deſtituatur, quia arbor ex terra capit alimentum per radices. Nam & ipſe Iob cap. 7. dixerat. *Quaſi euulſa arbori abſtulit ſpem meam.* Quæ verba videri alicui poſſint præſcriptæ orationi repugnantia, non ſunt tamen quia hîc in præciſo ligno & radice seneſcente in terra, ſpem eſſe dicit, ſi ad odorem aquæ rurſus plantetur · illic ſpem negat eſſe in euulſa arbore, ſi auulſa perſiſtat, neque rurſum terra condatur. nihil euenit tale homini: ſed partes omnes conſeneſcunt & cõmoriuntur cum præcipuis, neque eſt ratio ſemel è vita euulſum transplantandi Quod, etſi miſeriæ eſſe videtur, non eſt tamen imperfectionis, quia vnitas

Cor vitæ radix.

Marcor irremediabilis.

vnitas & indiuiſibilitas in rebus omnibus comes eſt perfectionis, multitudo & diuiſibilitas imperfectionis. Proinde cùm multi ſint viuentium gradus, qui perfectione & imperfectione diſtinguuntur, quò quidque eſt perfectius, eò partes eius maiorem habent vnitatem, minúſque viuere poſſunt niſi in toto: quare ſeparatæ moriuntur. nimirum gubernantur, non ſingulæ ſeorſum ac per ſe, ſed omnes ab vno principio: quò quidque imperfectius, eò minus vnum, ſed vt vnita conglutinataque multitudo, ac proinde partes eò magis ſeparari poſſunt, ac ſeparatæ viuere, & germinare: quod per gradus viuentium fit manifeſtum. Plantarum enim partes diſſectæ viuunt, & quæcunque ſeorſum in terram infigantur, ſiue in hanc ſiue in illam partem viuunt, & germinant, atque hoc inter ipſas plantas, vilioribus ineſt pluſquam præſtantioribus: adeò vt quarundam rami, in longum defoſſi, ſecundùm multas partes germinantes, multas producunt plantas. nulli hoc contingere poteſt, eorum quæ alimentum, non radicibus, ſed ore capiant, tamen eorum viliſſima diſſecta in multas partes viuunt (vt in reptilibus videre eſt) quantum poſſunt durare ſine alimento, quaſi partes non accipiant vitam à partibus, ſed ſingulæ viuant per ſe, aliæ aliis agglutinatæ, qua cauſa & inſecta vocantur. Alia ſunt his præſtantiora, quæ non tantam patiuntur partium ſectionem ſuperſtite vita, tamen præciſo capite, & extracto corde, volutantur, & ſubſultant aliquandiu, vt gallinæ: grandiora verò animalia (atque minimè omnium homo) cùm à principibus membris accipiant vitam & motum; omnemque gubernationem, illis præciſis, ne momento quidem temporis viuunt ſed ſecundum ſe tota moriuntur, vt ad vnitatem, & perfectionem naturæ magis accedentia.

Vnitatis & indiuiſibilitatis perfectio.

CAPVT XLVII.

CAp. 26 libri Iob: *Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum. Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum. Qui tenet vultum ſolij ſui, & extendit ſuper illud nebulam ſuam. Terminum circundedit aquis, vſque dum finiantur lux & tenebræ. Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius. Infortitudine illius repente maria congregata ſunt, & prudentia eius percuſſit ſuperbum. Spiritus eius ornauit cœlos, & obſtreticante manu eius, eductus eſt coluber tortuoſus.*

Prope

Propoſuerat in initio capitis Iob, Dei ſummam potentiam & ſapientiam, exprobrans amico ſuo Baldad, quòd videretur illi patrocinari, quaſi imbecilli & imprudenti, his verbis: *Cuius adiutor es? nunquid imbecillis? & ſuſtentas brachiũ eius qui non eſt fortis? Cui dediſti conſilium? forſitan illi qui non habet ſapientiam.* Quaſi dicat, Deus tuo patrocinio aut conſilio non eget, fortiſſimus enim eſt, & ſapientiſſimus. Hanc igitur nunc potentiam & ſapientiam Dei celebrat, producens mirabilia eius opera in cœlo & in terra. Quæ, tametſi naturaliter effecta ſint, nihilominùs diuinæ virtutis & ſapientiæ maxima ſunt argumenta, quæ ita mundi partes omnes aptauit, eaſque illis naturas tribuit, vt mirabiliter conſtiterint. Miratur primùm quòd extenderit Aquilonem ſuper vacuum, hoc eſt, eam cœli partem quæ ſpectat ad polum, ac nobis imminet ſuper aerem. Nam nomina ventorum illis etiam mundi plagis tribuuntur, & cœli partibus à quibus flant, velut apud Ezechielem cap. 20. dicitur, *comburetur in ea omnis facies ab Auſtro vſque ad Aquilonem*, hoc eſt, à Meridionali parte vſque ad Septentrionalem. non enim probo (tametſi id doctiſſimis videtur interpretibus) Aquilonem vocari hemiſpherium quod nobis imminet, Auſtrum alterum quod ſubſtare videtur, ac nos latet, eò quòd polus hic noſter ſit Aquilonaris, alterque illis oppoſitus Auſtrinus. Nam etſi per ignorationem alterius hemiſpherij, & putantes nihil illius eſſe habitabile, ita loquebantur antiqui, & Philoſophi & Poëtæ, tamen re vera non ita eſt, ſed à polo verſus meridiem flat Aquilo, meridie verſus polum Auſter. Quare in altero etiam hemiſpherio perinde fieri cenſendum eſt, eſſe, ſcilicet ventum noſtro Aquiloni reſpondentem qui à ſuo polo feratur ad meridiem, ſuumque Auſtrum, qui à meridie ad polum, quapropter Aquilonis nomine non totum hemiſpherium in ſacris, ſed Septentrionalis cœli pars ſignificabitur. Quod vel ex Ezechiele conſtat: cùm enim comminaretur terræ Iſrael, quæ haud dubiè vtrumque hemiſpheriũ non attingebat, dixit, *Comburetur in ea omnis facies ab Auſtro vſque ad Aquilonem*, non certè intelligens à polo ad polum, ſed à Meridionali eius parte ad Septentrionalem vſque, igitur ſi hoc loco Aquilo cœli partem vllam ſignificat, non aliã certè quàm Septentrionalem, ac per ſynecdochen totum cœlum. Significat etiam nomen Aquilo cœli partẽ cap. 1. Eccleſiaſtici, vbi de Sole dicitur, *gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* miratur itaque cœlum extentum eſſe ſuper aerem. Vocari enim vulgò, quod ſolo aere plenum eſt vacuum, eò quòd ſolidiori corpore plenum non ſit, Ariſtot. etiam annotauit c. 6. de Phyſica doctrina.

Aquilo.

Auſter.

Vacuum vulgo quid.

Mira

Miratur quoque appenſam eſſe terram ſuper nihilum, hoc eſt, ita locatam, vt cùm nulli alteri corpori innitatur, ſed in medio ſit aëris quaſi pendens, neque in hanc neque in illam partem inclinet. Itaque miratur, quòd duæ hæ mundi partes, quæ ſolidiſſimæ ſunt, terra inquam & cœlum (cœlū enim ſolidiſſimum eſſe, quaſi ex aëre conſtet. poſterius dicetur) firmæ in ſuis locis maneant non cohærentes, ſed diſſitæ interſtite aëre tenuiſſimo. Hæ autem admirationes naturaliter ſubrepunt omnibus qui Philoſophiæ ſtudent, atque adeò hæ & huiuſmodi aliæ dubitationes initiū dedêre Philoſophiæ, quin potiùs earū dilutio ipſa naturalis Philoſophia eſt. Ariſt. cap. 13. ſecundi de Cœlo inquit irrationalis eſſe & amentis non mirari cur rota terræ moles in medio aëris quieſcat, cùm vel exigua eius particula, ſi eleuata dimittatur, ruat, neq; verò dubitatio adeò eſt leuis, quin fuerint de ea re multæ variæq; ſententiæ veterū, vt Xenophanis, & Empedoclis, Thaletis, Anaximenis, Anaxagoræ & Democriti quas illic ipſe narrat & refutat. De cœlo quoque cur non ruat, cùm nullo ſuſtentetur corpore ſolido, ſed extentū ſit ſuper vacuum, multæ veterum narrantur opiniones c. 1. ſecūdi de Cœlo, quas omnes ego, vtpote illis locis ſatis vocatas in examē, & ab Ariſtotele ipſo, & à me in cōmentariis nunc prætetibo, breui dicens, cauſam dictarum dubitationum eſſe, quod terra non eſt aliter nata moueri quam ad mediū, neq; cœlum quam circulo, quapropter neque terra, vndecunque in illud ferretur, poſſet mūdi centrū pręterire. neque in illo ſemel firmata, poteſt inde exire (ita firmauit Deus orbē terræ, *qui non commouebitur*, vt dicitur in Pſalmo) neque cœlū vllam aliam in partem nititur, ſed ſuo tantū loco volutatur. Vulgus verò imaginatur, illud, vt ſoliditate eſt pluſquam admantinum, ita eſſe & natura quaſi argenteum, aut lapideum. Re vera autem illud eſt omnis & leuitatis & ponderis expers, circulo ſolùm natū ferri. cuius circuitionis finalis cauſa eſt in mūdi totius indigentia, effectrix verò, in ipſius natura. Mirabilis verò Dei ſapientia & virtus, eas ſingulis mundi partibus naturas tribuens, quibus maximè totius vſibus ſeruire poſſint. Addit, *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt nō erumpant pariter deorſum.* Admiratione etiam videtur dignum, aquā, cùm pluit, in guttulas diſpersā, adeò æqualiter decidere, & latè parentem terræ faciē irrigare, ac non potiùs totā confertim cadentē obruere, aut inæqualiter aliā partē aridā relinquere, in aliā corriuare. Mirū itaq; eſt, quàm aptè quamq; ex ipſarū rerū vſu pluuiæ fiant, vt videtur Deus ligatas habere aquas nubibus, neque dimittere eas niſi vt expedit, nimirū guttatim, quaſi per cribrum, aut irrigatorium vas percolatas. hoc celebrat

Mundi firmitas.

ſanctus

Pluuiarũ conſideratio. ſanctus Iob, dicens, *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum.* Quæ autem ſit naturalis, ac neceſſaria eius euentus cauſa, dicendum eſt. Nam, vt ſæpe iam diximus, Deus quæ fieri expedit facit per naturales cauſas, atque cùm in ſacris eloquiis dicitur iubere aliquid, aut legem ponere, aut nunc alligare aquas nubibus, atque alibi concludere mare aut arena cingere, aut huiuſmodi alia, quæ voluntatem Dei ſignificant, ſignificatur certè Deum talia voluiſſe boni gratia, ac feciſſe quide m: id verò non prohibet, quominus per naturales ac neceſſarias cauſas fecerit, quin potiùs, illud velle, iubere, ac legem ponere, atque aquas alligare & mare coercere, nihil aliud eſt quàm eas rebus naturas tribuere, vt quæ fieri expedit, fiant, atque hoc quidem ita habet ſemper, præterquàm vbi agitur de mundi creatione. Ea enim cùm nondum eſſet natura, ſolius diuinæ virtutis opus fuit. Neque ſanè quod dicimus, Dei laudibus quidpiam detrahit. Si enim non aliter quàm ſua voluntate faceret, vt aqua guttatim deſcenderet, & mare ſeſe intra ſuos carceres contineret, laudaretur eius potentia, nunc verò laudatur & ſapientia; fitque hinc, vt quæ circa Deum habetur pietas, nullatenus eleuet ſtudium Philoſophiæ; quin potiùs, vt ego exiſtimo, augeat quamplurimum, & promoueat.

Quomodo pluuiæ diſtillent. Quæ igitur ſtillarum pluuiæ cauſa ſit, dicamus, vt dicitur c. 1. Prouerbiorum, *nubes rore concreſcunt.* Quod quidem nihil aliud eſt, quàm eandem eſſe materiam roris & pluuiæ, putà vaporem, atque rorem fieri concretione vaporum circa terram manentium, vt pluuia concretione nubium, quæ quidem ſunt vapores qui altiùs efferuntur. Itaque pluuia fit vaporibus concreſcentibus atque concretione abeuntibus in aquam, vbi ſemel facta aqua ſit, ferri ſuper aere non poteſt, cùm illo adeò craſſior ſit: neceſſe eſt igitur vt mox ac concreſcit, cadat. Non poteſt autem nobis ſimul concreſcere tota, ſed neceſſe eſt à minimis partibus incipientem concretionem, ad maiores & ad totius commutationem procedere: neque igitur ſpectare poteſt donec cadat tota, ſed neceſſe eſt, concretas à nondum concretis particulis decidi, ac ſeorſum cadere. Quod verò non poſſit ſecundum ſe totam ſimul & æqualiter concreſcere nubis, euidens cauſa eſt. Nam ſiue alterationem eam cenſeas fieri ab aere, vt Stoici, qui ponebant aerem eſſe primum frigidorum, ſiue ex accidenti per antiperiſtaſim, vt Ariſtoteles, fieri non poteſt, vt vel exigua eius quod patitur pars æqualiter admota ſit agenti: conſtat verò ex admotione agentis ad id quod patitur naſci citiorem aut tardiorem commutationem, dicens, nunc fieri, vt guttulæ momentaneæ magnitudinis eſſe non

poſſint

poſſint,ſed quibuſcunque debeant eſſe minores; quia quantulaſcunque indices, concretæ fuerint earum medietates ante totas, quare & deciderint;cùm ergo nullæ ſint moles indiuiſibiles,fiet vt ne pluere quidem poſſit omninò,propter infinitam continui diuiſionem. Concedimus nullam in nubis commutatione, quæ concretione agitur,eſſe primam aquæ partem, antequàm ſcilicet non fuerit pars alia minor, velut, & cùm ad extremitatem admota flamma ignis ſerpit per ſtupam. Verùm non decidunt deciſſæ à nube, niſi cuiuſdam magnitudinis guttæ: quia antequam illis minores decidantur, anticipant aliæ particulæ generari,accidenteſque prioribus,conflant cum illis guttas, Nimirum & deciſſio, & ipſa per partes generatio tempore quodam aguntur. quantum ergo aquæ generari poteſt,antequam genita portiuncula deciſſa cadat, tantum accedit guttularum magnitudini. Hinc fit meritò, vt quantò celeriùs agitur nubis in aquam commutatio,tantò cadant maiores guttæ. Quapropter aliquando cadunt minutulæ guttæ, aliquando copioſi imbres. Itaque naturalis cauſa diſtributionis pluuiæ in guttas, æqualiſque illius, atque fœcunditati terræ accommodatiſſimæ irrigationi, eſt nubis paulatim procedens concretio. Conſiderans hunc motum & huiuſmodi alios, qui ſcilicet aguntur,eò quòd res aliquæ mutationem propriæ ſubſtantiæ recipientes, factæ ſint craſſiores, aut etiam tenuiores ſolito (craſſatæ enim deſcendunt vt pluuia, extenuatæ aſcendunt vt vapores) dixit Ariſt.8. de Phyſica doctrina grauia & leuia moueri à generante,aut à remouente prohibens,à generante,vt pluuia,ab eo quod denſat vapores, à remouente prohibens, vt cadit tegula detracto fulcro. Nimirum, quia quod inanime eſt, non poteſt motum ſuum inchoare per ſeſe, ac ſine opera externi alicuius,externa illa dicit eſſe quæ mouent,quia ſunt à quibus incipit motus.Moueri verò poſſunt inanima,aut vt grauia aut leuia,aut vt corpora quædam moueri poſſunt ab impellente,vt à neruo baliſtæ,aut à trahente,vt ab hamo,aut à vehente,vt à iumento,aut à voluente, vt à vento, aut rota, vt grauia verò, aut leuia, non poſſunt in motum agi anteà quieſcentia; aliter quàm à remouente prohibens, vt tegula à detrahente fulcrum, aut à generante, vt pluuia à frigido quod denſat. Quod non intelligentes multi,alioqui doctiſſimi Ariſt. interpretes, venerunt in ridiculam ſententiam, omnia grauia & leuia moueri ſemper ab eo à quo genita ſunt. Itaque vim & efficaciam mouendi ea corpora, eſſe in illo quod plerunque nuſquam eſt. Sed quoniam ea mihi alibi refutata ſatis eſt,neque nunc niſi obiter, ob pluuiæ caſum eius contigit memi-

Inanimatorũ motus.

Q niſſe,

niſſe, procedamus: *Qui tenet* (inquit) *vultum ſolij ſui, & extendit ſuper illud nebulam ſuam*, hoc eſt, qui cœlum operit nebula, quominùs videri poſſit. Dauid quoque in Pſalmis laudi Deo dat, quòd extendit nebulam per aerem mirabili quodam modo. Nam Pſalmo 147. ita cecinit: *Qui dat niuem ſicut lanã, nebulam ſicut cinerem ſpargit.* Spargens nimirum nebulam ſicut cinerem, operit vultum ſolij ſui, tenetque quominùs videatur. Nubes & nebulæ, eadem res eſſe videtur, hoc ſolùm differens, quod nubes effertur in mediam aeris regionem, quæ quia neque vicina Soli eſt, vt ſuprema, neque reflexis à terra radiis potitur, vt ima, frigidior illis eſt, & ad aquæ generum, hoc eſt pluuiæ, niuis & grandinis generationem accommodatior, nebula circa terram conſtitit. Quapropter vt quidam fumus, cœli aſpectum prohibet in aquas verò non concreſcit, quin potiùs ſerenitas magis quàm pluuiæ nota eſt, quia eſt, vt Ariſt. inquit, velut nubes ſterilis. Sterilitatis cauſam eſſe dicit Ariſt. quia eſt velut excrementum concretionis nubis. Quare vt excrementum ſanguinis nutrire non poteſt, vt ille, ita neque nebula aquam gignere vt nubes. Verùm hoc expoſitione indiget. Excrementum propriè eſt, quod ſecernitur per concoctionem, vt inutile; nubis verò non eſt concoctio, ſed concretio. At verò analogia dicitur excrementum nubis quòd ſecernitur ex nubibus, quaſi concreſcere non potens, & mutari in aquam. Itaque ex Ariſt. ſententia, nebula ex ea nubis parte, quæ quia mutari in aquam idonea non erat, excreta eſt, conſtat. Non explicat autem Ariſt, (quamquã id profectò expediebat quamplurimùm) cur ea pars idonea non eſſet in aquã abire. Quod magnam diffidij occaſionem eius interpretibus præſtitit, aſſerentibus aliis ob tenuitatem, aliis ob craſſitiem eſſe talem. Mihi dicendum erit quod eſt veriſimile. Nam monſtrationẽ hic locus non admittit. Si nebula excernitur ex nubibus, veriſimilius eſt, craſſiorẽ eſſe earum partem, quàm tenuiorem, quia ſi eſſet tenuior, excerneretur ſurſum, excernitur verò deorſum, ad terram vſque pulſa. Præterea ſi eſſet tenuior reliqua, quæ in aquam mutatur, in aeris aut ignis naturam inclinaret. Ob aeream verò naturam non eſſet inepta abire in aquam, ſiquidem communis omnium eſt conſenſus ac peculiariter Ariſt. in eodem cap. primi Meteor. mutatione aeris in aquam fieri nubem: igneam ſi haberet, haud eſſet adeò frigida, vt certè eſt, ſed fulgurum & cometarum materia, vt reliqua exhalatio. Supereſt igitur vt inclinet in terram, eámque minimè exuſtam vt quæ vocatur exhalatio, eſtque vt fumus vſtæ terræ. Nimirum cùm vapores ex aqua cum terra miſta eleuentur, fieri non poteſt quin aliquid ſecum

Nubis & nebulæ differentia.

Excrementum quid ſit.

cum efferant terreum;id, ob diuerſum ſubſtantiæ modum non facilè abit in aquam, neque ſanè per concretionem abire poteſt, cùm terra quàm aqua concretior ſubſtantia ſit. Proinde deorſum humidis vaporum partibus concreſcentibus,terreæ & tenues(vt ad reliquam ſcilicet terram)ſecretæ deſcendunt, volutantúrque circa terram, vſque dum vi Solis diſſipatæ fugantur.Quod Hippocrates quoque libro de aëre,locis & aquis teſtatur Hæ igitur pluuiis ſuccedentes meritò ſuccedentes indicant futuram,quia & diſſolutas iam eſſe nubes in pluuiã & nebulam. Euenit verò nonnunquam vt nulli præcedentibus pluuiis fiant. Quæ, ſiquidem ſint quæ propriè vocantur nebulæ. Græcis ὁμίχλαι ac non potius tenues quædã nubes, tunc quoque ſiccioris temporis,& impluuij ſunt notæ:quia inutile eſſe, & infœcundum indicant, totum quod euaporat ex terra. Siquidem tale eſt quod effumat ex ipſa,quale quod ſolet ex nubibus excerni.Sunt quidem aliæ caligines potiùs quàm nebulæ vocatæ Græcis ἀχλὺς. Quæ ob nubes multas & tenues fiunt, quæ quidẽ pluuiam ſolent præmõſtrare:illæ verò,vt dixi,propriè vocatæ nebulæ non ſunt. Hæ enim ſunt quales diximus. Vnde conſtat, quanta cum proprietate dictum in Pſalmo ſit: *Nebulam ſicut cinerem ſpargit*, Nimirum illud ſpectare poteſt, & ad ſimilitudinem ſparſi cineris quam præ ſe fert,& ad naturam, ſiquidem vt terreus quidam puluis eſt, ac exerementum terreum,vt cinis.Neque quidem his obſtat, ſolere ex fluminibus, & hyberno maximè tempore nebulas naſci. Nam vt ex nubibus, ita etiam ex fluuialibus aquis excerni illud nebuloſũ poteſt, & quod purioris vaporis, ac tenuioris inde naſcitur, euolat rurſum, latam in nubium regionem, quod verò craſſius,& impurius,conſiſtit inferiùs, volitans circa ipſa flumina. Atque quoniam per hyemem omnia concreta ſunt, neque facilè ob frigus ſecernuntur quæ ſunt diuerſa, excrementoſus vapor magna ex parte exhalat,qui nebula fit:per æſtatem verò tenuior ac limpidior eleuatur vapor, qui aut concretus in regione media fit pluuia, aut antequam illam attingat extenuatus in aere mutatur. Itaque nebulam ſpargit Deus,vt quendam cineris pollinem tenuiſſimum, extendenſque nebulam operis vultum ſolij ſui, ſed de nebulis ſatis. Deſcendens ad mare, addit Iob:*Terminum circundedit aquis, vſque dum finiantur lux & tenebræ*.Maximum argumentum mirabilis Dei potentiæ,atque omninò facultatis alicuius præſtantioris,quàm ſit ea quæ vocatur natura, ad quam Philoſophi referunt omnia, quod cùm videamus ita eſſe natura cõparatum,vt vbi duo craſſitie diuerſa corpora congrediuntur,tenuius emergat in ſublime,craſſius

Caligines aquæ.

 ſubſideat

ſubſideat feraturque in profundum, terra tamen tota non ſubmergatur in mare, factum verò id à Deo eſt, quia niſi terræ facies appareret, haud eſſet animalium perfectiſſimorum generationis locus, qua vero ratione id fecerit, explicuimus in expoſitione cap. primi Geneſeos, vbi Deus dixit, *Congregentur aquæ omnes in locum vnum.* Cuius præcepto, vt hìc dicitur, repente maria congregata ſunt, tanta eſt eius fortitudo. Non quidem vt Anaximenes, & Ariſt. cenſent, Sol, abſumens locis quibuſdam aquas, facit terræ ſuperficiem apparere. Nam haudquaquam ſub polis, & in partibus mundi frigidiſſimis, eſſe poſſent ampliſſimæ terræ partes, detectæ & habitabiles, quales Septemtrionales eſſe ſcimus latiſſimè patente Oceano inter tropicos, & ſub ipſo Sole. non igitur, quod aliæ partes ſub aqua latent, aliæ detectæ ſunt, in Solis calorem referri debet, ſed in terræ ſtructuram, quam ipſi dedit Deus à principio. Nimirum eſt rotunda, & in medio mundi poſita, maximis verò partibus excauata, & anfractuoſa, qua omnes cauitates replente aqua, fit ex vtriſque, terra inquam & aqua, globus vnicus, cuius centrum, & aquæ & terræ, & mundi totius, idem eſt: conſtat verò neceſſe eſſe, vt ad centrum terra ſit pluſquam adamantina. talem igitur terram efficiens, concluſit Deus in terræ foueis aquas, quæ alioqui eſſent totam ſubmerſuræ, atque ipſa eſt terminus quem circundedit aquæ. atqui, etſi ita ad ſeſe terra, & aqua poſitæ ſunt, dicitur verius terra continere aquam ac cohibere, quàm aqua terram: quia quod ſiccum eſt, facilè continetur termino proprio, humidum verò non niſi alieno. non tamen proinde violenter eſt aqua ita locata (nihil enim violentum ſimul & naturale) quia neque quidpiam craſſius illi innatat, neque illa imminet vlli corpori tenuiori. Quoniam autem hæc non aliorſum ita machinatus eſt Deus, quàm vt in terræ facie agi poſſent generationes (alioqui enim feciſſet totam ſecundum ſe compactam & vnitam terram, & ſine vllis cauitatibus) conſtat duratura ſolùm quandiu durabunt ortus & interitus rerum. Hi verò durabunt quandiu Sol circulo feretur, ac ſua circulari latione ſucceſſiuam hanc viciſſitudinem faciet, lucis & tenebrarum, hoc eſt, dierum & noctium. circundata erit ergo aqua dictis carceribus, vſque dum finiantur lux & tenebræ, ceſſantibus ſimul, cœli motu & rerum generationibus. Tunc verò vnita atque congregata (vt par erat) tota terra vbicumque conſlans per ſe globum, in aqua ſubmergetur. Quod dicitur, *Columnæ cœli contremiſcunt & pauent ad nutum eius.* & rurſum, *Prudentia eius percuſſit ſuperbum*, ad Angelos bonos & malos pertinet, haudquaquā ad res vllas naturales.

Terra cur partim latens, partim detecta.

turales. Illa quoque verba quæ dictis ſuccedũt: *Spiritus eius ornauit cœlos, & obſtetricãte manu eius, eductus eſt coluber tortuoſus*, refetunt plerique ad bonos ſpiritus & Satan. Mihi verò videntur pertinere poſſe ad opus quarti diei, ad creationem ſtellarũ inquam. Nimirũ ornatus cœli vocatur c.1. Geneſ. illa innumerabilis multitudo ſtellarũ. Coluber verò tortuoſus mihi ſonat per periphraſim, magnum illum latumque cœli circulum obliquè poſitum in ſphæra, per quem ſemper feruntur planetæ, qui vocatur Zodiacus. Videtur enim ille poſitionis gratia volui in ſphæra, vt conuolutum colubrum; non tranſigunt quidem leniter Philoſophi ſtellarum, naturam, & ſubſtantiam. Mihi verò dicetur de ea paulò poſt, vbi & de ſubſtantia cœli.

CAPVT XLVIII.

Cap. 28. Iob: *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura*. Dictum iam antea eſt, non ſemel celebratiſſimũ eſſe in ſacris, non ſine magna Dei ſapientia effectum eſſe, vt aqua non obruat terram totam, atque ſub ſe mergat, nullo ita vſui futurum ad generationem animalium: hoc idem hîc Iob inſinuat dicens, *& aquas appendit in menſura*: quaſi dicat aquam certa quadam dedit menſura, ne ſi magis abundaret, ruptis fontibus regurgitaret ſuper terram, vt in tempore Noë, & eam aquæ menſuram ita ad terræ molem aptauit, atque ita appendit, & librauit, vt naturaliter decurrens quo ſua eam natura fert, & quam amat partium æqualitas, terram non occuparet. Nunc addit aliud Iob dicens. *Qui fecit ventis pondus*. Nimirum vt miratur, quod aqua non redundet ſuper terram totam, ita etiam quòd venti non ferantur ſurſum per totum aërem, ſed quaſi quodam pondere depreſſi ferantur circumcirca terram. Cuius rei naturalis cauſa poſcit, vt de pondere, & leuitate diſſeramus, quid vtrumque ſit. Vbi enim hoc fuerit indicatum, facile ea innoteſcet. Communis Philoſophorum ſententia eſt, vt calor, frigus, humor, & ſiccitas, ſunt qualitates actiuæ elementorum, ita pondus & leuitatem eſſe motiuas, pondusque ſeu grauitatem eſſe virtutem eundi in medium, leuitatem à medio. Itaque vt ignis virtute quadam, quam calorem dicimus, calefacit, ac commutat accedentem quamcunque materiam, ita leuitate moueri ſurſum: aquam vt frigore refrigerat, ita pondere ire in medium. Atque vt calor & frigus primò ſunt elementum, deinde & concretorum corporum, ita pondus & leuitatem. Mihi verò nunquam viſum eſt ita,

Terra ſubmergenda tota.

De grauitate & leuitate.

ſed corpus quodcunque per ſeſe, ac ſine vlla qualitate, abire in eum locum quem naturalis ordo poſcit. Naturalis vero ordo eſt, vt craſſa ſint ſub tenuibus Velut igitur aqua frigida rem accedentem frigore refrigerat, ſeipſam verò vbi calefacta eſt, non al.o refrigerat frigore (alioqui eſſet in ea duplex frigus,& vt ita dixerim,frigus frigoris)ſed ſuaptè natura,ac ſine vllo inſtrumento redit eò,vnde violenter extracta eſt ab externa cauſa,ita quæcuuque res vim habet mouendi aliam loco non per accidens qualitate quapiam, quæ facultas eſt ita efficiendi, id facit,vt magnes ferrum mouet;quæ verò ſeipſa mouent,neque per rem vllam extra ſe,niſi per accidens,vt quæ dicũtur grauia & leuia, ea, præter naturam propriam, nulla qualitate indigent,vt ita ferantur:redeunt enim in id quod ſua natura amat, vt aqua frigeſcens. Quare opus non eſt, vt apponatur vis vlla alia, ſed ſolum vt remoueatur quod prohibebat. Itaque opus non eſt, pondus & leuitatem vt qualitates quaſdam rerum ſtatuere,neque putare eas aliud quidpiam eſſe,quàm craſſitiem & tenuitatem;ſed ita cenſere rem quamcunque cùm rectè locata eſt ad res proximas,quieſcere,cùm malet moueri, ſiue ſurſum, ſiue deorſum,vt res exigit quo naturæ ſuæ congruentem ordinem conſequatur. Id verò ita eſſe in phyſicis commentationibus indicauimus. Nunc verò etiam hoc adiiciemus argumentum. Si grauitas & leuitas quædam contrariæ qualitates rerum eſſent,ineſſent quidem ſingulis ſecundum certos gradus:vtque eſt res primo,aut ſecundo,denique certo quodam gradu candida aut nigra,ita eſſet grauis,aut lenis. Itaque eſſet res quædam pendens libram, alia vnciam, alia drachmam: at vero non eſt hoc vlla in re verum ſimpliciter,ſed ad aliquid, hoc eſt ad medium. Si enim ſuſpendis in bilance ſubſtantiarum diuerſarum, auri exempli gratia & argenti æquale pondus, mutato medio mutatur pondus. Nam ſi in aquam immittas bilancem, fit vt quod ſubſtantia eſt craſſius,detrahat quod tenuius, etiam ſi in aëre neutrum alterum detraheret.Nec mirum,vt monſtrat Archimedes,licetque cuiuis experiri,aqua detrahit ponderi,quantum aqua quam res excludit ex vaſe pendet. Atque cùm craſſiora minori quantitate ponderent æquale, fit vt minus aquæ excludant, & ita ad proportionem amittant minus ſui ponderis. Igitur fieri poteſt,vt quod in aëre pendebat æquale, nulla alia mutatione facta quàm medij, pendat minus atque etiam quod pendebat anteà plus. Atque profecto eadem ratione fit,vt ipſius etiam aeris mutatio in ſerenum aut turbidum, nulla re adiecta aut detracta lanci,immutet põdera.Nulla igitur res certa eſt pondus,ſed impetus internus maior aut minor, vt maior

Locorum naturalis ordo.

aut minor eſt rei cuiuſque deordinario, non enim res vlla fit dulcior aut acrior, cādidior aut nigrior, calidior aut frigidior, vtcunque res aliæ omnes mutentur, ipſa nullatenus mutata. Ipſum igitur pondus aut leuitas non eſt abſolutum quidpiam, ſed ad aliquid, vt ipſum ordinatum aut inordinatum eſſe. Fecit igitur Deus rei cuique pondus, vt craſſitiem, neque aliud eſt dediſſe pondus, quàm naturalem appetitum ſubſtandi tenuioribus. Hocque in omnibus ſubſtantiis perinde euenit. Quare quodcunque corpus eſt altero craſſius, eſt & grauius illo. Ventorum materia fumus eſt, ſeu exhalatio, vt videtur Ariſtoteli, qui turbido, & vaporibus pleno aere ſit tenuior, limpido verò & puro craſſior: quare ex terra in primam hanc regionem quæ vſque ad nubium locum pertingit, naturaliter effertur, à ſuperiori verò limpidioris aeris regione, ſuo ipſius pondere retrahitur, ac cùm neque deſcēdere per craſſiorem, neque aſcendere per tenuiorem aerem poſſit, neque loco capiatur, fit vt feratur in latera, feratque ſecum vndatim, & aerem & nubes. Fecit itaque Deus ventis pondus, neque minor eſt craſſitiei & tenuitatis, ac proinde & ponderis & leuitatis differentia (etſi id minùs conſpicuum ſit) in ſpiritalibus, quàm in aqueis, & in duris corporibus. Terræ & aquæ cōſideratio.

CAPVT XLIX.

Cap. 28. Iob: *Habet argumentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore, in æs vertitur.* rurſum cap. 37. *Ab Aquilone aurum venit.* cap. 19 *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina?*

In quinque hæc genera, quorum mentiò in hoc libro fit, reducuntur metalla omnia, aurum, argentum, æs, ſiue cuprum, ferrum, & plumbum. Nam ſtannum, & impolitum & politum eſt plumbi ſpecies, plumbum ſcilicet album; electrum (quod multi inter metalla ponunt, & Ioui dicant) reuera eſt miſtura auri & argenti. Aurichalcum, quod Hiſpane *Acofor*, & *Alton*, etſi videatur Plinius capite 2. lib. 34. cenſere eſſe peculiarem metalli ſpeciem, & ſeorſum reperiri: reuera tamen eſt æs miſtura quarundam rerum tinctum. Chalybs eſt ferrum defæcatum arte. Præter hæc nullum eſſe videtur Nam Cadmia, Pompholix, Spodium, Antiſpodium, Tutia, & Stibiū, metallica medicamenta ſunt potiùs quàm metalla, vt & alia multa; metalla De metallis. Metallorum genera. De mineralibus multa.

verò ea ſolum, quorum mentionem hîc reperimus, & in aliis ſacræ Scripturæ locis. De re metallica multi ſcripſerunt, veterum & recentium, chymicè tamen magis quàm phyſicè. Nam inueniendi & fundendi rationem docentis, eorum naturam, neque communem omnium, neque ſingulorum propriam perſecuti ſunt: tametſi enim attigerunt nonnulli, ita tamen vt deſiderentur plura. Plato in dialogo de Natura, & Ariſt. in calce tertij Meteorωn, de metallorum natura egerunt meliùs multò, quàm omnes qui illos ſequuti ſunt, quia etſi perpauca dicit de ea re vterque; omnium verò quæ dici poſſunt de ea re, fundamenta iecerunt certiſſima. Amborum eſt eadem ſententia,

Metalla quid. Metalla eſſe aquæ genera, concreta frigore, ſeu concretione generata. Quod non ita accipiendum eſt, quaſi non ſint miſta & elementis omnibus participent, ſed quod ſint ad aquam præcipuè pertinentia, plus, aut minus, vt ſingulorum eſt natura: cognoſcitur verò communis metallorum omnium natura, ex iis paſſionibus quæ communes omnibus ſunt, cuiuſque propria, ex paſſionibus ſingulorum. Quia enim metalla omnia liquabilia ſunt vi caloris, cõſtat frigore eſſe concreta, cùm neceſſe ſit contrariorum contrarias eſſe cauſas, & quæ calore ſoluuntur, frigore eſſe concreta, quod vel ſenſu ipſo deprehenditur. liquatum enim, ſiue aurum, ſiue argentũ, ſiue plumbum, amoto igne concreſcit rurſus, detracto ſcilicet calore, caloris autem priuatio frigus eſt. Hinc etiam fit, vt ad aquam potiùs pertineant, quàm ad terram, aquam enim congelat frigus & ſoluit calor; terram verò calor durat, & aqua diſſoluit. Eſſe itaque metalla omnia aquea, & concretione generari, ex his conſtat, non tamen vt glacies, cuius concretio non finitur in aliam formam, & eſt nihil aliud, quàm aquæ alioqui inalteratæ concretio Metalla enim, præterquàm quòd liquabilia ſunt, ſunt etiam compreſſilia, & tractilia, quorum neutrum glaciei accidit: quia aquæ partes friabiles ſunt, & nullo participant lentore, quo vt citra fuſuram comprimantur, aut trahantur in modum maſſæ, partes indigent. Non itaque metalla ſunt ſimpliciter concretæ aquæ, ſed aquæ genera, id eſt, aquæ modo quodam alteratæ, factæ ſcilicet, tales, vt cum concretione retineant ſubſtantiæ modum, quo comprimi poſſint, & trahi, quod idem eſt ac ſi dicas, metalla eſſe corpora concreta; pertinentia præcipuè ad aquam, liquabilia, compreſſilia, & tractilia. Compreſſilitas, & tractilitas, paſſiones ſunt quæ ex lentore naſcuntur, lenta enim comprimuntur (niſi actu ſunt liquida) & trahuntur: lentor verò naſcitur ex magna humidi cum ſicco permiſtione. Nam & maſſam ex aqua & farina, & quæcunque

medicamenta emplaſtica, plurimùm verſando, ac miſcendo reddimus lenta, & eam habemus notam magnæ miſtionis, quod lenta ſunt, quia ſeorſum exiſtentia humidum & ſiccum facilem partium à partibus ſeparationem faciunt, quam vocamus friabilitatem, paſſionem contrariam lentori. Permiſtionem itaque habet humiditas metallica ſicci non multi (prævalet enim aqua) ſed magnam, tametſi differunt alia ab aliis & miſtionis perfectione, & ſicci quantitate, vt ſunt nobiliora aut viliora Ea ſiccitatis permiſtio magna, præbet illis vt liquata & fuſa non madefaciant res, per quas diffluunt, neque imbibantur vt aqua. Nam & emplaſtris euenit, vt cùm lentorem cum quadam ſoliditate comparauerint, tractata, manus non coinquinent. Nimirum coercet humiditatem valde permiſta ſiccitas. Metallorum itaque omnium, quæ in quinque genera redigimus, hæc eſt natura, quam dictæ nobis indicant paſſiones, quibus diſſident ab aliis ſubterraneis, vt à terræ generibus & à lapidibus, lapides enim frangi ac comminui, ac illorum nonnulli findi poſſunt, non tamen liquari, comprimi, aut trahi in longum. Vnde conſtat aliam eſſe lapidum gemmarúmque generationem, & naturam; à metallicis longè diſſidentem; lapidúmque ſubſtantiam pertinere ad terram, & concretionem habere ab vtroque, à calore ſcilicet ſiccante, & à frigore conſtringente, vt fictile. Siquidem neque diſſoluuntur liquati à calore, neque diſſoluti ab aqua. Atqui hanc eſſe vulgarium lapidum naturam & ſubſtantiam, ſatis eſt manifeſtum. De fulgentium ac pretioſorum lapidum, ſeu potiùs gemmarum natura, dubitare cogit fulgor, & tranſparentia, an terra ſit: videtur enim terra opaca admodùm eſſe, atque tantæ pulchritudini obſtare. Quapropter multi illas cæleſtis ignis participes eſſe cenſent (vnde ſine euidenti calore fulgorem recipiant) & cæleſtis aquæ, vnde Cryſtallinam diaphanitatem recipiant, ſine liquabilitate. Verùm hæc Platonici audient libenter, Ariſtotelici minimè, ſed quia ad inſtitutum præſens non faciunt, redeo ad metalla. Dictum eſt ea omnia à lapidibus & terræ generibus differre quòd admoto igne liquari poſſint, & ex hac ipſa paſſione agnoſci eorum generationem eſſe concretionem à frigore. Videntur ergo illa Iobi verba, *Et lapis ſolutus calore in æs vertitur*: & naturæ lapidum, & generationi metallorum repugnare. Quia neque lapis poteſt liquari, neque æs generatur calore. Certè metallorum omnium generatio eſt, vt diximus: verba illa non tam continent naturalem æris ortum, quàm chymicum, quod ipſa res palam facit. Metalla omnia generantur (vt ego exiſtimo) ſub terra, atque illæ ipſæ aureæ arenulæ

De lapidibus.

De gemmis.

Ganges, Tagus aurifer. quæ in fluminibus inueniũtur, vt in Gange, aut Tago, de montibus deciſæ ſunt quos raptim prætetfluentes lambunt. Atque ſi quæ auri genera in montibus reperiuntur, non quidem ſupra ipſam terræ faciem genita, ſed tempore detecta ſunt. Experimento enim conſtat ea extrahi de terræ viſceribus, atque adeò profundiſſimis fodinis. Rariſſimè reperitur quodpiam metallum putum, ac citra vllam artem perfectũ, ſed confuſa alia cum aliis, ac cum lapidibus, & quibuſdam terræ generibus vnde vt ignis in fornacibus diſtillat quodcunque ſeorſum relictis lapidibus, & terra. quæ res adeò eſt nota, vt hinc nomen nacta ſint, vocenturque metalla μέταλλα, quaſi μετ᾽ ἄλλα γεγενημένα, hoc eſt, iuxta alia genita: adnaſcuntur enim alia aliis, aut aurum argento, & hoc plumbo ac nõnunquam æri, ac ferro. Concreſcunt circa lapides nonnunquã quidẽ pretioſos, aut aurum circa Adamantẽ, ac crebriùs circa lapidem Lazuli, crebriùs, multo circa alios viliores lapides. Illæ igitur fodinæ in quibus generantur metalla, aliquando altiſſimè ac longiſſimè decurrunt, & vocantur metallorum venæ: quæ quidem principia quædam habent & fines, atque in ipſa terræ facie qua ſunt venarum principia notas quaſdam naturales, eius rei peritis cognitas, quibus in illis inueſtigandis vtuntur. Significanter verò dictum eſt, Argentum habet venarum principia, & auro locus eſt in quo conflatur, quia multò magis videtur argentum in venis gigni quàm aurum, illud enim vno ductu continuatum reperitur à venæ principio, hoc autem non niſi fruſtratim & minutatim. Eſt verò eadem generationis materia metallis ſub terra, & meteorologicis in aëre. Nimirum hæ generantur ex vaporibus, & exhalationibus ſurſum latis; illa ex his eiſdem intra terram cohibitis ac iuxta lapides, aut eiuſmodi alia concreſcentibus, ac concretione firmiſſima, & paulatim facta, mutatis in ſubſtantias adeò ſolidas. Neque mirum, denſati enim vapores in aquam abeunt, & exhalationes in exuſtam terram, quibus plurimum permiſtis. ita tamen vt aqua vincat, quæ frigore concreſcens terram cohibeat, metalla generantur. Hinc meritò fit, vt chymiſtæ, ad imitandam generationem metallorum, argento viuo, & ſulfure vtantur: illud enim plurimum habet vaporoſæ naturæ, hoc fumoſæ, qualis exhalationum eſt.

Metallorum venæ.

Chymiſtæ. Hinc etiam naſcitur corroſiua illa qualitas, quæ cum quadam adſtrictione coniuncta eſt in plerìſque metallis Nimirum non conſtant ſimplici ac inalterata terra ſed exuſta, in qualem denſata exhalatio abit. Atqui vt verum vero conſonet, & meteorologica eiuſmodi habent qualitates, & nix abradit inteſtina, & pluuiali aqua vtimur ad eadem, ad quæ chalybeata, ad

ſiccan

ſiccandum ſcilicet,& abſtergendum ventrem & viſcera. Metallorum ergo in commune hæc eſt natura;ſingulorum verò propriam oportet dicere Æs, plumbum & ferrum, terræ habent plus quàm aurum & argentum, quod ærugo & ſcoria indicant, quæ maximè redundant in ære & ferro, & pondus plumbi, quod multæ terræ eſt. Aurum & argentum aquæ, ſunt genus, excoctum, ac perfectionem magnam adeptum, & optimam miſtionem. Duo accidentia videntur repugnare dictis, facilis liquabilitas plumbi,quæ aquæ magis quàm terræ eſſe videtur, & auri pondus, quod videtur eſſe terræ. Nam cùm aqua quam terra ſit leuior; quod terræ habet minùs, videtur futurum minùs graue. Sed liquabilitas plumbi non naſcitur ex pauciori terra (nam præter grauitatem, vri etiam poteſt, apta autem vſtioni ſunt terra) ſed ex imperfectiori miſtione, ob quam quod in eo eſt aqueum facilè effluit: auri verò pondus naſcitur ex denſitate ſubſtantiæ, ſunt enim leuiora quæ rariora, etiãſi aliquando craſſiora ſint,quia in ſe aerem admittunt, velut ligna. Omnia enim quæ denſiſſima non ſunt, etſi ſunt ſubſtantia terrea,efferuntur in aquas; vt itaque raritas cauſa leuitatis eſt,ita denſitas ſit pōderis, aurum verò maximè denſum ac ſine poris eſt, proinde graue eſt,& ſonitum non edit; contra ac æs, quod cùm ſit poris plenum,ſonorũ eſt,& minùs graue, etſi ſit magis terreum. Efficientem cauſam metallorũ eſſe Solem, vt & aliarum omnium rerum generabilium, dubium non eſt, neque obſtat frigore concreuiſſe; non enim quia frigore concreuerunt, frigore genita ſunt. Neque enim concretio eſt eorum ortus, alioqui liquatio eſſet interitus,non eſt tamen, cùm non minus ſit aurum quod liquatum effluit, quam quod concretum conſiſtit, nam rurſus concreſcens vt eſt re vera & apparet idẽ.Calor ergo Solis excoquens,ac commutans, ex aquæ vaporibus cum exhalationibus generat interim hāc ipſam ſubſtantiam aquæ,quæ ita alteraſcit conſtringente frigore, Neque mirum ſimul à calore ſecundùm ſubſtantiam commutari, & conſtringi à frigore. Nã non niſi maximo calore ſoluitur metallorum ſubſtantia,ac proinde minimo frigore conſtringitur, adeò vt conſtrictũ iam conſiſtat,& tangi non poſſit præ calore: non ergo frigus quod poteſt conſtringere, excludit calorem qui valeat commutare. Rectè igitur metallorum ortus tribuitur cœleſti calori, etſi conſiſtentiam à frigore recipiat Neque verò quia cœleſtis cauſæ meminimus, referri volumus certa metalla in certa aſtra, cum quibuſdam Platonicis,vt aurum in Solem, argentum in Lunam, ferrum in Martem, aurichalcum in Venerem, electrum in Iouem, plumbum in Satur

Metallorũ miſtio.

Sol cauſa efficiens metallorum.

Saturnum, æs in Mercurium. Nam hæc, & alia huiuſmodi, quæ ſola conſtāt diuinatione, ſunt quidē apud vulgus plauſibilia, re vera tamen næniæ, aut ſeniles fabulæ, quæ in Philoſophiam per vaniloquos irrepſerunt. Cùm itaque metallorum generatio ſit qualis dicta eſt, atque circa lapides, atque adeò intra lapides cōcreſcant, vix vnquam reperitur alicuius eorum portio inſignis per ſeſe, ac pura, ſed ex fodinis extrahuntur & lapides, & terræ quædam genera eius rei peritis cognita, ex quibus ignis vi in fornacibus diſtillant metalla, iiſque extractis reliquum exu-

Cadmia. ſtum ſupereſt, ſcilicet quod terreum, aut lapideum. Cadmiæ nomen datur duabus rebus, vocatur enim Cadmia lapis, ex quo in fornacibus ſecernendo fit æs Vocatur etiam fauilla quædā, quæ dum ſecernitur æs, vi ignis eleuata, fornacis parietibus adhæret. Id explicat omniū optimè Plinius lib. 34. cap. 10. dicens, *Metallā æris multis modis inſtruunt medicinam, vtpotè cum vlcera omnia ibi ocyſſimè ſanentur: maximè tamen prodeſt Cadmia. Fit ſine dubio hæc, & in argenti fornacibus candidior, ac minus ponderoſa, ſed nequaquam comparanda æraria. Plura autem genera ſunt. nam ipſe lapis ex quo fit æs, Cadmia vocatur, fuſuris neceſſarius, medicina vtilis. Hic rurſus in fornacibus exiſtit, aliamque ſui nominis originem recipit. Fit autem egeſta flammis atque flatu, tenuiſſima parte materia, & cameris, lateribuſve fornacum, pro*

Aes ex lapide. *quantitate leuitatis applicata.* Hæc Plinius. Ex quibus conſtat, æs ex lapide quodam Cadmia vocato fieri. Galenus idem aſſerit, dubitat tamen an Cadmia illa lapis vocari debeat, an terra, lib. 9. ſimpl. medic. dicens: *Cadmia fit vbi in fornacibus æs paratur. nempe tota terra illa ex qua æs generatur in fornacibus, in altum egerente velut fuliginem quampiam, vel fauillam, ſiue vtcumque appellare licebit.* At ſi non terram, ſed lapidem nuncupare velis, ex quo in fornacibus ſecernendo partim fit æs, partim Cadmia, partim diphryges, nihil ſanè retulerit. Ecce vt

Pyrites lapis. Plinio & Galeno teſtibus, fit æs ex lapide. Pyritidis etiam lapidis eſt quoddam genus, ex quo fit æs, teſte Dioſcoride, lib. 5. cap. 10. Igitur hoc idem dicitur in præſcripta dictione, his verbis: *Lapis ſolutus calore in æs vertitur, non quidem quod lapidoſum eſt liquatur (neque enim poteſt,) ſed totus lapis, ſiue nuncupatus Cadmia, ſiue pyrites calore ſoluitur, liquato metallo quod intra ſe continet, reliquo redacto in exuſta excrementa.* Quod ab Aquilone venire aurum dicit, non ita eſt accipiendum, quaſi non aliunde: nam & ab Oriente, & ab Occidente venit quam-

Auriferæ prouinciæ. plurimum, ſed quaſi inde quoque. Id verò experimento cognitum eſt, quandoquidem omnes qui de metallis ſcribunt, Panoniam, Bohemiam, & Auſtriam, & citeriorem Germaniam, inter

feraces

feraces auri prouincias commemorant. Illud porrò: *Quia mihi det, vt exarentur ſermones mei ſtylo ferreo & plumbi lamina*: non quaſi quidpiam quod fieri non poſſet, aut non etiam ſoleret, dicit, ſed potiùs ſecundùm antiquiſſimi illius ſæculi conſuetudinem. Solebant enim veteres, vt Georgius Fabricius annotauit, ex plumbeis tabulis libros componere, quales in antiquis ſepulchris repertos Neapoli ipſe teſtatur. Sed pro conditione huius operis, ſatis de his dictum eſt. Libri plũbei.

CAPVT L.

EX lib. Iob cap. 37. *Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter, qui facit magna & inſcrutabilia.* Extollere volens Eliud Dei Opt. Max. potentiam & ſapientiam, ab illius operibus quæ dicit eſſe magna & inſcrutabilia, argumentum capit, atque præcipuè à ſublimibus rebus & meteorologicis, & ipſius cœli mentionẽ facit, vtpote quæ hominibus videri ſolẽt admirabiliora. De tonitruis ergo agẽs nũc, dicit, *Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter.* Nam & Poëtis vocatur Deus ob hanc mirabilem hominis ſublimium paſſionem, Altitonãs. De tonitruum naturalibus, non eodem modo ſenſerunt veteres Philoſophi. Nam Stoici colliſu nubium fieri putabant, vt cùm apud nos aqua ad aquam colliditur, vt in torrentibus. Anaxagoras eſſe crepitum qui editur, cùm ignis, qui intra nubem incluſus eſt, & circumfuſa aqua extinguitur, vt & apud nos crepitus editur immiſſa aqua in flammam, aut prunas, ignem verò illum deſcendere ex æthere, hoc eſt, ſuperno igne, & ab acccidentibus vaporibus intercipi. Anaximander, & Metrodorus, atque Ariſt. cenſet fieri ex nubis ſciſſura, à flatu incluſo, ac fortiter erumpente, non aliter ac crepant, cùm ad ignem rumpuntur glandes aut oua, ex tormentis bellicis erumpente igne editur tonitruum. Nimirum in his omnibus rebus finditur, ac per fiſſuram verberatur vehementer aer, vnde vehemens naſcitur ſonitus. Cùm flatum qui erumpit ex nube, exhalationem igneam cenſet eſſe Ariſt. quæ non ex æthere detruſa eſt, ſed ex terra aſcendit, non minùs quàm vapor, qui eſt nubis materia, quæ ſanè ſententia dictarum omnium eſt probabiliſſima, nam collidi adeò vehementer non poſſunt nubes niſi contrariis ac vehementiſſimis incurſantibus ventis, quod quidem fieri, cùm tonitrua eduntur, non experimur, ſed plerumque aut vnico flante, aut nullo conſpicuè. Porrò non licet torrentibus conferre nubes, cùm indicatum nuper ſit, eas dum ſublimes manent, nihil aquæ continere.

Tonitrui conſideratio.

De tonitrui cauſis.

continere, ſed ſimul in aquam mutari craſſeſcente vapore, ac deſcendere. Si verò dirumpenda nube à concluſo igne aut fumo, aut denique flatu edito tonitruum efferendum, certè illum infernè ex terra aſcendere, per partes effumante terra vi Solis, vt aſcendit vapor euaporante aqua veriſimilius, quam ab æthere deturbari. Nam inde, neque pondere cadere poſſet, cùm longè tenuior aëre ſit, neque violentia vlla deturbari, cùm pars cœlo proxima ſit ſummè tranquilla, & circulari ſolùm agatur motu, cœli comes. Cùm præcipuè mihi, & in huius operis initio, & in aliis priùs indicatum, multis neque ineuidentibus argumentis ſit, nullam eſſe ignis regionem ſuperiorem, ſed totum quod inter nos & cœlum intereſt, aëre plenum eſſe, cœlum verò ipſum non eſſe igneum, talem præcipuè vt diſcerpi ac fruſtratim cadere poſſit, paulò poſt diſſeremus. Supereſt igitur veriſſimum eſſe id quod communis nunc opinio fert, tonitruum edi ruptura nubium, & proximi aëris, ab erumpente violenter igne, qui ex denſata exhalatione gignitur.

Fulmina. Velut enim flamma rareſcens in fumum abit, ita fumus denſeſcens, vbi non ſimul refrigeratur, abit in ignem. Verùm hoc ad coruſcationum & fulminum cauſas iam ſpectat, ad tonitrua illud ſolum eſt ſatis, fieri rupta nube, erumpente quadam ſpirituoſa ſubſtantia. Addit Eliud, *Qui præcipit niui vt deſcendat in terram, & hyemis pluuiis, & imbri fortitudinis ſuæ.* Pluuias moderatiores, & mediocri impetu cadentes, & caliginoſas, vocat hyemis pluuias, quia tales per hyemem cadere ſolent; largas verò & impetuoſas, quales per æſtatem plerunque fiunt, vocat imbrem fortitudinis ſuæ, hoc eſt, fortitudinis Dei, quod eſt fortitudinis magnæ. Nam frequentiſſima phraſis eſt in ſacris literis, dici Dei, quæcunque magna, vt mons Dei, quaſi mons magnus. Extollit itaque Dei potentiam, quod eius præcepto deſcendant in terram, nix, & pluuiæ hyemales, & imbres æſtiui fortiſſimi, & maximo impetu cadentes, qui Medicis vocari conſueuêre, temporales, quaſi æſtiui: quia ea pars anni vocatur particulariter Græcis ὥρα, hoc eſt, tempus. Niuem,

Niuis, grandinis & pruinæ generatio. grandinem, & pruinam à maiori frigore, fierique pluuiam roremque conſtat; primùm quidem ex ea analogia quam habent cum gelu, quod apud nos frigore fieri experimur: deinde, & ex ſolutione, quòd ſcilicet, ea omnia calore ſoluuntur in aquam. Fieri etiam aquam ex vapore denſato frigore, & anteà dictum eſt, & eodem argumento conſtat, quòd ſcilicet videmus calore reſolui in vaporem aquam. Monſtratum etiam anteà eſt, pluuias copioſiores & guttarum grandiorum, à maiori frigore fieri quàm contrarias; quia cùm aqua ſimul vt

gignitur

gignitur cadat, tanto grandiores fiunt guttæ, quanto celerius nubes in aquam mutatur. Si autem frigus eius mutationis cauſa eſt, celerioris mutationis cauſa ſit maius frigus, vbi nulla in materia differentia ſtatuitur. Grandinem etiam, quam niuem cenſet Ariſt. eſſe maioris frigoris ſobolem, argumento à maiori ſoliditate ac duritie accepto. Nos id definire curabimus, vbi ſermo inciderit de grãdine, nunc illud vnum intereſt ſcire, cur æſtate fiant largiores imbres quàm hyeme, ſiquidem maioris frigoris ſunt. Habet verò hæc illam dubitationem priorem, cur in media aëris regione (neque enim iuxta terram, neque iuxta cœlum) hæc fiant, & quæ ibi ſit talium generationis cauſa. Stoici, qui ponebant aerem natura ſua frigidiorem eſſe aqua, atque adeò primum frigidorum, dicerent, vapores & aquam denſationes illas pati ab aere, vtpote frigidiori, illo verò potiùs loco, quod ibi maximè aer naturam ſuam retineat, neque à rectis radiis adeò alteratus, quàm ſublimior, neque à reflexis, quando humilior. Ariſtot. qui aerem natura calidum eſſe putat, abit in antiperiſtaſin, dicens regionem eam aeris frigidam fieri ob circunſtantiam calidiorum. Verùm Stoici non videntur poſſe dicere, cur æſtate fiant illæ concretiones maiores quàm hyeme, dicunt enim rectè illas concretiones ibi fieri, quia aër eſt frigidus, cur verò ſit æſtate frigidior, non dicunt. Ariſtot. hoc quidem rectè dicit, nam cùm non ponat aerem per ſe frigidum, ſed ex accidenti, ob contrariorum circunſtantiam, conſequens eſſe videtur, vt quæ circunſtant contraria, ſunt maiora, ſit & aer eo in loco frigidior. Sed vellem diceret Ariſtoteles cuius ſubſtantiæ eſt illud frigus, quod per antiperiſtaſin, hoc eſt, contrarium niſum, augeſcit, an aeris, an ipſorum vaporum & aquæ. Si enim aeris, neceſſe eſt aerem frigidum ponere per ſe cum Stoicis: ſi vaporum & aquæ, ſit vt vapores ſuo ſeipſos frigore refrigerent, & præter ſuam naturam denſent, quod fieri non poteſt. Siquidem nulli dubitatum eſt illud Phyſicæ principium, omne quod præter naturam alteraſcit, aut omninò mouetur ab alio id pati. Quapropter vel his argumentis, probabiliſſimum ſit, quod & alibi, & in hoc ipſo opere probaui, concretionem non eſſe aquæ præter naturam, quin potiùs totum aquæ genus, ſi ab eo igne qui per omnia vagatur dimitteretur, concretum iri. Nam ſi aqua eſt primum frigidorum (vt certè eſt maximè conſentaneum) nullum frigus eſt illi præter naturam. Quid enim poſſit eſſe maius ſummo? Si autem concretio illi naturalis, fuſio ab aliquo externo ſit, à quo autem alio quàm à contrario, hoc eſt, ab igne? cõcreſcit igitur cùm ab igne deſtituitur: ignis

Imbres æſtate largiores quam hyeme.

ignis verò fulgorem naturaliter ſequitur ob naturæ ſimilitudinem, atque ita abundans circa cœlum ob vigorem radiorum ſolarium,& circa terram,ob eorundem reflexionem, regionem mediam deſtituit, velut & terræ penetralia, idque facit æſtate magis,quia magis dictis in locis abundat.quo fit vt ſponte naturæ in medio aeris (alioqui vt mea fert opinio temperati) vapores concreſcant in aquam, niuem, aut grandinem, idque æſtate magis quàm hyeme fiat. Dicta igitur eſt cauſa cur pluuiæ hyemales, fortes verò imbres æſtiuales ſint. De niuis natura poſteà dicetur. Verba illa: *Qui in manu omnium hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua*, explicata mihi ſunt, vbi de chiromantia egi. nunc iis præteritis procedamus. *Ab interioribus* (inquit) *egreditur tempeſtas, & ab Arcturo frigus.* Dictum anteà eſt, imbres fortes cum tonitruis, fulguribus, & fulminibus temporales vocari, illud idem vocatur nunc tempeſtas, quæ quia per fortes æſtus fieri conſueuit, vt etiam diximus, ei vt contrarium opponitur frigus. Aſturus eſt id aſtrum quod vocatur vrſa maior,vnde & nomen accepit: nam ἄρκτος vrſam ſignificat. Inde etiam accepit nomē Polus arcticus, iuxta quem voluitur, ac proinde nobis eſt ſempiternæ apparitionis. Eandem igitur partem cœli vocat nunc,nomine illius aſtri Arcturum, quam nomine venti inde venientis, anteà vocauerat Aquilonem, eam inquam quæ eſt ad Polum, quæ & Septentrio vocatur. Quæ quidem extrema cœli pars eſt, & ad ipſum polum, ſuper quo voluitur totum, ſita. Cui oppoſita eſt alia per totum mundi diametrum diſtans,alter ſcilicet Polus,qui vocatur antarcticus: Pars mundi quæ inter duos illos polos eſt, ab eis æquè diſtans, & ad medium diametri ſpectans, quæ vocatur Meridies, dicitur eſſe interior mundi pars, quaſi inter extremitates,in quibus poli ſunt media. Dicit igitur, *Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab Arcturo frigus*, hoc eſt, à meridie, vtpote calidiſſima mundi parte, & vnde flat Auſter, calidus ventus,venient tempeſtates,& procellæ, & à Septentrione frigus,quia inde venit Boreas ventus frigidiſſimus. Horum cauſas,hoc eſt quod tempeſtas veniat ab interioribus, & frigus ab Arcturo,referens in ventos,addit,flante Deo concreſcit gelu,& rurſum latiſſimè funduntur aquæ. Ventum vocat flatum Dei, hac phraſi indicans vt aliarum rerum omnium, ita ventorum eſſe primam & præcipuam cauſam Deum. Id ergo dicit, quòd flante Aquilone concreſcit gelu, & rurſum flante ei oppoſito vento funduntur,quæ concretæ erant aquæ,latiſſimè.Qua autem cauſa Auſter calidus,& Boreas frigidus non ſit, anteà dici poteſt, quàm de ventorum ſubſtantia ſit diſputatum. Inde enim

Arcturus quid.

Poli mūdi.

Tempeſtas.

Gelu.

enim & vtriuſque venti temperies, & ratio, qua alter fundit, alter concretionem facit, innoteſcet. Multi veterum Philoſophorum putauerunt, ventum nihil eſſe aliud, quàm aerem motum, eandemque ſubſtantiam, quietem vocari aerem, motum ventum, ita vt ventus eſſet, velut aeris vnda, neque ab eo differret vlla alia ratione, quàm motu. Hanc ſententiam multis argumentis refutauit Ariſtot. in cap. 4. lib. 2. Meteoron. nullum autem mihi videtur eſſe potius, quàm quòd oportet agitandi aeris aliam cauſam aſſignari, in qua venti eſſentia probabiliùs conſtitueretur, quàm in ipſo aere: nam aer qui quietus nunc ſit, quî poſſit vndatim fluere, à nulla alia re quæ interfluat agitatus? quòd ſi quæ alia ſubſtantia tenuis, ſiue vapor, ſiue exhalatio eum impellit, ea potiùs ſit venti ſubſtantia, quàm ipſe aer. Haud enim dubium eſt, cùm fit ventus aerem moueri, at verò niſi ipſe ſeipſum mouet, (quod, cùm neque ponderis neque leuitatis ſit is motus, neque replendi vacui neceſſitate factus, impoſſibile eſt) conſtat neceſſariò impelli ab alia ſubſtantia: ea verò ſiquidem non apparet, fuerit tenuis & ſpiritalis. Quid igitur prohibet eam appellare ventum? ventus igitur non eſt ipſe agitatus aer, ſed flatus aliquis aerem agitans, ac per ipſum decurrens. Hoc poſito, cum duplex ſit euaporatio, alia aquea, frigida & humida, quæ vocatur vapor, alia calida, & ſicca, quæ vocatur exhalatio, ſeu terræ fumus, & vapor, materia pluuiæ, roris, niuis, grandinis, & pruinæ ſit, conſtat ventorum exhalationem eſſe cauſam, quia magna ex parte ſolent accidere multi flatus, cum ſqualoribus & pluuiis ſuperuenientibus venti conquieſcere, quaſi ex contrariis naſcentibus cauſis, ventis & pluuiis. Hanc ob cauſam, hoc eſt, quia pluuiæ & venti ex contrariis fiunt, dicitur c. 8. Geneſeos, cùm Deus voluit, vt ceſſarent pluuiæ diluuij, adduxit ventum ſuper terram, *Adduxit* (inquit) *ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ. & clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cœli, & prohibitæ ſunt pluuiæ de cœlo.* Velut igitur fumus qui è fornace aliqua, occurſu venti effluit, diſſipatur hac aut illac, ita exhalatio, quæ vrendæ terræ fumus eſt, occurſu frigidioris, ſeu vaporis, ſeu aeris, qui in media regione præcipuè eſt, repulſa, cogitur ferri circumcirca terram, quæ ita lata dicitur ventus. Conſtat verò quandoquidem pars quæcunque terræ poteſt effumare, iſque fumus verſus quaque repelli, vt hinc aut illinc occurrit frigidior, & denſior vapor, poſſe ventum ex quacunque mundi parte in quamcunque ſpirare; neque eſſe certam vllam, vnde, aut in quam feratur. Atque ita veriſſimè dictum eſt illud cap. 3. Euangelij Ioan. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed*

Ventus quid ſit.

neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Nimirum vndecunque terra effumet fieri poteſt,& quouſque eius impellẽdi ceſſet impetus, ferri: tantùm audimus ſonitum & ſibilum, quem aëris verberatione edit. Nihilominùs venti & differentias accipiunt & nomina, à partibus ex quibus, & in quas feruntur. Iis qui ſunt in ſphæra recta ſub æquinoctiali, quatuor mundi præcipua puncta ſunt ſecundùm diametros diſtantia, Oriens, Occidens, & duo poli, arcticus ſcilicet, & antarcticus, qui illis ſunt in Orizonte. Erunt igitur illis duo Aquilones, à duobus polis venientes. Eurus veniens ab Oriente,& Zephyrus ab Occidente,& innumeri alij inter hos, vocati laterales. Nobis verò qui hanc regionem incolimus, inter tropicum Cancri & circulum arcticum conſtitutam, quam ſolam cum alia ei oppoſita, vltra alium tropicum, cenſuit antiquitas habitari poſſe, nihil cum polo antarctico: ſed ſunt alia quatuor puncta maximè diſtãtia ſecundùm duos diametros noſtri huius mũdi, quem Ariſt. dixit habere figurã tympani, habentis verò tam longitudinis quàm latitudinis fore duplum; ea ſunt Polus arcticus & Meridies, Oriens, & Occidens, nam à Polo venit Aquilo: à Meridie Auſter: Eurus ab Oriente: Zephyrus ab Occidente. Tametſi plerique Ariſtotelicorum, decepti quibuſdam eius authoris verbis c.4. lib. Meteoron, quæ minùs attentè fortaſſe ſcripta ſunt, dicunt Auſtrum, vtpote Aquilonis contrarium venire à contrario polo purà ab antarctico, & proinde Aquilonem, totum hoc hemiſphærium, quod videmus; Meridiem, contrarium & huic oppoſitum: non animaduertentes Ariſtotelem ipſum c. 5. lib. 2. Meteoron ita dicere, *Auſter quidem à ſolſtitiali fertur ſigno, neque ab alteris Septentrionibus.* Quod admodùm congruit cum præſcriptis verbis Iob, his ſcilicet, *Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab Arcturo frigus.* In quem errorẽ video incidere etiam Geographos, qui typos totius orbis terrarum nunc faciunt. Cùm enim & partes vltra & citra Meridiem, hoc eſt, vltra & citra Zodiacum deſcribant, tamen ſuos typos quatuor punctis notant, Oriente, Occidente, Septentrione, & Meridie, cùm deberent potius finiri, Oriente, & Occidente, Arctico, & Antarctico Polis. Nam faciunt Chile, & Pſitacorum regionem, & alias quæ vltra tropicum Capricorni ſunt, & earum quædam non longè à Polo, meridionales eſſe, præ Quito, quæ in ipſa meridie eſt, ſub æquinoctiali. Sed & re ipſa probatur habere vt diximus. Non enim ſolum Boreas eſt, qui ab ipſo venit Septentrione, hoc eſt, à terra ſub ipſo polo ſita, ſed quicunque verſus meridiem flat, dicitur à Septentrione venire, & in meridiem ferri etiam ſi longè citra circulum arcticum exortus ſit, &

Sphæra recta & obliqua.

Chile & Pſitacorũ regio.

Boreas.

& longè ante tropicum deſinat, ſed quia eius initium ſpectat ad Septentrionem, vt finis verſus meridiem. Eadem ratio eſt aliorum. Nimirum ex quacunque terræ parte incipere poteſt effumatio, neque opus eſt, cùm Hiſpania perflatur à Borea, perfletur etiam Germania, neque vt cùm ab Auſtro, perfletur Lybia. ſed poſſunt illæ tranquillitate frui, nondm in illis exortis ventis Si igitur hoc ita habet, inopinabile eſt, Auſtrum qui nos attingit, ab arctico polo venire poſſe, & præter rationem, tam longinquam illi principij ſtatuere terminum, ac non potiùs in interiori illa mundi parte, quæ vocatur Meridies, quam percurrunt Planetæ. Cùm præcipuè ſiquis flatus inde huc penetraret in ea regione eſſet naturam permutaturus, atque eò vſque futurus Aquilo, laturuſque frigus, inde iam futurus Auſter, & laturus tempeſtates, cùm ab interioribus egrediatur tempeſtas, & ab Arcturo frigus. Verum his de differentia ventorum ſecundum loca enarratis, ſupereſt dicamus, quod ad eorum temperamenta pertinet, & ad rem præſentem maximè facit; quandoquidem ventorum differentias non accipimus ex materia, ſed vnicam omnium ponimus, putà exhalationem fumo ſimilem, conſtat ob aliud quidpiam fieri, vt non eadem omnium temperies ſit, ſed Aquilo ſit frigidus & ſiccus, Auſter calidus & humidus, Eurus & Zephyrus inter illos medij, & inter ſe quàm minimùm diſſidentes. Id verò nō poteſt eſſe aliud, quàm illud vnde accipitur differentia, loca nempe à quibus, & in quæ feruntur, ob quæ meritò euenit, vt Aquilo & Auſter inter ſe diſſideant plurimùm, Eurus, & Zephyrus minimùm, quia Septentrio & Meridies plurimùm diſſident, cùm alter calidiſſimus, alter frigidiſſimus locus ſit: Oriens & Occidens quàm minimùm diſſident, cùm ad vtramque partē æquè Sol accedat, & qui aliis Oriens, aliis Occidens ſit. Diſſident verò hi duo ab Auſtro, non tam ob locum ex quo, quàm in quē ferūtur. Illi enim feruntur à ſimilibus in ſimilia, ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Orientem, hic à contrario in contrarium, putà à Meridie in Septentrionem: verùm hæc generatim dicta ſunt, accedamus propiùs. Siquidem indicatum eſt, Boream non ſemper venire à Septentrione, neque Auſtrum à Meridie, ſed vndecunque poſſe incipere quemcūque vt cōtigerit huc aut illuc ferri, conſtat differentiam non accipi à loco ex quo primo, ſed è loco verſus quem, atque adeò poſſe Aquilonem & Auſtrum oriri ab eodem loco, vt ſi flare incipiat à Carpentania, & feratur in Bœticam, Boreas ſit, ſi ab hac ipſa, & feratur in Cantabriam, ſit Auſter. Quæ igitur cauſa ſupereſt, qua alius frigidus & ſiccus, alius calidus & humidus fiant? Dictum iam mihi pluries eſt,

De ventorum temperie.

ignem elementarem non eſſe vno quodam loco vt reliqua elementa, ſed permeare per omnia, ſequi verò magna ex parte Solis lumen, atque ideò vbi plus luminis eius, eſſe etiam plus caloris. Conſentaneum mox eſt, vt ad Meridiem ſit copioſiſſimus, & inde ad mundi latera ſeſe effundat: nimirùm vt ipſum lumen Solis. His poſitis, fit vt ventus, qui contra meridiem fertur, ignem à rebus quibus occurrit abigat, illi contrarium motum ſubiens, qui verò fertur contra Septentrionem ignem adducat, ſimilem illi motum ſubiens qui verſus Orientem aut Occidentem, neq; admodum hoc faciat neq; illud, quia neque ſimilem, neq; contrarium motum ſubit, ſed tranſuerſum. Hinc rurſus fit, vt qui flat verſus meridiem, refrigeret fugans ignem, qui verſus ſeptentrionem calefaciat eum adducens. Rurſum, qui refrigerat ſiccat quoque, idque duplici de cauſa, & quia ipſe ſiccus eſt vt fumus, & quia refrigeratio denſationem facit, & expreſſionem humidi vt in refrigeratis herbis & arboribus conſpicitur: qui calefacit humectat non per ſe (ſiccus cùm ſit, ſed quia calore facit humorem fundi, qua cauſa & in hominibus ciet multas fluxiones Auſter.

Venti ad Orientem & Occidentem flantes.

Qui flant ad Orientem aut Occidentem, nihil horum faciunt inſigniter, ſed temperant modicè, vt aer per ventilabrum citra faciem motitatus. Similis etiam cauſa eſt, qua Boreas fertur vehementiùs, Auſter lentiùs, Eurus & Zephyrus mediocriter. Nimirum qui contra ignem fertur, fertur à frigidiori ad calidiorem, à denſiori ad rariorem aerem, quare inde magis expellitur, huc faciliùs recipitur, ferturque vt quod in decliue, contra quod fertur in frigidiorem & denſiorem quod in accliue: quæ feruntur in ſimilia, vt quæ per planum & mediocriter. Hæc eadem cauſa eſt, qua qui nauigant in meridiem, citiùs multo illud pertingant, quam inde huc remeent: quod non intelligentes, qui ab Hiſpania ad noſtras Indias feruntur, contendunt mare illam in partem eſſe decliue. Neque mirum, cùm ob eandem ignorantiam viſum ſit plurimis veterum Philoſophorum, & cœlum & terram imminere magis ad Septentrionalem plagam, ad meridiem verò inclinatum eſſe orbem, qui & excogitauerunt plurimas eius ſitus cauſas. Diogenes & Anaxagoras factum iam orbem ipſamet prouidentia, à qua erat factus, fuiſſe inclinatum in meridiem magnæ cuiuſpiam vtilitatis cauſa. Empedocles vento refugiente verſus Septentrionem impetum Solis, diſtenta eſſe cœli latera, & vrſas eſſe loco motas, & eleuatas, atque Auſtrinas partes depreſſas, atq; ita totum mundum illò inclinaſſe. Leucippus procubuiſſe terram ad meridiem, quòd partes mũdi Meridionales

ratiores ac ſolubiliores ſint ob calorem , Septentrionales denſiores & magis renitentes. Democritus augeri omnia ad Meridiem ob generantem Solem , atque ideò terram ea parte grauatam frugibus , & auctu , procubuiſſe. Sed hæc omnia ſunt ineptiæ infantilis illius Philoſophiæ. Non mundum totum perfectam ſphæram eſſe euidenter indicant Aſtronomi , quia omnes cœli partes diſtant centro æquè, quare non eſt alia clarior, alia demiſſior : neque terra habet aliam vllam mundi partem ſe humiliorem , in aquam grauata inclinet , neque alorſum nititur quam in ſuum centrum. Cauſa verò ob quam illæ opiniones inter primos illos naturæ inueſtigatores , ac nunc inter vulgares ortæ ſunt, eſt , vt diximus , in aere qui ad meridiem tenuior eſt , & in ventis,qui vt Ariſtot. quoque ſecundo Meteoron animaduerit, magis flant à mundi lateribus,ac fortaſſe etiam accedit, quibuſdam in locis,copia maiorum fluminum, qui confertim irruentes in mare, per ſatis magnum ſpatium remorantur nauigia. Id verò ſentitur in quibuſdam Iſthmis, vt in Ponto , & in Occidentalibus Indiis, iuxta recentem vocatam Carthaginem. Ex dictis facilè conſtare poteſt, cur ab interioribus, hoc eſt, à Meridie, oriatur tempeſtas, hoc eſt, æſtiuales imbres,cum fulguribus, fulminibus, & tonitruis. Nimirum, ſunt hæc omnia magni caloris, qui inde trahit originem , vnde ignis huc agitur flante Auſtro : frigus verò ab Arcturo, vnde venit Boreas. In eadem ſententia perſtans Eliud addit, *Flante Deo concreſcit gelu , & rurſum latiſſime funduntur aquæ.* Ventum appellat flatum Dei, hac ratione innuens quod Pſal. 134. his verbis dicitur: *Qui producit vẽtos de thauſauris ſuis.* hoc eſt ſua infinita virtute & omnipotentia. Quæ verba facilè nobis indicant, quàm ſit mirabilis ventorum natura , cùm de eorũ creatione Deo tanta accedat gloria. Quapropter non tantum mihi tribuo, vt exiſtimem me vel huius leuiſſimæ rei cauſam inueniſſe, ſed, vt in aliis omnibus, quæ pertinent ad naturã, ad probabilitatem vſque diſputaſſe. Ergo, inquit, *flante Deo* (per Boreã ſcilicet, quia exprimit ignem) *concreſcit gelu: & rurſũ Deo flante* (per Auſtrum , quia adducit ignem) *latiſſimè funduntur aquæ.* Addamus reliqua. *Frumentum* (inquit) *deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum, quæ luſtrant cuncta per circuitũ, quocunque eas gubernantis voluntas duxerit, ad omne quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum ſiue in vna tribu , ſiue in terra ſua , ſiue in quocumque loco miſericordiæ ſuæ , eas iuſſerit inueniri.* Omnes qui benè philoſophati ſunt, conuenerunt in hanc ſententiam , nihil omninò eorum quæ natura conſtat factum eſſe caſu, aut temerè, aut fruſtra, ſed omnia alicuius gratia, atque

Tẽpeſtas à Meridie oritur.

adcò primam omnium rerum cauſam eſſe in fine cuius gratia fiunt. Si igitur hoc, de ea natura quæ coniuncta rebus eſt, rectè dicitur, & vſque adeò nihil eſt fruſtra ab ea factum, vt vel ipſis excrementis quæ neceſſitate potiùs quàm vtilitate videntur generari, animalium natura vtatur ad commoditates non exiguas, vt in libris de vſu partium Galenus conſpicuè indicat, quantò magis ita de Deo Opt Max. ſentire oporteat, qui cùm ſit Optimus, nihil fecerit niſi bonum; bonum verò eſſe non poteſt ſine vlla vtilitate; cùm verò ſit Sapiẽtiſſimus, atque potentiſſimus, nulla neceſſitate cogeretur facere quod nulli vſui futurum eſſet Hac ratione Eliud, cùm nubium & aliorũ meteorologicorũ generationem, vt in facientem cauſam retuliſſet in Deum, qui vt eſt prima omnium quæ fiunt, & facta ſunt cauſa, alias omnes continet, apponit etiam & finem, & cuius gratia fiunt. Quaſi diceret, neque quidem fruſtra aut oſtentandæ ſuæ poteſtatis cauſa Deus nubes fecit, ſed magnæ cuiuſdam beneficentiæ, ſiquidem frumentum, ex quo fit panis, qui confirmat cor hominis, deſiderat nubes, quandoquidem illis ſpargentibus lumen ſuum, & pluentibus, fruitur neceſſario humore.

Nubium lumen.

Nubes ſpargere lumen ſuum, nihil eſt aliud quàm pluere, quod ideò dici videtur, quòd diſſipatis pluendo nubibus, ſpargitur lumen quod ab illis intercipiebatur: perinde ac ſi illæ lumen & aquam cõtinerent, ac vtrumque demitterent, ac ſpargerent, cùm tamen illæ reuera neutrũ contineant, ſed in aquam mutentur, & diſſipatæ, diffundẽdo lumini locum dent, ſed ex eo quod ſenſui apparet nata phraſis ea eſt, qua rurſum ſtatim vtitur: *Nunquid ſcis quando præcepit Deus pluuiis, vt oſtenderent lucẽ nubium eius*? Itaque dicit, *Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum*: quaſi dicat deſiderat frumentum nubes, quia nubes pluunt. Neque verò ſolùm non ſunt factæ temerè nubes, ſed ne mouentur quidem temerè, nam *luſtrant cuncta per circuitum quocunque eas gubernantis voluntas duxerit*, vbicumque ſcilicet velit Deus pluere, *ſiue in vna tribu*, ſiue in alia, *ſiue in terra ſua*, hoc eſt, ſeruorum ſuorum, ſiue in aliena & inimicorũ, *ſiue in quocunque loco miſericordia ſua eas iuſſerit inueniri*. Nimirum *pluit ſuper iuſtos & iniuſtos* (Matth cap. 5.) Et hæc eſt vera & perfecta ſcientia viarum nubium, ſcire ſcilicet eas in Dei voluntatem & prouidentiam referri, de qua ſtatim ſubdit, *Nunquid noſti ſemitas nubiũ magnas & perfectas ſcientias*? Nimirum, qui conſiſtũt intra cauſas naturales, non reſoluunt vſque ad primas, ac proinde non habent perfectas ſcientias, ſed illi ſolùm qui naturalibus non dimiſſis (id enim inſipientiæ eſt) procedunt vſque ad primæ cauſæ bonitatem, quod principium

omnium

omnium eſt. Sed nubes quidem, atque per has pluuiæ, &nix, & ros, & pruina, quia etiam & venti, haud præſtant obſcuras commoditates: omnia enim hæc ſuis temporibus, & per quaſdam viciſſitudines, terræ iuuant fœcunditatem. At verò quædam alia nulli prorſus vſui eſſe videntur, quibus id quod de omnium rerum vtilitate dictum eſt, videtur redargui. Quid enim commodi eſt ex grandine. Quid ex fulguribus? Quid ex fulminibus? Certè hoc nullus Philoſophorum poſſit dicere, quin cogatur concedere factum eſſe aliquid fruſtra, quàm conſcendendo in iudicia Domini, ac de illis philoſophando, iuxta illud quod proximo cap. dixit idem Eliud, his verbis, *Per hæc enim iudicat populos, & dat eſcas multis mortalibus* quæ verba ſignificant, vti Deum his rebus, partim ad mortaliũ eſcas, partim ad iudicandos populos Sunt igitur horum pleraque ad vtrumque vtilia, nam pluuiæ, & venti maximi ſunt vſus ad frugum prouentum: iudicauit verò per pluuias apertis cœli cataractis mundum, & euertit quotidie in mari triremes & in terra tecta & domos, vt vel domum in qua epulabantur filij Iob, & integras vrbes impetu ventorum. Nonnulla etiam ſunt quibus ſolùm vtitur Deus ad iudicandos populos, vt grando & fulgura, & multò magis fulmina. Quod etiam Dominus ipſe cap. 38. huius libri dicit his verbis: *Theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparauit in tempus hoſtis, in diẽ pugnæ & belli*. vt vel ex ex his poſſint homines, ſi prudẽtes ſint, agnoſcere, eſſe qui res humanas conſideret, & populos diiudicet. Quod ille etiam Ethnicus Poeta optimè inſinuauit, dicens, *Iupiter optime aſpicis hæc? An te cum fulmina torques, nequidquam horremus?* Itaque nubium, & plurimarum in aere prouenientium rerum, vtilitas magna eſt ad fruges, quibuſdam verò earum tantum vtitur Deus ad iudicandos populos. Eadem ratio eſt peſtis, atque adeò morborum omnium, mortis, & eorum quæ nihil aliud quàm venena ſunt: quæ complexus eſt Eccleſ. cap. 39. his verbis: *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt, beſtiarum dentes, & Scorpij, & ſerpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios.* Vbi ignis nomine intelligo fulmina & reliquos ignes meteorologicos, aut æternum paratum diabolo & Angelis eius, nam vſualis ignis longè maxima vtilitas eſt. His dictis, redit Eliud ad naturam ventorum, dicens: *Nónne veſtimenta tua calida ſunt, cùm perflata fuerit terra Auſtro?* quæ verba ex dictis habent facilem interpretationem. Nam iudicatum anteà eſt. Auſtrum allicere ignem, ac proinde calefacere & calore aquam fundere. Hinc euenit, vt veſtes eo flante caleant, atque calore externo vincente, tinea exedantur: quod

Pluuiæ niuis, roris & pruinæ vtilitates.

Meteorologicorũ vtilitas.

quod perſpectum habentes quibus illæ curæ ſunt, flante Auſtro veſtes recondunt, contrà ad Aquilonem ſuſpendunt. Perinde contigit in aliis omnibus rebus quæ aſſeruantur, vt in vino,& eduliis, & omnibus frumenti generibus: ea enim omnia ad Aquilonem ſeruantur diutiùs,ad Auſtrū computreſcunt breui. Verùm hoc dictorum nuper corollarium eſt, vt & illud quod paulò poſt dicit: *Subitò aër cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas.* diximus ſiquidem iam, ventos & nubes ex contrariis cauſis fieri, atque ideò magna ex parte ſeſe mutuò tollere, atque ſuperueniente pluuia extingui ventos,& ſuperuenientibus his fugari nubes. Quod nubium generationem nunc tribuit denſationi aeris, non repugnat iis quæ nuper diximus, putà eſſe ex vapore. nam vapor ſubſtantiam habet inter aquam & aerem. Quapropter aqua in aerem, & aer in aquam per vaporem, illa extenuata, hîc craſſeſcens. Nubes ergo fient ex vapore, qui partim aſcendit ex aqua extenuata, partim ibidem generabitur ex aere craſſeſcente, ſecundùm quam partem veriſſimè aer cogetur in nubes.

CAPVT LI.

De cœlo multa.

EX cap. 37. Iob: *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.* De ſubſtantia cœli, eius in quo, aut cum quo volutantur aſtra, quem veteres omnes vocauerunt æthera, ἀπὸ τοῦ θεῖν ἀεὶ (interprete Ariſtotele) hoc eſt, à perpetuo curſu, dubitatum eſt plurimùm à Philoſophis: ſiquidem nonnullis veterum viſum eſt rationi conſonum, eam mundi partem, vt eſt ſuprema, ita eſſe tenuiſſimam, ſiquidem & in aliis omnibus, de quibus vtpote vicinioribus, poſſumus iudicare, ita fieri conſpicimus, vt quò ſuperius eſt aliquid, eò ſit & tenuius. Itaque eſſe regionem quandam, ſubſtantia alia, aere longè puriori & tenuiori plenam, per eamque ferri aſtra omnia per ſeſe, quaſi volantia. Pleriſque tamen atque adeò optimis (nam Pythagoræ, Parmenidi, Platoni & Ariſtoteli) viſum eſt, cœlum ſubſtantia quadam conſtare firmiſſima & ſolidiſſima, adeò vt penitus neque diuiſionem, neque diſtractionem recipere poſſit,& aſtra partes eſſe ipſorum orbium,ac cum illis ferri haudquaquam proprio concitata impetu. Ex eo

De aſtris præclara.

verò quod de motu aſtrorum quis ſentiat, pendet, & quod de cœli ſoliditate ſit conſentaneum. Si enim aſtra feruntur per ſe per cœlum, illud certè eſt tenuiſſimum, & facillimè cedens: non

non enim tanta poſſet eſſe aſtrorum celeritas medio reſiſtente. ſi autem illa feruntur cum orbibus, conſtat orbes tantò ſolidiores eſſe adamante, vt penitus diuidi non poſſint. Nam alioqui, ſi ferrentur velut impulſa à ſubſtantia aliqua vehementer concitata, & diſſipabili, vt quæ a ventis impelluntur, haudquaquam poſſent ferri eadem ſemper celeritate, neque eidem viæ ſemper inſiſtere, ſed iactarentur temerè, vt quæ à ventis: nunc autem videmus regulari ferri latione, & à certiſſimo tramite ne latum quidem vnguem vnquam declinare: igitur ij orbes cum quibus feruntur, nullam partium diſtractionem accipiunt vnquam, ſed feruntur toti ſimul firmiſſimè. Neque hoc aliter fieri poteſt: quapropter eorum ſubſtantia neque diuidi, neque diſtrahi poſſit, ſit igitur ſolidiſſima. At verò probabilius multò eſſe aſtra deferri cum orbibus, quàm in illis per ſe moueri, multis argumentis probat Ariſt. acceptis ab aſtrorum figura, & ei accomodatis motibus, & ab eorum celeritate & ab aliis eorum paſſionibus. Mihi verò videtur illud firmiſſimum, ſi quis velit recipere quod mihi in Phyſicis monſtratum eſt, putà raritatem & denſitatem conſiſtere in anguſtia aut amplitudine pororum. Si enim aſtra ferrentur per cœlum, neceſſe eſſet illud ſecundùm partem anteriorem aſtri denſari, & ſecundùm poſteriorem rareſcere, ſi verò rareſceret & haberet poros, eos ergo aut vacuos, aut plenos ſubſtantia alia tenuiori: eſt igitur vacuum, aut ſubſtantia alia cœlo tenuior. Illa verò ſi tenuior ſit & cœlo ſuperior, de illa rurſum ſciſcitabor, an raritatem accipiat, atque ita peruenire neceſſe erit ad ſubſtantiam tenuiſſimam nullam raritatem aut denſitatem recipientem, aut abire in infinitum. Si autem in talem vllam ſubſtantiam peruenire neceſſe eſt, cur non ſit ſtatim cœlum eiuſmodi? Neceſſe eſt igitur aſtra cum cœlo ferri, ac non per cœlum, aut dari vacuum. Prætereà ſi Sol, Luna, & alij planetæ per ſe mouerentur, non poſſent moueri regulariter, ſed nunc celeriùs, nunc tardiùs, quia eodem tempore, putà die naturali, deſcribunt circulos nunc maiores nunc minores, vt accedunt ad æquinoctialem circulum, aut recedunt: at verò Ariſtoteles multis argumentis probat ſecundo de cœlo motum cœleſtium corporum eſſe regularem: non igitur mouentur per ſe aſtra, ſed cum cœlo, quod eſt vt mundi murus, vt dixit Parmenides, ſolidiſſimum. Cui ſententiæ plurimùm atteſtantur præſcripta verba Iob: *Solidiſſimos quaſi ære fuſi.* Quibus conſonant & hæc Homeri οὐρανὸς πολύχαλκος, id eſt, *Multi æris cœlum.* Multæ autem hinc quoque videntur oriri dubitationes, nam ſi cœlum ſolidum eſt, non videtur eſſe corpus ſimplex, ſed

An aſtrorum ſubſtantia ſit tenuior cœlo.

compoſitum ex elementis, vt quæ penes nos ſunt, quod ſi eſt, erit vtique & corruptibile vt hæc, ſi autem corruptibile illud eſſe admittimus, nihil euenit incommodi, etiamſi tenue eſſe illud recipiamus, & dirumpi à percurrentibus aſtris, quare ita quoque videtur fieri rurſum, vt non ſit opus illud ſolidum ponere. Quod verò fiat vt ſi ſolidum eſt, conſtet elementis his, docet Plato in dialogo de Natura, his verbis: *Sine igne videri nihil poteſt, nihil ſine ſolido tangi, ſolidũ ſine terra nihil.* Hinc apertè fit vt cœlum duobus his elementis conſtet, ſi ſolidum eſt, nam & videntur aſtra, quæ eiuſdem ſubſtantiæ cuius & ipſum cœlum eſſe inter optimos conuenit Philoſophos. ſi autem habet hæc duo. putà ignem & terram, habet certè & reliqua duo, putà aquam & aërem, duo enim illa per ſe vniti non poſſunt, nam ſicci & ſolidi partes, vt putà terræ, non cohærent niſi humido aqueo agglutinentur, ſicco enim igneo penetratæ magis dehiſcunt. Igitur vt ad ſoliditatem terra, ita ad continuitatem indiget aqua: aqua verò & ignis malè aptabuntur ſine medio aere, neque ſine eo habebit diaphanitatem. Si igitur cœlum eſt ſolidum compactum, diaphanũ, & aſpectabile conſtabit ex terra, aqua, aere, & igne Rurſum, cœli partes non ſunt omninò ſimiles, ſed aſtra aſpectabiliora, & minùs diaphana (quodcunque enim intercurrat, occultat aliud quodcunque) reliquum cœlum diaphanum magis, ſed minùs venit in conſpectum, non poteſt ergo eſſe cœlum omninò ſimplex ſubſtantia. Nam vnde naſcerentur illæ contrarietates? contrarietatis enim admiſtionem habet omne quod dicitur ſecundum minus: in ſimpliciſſimo verò non poteſt eſſe vllius contrarietatis, ne tenue quidem initium. Concedendum itaque videtur, cœlum ſimplex omninò corpus non eſſe, ſed conſtare ex elementis. Concedendum certè, vt mihi videtur, hoc Platonicis dictis argumentis: non tamen ex iiſdem penitus, ex quibus quæ penes non ſunt, ſed ex homonymis. ex igne inquam cœleſti, & aqua cœleſti, & terra aereque cœleſtibus, vt in Geneſeos enarratione diximus. Sed cur videntur ignis. aqua, terra, & aer, ſi non ſunt qualia hæc? certè ob analogiam: quia quod ad ſubſtantiæ modum attinet, habent præſtantius etiam quàm ille, tametſi contrarietate qualitatum actiuarum, caloris inquam, frigoris, humoris & ſiccitatis carent. Hinc fit, vt cœlum fulgentius atque aſpectabilius, & ſolidius, & compactum diaphanúmque magis ſit, quàm alia omnia corpora, incorruptibile tamen, neque diſſolubile, quia caret principiis naturalis corruptionis, putà calore, frigore, humore & ſiccitate. Sed neque rarum neque denſum eſt, quia poros nullos habet: neque craſſum, neque tenue, quia

Cœlũ incorruptibile.

neque

neque in parua neque in magna comminui poteſt, ſed fulgens ſine calore, ſolidum ſine ſiccitate aut craſſitie, compactum ſine humiditate, diaphanum ſine poris. Non igitur differunt aſtra à reliquo cœlo maiori craſſitie, neque denſitate, ſed miſtionis modo, quodque habent ſui ignis plus, & ſui aëris minus. Verùm etſi quia actiuis qualitatibus caret, naturaliter corrumpi non poteſt cœlum, eſt tamen (compoſitum cùm ſit) diſſolubile, & commutabile, ab eo videlicet à quo compactum eſt, purà à Deo: *Omne ſiquidem quod vinctum eſt* (vt inquit Timæus) *ſolui poteſt*, ac fortaſſe etiam diſſoluetur, & permutabitur, cùm ſiſtetur hic cœli motus, & finientur lux & tenebræ, velut & omnes aliæ mundi partes. Elementa quidem reddentur puriora; cœli verò in meliorem ſubſtantiam mutabuntur. Nam Marci 13. dicitur: *Cœlum & terra tranſibunt.* & Pſal. 101. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Et in tertio cap. epiſt. 2. Petri: *Nouos verò cœlos & nouam terram, & promiſſa ipſius expectamus.* Iob quoque c. 14. inquit, *Homo cùm dormierit non reſurget, donec atteratur cœlum, non euigilabit, neque conſurget de ſomno ſuo.* Cœli interitus.

Ex quibus verbis conſtat cœlum atterendum eſſe ante reſurrectionem mortuorum. Neque certè Philoſophiæ diſſonum eſt cenſere, ſi cœlorum motus ceſſaturus in æternum eſt, mutandam quoque eorum ſubſtantiam in aliam, cuius natura motum non ſpectet, quod in æternum ſit caritura, ſed gaudeat quiete, quam ſit ſemper actura. Neque enim perpetuum quidpiam quod violentum. Sed de hoc iterum diſputabitur.

CAPVT LII.

Cap. 38. Iob: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam, quis poſuit menſuras eius ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem eius? quis concluſit oſtiis mare quando erumpebat, quaſi de vulua procedens, cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud, quaſi annis infantiæ obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: Vſque hûc venies & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Hæc

De Dei cognitione.

Hæc verba ſunt Domini ad Iob. Quibus illum inſcitiæ & ignorarionis rerum naturalium arguens, vult ad ſui cognitionem trahere. Diſſeremus in hoc ipſo opere, enarrantes locum quendam Eccleſiaſtes, nullum eſſe maius compendium ad cognitionem ſapientiæ Dei, quàm ſenſum noſtræ ignorantiæ, quod Eliud etiam in ſuperiori capite tetigit dicens: *Memento quòd ignores opus Dei de quo cecinerunt viri* (hoc eſt, naturam rerum de qua ſcripſerunt plurimi Philoſophi, & ante Platonem omnes in carminibus) *omnes homines vidēt eum* (hoc eſt, aliquatenus agnoſcunt ex ſuis operibus) *vnuſquiſque intuetur procul*, quaſi diceret, nullus tamen accedit ad ipſius veritatis cognitionem. quia omnes intuentur procul. *Ecce Deus magnus vincēs noſtram ſcientiam.* Hoc eodem argumento adducit nunc Dominus Iob, ad ſuæ ſapientiæ contemplationem, ponens illi ob oculos mirabilia, quorum cauſas nullus Philoſophorum inuenire ſatis potuit. neque nos quidem poſſemus, niſi magno Dei beneficio per diuina oracula eſſemus docti. Primùm igitur maiores mundi partes, hoc eſt, elementa & cœleſtia corpora, percurrit: deinde animalium quorundam omnis generis hiſtoriam attingit: de quibus omnibus diſputatum ſatis à Philoſophis eſſe conſtat, nihil autem perfectè eſſe traditum, conſideranti palam fiet. *Vbi* (inquit) *eras quando ponebam fundamenta terræ?* fundamenta terræ nullus Philoſophorum vnquam ſomniauit (niſi fortè Pythagoras duplicem conſtituens terram, marem & fœminam) neque enim terram ex diuerſis partibus conſtitiſſe, vt domum aut templum, ſed vt ſimplex quiddam & homogeneum eſſe corpus, ſui ſimile ſecundùm omnes, neque eſſe alias aliarum fundamenta. Re vera tamen non ita eſt. Neque enim terra, eum quem nunc ad aquam ſitum tenere poſſet, ſi qualis ſecundum faciem hanc quam terimus, tota foret: aut enim aquæ tota moles extremitatem ſolùm terræ lambet, ſecundùm eam eius partem quæ recta eſt, vt nunc videtur (ſi quidem nulla parte videtur mare leuca profundius, vt teſtantur nautæ) aut præter hanc aquæ molem, eſt intra terræ profundiſſima viſcera magnus abyſſus, longè maximam ipſius terrei globi partem occupans. Si primùm fieri non poteſt vt aqua ſit centeſima pars terræ, nedum terra ſit decima (vt cenſetur) pars aquæ. Si autem hoc vltimum, quî fieri poſſet, vt interior terræ pars non eſſet humore diſſoluta, & tota ſubſediſſet in ſeſe, in aquam merſa, niſi fundamentis firmiſſimis inniteretur? Innititur ergo haud dubiè, conſtatque ex iis quæ conſpicimus, imam terræ partem eſſe plus quam admantinam, atque adeò Deum feciſſe hunc terræ globum quem incolimus,

De fūdamentis terræ.

incolimus, verſus centrum ſolidiorem, vt in omni ſecundùm rationem conſtituto ædificio fieri debet; ad ſuperficiem verò friabiliorem, vt teri ac ſulcari, & humore miſceri potens, rerum generationi eſſet vtilis. Non eſt igitur (dices) in ſuo loco ſimplex, neque elementum. Certè eſſe in ſuis locis pura elementa, pueri putant, & qui nondum ære labantur: doctorum verò nullus non videt, nihil non eſſe alteratum, neque verò eſſe poſſe. Ariſt. in auditoriis libris qui re vera ſcribebantur ad inducendos tyrones, multa dicit quæ prouectiores debent accipere vt hypotheſes, velut, eſſe corpora ſimplicia quatuor, quæ reuera neque ſunt neque eſſe poſſunt, ponuntur verò ob quatuor naturas, quas in cõcretis ſentimus, ſecũdùm quas fiunt rerũ commutationes, calidum. ſcilicet, frigidum, humidũ & ſiccum. Plato hoc docuit elegantiſſimè, dicens, *Sic de illis verba facimus, eaque mundi primordia conſtituimus, cùm ne ſyllabarum quidem, ne dũ elementorum vicẽ tenere, apud homines mentis quoque modo compotes debeant.* Itaque ſimplicitas terræ non obſtat quominùs Deus fundamenta terræ iecerit, quibus partes eius ſuperiores inniterentur. Addit. *Quis poſuit menſuras eius ſi noſti?* vt in vndecimo capite Sapientiæ ſcriptum eſt, *Omnia diſpoſuit Deus, menſura, numerò, & pondere.* Nimirum, mundus opificium eſt pulchertimum, ſiquidem optimi artificis, ad pulcherrimum exemplar. Ad pulchritudinẽ verò ſpectat, vt neque quantæcunque magnitudinis ſint membra, neque ad ſe mutuò ſine certa proportione, ſed ſingula certæ cuiuſdam magnitudinis, & ad ſeſe elegantiſſimam habentia proportionem, ſimulque ad totius vtilitatem maximè accommodatam. Neque terrã igitur, neque aquam, neque aërem, neque orbium cæleſtiũ vllum, ſed neque aſtrorum omnium minimũ fecit Deus negligenter, ſed omnia magnitudinis cuiuſdã, ad mundi totius, & ad cuiuſque alterius partis magnitudinem, pulcherrimam habentes rationẽ, quam tamen agnoſcere, ac explicare apertè, eius eſt ſolius qui fecit ac penes quem eſt illud æternum exemplar, cuius imitatione effecta ſunt. Tametſi enim Pythagorici (quos ego viros proſequor magna admiratione) in hac contemplatione plurimum laborauerũt, & pro captu hominum plurimum aſſequuti ſunt, tamen intuiti etiam illi ſunt procul: longè autem magis Xenophanes qui infinitæ magnitudinis eſſe inferna ex parte eſt opinatus. Aſtrologi ſeptem mille leucarum Hiſpanarum eſſe dicunt totius terrei globi peripheriam, vt ſunt illorum rationes euidentiſſimæ, non admodum poteſt hoc à certa eius menſura declinare. Quæ autem huius certæ menſuræ in terra condenda fuerit ratio, ſcit mundi opifex: conſtat tamen dictis argumẽtis

Mũdi pulchritudo.

Mundi menſura.

eam

eam fuiſſe diuiniſſimam, & ad totius pulchritudinem (cum qua vtilitas neceſſariò coniuncta eſt) ſpectaſſe. Addit: *Vel quis tetendit ſuper eam lineam?* Terra in mundi medio ita ſita eſt, vt eius centrum totius quoque mundi ſit, atque ita rotunda, vt omnes extremitatis eius partes æquè à centro diſtent, & tota terra æquè ab omnibus cœli lateribus, hæcque omnia tam exactè, ac ſi mundi opifex à polo ad polũ lineam tetendiſſet, & medio lineæ puncto alligaſſet terræ mediũ, eamque circino quodam rotundam effeciſſet. Quod quidem Plato animaduertit in Timæo, dicens, *Terram autem altricem noſtram circa polum per vniuerſum extenſum circumuolutam, diei noctiſque effectricem, & cuſtodem eſſe voluit.* Tanta igitur opificij perfectio ſapientiæ artificis maximum argumentũ eſt, quod redarguuntur omnes qui caſu ita cadentibus corpuſculis, factum eſſe mundũ affirmabanr. Quæ enim dementia eſt ſibi perſuadere, immenſitatẽ inſectilium corpuſculorum, tam aptè cecidiſſe caſu, vt nihil ineptũ in toto mundo extiterit, ſed omnia ita, vt ne minimam particulam eorum quæ còierint fortuitò, ſapientiſſimi cuiuſpiam arbitrium poſſit emendare, aut cuiuſpiam ſani hominis menti perſuaſibilius videatur, ante mundum conditũ extitiſſe, nullo faciente, immenſam multitudinem viliſſimæ materiæ, quàm ſapientiſſimam quampiam, & optimam cauſam? An vt vitioſa hominũ voluntas facilius expetit quod malum, ita vitioſus intellectus faciliùs credit quod falſum, vt vel hoc argumento verum ſit quod bonũ, melius autem multò eſt ab optima cauſa in ſapientia eſſe facta omnia, quam ex viliſſima cauſa extitiſſe. Tantam igitur Dei ſapientiam, vt Iob ex terræ fabrica admiretur & ſuſpiciat, dicit Dominus: *Quis tetendit ſuper eam lineam?* Addit: *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt.* baſes terræ ſunt ipſa terræ fundamenta, quæ vt ex nihilo effecta ſunt, ita ſuper nihilo ſolidata, ſed ſuper ſeipſis, omnibus terræ partibus nitentibus ad centrũ, quod velut angularis lapis totius ædificij eſt, ad quem partes omnes firmiter alligantur: videretur autem omni humanæ ſapientiæ, ſi in conſultationem de formando terræ orbe à ſummo rerum opifice vocata eſſet, fieri haudquaquam poſſe, vt nulli innitens corpus, in medio ſpatioſiſſimi vacui firmiter maneret. Quò hæſitatio Xenophanem Colophonium putare coegit, terram ab inferna parte velut in radicem infinitam produci. Empedoclem quoque canere, infinitam eſſe profunditatem terræ. Thaletem Mileſium, terrã aquæ innatare vt lignum, Anaximenem, Anaxagoram, & Democritũ, cauſari terræ latitudinem, non enim diuidere poſſe aerem lata cùm ſit. Neque ſanè verum eſt, quod multi dixerunt, & Socrates etiam

Baſes terræ quid.

ſibi

ſibi perſuaſit in Phædone, terram manere in ſuo loco firmam quòd rotunda cùm ſit,& in rotundi cœli medio collocata, non poteſt magis in hanc quàm in illam partem inclinare Nam vt rectè inquit Ariſt. ſi inde ferri nata eſſet, etſi nullam in partem poſſet ferri tota, feretur diuiſa in multas partes:non eſt igitur ita,ſed præcepto Dei manet ibi firma Nimirum vt in Pſal.92. dicitur:*Firmauit orbẽ terræ,qui non commouebitur.* Sed quo pacto firmauit? tribuens certè rebus omnibus corporeis hanc naturam, vt ad ſeſe mutuò ita expetant collocari, vt craſſa ſint ſub tenuibus:terram verò omniũ craſſiſſimã ſub aliis omnibus ſtatuens,quaſi mundi cæmentum.His dictis de tera,tranſgreſſionẽ facit ad aquã,in ſui etiam inde admirationem trahens Iob:*Quis* (inquit)*concluſit oſtiis mare, quando erũpebat quaſi de vulua procedens,cùm ponerem nubem veſtimentũ eius,& caligine illud quaſi pannis infantia obuoluere? Circumdedi illud terminis meis,& non poſui vectẽ & oſtia,& dixi, vſque huc venies,& nõ procedes ampliùs,& hic confringes tumentes fluctus tuos.* Hæc verba enarrata ferè ſunt ſuper capite 1. Geneſeos. Ibi enim explicuimus,qua ratione Deus effecerit,vt aquæ in vnum locũ congregatæ terram totam non obruant,ſed bonam eius partem, animantium generationi & vitæ,detectã relinquant. Nimirum, vt ſæpe iam diximus,vnum ex ambobus corporibus,terra, inquam,& aqua globum efficiens, quò cùm amborum extremitatem eiuſdem ſphæræ partes ſint,neutra ſuperſtet aut ſubſtet alteri.fecit verò Deus terrã cùm tantis cauitatibus,vt caperet abyſſum immenſum,& maria,atque ita caperet,vt neq; abſorberetur illa aquæ moles, neq;redundans inundaret terrã, ſed tantum eius relinqueret detectũ, quantum ipſi rerum opifici viſum eſt. Itaque tantæ magnitudinis efficiens cauitates,fecit vt mare quouſque ipſe voluit procederet,neque inde tranſgredi poſſet,vel tantillum,etiam ſi arena cingatur ſola,aut etiã molliſſima alga.Illæ igitur terræ partes quæ prominent, atq; ad globi illius extremitatẽ emergũt,ſunt vectis & oſtia, quibus cõcluſit Deus mare,& his vſus,circundedit illud Deus terminis ſuis,hoc eſt,poſuit fines quos ſibi placuit,vt alibi dicitur,*Poſuit legẽ aquis quas præterire non potuerunt*:legẽ verò hanc poſuit,dicens, *Vſque huc venies & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*Hoc quod de tumentibus maris fluctibus dicitur, Regius etiam vates cecinit,in admirationẽ Dei nos vocans,in Pſal.92. his verbis : *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Quaſi dicat, vel ex elationibus maris videas quàm ſit mirabilis qui in altis habitat Dominus Omnibus gẽtibus admirationi fuiſſe fluxus & refluxus maris,intelliges facilè ex illis Plinij

Cur terra ab aquis non obruitur.

verbis

adeò primam omnium rerum cauſam eſſe in fine cuius gratia fiunt. Si igitur hoc, de ea natura quæ coniuncta rebus eſt, rectè dicitur, & vſque adeò nihil eſt fruſtra ab ea factum, vt vel ipſis excrementis quæ neceſſitate potiùs quàm vtilitate videntur generari, animalium natura vtatur ad commoditates non exiguas, vt in libris de vſu partium Galenus conſpicuè indicat, quantò magis ita de Deo Opt Max. ſentire oporteat, qui cùm ſit Optimus, nihil fecerit niſi bonum; bonum verò eſſe non poteſt ſine vlla vtilitate; cùm verò ſit Sapiẽtiſſimus, atque potentiſſimus, nulla neceſſitate cogeretur facere quod nulli vſui futurum eſſet Hac ratione Eliud, cùm nubium & aliorũ meteorologicorũ generationem, vt in facientem cauſam retuliſſet in Deum, qui vt eſt prima omnium quæ fiunt, & facta ſunt cauſa, alias omnes continet, apponit etiam & finem, & cuius gratia fiunt. Quaſi diceret, neque quidem fruſtra aut oſtentandæ ſuæ poteſtatis cauſa Deus nubes fecit, ſed magnæ cuiuſdam beneficentiæ, ſiquidem frumentum, ex quo fit panis, qui confirmat cor hominis, deſiderat nubes, quandoquidem illis ſpargentibus lumen ſuum, & pluentibus, fruitur neceſſario humore.

Nubium lumen. Nubes ſpargere lumen ſuum, nihil eſt aliud quàm pluere, quod ideò dici videtur, quòd diſſipatis pluendo nubibus, ſpargitur lumen quod ab illis intercipiebatur: perinde ac ſi illæ lumen & aquam cõtinerent, ac vtrumque demitterent, ac ſpargerent, cùm tamen illæ reuera neutrũ contineant, ſed in aquam mutentur, & diſſipatæ, diffundẽdo lumini locum dent, ſed ex eo quod ſenſui apparet nata phraſis ea eſt, qua rurſum ſtatim vtitur: *Nunquid ſcis quando præcepit Deus pluuiis, vt oſtenderent lucẽ nubium eius?* Itaque dicit, *Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum*: quaſi dicat deſiderat frumentum nubes, quia nubes pluunt. Neque verò ſolùm non ſunt factæ temerè nubes, ſed ne mouentur quidem temerè, nam *luſtrant cuncta per circuitum quocunque eas gubernantis voluntas duxerit*, vbicumque ſcilicet velit Deus pluere, *ſiue in vna tribu*, ſiue in alia, *ſiue in terra ſua*, hoc eſt, ſeruorum ſuorum, ſiue in aliena & inimicorũ, *ſiue in quocunque loco miſericordiæ ſuæ eas iuſſerit inueniri.* Nimirum *pluit ſuper iuſtos & iniuſtos* (Matth cap. 5.) Et hæc eſt vera & perfecta ſcientia viarum nubium, ſcire ſcilicet eas in Dei voluntatem & prouidentiam referri, de qua ſtatim ſubdit, *Nunquid noſti ſemitas nubiũ magnas & perfectas ſcientias?* Nimirum, qui conſiſtũt intra cauſas naturales, non reſoluunt vſque ad primas, ac proinde non habent perfectas ſcientias, ſed illi ſolùm qui naturalibus non dimiſſis (id enim inſipientiæ eſt) procedunt vſque ad primæ cauſæ bonitatem, quod principium omnium

omnium eſt. Sed nubes quidem, atque per has pluuiæ, & nix, & ros, & pruina, quia etiam & venti, haud præſtant obſcuras commoditates: omnia enim hæc ſuis temporibus, & per quaſdam viciſſitudines, terræ iuuant fœcunditatem. At verò quædam alia nulli prorſus vſui eſſe videntur, quibus id quod de omnium rerum vtilitate dictum eſt, videtur redargui. Quid enim commodi eſt ex grandine. Quid ex fulguribus? Quid ex fulminibus? Certè hoc nullus Philoſophorum poſſit dicere, quin cogatur concedere factum eſſe aliquid fruſtra, quàm conſcendendo in iudicia Domini, ac de illis philoſophando, iuxta illud quod proximo cap. dixit idem Eliud, his verbis, *Per hæc enim iudicat populos, & dat eſcas multis mortalibus* quæ verba ſignificant, vti Deum his rebus, partim ad mortaliũ eſcas, partim ad iudicandos populos Sunt igitur horum pleraque ad vtrumque vtilia, nam pluuiæ, & venti maximi ſunt vſus ad frugum prouentum: iudicauit verò per pluuias apertis cœli cataractis mundum, & euertit quotidie in mari triremes & in terra tecta & domos, vt vel domum in qua epulabantur filij Iob, & integras vrbes impetu ventorum. Nonnulla etiam ſunt quibus ſolùm vtitur Deus ad iudicandos populos, vt grando & fulgura, & multò magis fulmina. Quod etiam Dominus ipſe cap. 38. huius libri dicit his verbis: *Theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparauit in tempus hoſtis, in diẽ pugnæ & belli.* vt vel ex his poſſint homines, ſi prudẽtes ſint, agnoſcere, eſſe qui res humanas conſideret, & populos diiudicet. Quod ille etiam Ethnicus Poeta optimè inſinuauit, dicens, *Iupiter optime aſpicis hæc? An te cum fulmina torques, nequidquam horremus?* Itaque nubium, & plurimarum in aere prouenientium rerum, vtilitas magna eſt ad fruges, quibuſdam verò earum tantum vtitur Deus ad iudicandos populos. Eadem ratio eſt peſtis, atque adeò morborum omnium, mortis, & eorum quæ nihil aliud quàm venena ſunt: quæ complexus eſt Eccleſ. cap. 39. his verbis: *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt, beſtiarum dentes, & Scorpij, & ſerpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios.* Vbi ignis nomine intelligo fulmina & reliquos ignes meteorologicos, aut æternum paratum diabolo & Angelis eius, nam vſualis ignis longè maxima vtilitas eſt. His dictis, redit Eliud ad naturam ventorum, dicens: *Nónne veſtimenta tua calida ſunt, cùm perflata fuerit terra Auſtro?* quæ verba ex dictis habent facilem interpretationem. Nam iudicatum anteà eſt. Auſtrum allicere ignem, ac proinde calefacere & calore aquam fundere. Hinc euenit, vt veſtes eo flante caleant, atque calore externo vincente, tineá exedantur:

Pluuiæ niuis, roris & pruinæ vtilitates.

Meteorologicorũ vtilitas.

R 4 quod

quod perſpectum habentes quibus illæ curæ ſunt, flante Auſtro veſtes recondunt, contrà ad Aquilonem ſuſpendunt. Perinde contigit in aliis omnibus rebus quæ aſſeruantur, vt in vino, & eduliis, & omnibus frumenti generibus: ea enim omnia ad Aquilonem ſeruantur diutiùs, ad Auſtrũ computreſcunt breui. Verùm hoc dictorum nuper corollarium eſt, vt & illud quod paulò poſt dicit: *Subitò aër cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas.* diximus ſiquidem iam, ventos & nubes ex contrariis cauſis fieri, atque ideò magna ex parte ſeſe mutuò tollere, atque ſuperueniente pluuia extingui ventos, & ſuperuenientibus his fugari nubes. Quod nubium generationem nunc tribuit denſationi aeris, non repugnat iis quæ nuper diximus, putà eſſe ex vapore. nam vapor ſubſtantiam habet inter aquam & aerem. Quapropter aqua in aerem, & aer in aquam per vaporem, illa extenuata, hîc craſſeſcens. Nubes ergo fient ex vapore, qui partim aſcendit ex aqua extenuata, partim ibidem generabitur ex aere craſſeſcente, ſecundùm quam partem veriſſimè aer cogetur in nubes.

CAPVT LI.

De cœlo multa.

EX cap. 37. Iob: *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.* De ſubſtantia cœli, eius in quo, aut cum quo volutantur aſtra, quem veteres omnes vocauerunt æthera, ἀπὸ τοῦ θεῖν ἀεὶ (interprete Ariſtotele) hoc eſt, à perpetuo curſu, dubitatum eſt plurimùm à Philoſophis: ſiquidem nonnullis veterum viſum eſt rationi conſonum, eam mundi partem, vt eſt ſuprema, ita eſſe tenuiſſimam, ſiquidem & in aliis omnibus, de quibus vtpote viciniotibus, poſſumus iudicare, ita fieri conſpicimus, vt quò ſuperius eſt aliquid, eò ſit & tenuius. Itaque eſſe regionem quandam, ſubſtantia alia, aere longè puriori & tenuiori plenam, per eamque ferri aſtra omnia per ſeſe, quaſi volantia. Pleriſque tamen atque adeò optimis (nam Pythagoræ, Parmenidi, Platoni & Ariſtoteli) viſum eſt, cœlum ſubſtantia quadam conſtare firmiſſima & ſolidiſſima, adeò vt penitus neque diuiſionem, neque diſtractionem recipere poſſit, & aſtra partes eſſe ipſorum orbium, ac cum illis ferri haudquaquam proprio concitata impetu. Ex eo verò quod de motu aſtrorum quis ſentiat, pendet, & quod de cœli ſoliditate ſit conſentaneum. Si enim aſtra feruntur per ſe per cœlum, illud certè eſt tenuiſſimum, & facillimè cedens: non

De aſtris præclara.

non enim tanta poſſet eſſe aſtrorum celeritas medio reſiſtente. ſi autem illa feruntur cum orbibus, conſtat orbes tantò ſolidiores eſſe adamante, vt penitus diuidi non poſſint. Nam alioqui, ſi ferrentur velut impulſa à ſubſtantia aliqua vehementer concitata, & diſſipabili, vt quæ a ventis impelluntur, haudquaquam poſſent ferri eadem ſemper celeritate, neque eidem viæ ſemper inſiſtere, ſed iactarentur temerè, vt quæ à ventis: nunc autem videmus regulari ferri ratione, & à certiſſimo tramite ne latum quidem vnguem vnquam declinare: igitur ij orbes cum quibus feruntur, nullam partium diſtractionem accipiunt vnquam, ſed feruntur toti ſimul firmiſſimè. Neque hoc aliter fieri poteſt: quapropter eorum ſubſtantia neque diuidi, neque diſtrahi poſſit, ſit igitur ſolidiſſima. At verò probabilius multò eſſe aſtra deferri cum orbibus, quàm in illis per ſe moueri, multis argumentis probat Ariſt. acceptis ab aſtrorum figura, & ei accomodatis motibus, & ab eorum celeritate & ab aliis eorum paſſionibus. Mihi verò videtur illud firmiſſimum, ſi quis velit recipere quod mihi in Phyſicis monſtratum eſt, putà raritatem & denſitatem conſiſtere in anguſtia aut amplitudine pororum. Si enim aſtra ferrentur per cœlum, neceſſe eſſet illud ſecundùm partem anteriorem aſtri denſari, & ſecundùm poſteriorem rareſcere, ſi verò rareſceret & haberet poros, eos ergo aut vacuos, aut plenos ſubſtantia alia tenuiori: eſt igitur vacuum, aut ſubſtantia alia cœlo tenuior. Illa verò ſi tenuior ſit & cœlo ſuperior, de illa rurſum ſciſcitabor, an raritatem accipiat, atque ita peruenire neceſſe erit ad ſubſtantiam tenuiſſimam nullam raritatem aut denſitatem recipientem, aut abire in infinitum. Si autem in talem vllam ſubſtantiam peruenire neceſſe eſt, cur non ſit ſtatim cœlum eiuſmodi? Neceſſe eſt igitur aſtra cum cœlo ferri, ac non per cœlum, aut dari vacuum. Præthereà ſi Sol, Luna, & alij planetæ per ſe mouerentur, non poſſent moueri regulariter, ſed nunc celeriùs, nunc tardiùs, quia eodem tempore, putà die naturali, deſcribunt circulos nunc maiores nunc minores, vt accedunt ad æquinoctialem circulum, aut recedunt: at verò Ariſtoteles multis argumentis probat ſecundo de cœlo motum cœleſtium corporum eſſe regularem: non igitur mouentur per ſe aſtra, ſed cum cœlo, quod eſt vt mundi murus, vt dixit Parmenides, ſolidiſſimum. Cui ſententiæ plurimùm atteſtantur præſcripta verba Iob: *Solidiſſimos quaſi ære fuſi.* Quibus conſonant & hæc Homeri οὐρανὸς πολύχαλκος, id eſt, *Multi æris cœlum.* Multæ autem hinc quoque videntur oriri dubitationes, nam ſi cœlum ſolidum eſt, non videtur eſſe corpus ſimplex, ſed

An aſtrorum ſubſtantia ſit tenuior cœlo.

compoſitum ex elementis, vt quæ penes nos ſunt, quod ſi eſt, erit vtique & corruptibile vt hæc, ſi autem corruptibile illud eſſe admittimus, nihil euenit incommodi, etiamſi tenue eſſe illud recipiamus, & dirumpi à percurrentibus aſtris, quare ita quoque videtur fieri rurſum, vt non ſit opus illud ſolidum ponere. Quod verò fiat vt ſi ſolidum eſt, conſtet elementis his, docet Plato in dialogo de Natura, his verbis: *Sine igne videri nihil poteſt, nihil ſine ſolido tangi, ſolidũ ſine terra nihil.* Hinc apertè fit vt cœlum duobus his elementis conſtet, ſi ſolidum eſt; nam & videntur aſtra, quæ eiuſdem ſubſtantiæ cuius & ipſum cœlum eſſe inter optimos conuenit Philoſophos. ſi autem habet hæc duo. putà ignem & terram, habet certè & reliqua duo; putà aquam & aërem, duo enim illa per ſe vniri non poſſunt, nam ſicci & ſolidi partes, vt putà terræ, non cohærent niſi humido aqueo agglutinentur, ſicco enim igneo penetratæ magis dehiſcunt. Igitur vt ad ſoliditatem terra, ita ad continuitatem indiget aqua: aqua verò & ignis malè aptabuntur ſine medio aere, neque ſine eo habebit diaphanitatem. Si igitur cœlum eſt ſolidum compactum, diaphanũ, & aſpectabile conſtabit ex terra, aqua, aere, & igne Rurſum, cœli partes non ſunt omninò ſimiles, ſed aſtra aſpectabiliora, & minùs diaphana (quodcunque enim intercurrat, occultat aliud quodcunque) reliquum cœlum diaphanum magis, ſed minùs venit in conſpectum, non poteſt ergo eſſe cœlum omninò ſimplex ſubſtantia. Nam vnde naſcerentur illæ contrarietates? contrarietatis enim admiſtionem habet omne quod dicitur ſecundum minus: in ſimpliciſſimo verò non poteſt eſſe vllius contrarietatis, ne tenue quidem initium. Concedendum itaque videtur, cœlum ſimplex omninò corpus non eſſe, ſed conſtare ex elementis. Concedendum certè, vt mihi videtur, hoc Platonicis dictis argumentis: non tamen ex iiſdem penitus, ex quibus quæ penes non ſunt, ſed ex homonymis. ex igne inquam cœleſti, & aqua cœleſti, & terra aereque cœleſtibus, vt in Geneſeos enarratione diximus. Sed cur videntur ignis aqua, terra, & aer, ſi non ſunt qualia hæc? certè ob analogiam: quia quod ad ſubſtantiæ modum attinet, habent præſtantius etiam quàm ille, tametſi contrarietate qualitatum actiuarum, caloris inquam, frigoris, humoris & ſiccitatis carent. Hinc fit, vt cœlum fulgentius atque aſpectabilius, & ſolidius, & compactum diaphanúmque magis ſit, quàm alia omnia corpora, incorruptibile tamen, neque diſſolubile, quia caret principiis naturalis corruptionis, putà calore, frigore, humore & ſiccitate. Sed neque rarum neque denſum eſt, quia poros nullos habet: neque craſſum, neque tenue, quia

Cœlũ incorruptibile.

neque

neque in parua neque in magna comminui poteſt, ſed fulgens ſine calore, ſolidum ſine ſiccitate aut craſſitie, compactum ſine humiditate, diaphanum ſine poris. Non igitur differunt aſtra à reliquo cœlo maiori craſſitie, neque denſitate, ſed miſtionis modo, quodque habent ſui ignis plus, & ſui aëris minus. Verùm etſi quia actiuis qualitatibus caret, naturaliter corrumpi non poteſt cœlum, eſt tamen (compoſitum cùm ſit) diſſolubile, & commutabile, ab eo videlicet à quo compactum eſt, putà à Deo: *Omne ſiquidem quod vinctum eſt* (vt inquit Timæus) *ſolui poteſt*, ac fortaſſe etiam diſſoluetur, & permutabitur, cùm ſiſtetur hic cœli motus, & finientur lux & tenebræ, velut & omnes aliæ mundi partes. Elementa quidem reddentur puriora; cœli verò in meliorem ſubſtantiam mutabuntur. Nam Marci 13. dicitur: *Cœlum & terra tranſibunt.* & Pſal. 101. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Et in tertio cap. epiſt. 2. Petri: *Nouos verò cœlos & nouam terram, & promiſſa ipſius expectamus.* Iob quoque c. 14. inquit, *Homo cùm dormierit non reſurget, donec atteratur cœlum, non euigilabit, neque conſurget de ſomno ſuo.* Cœli interitus.

Ex quibus verbis conſtat cœlum atterendum eſſe ante reſurrectionem mortuorum. Neque certè Philoſophiæ diſſonum eſt cenſere, ſi cœlorum motus ceſſaturus in æternum eſt, mutandam quoque eorum ſubſtantiam in aliam, cuius natura motum non ſpectet, quod in æternum ſit caritura, ſed gaudeat quiete, quam ſit ſemper actura. Neque enim perpetuum quidpiam quod violentum. Sed de hoc iterum diſputabitur.

CAPVT LII.

CAp. 38. Iob: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam, quis poſuit menſuras eius ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem eius? quis concluſit oſtiis mare quando erumpebat, quaſi de vulua procedens, cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud, quaſi annis infantiæ obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: Vſque hûc venies & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Hæc

De Dei cognitione.

Hæc verba ſunt Domini ad Iob. Quibus illum inſcitiæ & ignorationis rerum naturalium arguens, vult ad ſui cognitionem trahere. Differemus in hoc ipſo opere, enarrantes locum quendam Eccleſiaſtes, nullum eſſe maius compendium ad cognitionem ſapientiæ Dei, quàm ſenſum noſtræ ignorantiæ, quod Eliud etiam in ſuperiori capite tetigit dicens: *Memento quòd ignores opus Dei de quo cecinerunt viri*(hoc eſt, naturam rerum de qua ſcripſerunt plurimi Philoſophi, & ante Platonem omnes in carminibus)*omnes homines vidēt eum*(hoc eſt, aliquatenus agnoſcunt ex ſuis operibus) *vnuſquiſque intuetur procul,* quaſi diceret, nullus tamen accedit ad ipſius veritatis cognitionem. quia omnes intuentur procul. *Ecce Deus magnus vincēs noſtram ſcientiam.* Hoc eodem argumento adducit nunc Dominus Iob, ad ſuæ ſapientiæ contemplationem, ponens illi ob oculos mirabilia, quorum cauſas nullus Philoſophorum inuenire ſatis potuit. neque nos quidem poſſemus, niſi magno Dei beneficio per diuina oracula eſſemus docti. Primùm igitur maiores mundi partes, hoc eſt, elementa & cœleſtia corpora, percurrit: deinde animalium quorundam omnis generis hiſtoriam attingit: de quibus omnibus diſputatum ſatis à Philoſophis eſſe conſtat, nihil autem perfectè eſſe traditum, conſideranti palam fiet. *Vbi* (inquit) *eras quando ponebam fundamenta terræ*? fundamenta terræ nullus Philoſophorum vnquam ſomniauit(niſi fortè Pythagoras duplicem conſtituens terram, marem & fœminam)neque enim terram ex diuerſis partibus conſtitiſſe, vt domum aut templum, ſed vt ſimplex quiddam & homogeneum eſſe corpus, ſui ſimile ſecundùm omnes, neque eſſe alias aliarum fundamenta. Re vera tamen non ita eſt. Neque enim terra, eum quem nunc ad aquam ſitum tenere poſſet, ſi qualis ſecundum faciem hanc quam terimus, tota foret: aut enim aquæ tota moles extremitatem ſolùm terræ lambet, ſecundùm eam eius partem quæ recta eſt, vt nunc videtur (ſi quidem nulla parte videtur mare leuca profundius, vt teſtantur nautæ) aut præter hanc aquæ molem, eſt intra terræ profundiſſima viſcera magnus abyſſus, longè maximam ipſius terrei globi partem occupans. Si primùm fieri non poteſt vt aqua ſit centeſima pars terræ, nedum terra ſit decima(vt cenſetur)pars aquæ. Si autem hoc vltimum, quî fieri poſſet, vt interior terræ pars non eſſet humore diſſoluta, & tota ſubſediſſet in ſeſe, in aquam merſa, niſi fundamentis firmiſſimis inniteretur? Innititur ergo haud dubiè, conſtatque ex iis quæ conſpicimus, imam terræ partem eſſe plus quam admantinam, atque adeò Deum feciſſe hunc terræ globum quem

De fūdamentis terræ.

incolimus,

incolimus, verſus centrum ſolidiorem, vt in omni ſecundùm rationem conſtituto ædificio fieri debet; ad ſuperficiem verò friabiliorem, vt teri ac ſulcari, & humore miſceri potens, rerum generationi eſſet vtilis. Non eſt igitur (dices) in ſuo loco ſimplex, neque elementum. Certè eſſe in ſuis locis pura elementa, pueri putant, & qui nondum ære lavantur: doctorum verò nullus non videt, nihil non eſſe alteratum, neque verò eſſe poſſe. Ariſt. in auditoriis libris qui re vera ſcribebantur ad inducendos tyrones, multa dicit quæ prouectiores debent accipere vt hypotheſes, velut, eſſe corpora ſimplicia quatuor, quæ reuera neque ſunt neque eſſe poſſunt, ponuntur verò ob quatuor naturas, quas in cõcretis ſentimus, ſecũdùm quas fiunt rerũ commutationes, calidum, ſcilicet, frigidum, humidũ & ſiccum. Plato hoc docuit elegantiſſimè, dicens, *Sic de illis verba facimus, eaque mundi primordia conſtituimus, cùm ne ſyllabarum quidem, ne dũ elementorum vicẽ tenere, apud homines mentis quoque modo compotes debeant.* Itaque ſimplicitas terræ non obſtat quominùs Deus fundamenta terræ iecerit, quibus partes eius ſuperiores inniterentur. Addit. *Quis poſuit menſuras eius ſi noſti?* vt in vndecimo capite Sapientiæ ſcriptum eſt, *Omnia diſpoſuit Deus, menſura, numero, & pondere.* Nimirum, mundus opificium eſt pulcherrimum, ſiquidem optimi artificis, ad pulcherrimum exemplar. Ad pulchritudinẽ verò ſpectat, vt neque quantæcunque magnitudinis ſint membra, neque ad ſe mutuò ſine certa proportione, ſed ſingula certæ cuiuſdam magnitudinis, & ad ſeſe elegantiſſimam habentia proportionem, ſimulque ad totius vtilitatem maximè accommodatam. Neque terrã igitur, neque aquam, neque aërem, neque orbium cæleſtiũ vllum, ſed neque aſtrorum omnium minimũ fecit Deus negligenter, ſed omnia magnitudinis cuiuſdã, ad mundi totius, & ad cuiuſque alterius partis magnitudinem, pulcherrimam habentes rationẽ, quam tamen agnoſcere, ac explicare apertè, eius eſt ſolius qui fecit ac penes quem eſt illud æternum exemplar, cuius imitatione effecta ſunt. Tametſi enim Pythagorici (quos ego viros proſequor magna admiratione) in hac contemplatione plurimum laborauerũt, & pro captu hominum plurimum aſſequuti ſunt, tamen intuiti etiam illi ſunt procul: longè autem magis Xenophanes qui infinitæ magnitudinis eſſe inferna ex parte eſt opinatus. Aſtrologi ſeptem mille leucarum Hiſpanarum eſſe dicunt totius terrei globi peripheriam, vt ſunt illorum rationes euidentiſſimæ, non admodum poteſt hoc à certa eius menſura declinare. Quæ autem huius certæ menſuræ in terra condenda fuerit ratio, ſcit mundi opifex: conſtat tamen dictis argumẽtis

Mũdi pulchritudo.

Mundi menſura.

eam

eam fuiſſe diuiniſſimam, & ad totius pulchritudinem (cum qua vtilitas neceſſariò coniuncta eſt) ſpectaſſe. Addit: *Vel quis tetendit ſuper eam lineam?* Terra in mundi medio ita ſita eſt, vt eius centrum totius quoque mundi ſit, atque ita rotunda, vt omnes extremitatis eius partes æquè à centro diſtent, & tota terra æquè ab omnibus cœli lateribus, hæcque omnia tam exactè, ac ſi mundi opifex à polo ad polũ lineam tetendiſſet, & medio lineæ puncto alligaſſet terræ mediũ, eamque circino quodam rotundam effeciſſet. Quod quidem Plato animaduertit in Timæo, dicens, *Terram autem altricem noſtram circa polum per vniuerſum extenſum circumuolutam, diei noctiſque effectricem, & cuſtodem eſſe voluit.* Tanta igitur opificij perfectio ſapientiæ artificis maximum argumentũ eſt, quod redarguuntur omnes qui caſu ita cadentibus corpuſculis, factum eſſe mundũ affirmabant. Quæ enim dementia eſt ſibi perſuadere, immenſitatẽ inſectilium corpuſculorum, tam aptè cecidiſſe caſu, vt nihil ineptũ in toto mundo extiterit, ſed omnia ita, vt ne minimam particulam eorum quæ coierint fortuitò, ſapientiſſimi cuiuſpiam arbitrium poſſit emendare, aut cuiuſpiam ſani hominis menti perſuaſibilius videatur, ante mundum conditũ extitiſſe, nullo faciente, immenſam multitudinem viliſſimæ materiæ, quàm ſapientiſſimam quampiam, & optimam cauſam? An vt vitioſa hominũ voluntas facilius expetit quod malum, ita vitioſus intellectus faciliùs credit quod falſum, vt vel hoc argumento verum ſit quod bonũ, melius autem multò eſt ab optima cauſa in ſapientia eſſe facta omnia, quam ex viliſſima cauſa extitiſſe. Tantam igitur Dei ſapientiam, vt Iob ex terræ fabrica admiretur & ſuſpiciat, dicit Dominus: *Quis tetendit ſuper eam lineam?* Addit: *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt.* baſes terræ ſunt ipſa terræ fundamenta, quæ vt ex nihilo effecta ſunt, ita ſuper nihilo ſolidata, ſed ſuper ſeipſis, omnibus terræ partibus nitentibus ad centrũ, quod velut angularis lapis totius ædificij eſt, ad quem partes omnes firmiter alligantur: videretur autem omni humanæ ſapientiæ, ſi in conſultationem de formando terræ orbe à ſummo rerum opifice vocata eſſet, fieri haudquaquam poſſe, vt nulli innitens corpus, in medio ſpatioſiſſimi vacui firmiter maneret. Quò hæſitatio Xenophanem Colophonium putare coegit, terram ab inferna parte velut in radicem infinitam produci. Empedoclem quoque canere, infinitam eſſe profunditatem terræ. Thaletem Mileſium, terrã aquæ innatare vt lignum, Anaximenem, Anaxagoram, & Democritũ, cauſari terræ latitudinem, non enim diuidere poſſe aerem lata cùm ſit. Neque ſanè verum eſt, quod multi dixerunt, & Socrates etiam

Baſes terræ quid.

ſibi

ſibi perſuaſit in Phædone, terram manere in ſuo loco firmam quòd rotunda cùm ſit,& in rotundi cœli medio collocata, non poteſt magis in hanc quàm in illam partem inclinare Nam vt rectè inquit Ariſt. ſi inde ferri nata eſſet, etſi nullam in partem poſſet ferri tota, feretur diuiſa in multas partes:non eſt igitur ita,ſed præcepto Dei manet ibi firma Nimirum vt in Pſal.92. dicitur:*Firmauit orbẽ terræ,qui non commouebitur.* Sed quo pacto firmauit? tribuens certè rebus omnibus corporeis hanc naturam, vt ad ſeſe mutuò ita expetant collocari, vt craſſa ſint ſub tenuibus:terram verò omniũ craſſiſſimã ſub aliis omnibus ſtatuens,quaſi mundi cæmentum.His dictis de terra,tranſgreſſionẽ facit ad aquã,in ſui etiam inde admirationem trahens Iob:*Quis* (inquit)*concluſit oſtiis mare, quando erũpebat quaſi de vulua procedens,cùm ponerem nubem veſtimentũ eius,& caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluere? Circumdedi illud terminis meis,& non poſui vectẽ & oſtia,& dixi, vſque huc venies,& nõ procedes ampliùs,& hic confringes tumentes fluctus tuos.* Hæc verba enarrata ferè ſunt ſuper capite 1. Geneſeos. Ibi enim explicuimus,qua ratione Deus effecerit,vt aquæ in vnum locũ congregatæ terram totam non obruant,ſed bonam eius partem, animantium generationi & vitæ,detectã relinquant. Nimirum, vt ſæpe iam diximus,vnum ex ambobus corporibus,terra, inquam,& aqua globum efficiens, quò cùm amborum extremitatem eiuſdem ſphæræ partes ſint,neutra ſuperſtet aut ſubſtet alteri.fecit verò Deus terrã cùm tantis cauitatibus,vt caperet abyſſum immenſum,& maria,atque ita caperet,vt neq; abſorberetur illa aquæ moles, neq;redundans inundaret terrã, ſed tantum eius relinqueret detectũ, quantum ipſi rerum opifici viſum eſt. Itaque tantæ magnitudinis efficiens cauitates,fecit vt mare quouſque ipſe voluit procederet,neque inde tranſgredi poſſet,vel tantillum,etiam ſi arena cingatur ſola,aut etiã molliſſima alga.Illæ igitur terræ partes quæ prominent, atq; ad globi illius extremitatẽ emergũt,ſunt vectis & oſtia, quibus cõcluſit Deus mare,& his vſus,circundedit illud Deus terminis ſuis,hoc eſt,poſuit fines quos ſibi placuit,vt alibi dicitur,*Poſuit legẽ aquis quas præterire non potuerunt*:legẽ verò hanc poſuit,dicens, *Vſque huc venies & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*Hoc quod de tumentibus maris fluctibus dicitur, Regius etiam vates cecinit,in admirationẽ Dei nos vocans,in Pſal.92. his verbis: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Quaſi dicat, vel ex elationibus maris videas quàm ſit mirabilis qui in altis habitat Dominus Omnibus gẽtibus admirationi fuiſſe fluxus & refluxus maris,intelliges facilè ex illis Plinij verbis

Cur terra ab aquis non obruitur.

Fluxus & refluxus maris conſideratio.

verbis quæ ſunt prima cap. 79. lib. ſecundi *De aquarum natura complura dicta ſunt, ſed æſtus maris, accedere, & reciprocare, maximè mirum pluribus quidem modis.* Ac rectè quidem dicit pluribus modis mirabiles eſſe fluxus & refluxus maris; ſunt enim re vera tales ob raritatem, quia etſi id in maris littoribus quotidie videtur bis, atque in quibuſdam, pluries, nihil tamen ſimile eſſe videtur in tota rerum vniuerſitate, cuius compara-tione tollatur admiratio: deinde & quia cauſa tanti euentus non ſatis intelligitur: ſed & quia illi non eodem modo vbique marium fiunt, ſed variè in multis, neque in eiſdem ſemper eodem modo, ſed pluribus modis mirabiles: nam quocunque die naturali, qui viginti quatuor horis conſtat, bis creſcit & decreſcit mare, ab exortu Solis vſque ad meridiem creſcit, inde decreſcit, vſque ad occaſum, inde rurſum augeſcit vſque ad medium noctis, ex quo vſque ad ſummum mane decreſcit rurſum, idque in Oceano multò magis atque euidentius fit, quàm in mediterraneis, neque hoc exactè, ſed cuiuſdam horæ partis facta detractione Porrò hi maris æſtus, per ſeptenos dies inſignes habent mutationes. ſeptem enim primis à Luna noua modici ſunt, reliquis ſeptem vſque ad plenilunium increſcunt manifeſtè, inde minui incipiunt, tertio ſeptennio afferente etiam inſignem mutationem. In æquinoctiis etiam ferunt eſſe maximos æſtus, præcipuè in autunnali: in ſolſtitiis verò minimos, præcipuè in æſtiuali. Aiunt etiam obſeruatum eſſe octauo quoque anno redire æſtus maris ad paria incrementa, quòd octo annis centum numerentur Lunæ circuitiones: ego verò crediderim horum pleraque non tam conſtare certò quàm leuiter credi Ferunt etiam eſſe vbi in die ſepties reciprocet æſtus ille, vt in Eubœa: ſunt etiam putei in Bætica, quorũ in Hiſpali vnus, qui augentur etiam quotidie ac minuuntur: contra autem ac mare; ſiquidem eo creſcente decreſcunt, & creſcunt decreſcente. in Gadibus alius, qui æſtum quidem habet, non tamen eiſdem temporibus ſemper, ſed aliquando contrariis, & cum hæc omnia mirabilia ſint, illud verò multò magis fieri, hæc tam ſtata & firma lege, vt vltra ſolitum nunquam progrediatur mare, ſed certò ſciant litorales quotidie quouſque mare ſit exundaturum, neque tranuerſum pedem errantes, vt euidenter conſtet eam legem poſuiſſe Deum aquis ne vltra procederent, ſed illic confregerint tumentes fluctus ſuos, non tamen proinde dicimus, id naturali cauſa deſtitutum ſolo conſtare Dei præcepto; imò verò ex præcepto Dei fluxiſſe rerum omnium naturas. Quapropter cùm in Dei præceptum referimus quidpiam, nihil prohibet naturales eius cauſas inueſtigare

Maris. æſtus.

ſtigare. Vt mare exundet influatque in litus, indeque refluat, non quidem ob maris in quampiam partem fluxum euenit, ſed quia augetur tumefactum & quaſi furens. Quapropter, vt feruens aqua olla exit, non alia cauſa quàm quòd calore rarefacta, vaſe non capiatur, ita mare rumeſcens exundat in litora, contrà, detumeſcens ſubſidet, & velut abſorptum redit in alueum. Hanc verò eſſe eius rei rationem inde conſtat, quòd circa litora magis quàm in altum deprehenduntur his motus, ſcilicet in alto non decurrit aqua. ſed ſenſim intumeſcit, ad litora currit, quia non capitur: fieret verò contrà ſi influeret mare more fluminum; multò enim magis ſentiretur motus vnde ageretur, quàm vbi finitus ceſſaret. Ex his palam fit, maiori proprietate appellari rumorem fluctuum, & elationem maris, quàm fluxum & refluxum: re vera enim non fluit niſi ex accidenti, quia tumeſcens non capitur loco; æſtus verò mihi videtur per analogiam vocari, quia perinde videtur mare pari, ac ſi æſtu caloréque ferueat. Huius intumeſcentiæ cauſas longè diuerſas Philoſophi reddiderunt. Ariſt. & Heraclitus (referente Plutarcho) à Sole fieri cenſent, pleroſque enim flatus ſua illum circuitione ſecum trahere, quibus ingruentibus, & protrudentibus mare Altanticum, ipſum intumeſcere. & æſtum efficere, ſopitis deinde flatibus mare ſeſe colligere, idque eſſe reciprocationem. Pythias Maſſilienſis maris acceſſus Lunæ incremento fieri, decremento receſſus. Plato cuiuſdam ſpecus maximi intra terram hiatu ſuſtolli aquas, & latè effluere, ſubindéque eodem refluere. Timæus cauſatur flumina irrumpentia in Atlanticum. Seleucius flatum dicit irruere in Atlanticum, cum verò motu terræ (hanc enim etiam moueri putat) & Lunæ agitari Tam multas opiniones tantæ rei difficultas peperit: at mihi videtur, quæ ex his ferè omnibus colligitur eſſe probabiliſſima, nam quia adeò certus conſtitutuſque eſt ille motus, & numerum quendam horarum, dierum, hebdomadarum, menſium ac fortaſſe etiam annorum obſeruet, probabiliter refertur in ſuperiores, æternas, ſtabileſque cauſas inferna enim omnia temerè agitantur, cùm præcipuè reſpondere videantur aptiſſimè illius circuitus Solis Lunæq; motibus. Nam diuina per ſenas horas repetitio diurno Solis, aut Lunæ motui reſpondet, quæ verò per hebdomadas fit mutatio menſtruo Lunæ: mutatio etiam per ſolſtitia & æquinoctia ad Solem refertur: quia verò multi & fontes & putei aut ſimul cum mari, aut contrariis temporibus creſcunt & decreſcunt, conſtat motum illum non ad ſupremam extremitatem aquarum cieri, ſed intrinſecus à maximo illo barathro, quod intra terræ viſcera

Mare Atlanticum.

eſt; vnde copioſus erumpens flatus aquas inflat, ac ſubſidens iterum facit detumeſcere. Veriſimile eſt enim quibuſdam puteis (ſiquidem alij omnes expertes illius paſſionis ſunt) ampliores eſſe ductus vſque ad maximas illas terræ cauitates ipſis maríque communes. Vt verò quidam tumeſcente mari detumeſcant, & detumeſcente tumeſcant, cùm alij moueantur vt ipſum mare, cauſa eſt in ipſorum pororum, quibus cum mari communicant longitudine, figura, & poſitu, amplitudine, aut anguſtia. qui enim coniuncti mari ſecundùm breues & rectos, amplóſque & expeditos poros ſunt, implentur cum ipſo, qui verò contrà ſecundùm locos anguſtos, & in contrarium tortuosè ductos his aqua abſorbetur ab ipſo tumeſcente mari; non aliter ac in corporis noſtri venis euenit, vt magnarum ſciſſione, quæ coniunctæ ſunt, tractione repleantur, quæ contra poſitæ inaniantur reuulſione, qui mediocriter ad mare habent, nonnunquam ſimul cum mari, nonnunquam contra patientur vt huc aut illuc flatus ille à barathro cõtingit moueri: qui verò nõ habent (huiuſmodi ſunt omnes qui refluunt vſque ad mare) illos poros vſque ad barathrum perpetuos, & ſecundùm omnem longitudinẽ expeditos, ſed multis in partibus interciſos, & obturatos interſtitie (dura quidem vt obſiſtat, rata verò & percolandæ aquæ peruia) terminant per reciprocos flatus expulſi, & ſupra naturã ſuã acti ſurſũ, à reliqua aqua deciſi pendent, nullam taẽ paſſionẽ ſubeunt, ſed ſine æſtu perſeuerãt vtcunq; moueatur mare. Itaque proxima mouẽdi maris cauſa eſt flatus intra terræ cauernas concluſus: prima verò fortaſſe duo luminaria, quæ generant flatum, & commouent. tametſi & in ipſo flatu eſt mouẽdi cauſa, quòd aqua pondere ſubſidens premit illum, is preſſus erumpit & violenter extollit aquas, eo impetu ſedato ruſus aquæ ſubſident, atque ita alternis vicibus agitur vtrumque. Figura verò & magnitudo cauernarum, non vbique eadem, ſed valde diſſidens facit vt quædam maria ſimul creſcant, quædam contra, quædam bis, quædam pluries, quædam huc, quædam illuc verſus, vt lacus Mæotis in Pontum: hic in Propontidẽ, nõ contra. Itaque horum omnium, quæ difficillima quidem ſunt, intra terram eſſe videntur cauſa; vt verò hæ inundationes accommodentur illis horarum, menſium, & annorum articulis, opus eſſe videtur aſtris, atque vtrarumq; cauſarum copula veritas rei huius cõſtat. Hæ cùm ſint exũdationis maris cauſæ, earũ modus & certa facultas efficit, vt paſſionis quoque eius, ſiue motus certa ſit mẽſura, nimirum Lunæ, Soliſq; eadem ſemper ſuique ſimilis eſt facultas, regulam tenens æternam, acceſſus, & receſſus, ac circuitionum, Abyſſi etiam illius ingentis

Motus maris cauſa.

Maris termini.

gentis, & humoris halituumque incluſorum, ad totius maris molem eſt certa ratio & menſura, vnde fit, vt ſit certus quidam modus intumeſcentiæ illius maris, ac proinde & fluxus. Atqui qui modum eum cauſarum poſuit, is quoque legem poſuit mari, dixitque: *Vſque huc venies & non procedes amplius.* Neque verò quia quædam loca mari ſubmerſa ſunt ſuperioribus temporibus, ac nunc etiam alia periclitantur mergi, niſi obſtaculis quibuſdam obſiſteretur mari, vt in Olandia, & Zelandia, quod de certa aquarum lege dictum eſt, redarguitur: magna enim ex parte illic, non tam detinetur quominùs conſtitutos ſibi fines excedat mare, quàm ab illis finibus arcetur, obſtaculis quibuſdam ab incolis factis: atque cùm aliis inſularum partibus arceatur, non poteſt alias inuadere: atque ita factum eſt, vt pagos quidem & villas occupauerit, aliis verò non minoribus partibus ceſſerit, hominum ad has mutationes induſtria iuuante, prætetquàm quòd legem quam poſuit Deus aquarum fluctibus, noluit ipſemet Deus adeò eſſe impermutabilem, vt quam Soli, Lunæ & reliquis aſtris. Illa enim ita iter peragunt imperatum, vt ne latum quidem vnguem eſſent huc aut illuc declinatura, ne ſi infinitum quidem tempus duraturus eſſet mundus: mare verò non ita, ſed tam lentas effectuũ mutationes, vt conferentibus nobis quæcunque ab antiquiſſimis Coſmographis ſcripto mandata reperimus, cum iis quæ conſpicimus, nullæ prorſus fieri videantur, eadem enim menſura, eadem figura, continentis, & inſularum omnium: ſi verò in mille myriadas annorum eſſet mundus hîc duraturus, non dubium quin permutanda forent omnia, commutandaque loca terræ & aquæ, hinc exeſa terra, illuc congeſtis arenis, adeò tamen lentè, vt nullis hominum ſæculis agnoſci poſſit vlla inſignis mutatio, ſed quantumuis vterentur ſcriptis, eſſent omnes putaturi, nihil eſſe vnquam permutatum. Neque quidem (vt dixi) hoc dictam aquarum legem tollit, hac enim ipſa conditione lex à Deo data eſt. Nimirum, eſt naturalis conditio rerum corruptibilium omnium, vt ſemper ſecundùm ſe totas, aut ſecundùm partes recipiant alterationes. Retenta igitur hac naturali rerum conditione, imperauit Deus mari, *non procedes amplius*, non ſcilicet ita procedes, vt animantibus terrori ſit, aut eorum generationem tollas, ſed *hic confringes tumentes fluctus tuos*, tam perſeueranter, vt nullam ſæcula vlla ſentiant inſignem permutationem. Quapropter quod de Atlantidis inſula mari ſubmerſa Plato narrat in Timæo, falſum prorſus eſt, atque impoſtura Chaldæorum, qui antiquitatis opinione, multa eiuſmodi mendacia narrabant Græcis, dicentes

Lex maris.

Chaldæorũ reprehenſio.

ſe(vt refert etiam Cicero)plus quàm quadraginta mille annorum hiſtoriam habere.

Sed quanta his impoſtoribus idololatriæ,& præſtigiarũ omnium patentibus, fides habenda ſit, multis iam locis indicauimus. Quod verò Ariſt. dicit,alternis viſſitudinibus mutari mare,& terras, quaſdamque inſulas diſparere,alias emergere,non eſt hiſtoricè accipiendum,ſed Philoſophicè,cùm enim ille putaret mundũ ab æterno extitiſſe,neque finem habiturũ, meritò colligebat,non ſemel,ſed infinities mutanda omnia,ſecundùm partes quæ ortui & interitui ſunt obnoxia. At verò id factum cùm nondum ſit,neque fortaſſe antequam ſiſtatur cœli motus ſit efficiendum, hiſtoria conſtare non poteſt, ſed ſtat firma lex, quam Deus poſuit aquis. Atque conditione naturali ſeruata ſtabit, vſque dum eam ipſe legiſlator,cui,vt nuper dixit Eliud, *nullus ſimilis eſt in legiſlatoribus*, & ſimul cum hac mundi forma ſoluat. Quod igitur ad maris fluctus attinet, ita habet. Illud ſupereſt interpretemur. *Quando erumpebat quaſi de vulua procedens, cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem.* Videtur enim hoc aliud eſſe, quàm quod in Geneſi dicitur à Moſe, vbi maris generationem ita tradidit: *Dixit verò Deus, congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum. & appareat arida.* Quæ verba ſignificant haud dubiè, in initio delituiſſe totam terram ſub aqua, hanc inde præcepto Dei ſeceſſiſſe in locum vnum,& detectam eſſe eam terræ partem quam incolimus: præſentis verò loci verba videntur innuere, factam eſſe aquam ſub terra, atque cùm inde velut ex vulua magno impetu erumperet, cohibitam eſſe præcepto Dei, & concluſam oſtiis, quominùs totam terram occuparet: hæc verò longè diuerſa ratio mundi efficiendi eſſe videtur. Quæ non alio quàm hoc modo cenſeo componi poſſe. Initio fecit Deus rudem quandam congeriem elementorum, quam dixere Chaos.

Chaos. Erat verò quoddam lutum ex tota terra aquáque commiſtis, quod circunſtabat moles magna nebuloſi & omni luce carentis aëris denſiſſimis Ægypti tenebris ſimillimi, mox vt ſeparari hæc cœperunt, ſubſidens fæcis more terra expreſſit aquam, quæ ita ex terra erumpebat velut ex vulua procedens. Rectè enim terra mundi vuluæ confertur, ſiquidem in ea concepta,ex ea naſcuntur omnia,aqua verò rationem habet ſeminis communis, per eam enim fœcundatur terra, neque ſine ea procedere ex ſeſe quidpiam poteſt. Accommodatiſſima ergo comparatione, exitus aquarum è terra,eruptio ex vulua vocatur, ſeminis ſcilicet communis ex communi matrice. Et tunc

quidem

quidem aqua nebuloſo & caliginoſo aëre erat (recens à terra nata) velut pannis infantiæ obuoluta, tenebris ſcilicet, quæ erant ſuper faciem abyſſi aquâ ſeparata; & vt par erat ſuperſtante formauit Deus terram, qualis nunc eſt, confirmans eius fundamenta, præparanſque in ea foueas immenſas & cauitates, iuſſit aquas in illas ſecedere, & fecit ex terra & aqua vnicum orbem,

CAPVT LIII.

CAp. 38. Iob: *Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram?* Ariſtot. lib. 2. de anima, cap 7 reprehendit Empedoclem, quòd dixit, lumen ſeu fulgorem eſſe quiddam, quod feratur, & extendatur inter terram & cælum (itáque per aërem;) verùm eam lationem & effuſionem nos latere, fortaſſe quòd tenuiſſima res ſit, & celerrimè feratur, hoc inquam reprehendit Ariſt. quia ferri & extendi corporeæ ſubſtantiæ ſolum eſt, lumen verò nihil eſt aliud, iuxta illius ſententiam, quâ quædam patibilis qualitas, per præſentiam rei lucidæ genita, per quam quod erat potentia diaphanum fit actu diaphanũ. Quæritur verò à Domino hoc loco, *per quã viam ſpargitur lux*, quaſi ſcilicet ſpargatur, ſpargi verò genus quoddam lationis ſignificat, quapropter & corporea ſubſtantia eſſe videtur, talis verò ſi eſſet, haudquaquam poſſet replere totũ aërem ſine corporum penetratione, niſi forte aer, vt hoc argumento viſum eſt multis Philoſophis, poris vacuis abundat: ſi verò vacuũ nihil eſt, haud poterit per totum aerem ſubſtantia alia ferri, quantumuis ſit tenuis. Accedit quòd ſi ex Sole continenter efflueret illa ſubſtantia, iampridem eſſet abſumptus totus, aut ſaltèm eſſet aliquando totus illuminatione abſumendus. conſtat verò illuminationem lucidis corporibus nihil detrahere, quapropter corpus non eſt; quare neque ſpargi videtur poſſe. Mirabile verò etiam, ſi corpus non eſt quo pacto radiis ſtet, qui recta ferantur, reflectantúrque & incidant ad angulos rectos, acutos & obtuſos, & mille modis congrediantur. Nam ſi corporea ſubſtantia non eſt, ſit ſanè accidens, aut ſubſtantia incorporea: at verò neutrum horũ videtur illa pati poſſe, nam flecti, & ad hos aut illos angulos incidere, & rectum eſſe aut curuũ, figuræ quædam ſunt: figura verò non eſt niſi in corpore, quare in incorporea ſubſtantia, vt in mente nullatenus, in accidenti corporali, non niſi per accidens, hoc eſt, per ipſum corpus cui

Lucis definitio.

ineſt: velut candorem nemo dicet triangularē, aut quadratum, niſi quia papyrus hac aut illa figura eſt, ita neque nigritiē, niſi quia litera. Eadem etiam ratio, ac fortaſſe etiã maior ſit de aliis omnibus qualitatibus: quis enim audeat dicere, dulcorem aut calorem, rectum, aut curuum, triangularē, aut quadratum? non igitur poſſet lumen, niſi ſubſtantia quædam corporea eſſet, reflecti, niſi cum aëre illuminato: at verò reflectitur in vmbra, nullatenus reflexo aëre, non enim vt Echo fit repercuſſo aëre, ita vmbra, ſed ipſo quàm maximè quieſcente, reflectitur: ergo lumen non vt accidens, ſed per ſe, vt corporalis ſubſtãtia quædam quæ per aërem ſpargitur. Sed quæ eius via? corpori enim non poteſt eſſe per corpus via, ſi verò quantum eſt lumine plenum in aëre, erat vacuum, totus cùm illuminatus ſit nullus relinquebatur aëris locus, præterquã quòd vacuum nō eſſe, nulli iam video eſſe dubiũ. Mirabilis profectò eſt lucis natura, adeò vt à quibuſdam Philoſophis corporalis Dei pars appellata ſit, cuius anima eſſet veritas, Deus ipſe Opt. Max. primo ſtatim generationis die, ipſam fecit, ſingulariter commendauit, videns lucem quòd eſſet bona. Videtur eſſe res ſui generis, neque corporalibus rebus, neque penitus ſpiritalibus annumeranda, quæ difficilis ſanè cognitu eſt, neque ſcio an vlli ſatis perſpecta, qui non eius originem in æterno exemplari contemplatus ſit. Non interim pro noſtro captu eius conditiones perpendentes, quod Deus dederit, diſſerimus. In primis ſubſtantia videtur eſſe non poſſe, quãdoquidē neque corporea, neque incorporea: corporea quidem, quia non poſſet aërem penetrare, quem tamen totum illuminatum eſſe videmus: incorporea, quia videri non poſſet, lumen verò videri conſtat, quia ſenſus organũ ita afficit vt corrumpat etiam aliquando velut excellens ſenſibile. Quo pacto autē eſſet excellens ſenſibile, quod omninò ſenſibile non eſſet? eſt igitur ſenſibile alioqui quomodo in ſolum aerē intendētes viſum, dignoſceremus diem eſſe aut noctem. Neque verò videtur horum alterutrum priuatiuè cognoſci, ſed vtrumque per veram paſſionem viſus à lumine quidem diſgregati, à tenebris congregati. Sed, etſi dicamus tenebras priuatione cognoſci, vtrumque tamen non poteſt: cùm enim contraria ſint, nō poſſunt ambo priuatione fieri: lumen igitur per ſe videtur, quare non eſt ſubſtantia incorporea, vt Deus aut mens. Sed neque accidens incorporeum eſt, vt notitia intellectiua, aut quidpiam tale, quia ne ſic quidem ſentiri poſſet: viſorium enim organum corporeum cùm ſit, ab ſpiritali paſſione affici non poſſet: ſupereſt igitur vt ſit accidens corporale, hoc eſt, affectio aut paſſio corporis cuiuſpiam. Eius igitur quod illuminatur, hoc

Lux non eſt ſubſtantia.

Lux eſt accidens corporale.

Diaphanũ quid.

hoc eſt diaphani, dicitur enim, eſtque re vera mediū actu diaphanū ſeu tranſparens, cùm illuminatū, atque hac cauſa tranſlucens etiam vocatur quod tranſparens, quaſi idem ſit, actu tranſparens & tranſlucens: quod verò tenebroſū eſt diaphanū potentia, capax enim lucis & ea carens. Hac cauſa Ariſt. dicit lumen & tenebras eandē rem eſſe numero, putà ipſum diaphanum ratione differre: quod enim potentia diaphanū, tenebræ: quod actu, lux eſt, itaq; quod priùs erat tenebra, fit deinde lux. Quem loquendi modū ad ſpiritalem transferens lucem, Paulus ad Epheſios dixit, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autē lux in Domino.* hoc etiam ſignificato acceptū eſt tenebrarum nomen c. 10. Exodi, vbi dicit, *Extende manū tuā in cœlum, & ſint tenebræ ſuper terrā Ægypti tam denſæ, vt palpari queant.* Nimirum aër illuminatus rareſcit, quia lumen ignē conuocat, lumine priuatus craſſeſcit excluſo igne: per ſummas ergo tenebras fieri poterat adeò denſus, vt palpari poſſet, hocque eſt tenebras palpari, hoc eſt, aërem lumine priuatū. Ita quoque fieri poterat tenebrarū catena, vt dicitur 17. Sapientiæ. Verùm in his omnibus locis, nomen lucis & tenebrarū materialiter accipitur. Vt & ab Ariſtotele: formaliter enim conſtat aliud quidpiam eſſe vtrumq; ab ipſo aere, ſeu ab ipſo diaphano. Si enim quod erat potentia diaphanū, fit actu diaphanū, illa ipſa Entelechia actu diaphani, ſeu forma, ſeu ratio, qua actu diaphanū fit, ſit formaliter lumē: itaq; lumen ſit Entelechia, ſeu actus diaphani; tenebræ eius Entelechiæ vacuitas coniuncta cū potentia, potentia autē & actus eſt diaphani, quare, vt dictū eſt, ſit lumen affectio aut paſſio corporis cuiuſpiam. Quo pacto igitur ſpargitur, & recta producitur, & reflectitur? Nunquid hæc accidunt lumini materiali, hoc eſt, illuminato aere, an formali, hoc eſt, Entelechiæ actu diaphani. Certè huic, nam per aerem quieſcentē ſpargitur rectáq; producitur & reflectitur lumen. Quomodo ergo hæc verè dici poſſunt de paſſione? non ſanè propriè, & vt ea verba lationem quandam ſignificant, ſed analogicè. Quia ipſum illuminari, ſeu lucidum fieri, phantaſiam præbet talium lationum, re vera autem fieri videtur, vt nunc dicam. Illuminatur aer, cùm fit ex potentia diaphano, actu diaphanum: fit verò tale ſola præſentia corporis lucidi, vt Solis, aut ignis, itaque lux eſt facultas quædam, ſeu virtus, quod potentia diaphanum eſt, efficiendi actu tale, per ſolam ſuam præſentiam. Quoniam igitur corpus lucidum illuminare non poteſt, niſi illud medium, inter quod & ipſum nullum intercedit opacum (quia hoc cum non ſit potentia diaphanū, non eſt capax luminis) fit vt lumen fieri non

poſſit, niſi in ea medij parte, ad quam ex corpore lucido duci poteſt linea recta nulli opaco ocurrens, ob id ſecundùm lineas rectas ferri dicitur lumen: etiamſi reuera non ſit res quæ feratur.

Lux totũ ſpatiũ nõ æqualiter illuſtrare. Porrò lux, vt maior aut minor eſt, ita maius aut minus medium poteſt illuſtrare, atque illud ipſum illuſtrare magis aut minùs, neque æqualiter quidem totum ſpatium, ſed proxima pars illuſtrior fit ſenſim langueſcente lumine, vt à lucido corpore receditur, tantò enim quæuis pars minùs afficitur, quantò longiùs abeſt à facultate, vt ferrum tantò leniùs trahitur, quantò longiùs diſtat à magnete. Cùm igitur lumen, antequã omninò ſit exoluta facultas lucis, incidit in opacum, quæ antrorſum per aërem erat alteratio producenda, retrorſum producitur: idque vocant reflecti lumen, tametſi non ſit flexile quidpiã, ſed horſum aut illorſum acta alteratio. Eadem autem

Luminis definitio. ratio eſt luminis, & viſibilium ſpecierum colorum omnium, nam lumen nihil aliud eſt quàm lucis ſpecis per diaphanum effuſa, per quam & lux videtur, & ipſum diaphanum actu fit, vt ſpecies colorum omnium per illud tranſmittat. Vt igitur à lucido corpore lumen, ita ſpecies colorum à coloratis per diaphanum, ſola præſentia producuntur, hoc intereſt, quòd lumen facit diaphanum actu, reliquæ ſpecies id non valent facere, ſed per diaphanum actu producuntur: nimirum indicatum mihi alibi eſt, colores lucis participatione innaſci corporibus, eſſeque flammulas quaſdam lucis æmulas; ſunt ergo genere ſimiles, minùs autem poſſunt. Vt igitur lumen eſt Entelechia actu diaphani, ita reliquæ omnes ſpecies actu diaphani paſſiones quædam. Mirabile igitur eſt, quod cùm videantur per aerem ſpargi lumen & colorum omnium ſpecies, nihil tamen ſpargitur, neque penetrat, aut pulſat aerem, vt Empedocli videbatur, ſed aer ipſe mirabilibus quibuſdam alterationibus, induit omnium corporum quæ adſunt formas. Hæc quo pacto fiant, nullus hominum poteſt diſtinctè eloqui, neque cogitare, tametſi fieri quidem omninò probabiliter diſſeruimus. Proinde humanam ignorantiam arguens Dominus, interrogat Iob. *Per quam viam ſpargitur lux?* addit, *diuiditur æſtus ſuper terram.*

Æſtus conſideratio. Æſtum ſuper terram fieri à cœleſtibus corporibus, notius eſt quàm vt quiſpiam poſſet dubitare, tamen illius cauſam referre in motum, maximus atque apertiſſimus error eſt Ariſtotelis, non enim minùs aut tardiùs mouetur Sol noctu quàm interdiu, ſed minùs illuminat.

Quare cùm id quod præſente fit, & quo abſente ceſſat affectio, cauſam eſſe omnes homines cenſeant, conſtat ad lumen debere

debere referri æſtum, non ad motum: lumen verò proprietate quadam eſſe effectiuum caloris, in materia quæ poteſt calefieri, etiamſi Sol & alia aſtra eius paſſionis expertia ſint, vulgares Philoſophi affirmant: quod probabilius dicitur, quàm cœlorum motu fieri, longè autem probabilius quod ſæpè iam diximus, ignem qui per omnia permeat, ſequi Solis fulgorem: ob analogiam tractum, atque ideò quæ à Sole illuminantur à ſubſequenti igne calefieri. Diuiditur ergo æſtus ſuper terram, vt ignis hanc aut illam partem magis occupat, hocque euenit, vt hanc aut illam magis ſpectat Sol. Calefacit ergo magis partem quam magis illuſtrat, eoque, & quàm rectius aſpicit, quia ab ea parte reflectitur lumen, vt explicuimus: geminata ergo illa paſſione fit maior illuſtratio, & maior ignis conuocatio, & calefactio maior. Iuxta luminis igitur intenſionem diuiditur æſtus ſuper terram: minimo quidē exiſtente in ea parte, quàm Sol non intuetur: maiori in ea quam obliquè: multò, in ea quam recta plurimum ad calefactionem iuuante mora, quia cùm lumine ignis quoque immoratur. Via autem æſtus occulta eſt, nimirum pori aeris, quia rareſcit penetratus à corpore tenuiori.

Hæc de lumine, & comite illius æſtus, eſt quoddā aliud ſuperius lumen hoc noſtro quod conſpicimus, corporale illud etiam, in ſede Beatorum, quò Solis facultas non pertinget, ſolius Agni præſentia conſeruatum, velut & hic apud nos tribus primis Geneſeos diebus ſeruabatur; tantò præſtantius hoc, quantò ſupremi illius cœli corpus, aeris in quo viuimus corpore, eſt aliud longè diuiniſſimum, minimè corporale, quò non paſcuntur Beatorum oculi, ſed illuſtrantur mentes, quod vocant lumen gloriæ: hoc verò agnoſcere non pertinet ad Philoſophum, ſed ipſe Deus annunciat de eo amico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit, vt capite trigeſimo ſexto dixit Eliud. quæ verba valde conſonant cum illis Platonis in dialogo de Natura: *Superiora verò his horum principia Deo nota ſunt, atque ei qui Dei ſit amicus.* vſque adeò Ethicus ille, hac certè cauſa ſapiens, diffidebat ſcire ſe poſſe prima & certiſſima rerum naturalium principia niſi Deo reuelante: neque ſanè de humilibus & incertis poſſe, niſi ad probabilitatem aliquid diſputare. Vt liceat mirari quorundam Chriſtianorum temeritatem ad credendum, qui eorum quæ opinantur, nihil non putant ſe certiſſimè ſcire, quo fit, vt ad credendum quæ non intelligunt ſint duriores, quia opinione ſapientiæ fiunt ſtulti, cùm tamen Deus ipſe toto hoc capite hominibus indicet ſuam, rerum etiam quas vident, & quibus viuunt ignorationem. Mihi mea ignorantiæ

opinio præſtò ſit, & humilitas. Per hanc enim (arbitror) viam ſpargitur lux. Deo gratias.

CAPVT LIV.

CAp. 38. Iob: *In ſimilitudinem lapidis, aquæ durantur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur.* De grandine videntur dici illa verba priora: *In ſimilitudinem lapidis, aquæ durantur.* & de glacie quæ apud nos, ſit poſteriora illa; *Et ſuperficies abyſſi conſtringitur.*

Glaciei cōſideratio & grandinis.

Nimirum grando & glacies eadem res eſt, aqua ſcilicet præ frigore conſtricta. Figura ſolum differt, quòd ſcilicet grando orbiculares quidam lapilli ſunt, ex pluuiæ cadentis guttulis geniti, glacies verò fit ex continuata aqua ſiue in fluminibus, ſiue mari, ſiue fontibus, ſiue in ſtagnis, aut vaſis quibuſuis concreſcente, & ipſius aquæ quæ concreta eſt figuram retinet, tametſi ſphærulæ illæ nomen peculiare habent, diciturque Latinis grando, Græcis χάλαζα; tamen communi nomine dicitur vtraque glacies, & Græcis κρύσταλλος. Atque ita de grandine dicitur in Pſal. 147. *Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* de glaciei verò generatione dicit, *Conſtringitur facies abyſſi* quia concretio aquæ ſemper incipit à ſuperficie, & procedit verſus imum, atque adeò ſuperuenitur in aqua, atque ſi violenta demergatur in profundum, ſponte effertur, itaque ſemper occupat abyſſi ſuperficiem: cuius rei cauſa pendet ex ipſius glaciei generatione. Dictum enim mihi iam eſt non ſemel, aquam ſuo naturali frigore concreſcere, per ignis, & calidarum exhalationum abſentiam. Quia ſi affectionem vllam frigidam præter naturam ſuam pati poſſet, eſſet aliud quidpiam natura frigidius: cùm verò neceſſe ſit quod eſt primò, eſſe etiam ſummè tale, neceſſe eſt aut aquam non eſſe primùm frigidorum, aut nullum frigus eſſe illi præter naturam. Cùm igitur quando recedente Sole, ignis eius aſſecla ex propinquo aere fugit, vapores frigidi eius loco in aerem ſe effundant, & exhalationes calidæ in profundum terræ ſe condant, neceſſe eſt, vt à ſuperficie abyſſi recedant priuſquam ab aqua profundiori, atque ita deinde incipiat glacies. Qua etiam cauſa ſeſe frigidis temporibus piſces in profundo recondunt, quo ad vitam indigent calore potituri, vitaturique mortiferum frigus. Glacies itaque

hac cauſa gigni incipit à ſupeɪficie abyſſi. Grando quoque videtur quibuſdam fieri ex nubibus, primum quidem in glaciem duratis, deinde ventorum frigore comminutis in fruſtula, aut etiam calore Solis. Itaque eſſe grandinem fruſtula deciſæ glaciei, ea verò fieri in ipſo deſcenſu rotunda, longo illo præcipitio velut conuoluta. Fuit hæc ſententia inter antiquos Philoſophos Epicuri, inter Chriſtianos D. Iſidori Hiſpalenſis, cui videntur ſuffragari illa verba cap. 43. Eccleſiaſt. *In magnitudine ſua poſuit nubes, & confracti ſunt lapides grandinis.* Hæc enim apertè videntur innuere, confractis lapidibus (ex glacie ſcilicet) factam eſſe grandinem. Cæterùm Ariſtot. euidenter ſatis refutauit hanc ſententiam, cap. 12. Meteor. his verbis: *Abſurdum prætereà ſuſpicari, aquam ſuperiori in loco congelaſcere, quandoquidem fieri non poteſt vt id conſequatur antequam reddatur aqua, neque vllo tempore aqua ſuſpenſa permanere poteſt.* Hæc Ariſt. Ex quibus palam fit, ex nube aquæ guttas fieri potiùs, his deinde ſeorſum cadentibus, & gelaſcentibus, fieri grandinem, & ipſarum guttarum figuram retinere. Illud verò Eccl. ita intelliges, confractos eſſe lapides grandinis, hoc eſt, deciſos ex nube, non quidem gelata priùs, ſed per particulas in guttas abeunte: verum enim ita etiam eſt, lapides grandinis ex nube eſſe deciſos, etſi non ſint deciſi facti iam lapides, ſed poſt deciſionem lapidauerint.

CAPVT LV.

CAp. 38. Iob: *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam? quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet? Quando fundebatur puluis in terra, & glebæ compingebantur?* & c. 39. *Nunquid capies leanæ prædam, & animam catulorum eius implebis, quando cubant in antris, & in ſpeciebus inſidiantur? Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eò quòd non habeant cibos? Nunquid noſti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes ceruas obſeruaſti? Dinumeraſti menſes conceptus earum, & ſciſti tempus partus earum? Incuruantur ad fœtum, & pariunt & rugitus emittunt. Separantur filij earum, & pergunt ad paſtum. Egrediuntur, & non reuertuntur ad eas. Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra falſuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. Circumſpicit*

circumſpicit montes paſcua ſua, & virentia quæque perquirit. Nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium poſt te? Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & relinques ei labores tuos? Nunquid credes illi quoniã ſementē reddat tibi, & in aream tuam congreget? Penna Struthionis ſimilis eſt pennis Herodij, & Accipitris. Quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea? Obliuiſcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri cōterat. Duratur ad filios ſuos, quaſi nō ſint ſui, fruſtrà laborauit nullo timore cogente; priuauit enim eam Deus ſapientia, neque dedit illi intelligentiam. Cùm tempus fuerit, in altum alias erigit, deridet equum & aſcenſorem eius? Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitū? Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? gloria narium eius terror. Terrā vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis. Contemnit pauorem, neque cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus. Feruens, & fremens, ſorbet terram, neque reputat tuba ſonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit, Vah! Procul odoratur bellum, exhortationē ducum, & vlulatū exercitus. Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcet accipiter expandens alas ſuas ad Auſtrum? Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus. Inde contemplatur eſcam & de longè oculi eius proſpiciunt. Pulli eius lambunt ſanguinem, & vbicunque cadauer fuerit, ſtatim adeſt. Hæc Iob.

Vt corporearum ſubſtantiarum præſtantiſſimæ ſunt, quæ vocamus animalia, ita ex naturæ eorum contemplatione, maximè erigitur humana mens in altiſſimi Dei contemplationem. Nimirum optimum opificium optimi opificis argumentum eſt. Proinde Dominus recenſitis quamplurimis quæ ſpectant ad mundi partes ſenſu carentes, attingens per capita, quæ ſpectant ad animalium hiſtoriam, diſputationem claudit. Nihil autem mirabilius eſt in animalium genere, quam id quo à reliquis corporibus differunt, putà cognitio: in hac verò mirabilis tanta differentia vt alia ſint ſtupidiſſima, alia ſagaciſſima, alia audaciſſima, alia timidiſſima, alia prolis amantiſſima, alia negligentiſſima. Porrò mirabilis eſt compoſitio ſingulorum corporum, & partium omnium ad mores accommodata ſtructuræ. Mirabilis quorundam animi vigor poſtremò & corporis moles. Quæ omnia atteſtantur quam maximè ſapientiam, potentiam, & bonitatem Dei: quandoquidem fieri non poteſt, vt animantia, vi cognoſcendi, & ſapientia plus aut minus participent, prima rerum omnium cauſa quæ ipſa fecit non ſit intel

Animalium cognitio.

intelligens & ſapiēs. Ad hoc argumentū ſpectant verba illa Pſal. nonageſimitertij: *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Quod quidem argumentum firmiſſimum eſt, ſi ſemel concedatur, hominem, vt & quodcunque aliud animal, Dei eſſe opificium. Non enim poſſet Deus audiendi aut videndi organū formare, ipſum audire, aut videre non agnoſcens. Neque cùm adhuc nihil eſſet extra ipſum, poterat niſi in ſeipſo agnoſcere, quare neceſſe eſt ipſi præſtantiorī modo eſſe ea omnia, cognoſcere videlicet & ſapere. Neque aliter poſſit quiſpiam id negare, quàm negans hæc à Deo quopiam eſſe facta, ſed ſponte conſtitiſſe talia, vt & ipſe Deus per ſeſe eſt. Hoc igitur refutans Dominus exorſus eſt hanc diſputationem ab illis verbis: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?* & paulò infra in hoc ipſo cap. dicit, *Sciebas tunc quod naſciturus eſſes, & numerum dierum tuorum noueras?* quaſi dicat, tu ipſe tibi conſcius es, te nullibi tunc fuiſſe, ac ne fuiſſe quidem omninò; nihil igitur habes ex teipſo, ne ipſum quidem eſſe, ſed ab alio es factus, à quo neceſſe eſt acceperis quæcunque tibi naturaliter inſunt Neque ſanè ſit ſatis dicere, à parentibus; nam illi etiam paulò ante te facti ſunt, quapropter eadem eſt dubitatio, eundúmque in infinitum, aut poſtremo conſiſtendum in aliquo, qui nunquam non fuerit, à nullo factus, à quo facto ſint omnia, cuius ſint per ſe bona omnia, quæ reliquis omnibus communicauerit. Si igitur non ſemper fuimus, vt non ipſi nobis teſtes ſumus, neque fecimus ipſi nos, ipſe profectò fecit nos, qui ſemper, ac per ſe eſt, quapropter quidquid in nobis, aut aliis vllis rebus eſt boni, in illo neceſſe eſt ſit eminentius. Ad hoc argumentum etiam pertinent prima illa verba præſcriptæ orationis: *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* quaſi dicat, neque homo accepit ſibi ſapientiam præ reliquis animantibus, neque eam quam habent intelligentiam illis impertitus eſt. Neceſſe eſt ergo tributa eſſe hæc & alia omnia bona quibus participant, tum hominibus, tum reliquis animantibus, tum etiam reliquis omnibus rebus quæ natura conſtant, ab vno aliquo ente ante omnia entia, & bono ante omnia bona, cum quo nullus homo poſſit contendere: videbatur enim Iob velle contendere cum Deo, vt exprobrabatur ei ab amicis. Dubitatum eſt à Philoſophis de ea quæ brutis ineſſe videtur intelligentia pleriſque negantibus eſſe illis vllam rationis vim, ſed ſenſum ſolùm, aliis etiam non paucis aſſerentibus, præter ſenſum ineſſe illis quandam mentem. De qua quæſtione Plutarchus libello de animalium

Bruta quomodo intelligāt.

lium

Nota hãc diſputationem. lium induſtria, optimè mihi videtur diſputaſſe. Negant vllam eſſe vim rationis brutis,hoc præcipuè argumento,quòd omne animal eſſet rationale. Videtur autem rationale differentia animalis eſſe,quapropter vt in illis contrariis euenit,ita in hac quoque oppoſitione, neceſſariò ſi vnum eſt, ſit etiam alterum, vt ſi quodpiam eſt animal rationale , ſit etiam aliquod irrationale. Quare ſi homo animal rationale eſt,ſit quod nõ eſt homo animal rationis expers.His alij reſpõdent, rationale & irrationale differentiam animalis non eſſe,ſed corporis,numero quidem eandem cum ſenſibili & inſenſibili,eo quòd rationale ſeparari non poſſit à ſenſibili. Sensus an ſine mẽte. Stratonẽ Phyſicum referunt libellum quendam ſcripſiſſe,quòd ſenſus ſine mẽte eſſe non poſſit, quod præcipuum eſt fundamentum eorum , qui plus aut minus cenſent animalia omnia ratione participare.Itaq; huc controuerſia vertitur,an poſſit eſſe ſenſus ſine mente: ſi enim non poteſt, neceſſe eſt animantibus omnibus mentẽ concedere, aut brutis etiam ſenſum denegare. Videtur autem non poſſe mens ſeparari à ſenſu,quandoquidem,vt Hippocrates dicit,qui parte aliqua corporis dolentes dolorem non ſentiunt , iis mens ægrotat. Si igitur cùm mens ægrotat alienatáq; eſt,ita vt ſenſuum organis intenta non ſit , etiamſi dolendi accedat cauſa, non ſentitur , multò minùs ſentiri poſſit res vlla alia earum quæ minùs violenter ſenſum pulſant , niſi adſit mens , quod etiã in nobis ipſis experimur. Nam cùm de re aliqua attentiùs cogitamus,plurima obuerſantur ob oculos, & aures, quæ neq; videmus,neq; audimus. Si igitur animantia mẽte prædita,cùm mens non attendit, non ſentiunt, multò minùs ſentire poſſent quæ penitus eſſent amentia. Quòd ſi amentia ſentire non poſſunt , neque ſenſum poſſunt habere. Non poteſt igitur ſenſus eſſe ſine mente. Ex hac , etſi natæ ſunt duæ longè diuerſæ aſſertiones. Pleriquc enim eorum qui eam recipiunt,colligunt omnia animalia , plus aut minus eſſe mentis , & intelligentiæ participia. Quidam noſtratium nuper , ne brutis concederet rationem, timens (arbitror) ne & immortalitatem cogeretur concedere , ſenſum etiam abſtulit , negauítque vlli præter hominem eſſe ſenſum,ſed quæcunque à brutis ſenſu quodam agi viderentur,ſympathia quadam & antipathia potiùs agi , & naturæ magis quàm animæ eſſe opera. Si itaque dicta theſis recipitur, duorum alterum fit, aut nulli præter hominem eſſe ſenſum, aut animantibus omnibus eſſe mentem, & rationem,quibus vtrumque videtur eſſe abſurdum,negabunt non poſſe eſſe ſenſum ſine mente. Qui ſoli homini ſenſum tribuit, difficilem poſſit adhibere interpretationem multorũ quæ in ſacris ſcripta ſunt.

ſunt. Nam, equo dicitur, *vbi audierit buccinam, dicit de Vah! Procul odoratur bellum, exhortationē ducū, & vllula ū exercitus.* Rurſū de Aquila: *Inde contemplatur eſcam, & de longè, oculi eius proſpiciunt.* Neque ſolùm Aquila & equus, ſed & bos & aſinus, ſtupidiſſima animalia, agnoſcūt poſſeſſorem ſuū, & præſepe domini ſui, cap. 1. Eſaiæ. Sed & opinio ipſa per ſe eſt abſurda: nulla enim fides haberi poteſt ſenſibus noſtris: proceditq; dubitatio vſque ad inſaniam, ſi quæ cernimus intuitu quarundam rerum perterrita fugere: rurſum quibuſdam rebus allici, pulſata vociferari, amicitiæ & inimicitiæ, leges obſeruare, ſenſum vllum habere negauerimus. Proinde hac aſſertionis parte, quæ non longè abeſt à delirio, dimiſſa, alterā conſideremus, An ſcilicet brutis ratio vlla inſit. Videtur quidē ineſſe nulla, quia ratio conſenſu Philoſophorū, deſtinatur ad virtutem: virtutis verò & vitij non videntur bruta eſſe capacia, igitur neq; rationis. Alij contra, his obiiciunt, multa animalium tam terreſtriū quàm marinorum, quàm etiam volatiliū opera, quæ eadem ſi qui hominū faciūt, cenſentur prudentiſſimi, quin etiā homines ipſos quamplurima eorū ob quæ maximè laudātur, facere cœpiſſe illorū mitatione. Quo pacto igitur (dicunt) nō ſit iniquū illis eam laudem detrahere, quā nobis ex eorū imitatione aſſumimus. Præterea ad eandē facultatē pertinet benè & malè aliquid facere. Non enim euenit malè videre auribus, aut malè audire oculis, ſed vtcunque videre oculorum eſt, & audire aurium. Igitur deſipere, aut inſanire, eiuſdem eſt cuius ſapere & bene ratiocinari. Nemo enim vocat lignum inſipiens, quia ſcilicet ſapere aptum non eſt. Videntur autē bruta nōnunquam decipi; quod quidem facit artem venādi iucundiſſimā, quia multis modis illis imponitur, etiamſi non paucis illa vtantur ſtratagematis ad vitandum inſidias. Videntur etiam aliquando inſanire, nam ſimiæ ebrietate corripiuntur, & vt alios morbos quàm plurimos, ita hydrophobiam, ſeu rabiem pati ſolent canes maximè, ſed & equus, bos, & aſinus, & camelus, quem morbum Medici ponūt in maniæ generibus. Si igitur bruta poſſunt delirare, poſſint & ratiocinari: nam delirium læſio rationis eſt. Cùm igitur ex hac parte adeò vrgeant hæc, videanturque animalia ratiocinari, ſuo quodque gradu, & alia plus alijs (quis enim negat aſinum ſtupidiorem eſſe vulpe, & Struthionem perdice;) alia verò ex parte videatur à dignitate generis humani plurimam abhorrere, ratiocinandi vim cum omnibus animātibus habere communem. quid de hac quæſtione ſtatuendum ſit videamus, Certè rationē aliquam eſſe brutis, negare non poſſumus citra proteruiam: alioqui non ineptiùs denegatur illi ſenſus, nam

An ratio ſit brutis.

Quæ animātia rabiem patiantur.

quæ

quæ alia ratio eſt agnoſcendi facultates quàm per actiones, quàm per opera? Vt igitur quia clamoribus terreri, ac fugari videmus capreas, concedimus eas audiendi facultate eſſe prædiras, ita videntes lépores metu imminentis periculi transferre ſuos fœtus, & canem ſpe capturæ, & cibi nondum præſentis, inſidias ſtruere, neceſſe eſt concedamus prudentiæ quandam vim illis ineſſe. Nam ipſum prouidentia vti nihil aliud eſt, quam nondum præſentia pericula præcauere, & quæ euenire poſſunt bona, mediis appoſitis procurare Senſus enim præſentium ſolum eſt, multis tamen conſtat argumentis, hanc brutorum rationem longè diuerſam eſſe ab humana mente, neque maioris vel minoris ſolum ratione differre, ſed ipſo rationis eſſe, atque ita vt rationis & rationalis nomen de vtriſque non vniuocè dicatur, ſed analogicè. Primum quidem, quia mens humana, natura ſua & ex ſeſe nata eſt ratiocinari ſimpliciter, & circa quiduis. Studio enim & exercitatione fit hic ſtrenuus Medicus, ille Imperator, alius venator, alius agricola, faber alius: rurſum hic Phyſica meditatur, ille Mathematica, ille etiam Theologica. poſſet qui nunc Medicus, ſi didiciſſet, eſſe non minùs ſtrenuus Theologus, & qui nunc Theologus, Imperator, aut agricola. Nimirum ingenij acies eſt, authore Platone, velut oculus tornatilis, mentis inquam oculus, qui ſe poſſit, quoquò velit vertere, brutorum verò nullum ratiocinari natum eſt, niſi circa quiddam, quò ſcilicet naturali quodam inſtinctu fertur. Scit enim canis leporem quærere, & perdici inſidiari, ſed neſcit lectum ſternere, aut ſpecum fodere: lepus contrà, lectum ſternere, & cuniculus non ſine magna arte domum ſibi facere ſubterraneam, neuter verò ſcit ex venatione viuere, neque ſanè hoc canis, aut illud lepus, doceri vlla ratione poteſt: igitur homo ſimpliciter rationalis eſt, brutorum quocunque circa quidpiam. quapropter non ſimpliciter, ſed quodam modo, & analogia quadam. Præterea homo deliberat & conſultat de iis quæ facit, non enim ſolùm cogitat, quo modo poſſit hoſtem interficere, ſed priùs etiam, an expediat interficere, reliquorum verò animalium nullum. Nunquam enim felis conſultauit de ignoſcendo muri, aut canis de innocentia circa felem, nimirum nullum horum operatur ex arbitrio, ſed ex naturali propenſione. Vnde (dices) noſti inde certè, quòd quæ eiuſdem generis ſunt, omnia ſunt ſui ſimilia, faciúntque eadem. Non enim vt hominum alius eſt cruentus, alius innocens, atque idem homo hodie mitis, cras crudelis, hodie iuſtus, cras iuſtitiæ contemptor, ita felis hic mures ſectatur, ille tuetur, aut hodie eis veſcitur, cras illis ex ſuo tribuit,

Bruta quo à noſtra ratione differant.

buit, ſed idem ſemperve faciunt omnes, quod euidenti argumento eſt non ex libertate vlla, aut arbitrio, ſed ex natura eorum operationis, & intelligentiam fluere. Nimirum natura eadem eſt, ſimilibus, atque eiſdem ſemper, voluntas non eadem. Huc reſpexit Hippocrates dicens, naturam nullo doctore vti. Nimirum quæ natura fiunt, neque ex doctrina, neque ex meditatione procedunt, ſed ex quadam popenſione, quapropter qui ab homine tollit liberum arbitrium, nihil aliud quàm belluam ipſum facit. Cùm igitur propriè ratiocinari non ſit vtcunque facere aliquid cum præſenſione finis, ſed conſultare cum electione medicorum, & aliorum cum aliis collatione, idque brutis non inſit, conſtat hominem ſolum eſſe rationale animal propriè, reliqua non niſi analogia quadam. Prætereà nihil eorum de quibus ratiocinatur aliorum animalium vllum eſt incorporeum aut æternum, ſed omnia ſenſibilia, & caduca, nam de quærendo victu, de ineundo coitu, de nutrienda, & conſeruanda prole, de fugiendo dolore, de vita valetudineque tuenda, de corporeis verò, & diuinis, aut de immortalitate, nulla illis ſubeſt cogitatio. Quî ſcis? dices, quia nullus illis Dei cultus, nulla cura iuſti & æqui, nihil faciunt ad adipiſcendam immortalitatem: ſed ſolùm ne tunc moriantur. Sed & hoc quî ſciam, interrogabis. Quia nullis ea videmus nominibus inclinari, nulla vindicta criminum vti, nullis virtutum præmiis. Neque verò poſſent ſine communibus legibus, neque ſine legum peritia, neque hæc ſine ſermone quem videmus illis negatum eſſe à natura qui ſanè naturâ eſt adeò coniunctus cum ratione, vt meritò Græci idem nomen vtrique dederit, λόγον vocantes, & rationem & ſermonem. Non igitur belluæ ratiocinantur ſimpliciter, ſed quodammodo, de ſenſibilibus ſolùm & caducis. Vnde fit, vt etſi animalia omnia quodammodo ratiocinentur, immortalitatis verò participem animam ea ſolùm habeant, quibus de immortalibus cogitandi naturale principium eſt. Non enim poſſet ille impetus ferendi in immortalia, naſci ex meris mortalibus. Quapropter ignorantiſſimi ſunt qui timent, ſi ſenſum cum quadam ratione brutis tribuant, ne illa donent immortalitate, & qui, quia bruta ratione quadam pollent, vocent in diſcrimen humanæ mentis immortalitatem. Non enim quia ratiocinantur vtcumque, immortales eſſe homines cognoſcuntur, ſed quia incorporeis, æternis, & diuinis. Atqui profectò niſi belluinam haberent ſtupiditatem, vel ex hoc ſolo quòd de immortalitate diſputant, agnoſcerent eſſe ſibiipſis aliquid immortale. Nam quî poſſet magis quod mortale

Bruta quomodo rationalia.

Immortalitatis argumentũ.

tale, agnoſcere immortalitatem, quàm oculus ſonos, aut colores auris? Num igitur homines ſi omnes eſſent ſine oculis nati, in dubitationem vocare poſſent, an eſſent illi colores? an differt minùs incorporeum & immortalium natura à corporeis & caducis, quàm colorum natura à ſonis, & odoribus? longè autem abeſt, vt quia delirare poſſunt, rectè colligas habere mentem humanæ ſimilem: nam ne homines quidem delirant ſecundùm eam mentem quæ illos ſeparat à brutis ſed ſecundùm internos ſenſus quos cùm illis habent communes, imaginationem inquam, & ſenſitiuam rationem, quam nonnulli vocant cogitatiuam, alij æſtimatiuam. Nam cùm phrenitis & melancholia morbi ſint corporales affectiones, non poſſunt per ſe lædere niſi facultates corporales, mentem verò læſio non attingit, niſi ex accidenti, quia ſcilicet dum in corpore eſt, ſenſibus vtitur. Delirare itaque poſſunt bruta ob imaginationem, & ob eam quam habent rationem, quoniam eam quæ propriè ita nuncupatur, & liberam delirandi vim non habent, neque virtutis neque vitij ſunt capacia, neque pœnæ, neque præmij digna: nimirum operatio ſecundùm virtutem ex deliberatione procedit. Hanc ipſam ob cauſam neque veram ſapientiam habere poſſunt, quia vera ſapientia nunquam ſeparatur à virtute. Eſt enim ſapientia, vt in ſexto Ethicorum, & primo Metaphyſicorum dicitur, ſcientia rerum honorabiliſſimarum: huiuſmodi ſunt quæ diuina, æterna, & verè bona, quapropter qui circa hæc non fallitur, is ſapiens eſt. Quod cùm homini niſi Dei beneficentia contingere non poſſit, conſtat ſapientiam à Domino Deo eſſe, vt in initio Eccleſiaſtici dicitur, atque vt in 3. eiuſdem, filios ſapientiæ eſſe Eccleſiam iuſtorum. Vera itaque ſapientia eſt, quæ per veram fidem comparatur diuinarum rerum notitia cum meditatione diuinæ legis. Quandoquidem igitur, vt eſt indicatum, brutorum natura horum capax non eſt, non ſine magna proprietate dicitur in præſcripta oratione: *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiã, vel quis dedit gallo intelligentiam?* Nimirum animalium ſolus homo ſapientiæ eſt capax, quia is ſolus habet delectum boni, & mali, & rerum diuinarum cognitionem, reliqua intelligentiam quamdam rerum minimè diuinarum, de quibus, vt indicatum eſt, naturaliter etiam ratiocinantur, non tamen cõſultant cum deliberatione. Volens igitur Deus, in ſui cognitionem trahere hominem interrogat: *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiã*; hoc eſt, in humana mente notitiam diuinorum, & ſcientiã boni & mali; vt ſcilicet homo intelligat, non alium quàm Deum feciſſe hæc, eadem enim eſt

inter

Phrenitis.

Quis ſapientiæ capax.

Sapientia quid.

interrogatio, & illa Pſal 4. *Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Hoc eſt, multi dubitantes interrogant, Quis oſtendit nobis bona, hæc inquam eſſe bona,& facienda,illa mala,& vitanda, aut quæ eſt regula dignoſcendi bonũ & malum? Re vera regula & ratio eſt voluntas Dei: nam cùm is ſit primum & ſummũ bonum, nihil poſſit in hac vniuerſitate bonũ eſſe, niſi quod ei ſit conforme. Porrò cùm Deus primum principium omnium, nihil poteſt eſſe bonum quod non ametur à Deo antequam ab alio quopiam; amor igitur Dei eſt regula bonitatis veræ, & nomine vultus Dei ſignificatur æterna eius voluntate. Naturalis verò Lex, eſt ſignificatio diuinæ voluntatis, quam Deus ipſe noſtris mentibus inſeuit, vocaturque proinde lumen vultus Dei atque hoc ipsũ eſt, ponere in viſceribus hominis ſapientiā. Itaque Deus poſuit ſapientiam in viſceribus hominis, ſignans ſuper nos lumẽ vultus ſui: gallo verò & reliquis animantibus dedit intelligentiam. Hanc galli naturam mirati ſunt omnes qui de animalibũ hiſtoria ſcripſerũt. Plinius cap. 21. lib 10. ita inquit: *Proximè gloriam ſentiunt, & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpẽdóque ſomno natura genuit, norunt ſydera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu: cum Sole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas laboreſque reuocant, nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere, diémque venientem nuntiant cantu: ipſum verò cantum plauſu laterum imperitant ſuo generi, & regnum in quacunque ſunt domo exercent, dimicatione patitur hoc quoque inter ipſos, velut ideò agnata tela cruribus ſuis intelligentes. Nec finis ſæpè commorientibus. Quòd ſi palma contingit, ſtatim in victoria canunt, ſeque ipſi Principes teſtantur, victus occultatur ſilens, agreque ſeruitium patitur.* Hæc Plinius de galli intelligentia, qui (res mirabilis) videtur habere ſenſum gloriæ & principatus, & notitiam motus cœli, ac ſiderum, ſiquidem ternis horis canit interdiu, & quarta vigilia caſtrenſi, hoc eſt, exactis tribus noctis horis, & iterum iamiam aduentante die. Indicat mox Dominus, non poſſe eſſe alium quàm Deum, qui hanc intelligentiam dederit gallo, dicens, *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?* quaſi diceret, conſtat non potuiſſe tribuere gallo hunc ſenſum temporum, niſi qui perſpectum haberet exactè cœlorum motum, hunc autem quis habebit? *aut quis enarrare exactè poterit rationẽ motus cœlorum?* quaſi dicat nemo, niſi qui eis rationem poſuit, quique poterit ſedare eius cõcentum cùm volet, quem ſcilicet ipſemet excitauit in ipſa mundi creatione, quando fundabatur puluis in terra, & glebæ compingebãtur. Ex his facile eſt intelligere, quàm

Lex naturalis quid.

Galli gallinacei natura.

quàm arroganter Aſtrologi, quæ ad rationem illorum motuum ſpectant affirment, quaſi ipſos nihil eorũ quæ ibi geruntur lateat, cùm tamen, vt abſunt illa longè à noſtris ſenſibus, difficillimum ſit, vt inquit Ariſtoteles, quidpiam de ipſis pronunciare Laudandi tamen ſunt ob eximiam diligentiam, qua cùm Mathematicarum peritia tam multa ſunt aſſequuti, vituperandi verò niſi intelligant eſſe longè plura quæ ignorentur, neque exactè illorum quidpiam ab alio cognoſci poſſe, quàm ab eo ipſo qui (vt Platonis vtar verbis) *dies & noctes, menſes, & annos, qui ante cœlum non erant, tunc naſcente mundo naſci iuſſit.*

Annorum ſupputatio. Quod vel inde facile eſt intelligere, quòd annorum alia eſt ſupputatio apud Ptolomæum, alia apud Alfonſum Regem, alia apud Copernicum, quaſi peritiſſimis eorum exactam computationem motus Solis, qui cœleſtium omnium videtur eſſe regulariſſimus, & euidentiſſimus, nondum tenentibus, aut ipſis annis non ſemper æqualibus, ſed inuicem ob cauſas nondum perſpectas variantibus. Vix vlla ætas eſt, qua non inducant Aſtrologi nouam aliquam hypotheſim, & motum alium, aliúdve corpus ponant, quod euidens eſt argumentum incertitudinis. Quid ergo? num veriſimile eſt gallum noſſe ſydera, & ternis horis diſtinguere eorum motum? Non ſanè, nam etiamſi, vt ibidem inquit Plinius, ea ſola volucrum cœlum aſpiciat crebrò, minimè tamen notare ſydera poteſt, cùm eat cubitum cum Sole, ſed neceſſe eſt naturalem habeat aliquam cum cœlo ſympathiam, quia ternis horis ita afficiatur, vt latera ſua pulſet, & cantet. Quantò verò ipſe minus poteſt quos diſtinguit cœli motus agnoſcere, tantò maiori ſapientiæ eius qui fecit, argumentum eſt Magis enim miramur gallos quarta hora caſtrenſi excitari ad cantum, quàm Monachos media ſemper nocte, tametſi hi multò minùs à ſua hora deerrent. Verùm in his agnoſcimus ſtudium, & curam, in illis ſine vlla inſtitutione ſolam naturæ vim. Quare cùm illorum peritiam non agnoſcamus, ſupereſt vt ad peritiam authoris referatur, velut quòd horologium motu gnomonis, & pulſatione cymbali, metiatur & diſtinguat noſtra tempora, refertur ad peritiam artificis. Vel ex hoc igitur conſtat, eum qui dedit gallo hanc naturam, rationem cœlorum, & motus ſyderum exactè tenere. Is cùm eſſe non poſſit niſi qui fecit cœlum & terram, conſtat eum vt maximum, & optimum, ita eſſe & ſapientiſſimum. Quapropter nemo poſſit cum illo contendere. Quod dicitur, & *concentum cœli quis dormire faciet?* ad Pythagoræ dogma videtur ſpectare, cenſentis cæli motu cieri maximum, eumque ſuauiſſimum, & pulcherrimum concentum. Verùm quia (niſi quid hîc eſt,

Harmonia cœleſtis.

quòd non intelligam) cœlorum motu nullus ſonitus cieri poteſt, cùm is paſſio aëris ſit, ſatius eſt nomen concentus (vt placet Diuo Thomæ) accipere metaphoricè prò motuum illa mirabili proportione. His dictis tranſgreditur ad alia: *Nunquid* (inquit) *capies leænæ prædam?* quod quidem & multa alia quæ ſequuntur, bonitatis & prouidentiæ Dei circa animalia præſtant argumentum, quæ, quia in iis quæ maxima premuntur indigentia, aut maximè deſtituta ſunt, aut minimè proprio vel alieno omninò iuuari poſſunt, præcipuè agnoſcitur, talium profert Dominus exempla. Leo voraciſſium animal eſt, tamen cùm liberè deerrat & diuagatur per ſyluas, non eſt adeò mirum prædam capere quæ ſibi poſſit eſſe ſatis: tamem leænæ cùm cubat in antro, ne catulos ſuos deſerat, quis poteſt eſcas ſuppeditare, quibus eius & catulorum (qui etiam ſunt valdè voraces) impleantur animæ & ſatientur? Nunquid (inquit) tu capies leænæ, quam præſtes, prædã, & implebis animam, hoc eſt, ſatiabis appetitũ catulorum eius? quaſi dicat, non. Sed illud eſt opus prouidentiæ Dei, qui dat eſcã omni carni, & implet omne animal benedictione & abundantia Addit aliud exemplum appoſitiſſimum, eorum qui deſtituti ſunt, dicens, *Quis præparat coruo eſcã ſuam quando pulli eius clamant ad eum vagãtes, eò quod non habeant cibos?* quod idem in Pſalmo 146. ita eſt ſcriptũ: *Qui dat iumentis eſcam ipſorum & pullis coruorũ inuocantibus ſe.* cuius loci interpretes narrant, coruos pullos ſuos adhuc deplumes deſtituere in nido, neq; nutrire vſque dum nigreſcant, quod ſuos eſſe non ante agnoſcant; vel vt alij exiſtimant, quòd ſint adeò obliuioſi, vt redire in nidũ non recordentur. Interim ergo illos, omni deſtitutos ope clamare quaſi Deum inuocantes, & nutriri cœleſti rore, aut præteruolantibus muſcis, aut vermiculis in nido genitis. Cæterũ quia non inueni hoc apud veteres naturalis hiſtoriæ ſcriptores (etiamſi id dicat Diuus Gregorius in Moralibus, & quia illa vox, *vagãtes*, in eiectos iam nido magis fertur, quàm in eo manentes, exiſtimo hîc innui, quod Ariſtot. & Plinius, & Aelianus tẽſtatur, coruos in locis arctioribus, & vbi non ſatis cibi ſit pluribus, duos tantũ habitare, atq; pullos ſuos vbi primũ volandi poteſtas eſt, nido eiicere, ac regione tota expellere, cùm tamẽ reliquæ volucres, aliquandiu poſtquã volare cœperint, cibos ſuis pullis pręſtẽt, infirmioribus ſcilicet adhuc, quàm vt ipſi ſibi comparare poſſint. Quoniã igitur coruorũ filij infirmi, & venandi imperiti fugantur, & deſtituuntur, nihil poſſunt aliud, quàm huc & illuc vagantes, querulos clamores in aërem fundere, quod nihil eſt aliud, quàm ipſum rerum omnium parentem Deum naturaliter inuocare. Cuius

Leonis natura.

Corui nidificatio, & de eius pullis multa preclara.

qua in re poteſt ben ignitas illucere magis, quàm quod ne corui quidem animalis infauſtiſſimi & deſpicatiſſimi, pullos in tanta conſtitutos inopia perire ſinit? Hoc fortaſſe dixit Dominus Iob, ne tametſi fortunis omnibus priuatus, & orbatus filiis, & oppreſſus grauiſſimo morbo, & à familiaribus deſtitutus, ab amicis etiã & vxore ludibrio habitus, de diuina ope dubitaret, aut ſe putaret penitus derelictum. Addit: *Nunquid noſti tempus partus ibicum in petris, vel parturiẽtes ceruas obſeruaſti? dinumeraſti menſes conceptus earũ, & ſciſti tempus partus earũ?* & cætera quæ etiam vt priora ſpectant ad prouidentiam Dei. Hãc vt homini indicet, profert in medium animalia agreſtia, & quæ per ſeſe vitam agunt liberam in abruptis montium præcipitiis, aut ſecretiſſimis ſaltibus, quibus tamen neque ad generationem, neque ad alimentum deeſt quidpiam. profert verò hæc potius, quia equorum, iumentorum, & domeſticorum ſuorum, & gregalium animalium cura & procuratio, ad hominem videtur pertinere, vt ad hipparchos, muliones, agricolas, & paſtores: ibicũ verò, ceruorum, onagrorũ, & rhinocerotum, nulla eſt humana procuratio. Neq; enim habent admiſſarios ad iucundum coitũ, vt equi & aſini, neq; à paſtoribus adiuuãtur cùm pariunt vt oues ac capræ, atque cùm opus eſt, vaccæ, neque præſepia illis, vt his parantur, neque aguntur ad paſcua, tamen nihil illis deeſt. Quapropter cum ἄλογα ſint, neceſſe eſt, fateamur illorum vitam & prolem, ad aliam cauſam quæ ſit prudentiſſima pertinere. Cuius quidẽ diuina prouidentia eò nobis mirabilior videri debet, quò non vno, ſed pluribus, atque adeò contrariis nonunquam modis proſpicit. Quibuſdam enim intelligentiam tribuendo, aliis hanc ipſam detrahẽdo, atque vtroque modo

Ibicum natura.

vtrorumq; cõſulit incolumitati, ita vt vtrunque ſummæ ipſius ſapientiæ argumentum ſit. nam ibicis & ceruæ intelligentiam tribuit illi quidem, vt in ſummis montium cacuminibus & inacceſſibilibus petris pareret, huic, vt ſucceſſus feris habitatos relinquens ſemitas veſtigiis humanis tritas caueret, & nõ vtraque ſuo modo ſibi proſpiceret, ibis quidem conſcendendi difficultate homines æquè ac feras vitãs, cerua, vt ſecuri ſint à feris hominis benignitati ſuos committẽs fœtus. Neque hatũ altera utra facit inſipiẽtes, ſed vtraque, quod ſibi magis ex vſu eſt. Ibices enim ſunt tantæ pernicitatis vt quæ ſunt aliis inacceſſa, poſſint facilè occupare, de quibus Plinius hæc ſcripſit: *Sunt ibices pernicitatis mirãda, quamquã onerato capite vaſtis cornibus, gladiorũque vaginis, in hac. ſe librant, vt tormento aliquo rotati in*

Ceruorũ induſtria.

petras, potiſſimum è monte aliquo in alium tranſilire quærẽtes atque recuſſu pernicius quò libuerit exultant. Cerui agnoſcunt hominũ clemen

clementiã,&(vt idẽ ſcribit Plinius) vrgente vi canũ,vltra confugiunt ad hominem. eadem prorſus cauſa eos minùs timent, ad quos & confugiunt, proinde eorum veſtigia pro fœtibus ſuis non deuitant, tametſi eorum quæ ad partum ſpectant & prolem, fœminæ ſunt prouidentiſſimæ. nam & ante partum ſeſe herba Seſeli vocata purgant, faciliore ita vtentes vtero (Dioſcorides de Seſeli ſcripſit,capris,cæteriſque pecudibus datur in potu, quo faciliùs ſuos fœtus enitantur) & à partu habet duas herbas, Aron & Seſelim, quibus paſtæ redeunt ad fœtus. Narrat Plinius & ante illum Ariſt. editos fœtus exercent curſu, & fugam docent meditari (qua ſcilicet animal natura timidum maximè indiget) ad prærupta ducunt, ſal: úmque demonſtrant. Itaque duobus his generibus, intelligen: a prouidit Deus: Struthiocamelo autem ſtupiditate, & obliuione ſui partus. Id animal cùm pennas habeat non minùs quàm Herodius, ſiue Ardea, quæ in adeò ſublime volatu ſe extollit,tamen volare omninò non poteſt, quia tanta corporis mole eſt, vt magnitudine æquet equum & inſidentem ei hominem: vtitur verò alis velut explicatis velis ad currendum, quod facit tanta pernicitate, vt concitatiſſimum etiam equum prætergrediatur, qui videtur vtraque ratione equum & aſcenſorem deridere, quod ſcilicet circa volatum ſuis pedibus inſiſtens, & magnitudine & celeritate vincit. Eſt verò hoc adeo glorioſum animal, & formationis adeò raræ,vt ambiguũ ſit ad volatilium an greſſilium ſpectet genus exiguo capite, cerebro penè omninò caret: vt autẽ cerebro,ita & intelligẽtia,eſt enim in procuranda prole (quæ maxima eſt alogorum intelligentia) adeò ſtupidum, vt derelinquat oua ſua in terra, & obliuiſcatur quod pes hominis poſſit conculcare, ea & beſtia agri poſſit conterere. Duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui:ita enim illorum obliuiſcitur crudelis ſcilicet in prolem (nam & cap. 4. Threnorũ Hieremiæ dicitur, *Filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio in deſerto*)neq; recordatur laboris quẽ patiendo ſubiuit,ſed quaſi fruſtra laborauerit, deſtituit nullo timore cogente ad eorum cuſtodiam. Nihil enim præ ſtupiditate,obliuione & crudelitate filij ſui timet, neque cauet, quapropter fuſtra quidem laboraſſet,niſi Deus omnium parens,ſua prouidentia ſeruaret. Hæc cùm (Deo ipſo aſſerente) vera ſint, conſtat falſum eſſe quod multi affirmant, Struthiocamelum ardentiſſimè amare ſuam prolem: oua verò ſub arena Lybica relinquere Solis calore fouenda, neque ipſam more aliarum auium incubare, ne mole corporis comminuat gradior multò cùm ſit, verùm crebrò reuerti, atque eò verſus ſpectare ad cuſtodiam ouorum,

Partus iuuantia.

Struthiocameli natura.

Nam quo pacto hoc non ſit falſum, ſiquidem præ obliuione illa deſtituit. Neque minus mihi videtur eſſe falſum, quod Ælianus de eius captura narrat, immittere inquam ſeſe in ſpicula acuta expanſis alis, præ ardenti pullorum amore. Nam quo pacto adeò ardens amor pullorum ferre poſſet tantam obliuionem, & crudelem negligentiam ouorum? Putauerim potiùs, ſi quando ita capitur, & in ſpicula vltrò impingi, præ ſtoliditate id facere, quia priuauit illum Deus ſapientia, neque dedit illi intelligentiam. Quid verò, nunquid non ſatius eſt oua in ardente arena deponere, quàm demiſſa in illa tanta mole frangere; ſatius certè. Id verò non eſt ſapientiæ Struthionis, ſed Dei, qui, vt nuper dixi, illius animalis prouidit proli, illi detrahendo intelligentiam, & amorem, Struthione enim præ ſtupiditate, credulitate, obliuione, & veluti veterno quodam, deſtituente prolem, euenit quod illis ex vſu eſt, vt Solis colore extrudantur pulli, neque matris ſuæ corpore onerantur, tanta eſt Dei Opt. Max. ſapientia, vt quorundam etiam ſtupiditate & crudelitate, in eorundem cuſtodiam vti ſciat. Deinde profert Dominus exemplum intelligentiæ inſignis & fortitudinis, equum ſcilicet, cuius tanta eſt belli intelligentia, tanta audacia, tantus furor, vt fortiſſimè irruat, & iubæ, quam habent circundatam collo, erectione, & hinnitu, ac fremitu, per turmas irruentes vt locuſtæ, & inflantes nares, hoſtes deterreant: terram vngula fodiunt, exultant audacter, pergunt armatis in occurſum, neque pauent, neque cedunt gladio. Sonantibus ſuper ipſius pharetris & haſtis vibratis, & fulgentibus clypeis, non ſolùm non terrentur, ſed multò magis irritati, feruentes, ac frementes, ſorbent naribus terram, neque reputant tubæ ſonare clangorem, hoc eſt, neque clangore tubarum, quæ ab aduerſo ſonant, terrentur, intelligentiã habent belli & audientes buccinam, quæ ipſos ad prælium vocat, dicunt Vah! hoc eſt, exultant, & odorantur procul bellum & intelligunt ducum exhortationem, & vlulatum exercitus. Hæc valde conſonant cum iis quæ Ælianus his verbis ſcripſit. Equus cùm fræni crepitum, & ſtrata, & cætera ornamenta videt, tunc fremit, & exultans vngularum ſupploſione obſtrepit, & eorum conſpectu, quaſi furoris afflatu ad iter incenditur, voce equiſonis excitatur, & aures erigit, & naribus inflatis celerem feſtinationem anhelat, quodam incredibilis curſus ſtudio ad currendi memoriã rediens. De docilitate eorũ, ad prælia, inter alia multa hæc inquit Plinius: *Docilitas tanta eſt, vt vniuerſus Sybaritanè exercitus equitatus ad ſymphoniæ cantum ſaltatione quadã moueri ſolitus inueniatur.* Videtur ergo quod in præſcripta oratione dicitur;

Equi natura.

dicitur: *Nunquid ſuſcitabis equum quaſi locuſtas*; referri poſſe ad motum hunc cum quadam ſaltatione, & ad copioſas turmas. Vtrumque enim locuſtis congruit. Rogat ergo Dominus: *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitũ? nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas*? quaſi dicat, non ſanè tu illi hanc belli intelligentiam & fortitudinem præſtare poſſes, neque ipſe ſibi accipere potiùs quàm bos, aut aſinus, aut ceruus, ſed neceſſe eſt referas hæc ad vnum omnium conditorem, qui vt eſt primum ac ſummum bonum, omnibus ſua cuique bona impertitus eſt, atque virtutum omnia ſymbola in diuerſis expreſſit naturis, deditque omnibus intelligentiam. Quæ cuique maximè eſſet ex vſu. Exemplo ſunt præter dicta, Accipiter, & Aquila. Accipiter ab accipiendo dicitur. Quapropter omnibus auium generibus. quæ ex raptu viuunt, videtur id nomen congruere, vt & Aquila etiam & Miluus, & aliæ omnes rapaces eo poſſent gaudere. At verò vſu effectum eſt, vt non omnibus, ſed cuidam auium generi detur, quod, authore Ariſtotele, non minùs quàm decem habet differentias, vt autem antiqua nomina hæc ſunt (Triorches, Æſalon, Circus, Aſterias, Pernes, Phaſonus, Subutheo, Chalchis, Ptinx, Chencris) non facilè ſingulis accomodantur, nunc vbique (quod de ſolis quibuſdam, & cuiuſdam Traciæ partis hominibus, ab Ariſtotele traditur) communi cum hominibus inita ſocietate aucupantur. His enim ad aliarum auium capturam homines vtuntur, & prædæ particulam illis communicant, vocantur vulgaribus nominibus, Alcyones, Primulæ, Alcorani, Torſeli, Gerifalti, Vafarces, Capallani, & alia eiuſmodi. Velle ſingulis ſua nomina ex antiquis reddere cóniectando, operoſum eſſet & ambiguum, & ad noſtrum inſtitutum minimè neceſſarium, illud ſolùm præſentis loci eſt, noſſe eas aues, verè plumas commutare, ac ea commutatione quodammodo iuueneſcere, vt & ſerpentes commutata pelle, & cerui commutatis cornibus ac ferè iumenta omnia pilis. Cùm igitur Accipitres oporteat ſingulis annis deplumeſcere; illi à natura ipſa docti, eo ipſo tempore expandunt alas ſuas ad Auſtrum: quia (arbitror) is ventus laxat corpora, contra ac Aquilo, qui denſat: laxata igitur cute amplioribúſque factis poris, faciliùs excidunt plumæ. Aquilarum quoque cenſetur multa genera, ſex ab antiquis, inter quæ Halietos quæ clariſſima pollet oculorum acie, librans ex alto ſeſe, & viſo in mari piſce, præceps in eum ruit Hæc eadem Aquila, implumes etiamnum (vt teſtatur Plinius) pullos ſuos percutiens, ſubinde cogit aduerſos Solis radios intueri, & quem conniuentem nictantemque animaduertit,

Accipitrũ naturа.

Aues rapaces.

Aquilarũ genera.

uertit, nido eiicit tanquam adulterinum, & degenerem. Neque verò ad piſciculum ſolùm ſeſe demittit. ſed ad lépores cuniculos, & alia animalcula quæ diripit, ac deuorat. Pulli verò eius lambunt ſanguinem: ipſæ verò Aquilæ ad cadauera congregantur, vt & corui, & quæ ex Aquilis videntur degenerare, Oſſifragæ. Ex mirabili ergo etiam Aquilæ natura, volens Dominus omnium agnoſci, inquit:

Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? in petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus, inde contemplatur eſcam, & de longè oculi eius proſpiciunt. Pulli eius lambunt ſanguinem, & vbicunque cadauer fuerit, ſtatim adeſt. Quod quidem carniuoris omnibus eſt commune, omnium tamen maximè generi coruorum congruit, quæ ob eam cauſam habebitur infauſta auis, vt ſcilicet demortui corporis indicium.

Aues infauſtæ.

CAPVT LVI.

ILla verba Iob. c. 38. *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?* videntur plurimum adſtipulari illi Pythagoricæ ſententiæ de cœli concentu, & muſico ſonitu. Videbantur enim Pythagoræ cœlorum orbes moueri ad numerum, atque mira quadam proportione choreas agere; inde ergo veriſimile eſſe, diuinum quendam ſuauiſſimúmque concentum naſci, eò (arbitror) quòd omnia ſint in hac vniuerſitate facta in numero, ac proinde pulchra; omnium autem corporũ pulcherrima eſſe videantur cœleſtia; pulchritudo vero poſt illa quæ in conſpectum cadunt, in concentu maximè reperiri poſſit. Hanc ſententiam ſequutus etiam eſt Cicero in Somnio Scipionis. Quam tamen Ariſt. cap. 9. ſecundi de Cœlo, refutauit non temerè, ſed in mediũ productis Pythagoreorum rationibus, réque vtrinque ſatis examinata, *Illis (inquit) videbatur neceſſarium, tantorum corporum tam celeri latione ſonitum edi, eò quòd minorum corporum minus celeri latione hic apud nos ſonitus cieatur. ſi autem omninò editur cœleſtibus motibus ſonitus, cùm ſint corpora magnitudine adeò diuerſa, & celeritate, proportione tamen quadam, neceſſe eſt edi diuerſos acutie & grauitate ſonitus cum quadam proportione, vnde neceſſe eſt oriri quendam concentum.*

De cœleſti harmonia contra Pythagoram.

Pythagoricæ harmoniæ confutatio.

Hæc quidem opinio plauſibilis eſt; ſiquis tamen rem exactè pen

pendat, minùs vera. Nam ſi ſonitum edunt cœli, eum oportet eſſe maximum;cur ergo non audimus ? reſpondit Cicero,quia obſurdimus præ ſonitus magnitudine, vt qui habitant ad Nili ortum. Ariſtoteles pro illis reſpondet acutiùs,quoniam ex quo naſcimur, hic ſonitus citra vllam intermiſſionem comitatur, non poteſt dignoſci. Nam contrarium agnoſcitur ex contrario, atque ſonitus ex ſilentio, & ſilentium ex ſonitu. Sed cur audimus aliud quidpiam ? cur non tam excellens ſenſibile corrumpit penitus ſenſum ? Neque ſolùm hoc, ſed cur non præter ſenſum nos quoque totos atterit & perdit ? quin & alia omnia corpora ? Nam tonitrua ſæpe (quæ tamen illi ſono nunquam poſſunt comparari) domos faciunt tremere, atque ſolo proſternunt, frangunt lapides, & robuſtiſſima quæque corpora ſcindunt: non igitur cœli ſonitum illum edunt. Præterquam quòd, neque ſi aliter conſideremus, videtur fieri poſſe. nam ſonitus eſt paſſio diuerberati, aut diſcuſſi aeris, vel corporis ſpiritalis, & tenuis: at verò orbes cœleſtes nullum inter ſeſe aërem habent quem comminuant; nullum igitur ſonitum ſuis circuitionibus poſſunt edere. Ipſa verò ſtellarum corpora, ſiquidem per ſe non feruntur, ſed cum orbibus quibus affixa ſunt, multò minùs. Nullus igitur ſonitus edi poteſt à cœleſtibus corporibus, ſi cœli ipſi, velut anteà indicauimus, ſolidiſſimi ſunt & leues, nihilque aëris, aut omninò ſubſtantiæ alienæ intercipiunt, aſtra verò vt quædam eorum partes, feruntur cum illis. Sed neque ſi cœlorũ ſubſtantia tenuis eſt, ac velut fumus quidam, vt aliis placet, ſonitus vllus ſit, ſi aſtra cum illis feruntur, quæ enim ita feruntur, quia medium non ſecant, ſonitum non edunt. Solùm igitur ſupereſt, fieri poſſe vt ſonent, ſi cœli ſubſtantia tenuis eſt, & quieſcit, atque per eam quieſcentem feruntur aſtrorum corpora prægrandia & ſolida: hoc verò fieri non poteſt, niſi etiam cœlorum ſubſtantia ſit ortui & interitui obnoxia: ſindetur enim, denſabitur, rareſcetque, ſed hoc ſi ita haberet, ederetur profectò ſonitus ſecundùm corporum magnitudinem, & lationum celeritatem, tantò omni alio eorum qui apud nos nunquam auditi ſunt, quantò illæ, & magnitudines & celeritates, his ſunt maiores. Diſſiparentur ergo hæc ab illis, non ſolùm noſtri ſenſus corrumperentur. Itaque conuertentes argumentum dicimus, quandoquidem talis ſonitus non editur ab aſtris, ea non moueri per ſe in æthere tenui: ſed vnico eodemque argumento conſtare, & cœlos eſſe ſolidos, & aſtra cum illis ferri, & nullum à cœleſtibus corporibus edi ſonitum, quare neque concentum. Quod ſi ita eſt, conſtat concentum vocari in libro Iob à Domino (eius enim ſunt illa verba

Surdi & vehementi ſonitu.

An corpora cœleſtia ſonitũ edant.

verba) per metaphoram: illam motuum maximè concinnam proportionem. Nimirum in ipſis motibus, vt & in ſonitibus ſunt concinnæ quædam & aptæ proportiones inuicem comparabiles, vt videre licet in iis qui ſaltant ad numeros, cantus, & muſicos ſonitus. Illas igitur aptiſſima cœli choreas vocat Dominus concentum quem ipſe dormire faciet, cùm ſcilicet faciet poſt temporalem huius ſæculi volubilitatem, cœlum in æternum quieſcens.

CAPVT LVII.

PSal. 77. ita ſcriptum eſt: *Mandauit nubibus deſuper, & ianuas cæli aperuit. Pluit illis manna ad manducandum.* (paucis interpoſitis.) *Tranſtulit Auſtrum de cœlo, & induxit in virtute ſua Africum. Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, & non ſunt fraudati à deſiderio ſuo, adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorum, & electos Iſraël impediuit.*

Mannæ conſideratio. Multi cēſent aliud fuiſſe illud quod filiis Iſraël pluit in deſerto, ab eo medicamine quo expurgandi gratia vtimur aëreo, vocato melle & manna, cuius prouentus maximus eſt quotannis in Calabria, & in locis quibuſdam Hiſpaniæ etiam raris annis gignitur, quandoquidem cenſent fieri non poſſe vt illo veſcerentur, & nutrirentur, quin diffluerent potiùs penitus diſſoluti ac laxati. Cæterū, ex deſcriptione mihi videtur conſtare, eandem omninò rem eſſe: nam, vt dicitur c. 11. Numer. *deſcendebat noctu in caſtra cum rore.* Atque (vt c. 16. Exodi) *apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.* conſtat verò hanc eſſe ipſiſſimam generationem mannæ qua ad expurgationes vtimur. Tametſi enim quidam putauere eſſe potiùs gummi genus, quod exſudaret ex arboribus, aut lacrymam, alij opificium quoddam veſparum, aut apum, aut muſcarum quarundam intuenti tamen conſtare facile poteſt, eſſe rorem quendam craſſiorem, maturationem quandam à Sole recipientem, & concretionem à noctis frigore pruinæ more, veſpas verò & animalcula eius generis multa, allici eius dulcedine potiùs quàm efficere. ſi quid verò inciſis corticibus deſtillat, id imbibitum ligno eſſe rorem. Quo verò

in

In Exodo dicitur minutum, & quaſi tuſum, & in ſimilitudinem pruinæ, in Numer. lib. *Erat quaſi ſemen Coriandri coloris bdellij*, nihil eſt aliud quàm quod Meſues etiam dicit, his verbis: *Diuerſificatur autem ſecundùm diuerſitates rerum, ſuper quas cadit, cadens enim ſuper lapides, eſt ſicut gutta parua quæ congelantur, & fiunt ſicut germens & cadens ſuper plantas, ſuſcipit de virtute plantarum, & eſt cum permixtione particularum foliorum & florum. Ex ea quæ ſuper lapides cadit, melior eſt quæ eſt ſicut ſemen album, & dulcis, & eſt recens: poſt iſtam verò in bonitate eſt, quæ eſt ſubcitrina.* Ex his verbis conſtat duplex eſſe genus mannæ, alterum cadens ſuper frondes, alterum ſuper lapides & terram ſcilicet) inter hæc verò præſtantius eſſe quod cadit ſuper lapides, quia alterum ſuſcipit virtute plantarum (tametſi vulgò pretioſior eſt quæ de fronde vocatur, quod quàm ſit verum ad præſens inſtitutum non refert) porrò conſtat quod ſimile eſt ſemini, eſſe quod ſuper lapides, idque eſſe grandioribus partibus quàm alterum, atque ſi ſimul album ſit, eſſe optimum: parum verò ab hoc deficere quod ſubcitrinum, ſcilicet colore bdellij. Eſt enim bdelliũ colore vnguium, hoc eſt, ab albo vergens in citrinum. Quod igitur vigeſimo ſexto Exodi deſcribitur, *minutum quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram*, eſſe quod optimum: alterum verò quod quaſi ſemen coriandri, coloris bdellij, ſecundum tenere bonitatis gradum, conſentaneum autem eſt rationi in tanta copia, eſſe vtriuſque ſatis multum. Si autem hoc ita habet, vt ſanè videtur, quî fieri poterat, vt non laxatis ac diſſolutis corporibus perirent? profectò ipſi ſentiebant hunc cibum eſſe leuem. Nam 21. Num. ita conquerebantur, *anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*, at verò cibos leues, & qui ſolidam ſubſtantiam corporibus non tribuunt, medicaméta etiam eſſe, atque expurgare. Hippocrates teſtatur libello de medicamentis expurgantibus, & fieri quidem poteſt, vt principio is cibis illis contulerit vt medicamentum, ad deponendam cacochymiam, quam ex eſu cucumerum, peponum, porrorum, cæparum, & aliorum, quibus multo tempore in Ægypto erant cibati, contraxerant: expurgatis verò iam, conſuetudo fecit idoneum, & ſuauem cibum. Si enim conſuetudo vel ex venenis poteſt cibum efficere idoneum, quantò magis ex cibis medicamentoſis, accedente præcipuè Dei concurſu, quo non cibus ſolùm, ſed ſuauiſſimus etiam, & delectamentum omne in ſeipſo habens efficiebatur? Neque enim hunc eleuo, cùm naturales rerum cauſas inueſtigo, ſed laudo infinitam eius ſapientiam, qui ita omnia diſponit, vt etiam quæ ſunt

Mannæ diuerſitas.

Bdellium.

portentoſiſſima, videantur bona ex parte ſecundùm naturalem rerum ordinem euenisſe.

Vt & cùm populus querulus carnes poſceret ad veſcẽdum, arreptas trans mare coturnices detulit, auiculas ſcilicet, maximo agmine trans mare impelli ſolitas vento vehementi, atque volantes circa terram altitudine tantùm duorum cubitorum, vt ita facilè omnibus caperentur. Vt autem transferret, abſtulit Deus Auſtrum de cœlo, & in virtute ſua induxit Africum, ventum ſcilicet vehementem, & procelloſum. de quo Virgilius primo Æneidos, *Vnà Eurus Notúſque ruunt, creberque procellis Africus.* eſſe verò hæc omnia coturnicũ naturæ, & paſſionibus conformia, naturales quoque cognouerunt. Nam Plinius capite vigeſimotertio, libri decimi, ita inquit: *Coturnices antè etiam ſemper adueniunt, quàm grues, parua auis, & cùm ad nos venit, terreſtris magis quàm ſublimis.* & paulo poſt, *Auſtro non volant, humido ſcilicet & grauiore vento: aura tamen vehi volunt, propter pondus corporis.* Rursũ paulò poſt, *Aquilones ergo maximè volant.* Sed cur (dices) non induxit Deus Aquilonem, ſed Africum? quia (arbitror) Africus vehemẽtia eſt proximus Aquiloni, ſitu verò eſt proximus Auſtro, cùm ſit inter hunc & Zephyrum, amat verò ſuauitas diſponendi rerum cauſas, minimas commutationes. Accedebat ſitus locorum: ſi enim Africus qui tranſuerſum flat iuxta Auſtrum coturnices in caſtra impulit, Boreas qui eſt è regione oppoſitus, expuliſſet potiùs. Hucuſque igitur nulla vis eſt illata naturæ, ſed ſecundùm eius ordinem diſpoſita omnia, velut etiam cùm Deo viſum eſt, populum ob pertinaciam punire, ille ipſe carnium eſus, quem tantopere expetiuerant, attulit perniciem multis, vt vocatus is locus ſit, *Sepulchra concupiſcentiæ.* Nam cùm illi deſuerẽ iam cibis ſolidis, auidiſſimè ſeſe carnibus repleuerint, comedentes vſque ad ſatietatem, vt odor carnium per nares expiraret, lethalibus morbis correpti ſunt. Neque ſanè parum ipſa carnium malignitas ad illorum perniciem effecit, coturnix enim venenis veſcitur, vnde malignitatem aliquam contrahit, atque, vt Plinius loco citato dicit, eam ob cauſam eas damnauere menſæ. Narrat etiam Galenus in Doride Bœotiæ, & Theſſalia, atque etiam Athenis, multos conuulſione correptos eſſe eſu coturnicum, quæ veratro veſcebantur. Raſius quoque & Iſaac in ſuis diætis, & Auicenna ſecundo canone, & alij omnes Medici qui illos ſequuntur, maximè vituperant: adeò vt Aponenſis dicat, carnes coturnicum omnium volatilium carnibus eſſe peiores. Id quod iam dicunt, non ob helleborum ſolùm, ſed per ſeſe.

Coturnicum natura.

Coturnicum monumenta.

Coturnicũ cibus.

Horus

Horus Apollo Niliacus narrat eam fuiſſe Ægyptiis de coturnicibus opinionem, vt in hieroglyphicis eam omnis immunditiei & nequitiæ ſignum eſſe fecerint. Itaque hæc omnia, Dei voluntate cauſas naturales dirrigente, effecta ſunt. Quæ ſanè nos admonent, ne cùm quidpiam nobis ſiue commodi, ſiue damni accidit, in Dei voluntatem referre recuſemus, etſi naturales rerum eiuſmodi cauſas agnoſcamus, quoniam omnia ſeruiunt illi. Coturnices hieroglyphicè.

CAPVT LVIII.

PSal. 93. ita dicitur: *Qui plantauit aurem non audiet; aut qui finxit oculum, non conſiderat.* Verba hæc cōtinent argumentum quoddam aduerſus eorum ſententiam, qui Deum eſſe omninò negabant, aut ſi cui rei id nomen tribueretur, eam non eſſe intelligentia præditam, neque omninò vlla cognitione, ſed vt Solem, & Lunā, & Stellas, & ipſum primum mobile eſſe intelligimus, cauſas quidem eorum quæ in hoc generabiliū & corruptibilium orbe geruntur; ipſas verò per ſeſe nihil horum quæ efficiant intelligētes, efficientes enim nulla electione, aut voluntate, ſed naturali quadam vi, aut potentia. Fuerunt verò in hac ſententia (ne quis aliter putet) plurimi Philoſophorum. Nam, vt refert Plutarchus libello de Placitis capite ſeptimo, Diagoras Mileſius, Theodorus Cyrenenſis, Euenerus Theagetes, Deos prorſus nullos eſſe cenſuerunt. Euripidem quoque fuiſſe eiuſdem opinionis, inquit, diſſimulaſſe verò metu Areopagitarū, inducentem in tragœdiis Siſyphonem eius ſententiæ authorem. Plinius quoque eiuſdem ſententiæ fuit, ſiquidem caput ſeptimum libri ſecundi, quod eſt de Deo, poſt multa alia, non ſine magna impietate, his verbis claudit: *Per quæ declaratur haud dubiè naturæ potentia, idque eſſe quod Deum vocamus.* Lucianum quid commemorem, qui nullis non modis deridet omnes de Deo ſermones, ſed & Stoici omnes videntur mihi, etſi Deum nominent, nulli tamen intelligenti cauſæ id nomen tribuere; nam cenſent Deum eſſe ignem artificem, via procedentem in mundi creatione, vniuerſas ſeminales rationales intra ſe complectentem, per quas omnia è facto fiūt. Inſuper ſpiritum per vniuerſum mundum penetrantem: appellationes autem identidem mutantem, per vniuerſæ naturæ quam peruadit confinia. His verbis nihil aliud mihi videtur ſigni Deū eſſe probatur.

ſignificari quàm Deum eſſe,quem ego apello ignem permeantem per omnia, & ſpiritum Domini vocari in ſacris, interpretatus ſum ſuper primo capite Geneſeos. Epicurei (vt Cicero mihi videtur rectè cenſuiſſe) nihil de Diis ſeriò affirmarunt. Sceptici verò de Deo an ſit, vt de re alia omni dubitant, vt videre eſt apud Sextum Philoſophum capite primo, libro tertio Pyrrhonicarum hypotheſeon. Argumenta verò omnia negantium Deum eſſe qui prouidentiam habeat rerum humanarum, ferè mihi videntur in hæc tria redigi, quæ apud Plutarchum reperies loco citato. Primum, qodque Plinius maximi facit, ſi Deus eſt, nihil eſt ei factu impoſſibile, at verò (inquit Plinius) *non eſt Deus qui poſſit omnia, quia non poteſt ſibi mortem cõſciſcere, ſi velit, neque mortales æternitate donare, aut reuocare defunctos, neque facere vt qui vixit, nõ vixerit, qui honores geſſit, non geſſerit, neque vt bis dena viginti non ſint, neque habet vllum in præterita ius, niſi obliuionis.* fit igitur (inquit) vt Deus nihil aliud ſit quàm ipſa natura, ſiquidem Dei potentia nulla eſt, niſi naturalis, non eſt igitur vllus Deus, qui voluntate & cognitione operetur. Secundum, ſi Deus eſt, is eſt omni ex parte beatus, ſi tamen curas gereret rerum humanarum, haud dubiè ſuſtineret magnam moleſtiam & angeretur. Tertium, ſi Deus eſt, & curam gerit rerum humanarum, quam ob rem cum peſſima quoque fortuna præclarè agere ſolet, contrà cum præſtantiſſimo quoque peſſimè? hoc argumentum Sextus Philoſophus ita premit. Siquidem Deum eſſe & prouidere dicunt, aut prouidet omnibus, aut aliquibus, ſi quidem omnibus prouideret, non eſſet neque malum vllum, neque vitioſus vllus, neque vllum vitium: at verò vitio plena eſſe pleraque videntur; non ergo omnibus prouidet Deus. ſin autem aliquibus prouidet, aut vult & poteſt prouidere omnibus, aut vult quidem, ſed non poteſt, aut poteſt quidem, ſed non vult, aut neque vult neque poteſt. Si vellet & poſſet prouidere omnibus, omnibus prouidet, ſi vult, ſed non poteſt, eius vires ſuperabit ea cauſa, ob quam non poteſt prouidere illis quibus non prouidet, ſi tamen poteſt prouidere, omnibus & non vult, inuidus eſſe exiſtimari poſſit: quòd ſi neque vult neque poteſt, fit & inuidus & debilis. Hæc autem omnia incidunt in maiorem impietatem. Non eſt igitur Deus qui prouideat, ſed aut nullus Deus eſt, aut is eſt prima cauſa ſine vlla cura, quin & ſine vllo rerum aliarum ſenſu. His adeò ſtultis cogitationibus, quas vnico illo carmine Pſal. 52. complexus eſt Dauid, *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, occurrit nunc idem vates, dicens, *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?*

Tria argumenta Philoſophorum negantiũ Deum eſſe.

quaſi

quaſi dicat, quandoquidem non omnia quæ ſunt, ſunt entia per ſe, ſed alia ex aliis, & ab aliis fiunt, & in iis quæ fiunt, ſunt quædam ſenſus expertia, quædam ſenſu prædita, neceſſe eſt eam cauſam à qua quæ ſenſu participant ſunt effecta, ſentientem etiam eſſe, alioqui dediſſet virtutem qua careret, effeciſſetque aliquid ſe præſtantius, quod rerum naturæ repugnat. Nullum enim inter Phyſicos magis receptum axioma, quàm nihil operari poſſe vltra gradum ſuæ perfectionis. Si igitur ſentiendi facultas eſt in poſteriorum quibuſdam, neceſſariò ſit & in prima cauſa. Quapropter fieri non poteſt, vt qui plantauit aurem non audiat, & qui fecit oculum, non conſideret. Porrò auris & oculus, & quæcunque alia noſtri corporis organa, maximè verò hæc quæ ſenſuum ſunt, ita ſunt compoſita, & ad actiones proprias accommodata, vt nulla vel excogitari poſſit aptior compoſitio. Quæ res haud dubiè, niſi ſtupidis, euidenter indicat, ea non caſu, ita aut aliter cadentibus corpuſculis, aut elementis conſtitiſſe, ſed in ſumma ſapientia effecta eſſe. Nullatenus ergo à facultate cognitionis experte, ſed ſapientiſſima. Licet apud Galenum octauo libro de vſu partium, mirabilem ſapientiam in effingendis audiendi & videndi organis legendo meditari. Quis hominum dubitet anfractuoſum illum aurium porum, tortuoſumque, neruo quodam quartæ coniugationis eorum qui naſcuntur ex cerebro, ſubſtratum, & cute præterea duriuſcula contectum, & in oſſe duriſſimo formatum, non temerè effectum eſſe, ibi, & talem, ſed audiendi gratia? ſi enim neque alia in parte, neque aliter effici poſſet, vt eſſet tranſmittendis in animam ſonis adeò aptum, euidens coniectura eſt, ab aliqua ſapiente cauſa eſſe aptatum. Nam præterquàm quod ad ſecuritatem & tutelam cerebri, vt Galenus indicat, fecit illa flexuoſa meatus figura, ad ipſos ſonos qui aëris motitatione conſtant excipiendos præcipuè eſſe factam, indicant mihi euidenter conchæ quæcunque illam et figura cauæ, flexuoſæ ſcilicet, & contortæ. Eæ enim auribus admotæ, ex eo ſolo quem intra ſe continent aëre, etiam nullo extrinſecus accedente motu, tinnitum edere continenter ſentiuntur, adeò facit illa figura vt aer incluſus ſonet. Porus ergo ille accommodatiſſimus effectus eſt, vt illam ab aere paſſionem excipiat, neruus verò quorſum eò venit ex cerebro, niſi vt deferat facultatem quæ percipiat? vt certè ad oculos primi veniunt ex cerebro molliores, & rariores, copioſiores ſpiritus, quibus ad videndum erat opus excepturi. Iam verò in ipſis oculis humor vocatus cryſtallinus, rotundus quidem, ſed ſecundùm faciem externam habens peripheriam maioris circuli, quid aliud eſt, quam ſpeculum

Aurium conſideratio.

Oculorum fabrica.

culum cryſtallinum, colorum fulgoribus, ſeu ſpeciebus recipiendis accômodatiſſimum. Tunica cornea totum oculum extrinſecus finiens,quid aliud quàm laterna cornea,ad recipiendum externos,& reddendum internos fulgores? adeò mihi videntur in hac parte homines non ſolùm quod ad figuram attinet, ſed in ipſa materia ſpeculorum & laternarum deligenda, imitati ſapientiam noſtri formatoris. Mitto dicere mirabiles vſus tunicæ vueæ,cuius media perforatione conſtat pupilla,& circulo varicolore iridem refert. Retiformis etiam arachnoydis, & coniunctiuæ, & humorum aquei & vitrei: quin & palpebrarum, & ciliorum, & ſuperciliorum, atque adeò ipſorum oſſium, integro enim ad recenſendum libro opus eſſet, neque eo exiguo. Vnico verbo indicabo hæc omnia atque eorum ſingula ſapientiſſimè, & magnæ cuiuſdam vtilitatis gratia eſſe ita aptata. Deme aut muta quodcunque horum, vel pilos ciliorum, aut ſuperciliorum velle: manifeſtam noxam inferes viſioni. Nihil igitur horum effectum eſt,hoc,vel tale,fruſtra, neque ornatus ſolùm gratia, ſed propter ipſam viſionem,aurium etiam, & auricularum eadem ratio eſt. Quo pacto ergo poſſit qui fecit hæc,intelligentia eſſe orbatus? ac non potiùs ſapientiſſimus? effecta verò eſſe ab aliquo neceſſe eſt,ſiquidem,vt in huius operis initio monſtrauimus,effecta ſunt,& non à ſeipſis. Nunquid igitur, qui fecit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat? Rurſum ſi auris ob auditum eſt,vt re ipſa conſtat,ac nemo ſanus neget,ob auditum certè effecta eſt; is ergo qui fecit, ob auditum fecit. Si enim non conſtitit caſu, neque præter intentionem agentis conſtiterit. Præuidit ergo qui fecit aurem, à principio auditionem, ſiquidem finis eſt quod primum in intentione. Vidit ergo aut in ſeipſo aut extra ſe. Extra ſe quidem non potuit, quia ante aures non poterat eſſe auditio: vidit ergo in ſeipſo, quapropter neceſſe eſt, vt qui ab initio fecit aurem & oculum, audiendi & videndi habuerit in ſe facultatem, & aures, & oculos. Quia ſi hæc omninò non fuiſſent,neque ſciri,quare neque fieri omninò poſſent. Igitur hac ratione euidenter conſtat, fieri non poſſe vt quis fecerit aurem, & non audiat, & oculum, & non conſideret. Vt igitur ſolùm des (eſt verò id anteà indicatum) hæc effecta ab aliquo eſſe, neque conſtitiſſe per ſe ab æterno, conſtat: eum qui fecerit, & videre, & audire, & conſiderare res humanas. At dices, ſi videt & audit, omninò ſentit. patitur certè à ſenſibilibus, nam vt Ariſtot. indicat, ipſum ſentire pati quoddam eſt: neque ſanè ſine paſſione corruptiua agitur, nam comitantur ſenſum voluptas & dolor, quorum alterum cum corruptiua agitur

agitur paſſione, alterum verò alterius eſt comes, vt & reliqua contraria. Si igitur ſentit (dices) poteſt & voluptate frui & dolere. Si autem hoc, & alterari & corrumpi: hæc verò aliena admodùm ſunt ab eo quod æternum, igitur & ſentire alienum ab eo eſt. Porrò dices, non ſolum noſtro argumento fieri, vt vim habeat percipiendi ſonos & colores, ſed & aures, & oculos, & nares, ac denique alia omnia quæ fecit, ſiquidem neceſſe eſt præuiderit quæ fecit, non autẽ extra ſe. Ita eſt profectò, habet in ſeſe omnia, non tamen vt extant extra illum, ſed præſtantiori quodam modo, atque vt in æterno exemplari, quod anteà etiam vel ex ſententia Platonis indicauimus. Itaque audit, & videt, non tamẽ, vt nos, ſed præſtantiùs multò, ac citra omnem paſſionem vnica ſimpliciſſimaq; notitia agnoſcens omnes, ſiue ſonos, ſiue colores, ac denique omnia quæcunque ſunt, fuerunt & futura ſunt. Non igitur fieri poteſt, vt qui fecit aurem non audiat, & qui fecit oculum non conſideret, neque enim quia perfectiùs videt, & audit, negandum eſt videre, & audire, quin potiùs aſſerendum videre & audire omnia, atque eſſe ſapientiſſimum, & prouidentiſſimum, atque vt nihil ſine eius potentia, ita neque ſine eius ſapientia & bonitate geri. Neque verò atheorum argumentis reſpondere difficile. Pro primo dicimus eos rectè aſſerere, ſi Deus eſt, eum eſſe omnipotentem: at verò falsò aſſumere, non eſſe qui faciat quidpiam ſupra naturæ vires. Confirmauit enim Deus Optimus Maximus, quam de ſe voluit haberi fidem, innumeris neque ineuidentibus miraculis, ſiquidem ſuſcitabit mortuum quatriduanum, & quod eſt multò maius, ipſe etiam triduanus ſurrexit à mortuis. Dices hoc ipſum negabit Atheus. Dicet igitur multos, eoſque alioqui optimos viros, neque pecuniarum, neque gloriæ cupidos, adeò nihil ſibi inde aucupantes, vt omnes, nullo ferè excepto, in confirmationem fidei mortem & tormenta libenter ſubierint, eoſque per vniuerſum orbem diſperſos, vno ore, pro amico, multò antè contumelioſè ne necato mentitos eſſe, hiſq; ipſis iam occiſis, innumeros poſteà ſapientiſſimos, grauiſſimos, & ſanctiſſimos viros, rebus omnibus poſthabitis, vſque ad ſanguinis effuſionem leuiter credidiſſe. Quæ poteſt eſſe aut excogitari maior perfidia? petet Athens, vt illi indicem hæc ita eſſe effecta vt narrantur. Non poſſum aliter quam teſtimonio ſacrarum literarum, & conſenſu mundi totius atque multorum ſæculorum, & (quod eſt maximum) conſonantia omnium teſtimoniorum veteris, & noui teſtamenti, & conſenſu hiſtoriæ prophanæ cum ſacra. Quæ argumenta diligentiſſimè perſecutus eſt Diuus Auguſtinus in libris

Deus omnia in ſe habet.

Reſpondetur argumentis Atheorũ.

de Ciuitate Dei, & poſt illum Diuus Thomas contra gentes. Sed quo pacto indicat mihi Atheus, nihil horum effectum eſſe? quia (inquit) fieri non poteſt Sed cur non poteſt fieri; quia (inquit) nihil tale effectum eſt vnquam Quid ſi effectum eſt; non eſt (inquit) itaque probat idem per idem, atque, vt dicunt, vtitur circulo, petitque credi ſibi ſoli ſine vllis teſtimoniis, potiùs quàm nobis cum tam multis. Longè ſtultius eſt putare, non eſſe Deum omnipotentem, quia non poteſt ſibi mortem conſciſcere. Nam cùm mori pati ſit, non agere, non poſſe mori roboris ſit, non debilitatis Iam verò non habere ius in præterita, hoc eſt, non poſſe facere, vt quæ facta ſunt, facta non ſint, & neque in præſentibus poſſe facere, vt non ſit, quod ſit, cùm eſt, quia hæc omnia continent contradictionem. Id verò quod contradictionem continet, nihil eſt, quia negatio tollit affirmationem & affirmatio negationem: igitur qui poteſt omnia quæ contradictionem non continent, nihil eſt quod non poſſit, & qui in his næuis hærent, non mihi videntur vt ſapientes dubitare, ſed vt quiuis ex indocta plebe Veniamus ad reliqua. Miſerum dicunt futurum Deum, ſi quis ſit qui rerum omnium humanarum gerat curam. Vtinam in miſeriis ponerent homines rerum gerendarum ſollicitudinem, ne eſſent adeò ambitioſi Vt verò homo qui multarum rerum curam habeat, ſit miſer Deus tamen minimè miſer ſit Miſeria enim non eſt in prouidentia, ſed in defatigatione, Deus verò defatigari non poteſt, ſiquidem nullo labore rerum notitiam conquirit, nullius obliuiſcitur, ſed omnia præſentia, præterita & futura, vno intuitu videt, ipſe exiſtens ſimpliciſſimus, & nullius alterationis capax. Quantum autem faciat ad indolentiam ſimplicitas, Philoſophi optimè intellexerunt, nam vel ipſum hominem dicit Hippocrates libello de natura humana, ſi vnum eſſet, hoc eſt, vno conſtans elemento non doliturum, nedum Deus qui non Phyſicæ ſolùm, ſed & Metaphyſicæ compoſitionis eſt expers. Quid ergo ſtultius, quàm timere ne prouidentia fiat miſer qui nullatenus poſſit defatigari? Quid addunt præterea? Non videri Deum prouidentiam habere rerum humanarum, quandoquidem cum deterrimo quoque videtur fortuna optimè agere, & cùm præſtantiſſimo quoque peſſimè. Argumentum hoc tractauit diſertiſſimè Dauid Pſal. 72. his verbis: *Et dixerunt Quomodo ſcit Deus, & eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias Et dixi, Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum.* Reſpondet verò mox ipſemet huic dubitationi, dicens: *Exiſtimabã vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligã in*

Deus omnipotens.

Atheorũ reprehenſio.

nouiſſi

nouiſſimis eorum. Quaſi diceret, non poſſis intelligere, quantumuis labores, quæ ſit cauſa qua impij in hoc ſæculo proſpere agant. niſi intres in conſiderationem diuinorum myſteriorum, & intelligas quæ fient in nouiſſimis eorum Sed quæ ſunt hæc? *Quia ecce* (inquit) *qui elongant ſe à Deo peribunt, & perdet Deus omnes qui fornicantur abs ſe.* Poſt nouiſſima ſcilicet, & in futuro ſæculo. Itaque hoc argumento non fit, vt Deus non prouideat rebus humanis, ſed quandoquidem aliis argumentis conſtat prouidere, ac nihilominùs in hoc ſæculo ſæpe agitur melius cum deterioribus fit, vt teneamur ſperare aliud ſæculum, in quo reddatur vnicuique ſecundùm opera ſua. Itaque hoc argumentum non tollit de prouidentia Dei fidem, ſed excitat ſpem futurorum bonorum, quia vt in hanc ipſam ſententiam inquit D. Paulus 1. ad Corinth. c. 15. *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Non eſt autem conſentaneum, vt qui meliores, ſint miſerabiliores, cùm Deus ſit optimus, videatque & audiat omnia. Spectamus igitur non in hac vita tantùm, ſed in futura potiùs, in quam boni reſurgent induti immortalitate, mali autem in æternam perditionem. Itaque quia videmus ſæculi huius bona magna ex parte eſſe collata in deteriores, non negamus Dei prouidentiam, ſed intelligimus fines bonorum & malorum non eſſe in hoc ſæculo, & quia alicubi eſſe oportet, excitamur in ſpem poſt mortem futurorum: interim ſuſpicientes Dei bonitatem infinitam, qui in malos etiam eſt bonus, hæc qualiacunque bona illis tribuens, bonis verò verè bona, & nunquam interitura reſeruans, quorum hîc inopia exercens, reddit digniores. Hoc eodem modo concludit Plato decimum librum de Rep. ſiue de iuſto, hoc eodem argumento confirmans, & Deos habere prouidentiam, & animas noſtras aliud ſæculum manere.

Impij cur proſperentur.

CAPVT LIX.

PSal. 92. ita ſcriptum eſt. *Etenim firmauit orbem terræ qui non commouebitur.*

Ariſt cap. 13. lib. 2 de Cœlo inquit: *Mentis eſt rationi non admirari, curnam parua terræ globa, ſi elata dimittatur, fertur quieſcereque non valet, & quò eſt maior, eò celerius fertur, vniuerſa autem terra, ſi quis ipſam ſublimem eleuatam que dimittat, ferri non poteſt.* Nunc verò tantum pondus quieſcit. hoc eſt, miretur quiſpiam quo pacto fiat, vt tantum terræ pondus quieſcat in

in mundi medio, nulli rei innitens, nullis firmioribus cæmentis fundata, ſed in aqua & aëre vndique pendens, cùm præcipuè videamus, minimi etiam ponderis fruſtulum ſi dimittatur in aëre, nulla alia re ſuſtentatum, decidere, neque manere poſſe. Hæc dubitatio plurimum torſit veteres Philoſophos, coniecitque in ſolutiones longè diuerſas, quarum tamen pleræque, vt belliſſimè dicit ibidem Ariſtoteles, abſurdiores ſunt ipſa dubitatione. Nam Empedocles infinitam eſſe terræ profunditatem, ideóque quieſcere, quaſi radicibus infinitis firmatam. Thales innatare in aqua vt lignum quoddam. Anaximenes, Anaxagoras, & Democritus amplam eſſe, & ob latitudinem quieſcere, quòd ſubiectum aërem ſecare non poſſit, conſtat verò hæc omnia abſurda eſſe. Nam terram rotundam eſſe, certæ cuiuſdam magnitudinis, æquidiſtantem à cœlo ſecundùm totam ſuperficiem, experimento conſtat, quare infinita non eſt, neque latitudinem planam habet, neque hoc hemiſphærium illi magis innititur, quàm illud huic, ſed in centrum nituntur omnia. Porrò ſi terra ampla eſt, & figuram habet tympani, ac proinde non poteſt ſecundùm latiorem ſuperficiem ſecare aërem: cur tamen ſecundùm ſuperficiem anguſtiorem non findit & elabitur? cur enim potiùs nitatur in hanc cœli partem, quàm in illam? Iam verò ſi terra aquæ innatat, ipſa aqua quo ſuſtentatur? quòd ſi aqua pendere poteſt in aere, poſſit & terra, quæ enim maior dubitatio? neque igitur ſupra aqua, neque ſuper radicibus, vel cæmentis infinitis firmauit Deus orbē terræ, ſed, vt inquit Iob c. 26. *ſuper nihilum appendit.* Certè ex hoc, vt ex aliis multis, quæ in natura rerum eueniunt mirabilia, nos prouocant ſacra eloquia in Dei Opt. Max. admirationem. Nam & Eſaias capite quadrageſimo ita inquit: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* & rurſum paulò infrà: *Nunquid nō intellexiſtis fundamenta terræ?* rurſum capite quadrageſimo ſecundo, inquit, *Hæc dicit Dominus Deus creans cælos, & extendens eos, firmans terram.* Itaque gloriatur Dominus Deus, quòd ſine vllis fundamentis, ſed ſuper nihilo firmauerit. Nimirum Dei imperium firmius omni fundamento eſt. Sed quoniam Deus omnia diſponit ſuauiter, neque vlli æternā infert violentiam, neceſſe eſt, ita ſit terra ſuper nihilo firmata Dei iuſſu, vt ipſa non repugnet, ſed ita ei obſequatur, vt verè ſecundum ſuam naturam locata ſit. Inueſtiganda igitur nihilominùs cauſa eſt naturalis, qua terra ita locata quieſcit, neque vnquam commouebitur. Plato in Phædone ita inquit: *Perſuaſum mihi quidem eſt primò, ſi eſt terra neceſſitate eiuſmodi, vt nunquam decidat, ſed ad eam ſuſtinendam ſatis id eſſe, quod & cælum vndique*

Falſa Philoſophorũ opinio de terra.

Terrā immobilis.

dique ſibiipſi ſimillimum eſt omninò, & terra vndique æquilibris in ſimilis alicuius medio poſita, neque magis neque minus poteſt in partem aliquam inclinari, cumque ſimiliter ſe habeat, ab inclinatione erit aliena. Hæc Plato. Cuius opinio plurimis arridet, videturque optimam & facillimam cauſam reddere, cur non ruat terra, nimirum quia non eſt cur huc quàm illuc potiùs rueret, rotunda cùm ſit, & in medio poſita. Ad hanc etiam opinionem alludit Ouidius dicens: *Ponderibus liberata ſuis.* Sed ſi ea eſſet verè cauſa, fieret, vt ſi extra centrum mundi poſita dimitteretur, rueret in eam cœli partem, quam haberet propiùs, ideò enim non ruere dicebatur, quòd in medio ſita in nullam potiùs partem inclinet. Deinde fieret, vt ſi terræ figura deficeret ab ſphærica, & in alteram partem, vt in Septentrionem verbi gratia extaret, in eam cœli partem rueret, velut deficiente æquilibrio, & in eam partem potiùs inclinante pondere. At verò abſurdum eſt, vtrumque horum, nam quoquò rueret, pondere rueret, pondus verò non fert in cœlum (qua enim ratione pondus ferat quà leuitas?) ſed in contrarium. Leuitas autem fert verſus cœlum, ergo pondus ad partem à cœlo remotiſſimam, putà ad centrum mundi. Ergo terra ſiue extra centrum poneretur tota, ſiue mutata figura in alteram partem extaret, rueret eò vſque, vt centrum ponderis ſui in mundi centro collocaret. Dico autem centrum ponderis, quia ſi mutata figura extaret, non eſſet idem centrum ponderis & magnitudinis, ſiſteret verò in mundi medio ponderis medium, quia pondus cauſa deſcenſus eſt. Si verò non mutata figura, ſed à medio mundi aliquatenus pulſa emineret in alteram partem, rueret ſanè tunc quoque, & medium ſuæ magnitudinis, & mundi totius idem eſſe faceret, quia nulla alia ratione poteſt aliis omnibus elementis ſubſtare. Amat verò id eius natura, quia eſt omnium craſſiſſima: eſt verò is naturalis omnium corporum ordo, & cuius comparandi gratia mouentur per ſeipſa, hoc eſt, neque pulſa, neque tracta, neque portata, neque voluta, ſed ſponte naturæ, vt craſſa ſint ſub tenuibus: eſt autem in vniuerſa infimus locus, qui & intimus, putà centrum, ſupremus qui & extimus, putà cœlum. Quia vniuerſi partes non poſſunt ad aliud quodpiam extra ipſum referri, vt in corporibus ſingulis, velut in ouo vitellus eſt pars intima, non tamen eadem infima, quia eſt quædam albuminis pars inferior, quæ ſcilicet longiùs abeſt à cœlo, in ipſo autem orbe non ita, quia non eſt Centrum locus infimus.

extra illud aliud ad quod eius partes referantur, ſed eſt infrà, quod continetur, ſupra verò quod continet; continetur verò ab omnibus quod in centro ſitum eſt, cœlum autem omnia continet. Hæc igitur cauſa eſt, qua terra extra centrum acta, aut altera ex parte eminens, rueret in centrum, & eadem, quia non ruit à centro. Nam quo pacto poſſit à centro, & ad centrum naturaliter ferri, contrariæ cùm ſint tales lationes? neque certè re ita perſpecta, vlla ſupereſt dubitatio. Nam particula terræ in aëre demiſſa, non fertur vnquam in eam cœli partem cui eſt propior, ſed verſus centrum, neque ſi iuxta ipſum cœlum dimitteretur, maneret, quamuis cœlum firmum, & velut ex aëre fuſo eſſe indicatum anteà eſt. Non ergo quærit ruens, rem firmam cui adhæreat, ſed ordinem quem naturaliter expetit, ne ſit, ſcilicet ſuper re tenuiori, ſed tenuioribus omnibus ſubſtet. Terra ergo tota, cùm ita locata ſit, non poſſit vnquam ruere: igitur firmauit Deus orbem terræ, non aliter, quàm rectè, ac ſecundùm eius naturam collocans, hoc eſt, in mundi medio, qui idem eſt locus infimus. Verùm quia, vt diximus, ſi alteram in partem extaret, velut ſi nunc ad Aquilonem aut Auſtrum tuberculum magnum terræ aliquod innaſceretur, rueret, non quidem in cœlum eò verſus (vt timere videbatur Socrates in Phædone) ſed in ſeſe ipſam, vſque dum centrum ſui ponderis teneret mundi medium, neceſſe eſt vt hunc quoque caſum Deus prouideret, efficiens ne aliquam in partem terra extet potiùs, ſed omni ex parte ſit æquilibris: hoc autem æquilibrium, ſiquidem terra eſſet perfectè ſphærica, & ſecundùm omnes partes æquè craſſa, nulla alia ratione indigeret, nam eſſet ita idem centrum magnitudinis & ponderis: verùm ob aquarum diſtributionm, & alias neceſſitates, oportuit vt terræ partes eſſent aliæ aliis altiores, ac nihilominùs vt firmiter quieſceret, oportuit vt nullæ partes potiùs quàm ſibi oppoſitæ extarent, aut vt illa eminentia oppoſitarum partium craſſitie penſaretur ad æqualitatem.

Montium & collium inæqualitas.

Neceſſe eſt igitur vt Deus montes, & colles, ac denique omnia terræ tubercula, ad æqualitatem ponderis terræ partibus diſtribuerit, æqualia æqualibus opponens, ne alia ex parte grauior facta terra, rueret in ſeipſam, aliud centrum quærens, quòd eſſet ſui ponderis, etſi non eſſet ſuæ magnitudinis, velut de iis quæ vehuntur in aqua monſtrat Archimedes. Iuſtam hanc partium orbis terræ diſpenſationem optimè cecinit Eſaias cap. 40. dicens: *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?* ob hanc igitur æqualem diſtributionem partium, & quia in medio collocatus eſt

terræ

terræ orbis, non commouebitur.

Neque verò illa æqualitas partium, eſt extra id quod amat rerum natura, imò eſt quoddam naturæ bonum, non in vniuerſo ſolùm, ſed in vnoquoque ſpectabile. Galenus enim multis commendat, in opere quod de vſu partium ſcripſit, hanc partium æqualitatem in corpore humano. licet verò eandem contemplari in muſica & culice, & arbore, & arbuſto, & herbula, & re quacunque integra, vſque adeò fecit Deus omnia in pondere & menſura. Itaque ne terra per aërem in quo videtur pendere, rueret, prouidit Deus, illam ſub aliis omnibus mundi partibus collocans: ne rueret in ſeipſam, aut commoueretur, prouidit, librans in pondere montes, & colles in ſtatera Duplici ergo ratione firmauit orbem terræ qui non commouebitur.

CAPVT LX.

CAp. 25. Prouerb. *Acetum in nitro qui cantat carmina cordi peſſimo.* Comparat Salomon carmina ſalutaria, decantata homini qui ſit corde peſſimo, aceto in quo diſſolutum ſit nitrum. Quæ quàm ſit appoſita, comparatio, quiuis facilè intelliget, perſpectis iis quæ de talibus carminibus à Philoſophis, & de nitro in aceto à veteribus Medicis ſcripta ſunt. Plato in Charmide in perſona Socratis multis verbis docet, morbos animi curari incantationibus, atque animi morbis ſublatis, plerunque ſalutem in corpus redundare, tollique capitis dolorem, & multa alia mala, incantationes verò præclaris ſermonibus contineri, quibus animæ temperantia tribuatur. Itaque ſunt hæ incantationes, ſeu decantata carmina exhortationes, increpationes, ac denique diſciplinæ omnes, quæ ad Dei timorem, & virtutum cultum nos alliciunt Maximæ ſcilicet ægri animi medelæ, quæ ſanè à ſapiente, & qui ex Deo eſt, libentiſſimè ſuſcipiuntur, ei verò qui corde eſt peſſimo, aceto in nitro, ſeu nitro diſſoluto in aceto ſimiles occurrunt. Principiò enim moleſtæ ſunt, & mordent acriter, poſteà verò extergunt & eluunt ſordes animi, niſi quis iam eſt immedicabilis. Talis enim ſemper auerſatur, & reſpuit, læditúrque omni curatione magis. De nitro verò à Dioſcoride cap. 89. lib. 5. ita ſcriptum eſt: *Purulentas aures & ſonitum earum ſanat, ſordes expurgat cum aceto inſtillatũ.* Galenus quoque tertio de compoſitione medicamentorum ſecundùm locos, ex Archigenis ſententia commendat ad aurium ſonitus, acetum

Aceti in nitro ſoluti vis.

Aures purgantia.

cum nitro. Vt itaque nitrum cum aceto inſtillatum in aures, earum eluit ſordes, & ſonitus, ſeu tinnitus earum ſanat, ita exhortationes ſanctæ ſæpius inſtillatæ in aures, etiã peſſimis ſordes anni eluunt, & varias perturbationes, quaſi ſonitus aurium prohibentes audire veritatem, ſanant. Mordent verò, neque ſine magna moleſtia ab ægro animo ſuſcipiuntur, non aliter ac acetum & nitrum. Vtrunque enim per ſe, ac ſimul ambo, vbi in purulentas, & exulceratas aures inſtillatur, mordet, durátque ea mordicatio, vſque dum pars ſaneſcit, & cute obducitur.

CAPVT LXI.

IN eodem 25. Prouerb. *Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei qui miſerit eum, animam ipſius requieſcere facit.* Et paulò infrà in eodem cap. in eandem ſententiam dicitur, *Aqua frigida animæ ſitienti, & nuntius bonus de terra longinquã.* Itaque coniunctis ambobus locis facilè intelligimus, potum aquæ refrigeratæ admota niue in die meſſis, hoc eſt, in æſtate, facere requieſcere animam potantis, vt nuntius ſeu legatus miſſus è terra longinqua cùm eſt fidelis, facit requieſcere, animam eius qui miſit eum. Quoniam ſcilicet, fiduciam habet in nuncio fideli is qui miſit eum, ac proinde requieſcit animus eius. Poſſit hic Phyſicus pro potu niue refrigerato teſtimonium accipere; atque tempus vtendi illo diſcere, non minus quàm à Galeno: ſiquidẽ verba illa, *Animam ipſius requieſcere facit*, vſum innuũt, illa verò, *In die meſſis*, tempus vtendi. Nimirum anima Phyſicè pleriſque vocatur ipſa reſpiratio, ſeu qui reſpirando attrahitur ſpiritus. Atqui Diogenes, vt tradiũt qui de eius placitis ſcripſerunt, in eo aëre animæ eſſentiam eſſe putauit. Sed vtcunque de animæ eſſentia ſentiat Phyſicus, quia reſpiratu vita ſeruatur, ipſam reſpirationem animam vocat, atque huius ipſius facilitatem, ſeu tranquillitatem, animæ requiem. Itaque facere animã requieſcere, eſt Phyſicis, reſpirationem facilem reddere, id verò fit, igneũ calorem extinguendo, atque hominem attemperando. Quod, cùm febris calor igneus ſit, conſtat, vt poſſit à multis febribus liberare, atque ita eſſe viliſſimum, cùm tempeſtiuè adhibetur. Intempeſtiuus enim eius vſus multorum malorũ cauſa eſſe poteſt. Quæ Hippocrates ferè colligit in Aphoriſmo dicẽs: *Frigida velut nix & glacies, pectori innimica ſunt, tuſſes mouent, ſanguinis eruptiones, ac defluxiones faciũt.* Rurſus in alio Aphoriſmo: *Frigida inimica oſſibus, dẽtibus, neruis, cerebro, ſpinali medulla.*

Aquæ frigidæ potus.

&c

& ſurſus: *Frigida conuulſiones, antrorſum ac retrorſum, diſtentiones, nigrores, rigores febriles. Opportunitas verò eſt,* vt Galenus libello de cibis boni & mali ſucci inquit, *in æſtate non quibuſuis ſed iis tantùm qui exercentur dare, ne, ſcilicet æſtu forti & exercitatione inflammati, in cauſones incidant.* Quorum generationem Hippocrates in libris de ratione victus in acutis, his verbis docet: *Febris autem ardens fit, cùm reſiccatæ venulæ tempore æſtiuo acres ac bilioſos ichores in ſeipſa trahunt.* Fit autem plerunque ex longo itinere, & longa ſiti, cùm reſiccatæ venulæ acres & calidas fluxiones in ſeipſa attraxerint. Cùm igitur hæc ſit cauſonis generatio, & his cauſis fiat, conſtat nulla ratione poſſe præcaueri meliùs, quàm eo tempore, iis qui in talibus verſantur cauſis, dato potu frigido, foréque vt venæ refrigeratione temperentur, & ſpiritus, qui æſtu & exercitatione redditur difficilis, requieſcat, fiatque facilis ac moderatus. Cauſonis generatio.

Facit igitur talis potus, animam requieſcere in die meſſis, hoc eſt, in æſtate & labore. Quo enim potiùs vteretur, quo ſignificaret æſtũ & laborem, quàm meſſis; non autem ſolis meſſoribus, ſed & omnibus hominibus negotioſis, qui per æſtatem non poſſunt ſe horis meridianis domi continere, & iter agentibus vtilis is potus eſt, ſiquidẽ inde febres ardentes ſolere cieri Hippocrates author eſt Neque verò tunc omnibus vtendũ tali potu eſt, ſed quibus nulla pars earũ quæ eo lædi ſolẽt, inſigniter eſt debilis; thorax dico, pulmo, cerebrũ, nerui, ſpinalis medulla, aut etiã inteſtina, aut veſica. Quibus ergo talis quæpiã eſt debilitas, exercitationes & inſolationes per æſtatẽ deuitentur penitus ne neceſſariò incidant in alterutrũ. ardentes dico febres, aut illas alias noxas. Vt verò præſcripta verba Salomonis continent cõmendationẽ frigidi potus, ita innnũt, ne in æſtate quidem niſi exercitatis vtendum eo eſſe, in aliis verò temporibus nulli. Non enim ſimpliciter dicit, frigus niuis requieſcere facit animam, ſed in die meſſis? nimirum aliis temporibus, aut etiam in æſtate vacantibus hominibus, animam ſedat ipſa aëris inſpirati temperies, aut otium. Verùm de tali potu alibi mihi dicta ſunt plura. Hîc pro meo iuſtituto dictum eſt ſatis.

CAPVT LXII.

CAp. 1. Eccl. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem ſemper ſtat. Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.*

Hoc

De circulari motu.

Hoc quod Ecleſiaſtes obſeruauit, nihil aliud eſt, quàm quod Ariſt. in duobus vltimis capitibus ſecundi de ortu & interitu diſertè tradidit, puta circularem eſſe retũ omnium mutationem, & hinc pendere mundi æternitatem, quoniam ſcilicet, ſola mutatio circularis poteſt eſſe perpetua. Partes ergo mundi quæ per ſe ſunt perpetuæ vt Solem & alia corpora cœleſtia, nullam mutationem ſubſtantiæ ſubire, ſed circulo volui, accedereque & recedere, eadem numero ſemper redeuntia: quæ verò corruptibilia ſunt, fieri ſemper ex ſeipſis circulo naſcentia & intereuntia, numero ſemper alia, ſed ſpecie eadem, vt ex aere fit aqua, & ex aqua aer. Hunc generationum abeuntium & redeuntium circulum, quo mundus ſeruatur, innuit Ecleſiaſtes dicens, *Generatio præterit, & generatio aduenit* Conſiderandum verò triplicibus rebus conſtare mundum hunc, quibuſdam enim incorruptibilibus, vt cœleſtibus; quibuſdam ſecundùm ſe totas corruptibilibus, vt ſingulis brutis & arboribus: aliis corruptibilibus per partes, vt terra, mari, & toto aere, horum enim nullum ſecundùm ſe totum corrumpi poteſt, corrumpitur verò ſecundùm partes ſingulas. Corruptibilia primi generis, non aliter ſeruantur, quam ſucceſſiua generatione ſingularium, generatione ſcilicet prætereunte, & generatione adueniente. Terra autem & mare & eiuſmodi ſemper ſtant, etiamſi ſecundùm particulas præ ſua mole inſenſibiles, recipiant acceſſiones. Sol, & reliqua corpora cœleſtia, ſecundùm ſe tota & partes omnes inalterata, tantum mouentur circulo, qui motus ad aliorum corporum mutationes, rationem habent cauſæ. Quia enim hæc circulo voluuntur, illa circulari mutatione, hoc eſt, eiſdem ſpecie rebus abeuntibus & redeuntibus oriuntur & intereunt. Neque ſanè illorum cœleſtium corporum virtus æquè accedit ad omnia, quæ in generabilium & corruptibilium regione ſunt, ſed in his ipſis eſt ordo vt loci, ita & virtutis. Suntque alia aliis efficaciora & perfectiora, mutátque cœlum ipſum alia per alia, velut per tenuiora & ſuperiora, quæ craſſiora & inferiora ſunt. Proindeque dictum eſt Empedocli, terram & aquam materiam eſſe generabilium corporum. vt farinam & aquam, aerem verò & ignem efficientia magis quam accipientia eſſe, & virtutes præſtare magis quam corpora rebus generandis. Hæc igitur conſentaneum eſt accipere propriùs à cœleſtibus vim, quàm in humiliora tranſmittant. Argumento eſt, quòd cum inferiora, & denſiora, ſtent in ſuis locis firma (multóque magis terra) ſuperiora illa & tenuiora cum cœleſtibus voluuntur, & illorum perſequuntur motum. Aerem enim ſupremum, & qui iuxta cœlum eſt

Mũdi partes triplices.

De elementis.

Aëris motus circularis.

circulo

circulo volui quotidiè vt ipſum cœlum, indicant cometæ, qui quaſi in ipſo eſſent cœlo, videntur aliquando circuire, ignem verò qui & per aerem & per reliqua omnia penetrat, vt omnium tenuiſſimum motum ipſius Solis tenere, & cum illo circuire, indicat calor qui lumini accedit ſemper, & tenebroſa deſerit, quaſi luminis comes indiuiduus Id enim eſt, quia ignis eſt aſſecla Solis. Vt igitur Solis circuitio cauſa eſt circuitionis huius ſubſtãtiæ ſpiritalis, aereæ inquam & igneæ, ita & hæc ſpiritus circuitio, cauſa eſt generationum, & corruptionum, eorum quæ circa terram, & mare oriuntur & intereunt, atque in his, maximè ignis. huic enim, vt Ariſtoteles inquit, ſubſtrata ſunt omnia: vt materia, illeque ſuo calore efficit omnes naturales ortus, eſtque, vt in hoc ipſo opere anteà interpretati ſumus, ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas, & fœcundabat omnia. Breuiſſimè igitur Eccleſiaſt. complexus eſt totam de ortu & interitu tractationem, dicens, mundi huius perpetuum ductum ſeruari, aliis ex aliis rebus circulo genitis, & generatio ſucceſſiua rerum numero diuerſarum, ſpecie ſimilium, itaque generatione prætereunte, & generatione adueniente: cauſas verò huius comunicationis rerum eſſe, quòd terra ſemper ſtat in medio mundi firmata (intelligitur verò terræ nomine, totus eius globus, qui terra & aqua conſtat) & circa eam voluuntur circulo cœleſtia, & ſpiritualia tenuiaque corpora, his enim (cœleſtibus inquam & ſpiritalibus) facientibus, & illis (craſſis ſcilicet elementis) recipientibus, ortus & interitus fiant. Vt verò hæc recipiant, & illa faciant, nihil magis conſentaneum, quàm vt illa circumeant, & hæc firma ſtent, ſiquidem efficientem cauſam oportet accedere ad materiam, nulla autem ratione acceditur melius quàm materia quieſcente, & effectrice cauſa accedente omnem in partem, omnem verò in partem non aliter acceditur, quàm circumeundo.

Quapropter faceſſat iam hinc quorundam veterum ſententia, & Copernici argutiæs, terra enim ſtat, & Sol circuit. Neque verò ipſa cœleſtia corpora & tenuia elementa, æquè pertinent ad effectiuas cauſas, ſed cœleſtia efficiunt ſolùm, elementa tenuia efficiunt multò magis quàm craſſa, ita tamen vt accipiant nonnihil, materiáque ſint, alioqui non eſſent elementa. Neque ipſa cœleſtia inter ſeſe, neque tenuia elementa habent pares efficiendi vires, ſed in illis Sol, in his ignis præcipua ortuum & interituum cauſa eſt, proinde Eccleſiaſtes patiendi principium in terra quieſcente, efficiendi verò in Sole, & ſpiritu, hoc eſt, igne, circulo lactis poſuit. Eam verò eſſe vtilitatem — *Copernici reprehenſio.*

circu

de Ciuitate Dei, & poſt illum Diuus Thomas contra gentes. Sed quo pacto indicat mihi Atheus, nihil horum effectum eſſe? quia (inquit) fieri non poteſt Sed cur non poteſt fieri; quia (inquit) nihil tale effectum eſt vnquam. Quid ſi effectum eſt; non eſt (inquit) itaque probat idem per idem, atque. vt dicunt, vtitur circulo, petitque credi ſibi ſoli ſine vllis teſtimoniis, potiùs quàm nobis cum tam multis. Longè ſtultius eſt putare, non eſſe Deum omnipotentem, quia non poteſt ſibi mortem conſciſcere. Nam cùm mori pati ſit, non agere, non poſſe mori. roboris ſit, non debilitatis Iam verò non habere ius in præterita, hoc eſt, non poſſe facere, vt quæ facta ſunt, facta non ſint, & neque in præſentibus poſſe facere. vt non ſit, quod ſit, cùm eſt, quia hæc omnia continent contradictionem. Id verò quod contradictionem continet, nihil eſt, quia negatio tollit affirmationem & affirmatio negationem; igitur qui poteſt omnia quæ contradictionem non continent, nihil eſt quod non poſſit, & qui in his næuis hærent, non mihi videntur vt ſapientes dubitare, ſed vt quiuis ex indocta plebe Veniamus ad reliqua. Miſerum dicunt futurum Deum, ſi quis ſit qui rerum omnium humanarum gerat curam. Vtinam in miſeriis ponerent homines rerum gerendarum ſollicitudinem, ne eſſent adeò ambitioſi Vt verò homo qui multarum rerum curam habeat, ſit miſer Deus tamen minimè miſer ſit Miſeria enim non eſt in prouidentia, ſed in defatigatione, Deus verò defatigari non poteſt, ſiquidem nullo labore rerum notitiam conquirit, nullius obliuiſcitur, ſed omnia præſentia. præterita & futura, vno intuitu videt, ipſe exiſtens ſimpliciſſimus, & nullius alterationis capax. Quantum autem faciat ad indolentiam ſimplicitas, Philoſophi optimè intellexerunt, nam vel ipſum hominem dicit Hippocrates libello de natura humana, ſi vnum eſſet, hoc eſt. vno conſtans elemento non doliturum, nedum Deus, qui non Phyſicæ ſolùm, ſed & Metaphyſicæ compoſitionis eſt expers. Quid ergo ſtultius, quàm timere ne prouidentia fiat miſer qui nullatenus poſſit defatigari? Quid addunt præterea? Non videri Deum prouidentiam habere rerum humanarum, quandoquidem cùm deterrimo quoque videtur fortuna optimè agere, & cùm præſtantiſſimo quoque peſſimè. Argumentum hoc tractauit diſertiſſimè Dauid Pſal. 72. his verbis: *Et dixerunt Quomodo ſcit Deus, & eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſaculo obtinuerunt diuitias Et dixi, Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum.* Reſpondet verò mox ipſemet huic dubitationi, dicens: *Exiſtimabã vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligã in nouiſſi*

Deus omnipotens.

Atheorũ reprehenſio.

nouiſſimis eorum. Quaſi diceret, non poſſis intelligere, quantumuis labores, quæ ſit cauſa qua impij in hoc ſæculo proſpere agant niſi intres in conſiderationem diuinorum myſteriorum, & intelligas quæ fient in nouiſſimis eorum Sed quæ ſunt hæc? *Quia ecce* (inquit) *qui elongant ſe à Deo peribunt, & perdet Deus omnes qui fornicantur abs ſe.* Poſt nouiſſima ſcilicet, & in futuro ſæculo. Itaque hoc argumento non fit, vt Deus non prouideat rebus humanis, ſed quandoquidem aliis argumentis conſtat prouidere, ac nihilominùs in hoc ſæculo ſæpe agitur meliùs cum deterioribus fit, vt teneamur ſperare aliud ſæculum, in quo reddatur vnicuique ſecundùm opera ſua. Itaque hoc argumentum non tollit de prouidentia Dei fidem, ſed excitat ſpem futurorum bonorum, quia vt in hanc ipſam ſententiam inquit D. Paulus 1. ad Corinth. c. 15. *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Non eſt autem conſentaneum, vt qui meliores, ſint miſerabiliores, cùm Deus ſit optimus, videatque & audiat omnia. Speramus igitur non in hac vita tantùm, ſed in futura potiùs, in quam boni reſurgent induti immortalitate, mali autem in æternam perditionem. Itaque quia videmus ſæculi huius bona magna ex parte eſſe collata in deteriores, non negamus Dei prouidentiam, ſed intelligimus fines bonorum & malorum non eſſe in hoc ſæculo, & quia alicubi eſſe oportet, excitamur in ſpem poſt mortem futurorum: interim ſuſpicientes Dei bonitatem infinitam, qui in malos etiam eſt bonus, hæc qualiacunque bona illis tribuens, bonis verò verè bona, & nunquam interitura reſeruans, quorum hîc inopia exercens, reddit digniores. Hoc eodem modo concludit Plato decimum librum de Rep ſiue de iuſto, hoc eodem argumento confirmans, & Deos habere prouidentiam, & animas noſtras aliud ſæculum manere.

Impij cur proſpe- rentur.

CAPVT LIX.

Psal. 92. ita ſcriptum eſt. *Etenim firmauit orbem terræ qui non commouebitur.*

Ariſt cap. 23. lib. 2. de Cœlo inquit: *Mentis eſt ratione non admirari, curnam parua terræ globa, ſi elata dimittatur, fertur quieſcereque non valet, & quo eſt maior, eò celerius fertur, vniuerſa autem terra, ſi quis ipſam ſublimem eleuatam ſue dimittat, ferri non poteſt.* Nunc verò tantum pondus quieſcit. hoc eſt, miretur quiſpiam quo pacto fiat, vt tantum terræ pondus quieſcat

in mundi medio, nulli rei innitens, nullis firmioribus cæmentis fundata, ſed in aqua & aëre vndique pendens, cùm præcipuè videamus, minimi etiam ponderis fruſtulum ſi dimittatur in aëre, nulla alia re ſuſtentatum, decidere, neque manere poſſe. Hæc dubitatio plurimum torſit veteres Philoſophos, conieciſtque in ſolutiones longè diuerſas, quarum tamen pleræque, vt belliſſimè dicit ibidem Ariſtoteles, abſurdiores ſunt ipſa dubitatione. Nam Empedocles infinitam eſſe terræ profunditatem, ideóque quieſcere, quaſi radicibus infinitis firmatam. Thales innatare in aqua vt lignum quoddam. Anaximenes, Anaxagoras, & Democritus amplam eſſe, & ob latitudinem quieſcere, quòd ſubiectum aërem ſecare non poſſit, conſtat verò hæc omnia abſurda eſſe. Nam terram rotundam eſſe, certæ cuiuſdam magnitudinis, æquidiſtantem à cœlo ſecundùm totam ſuperficiem, experimento conſtat, quare infinita non eſt, neque latitudinem planam habet, neque hoc hemiſphærium illi magis innititur, quàm illud huic, ſed in centrum nituntur omnia. Porro ſi terra ampla eſt, & figuram habet tympani, ac proinde non poteſt ſecundùm latiorem ſuperficiem ſecare aërem: cur tamen ſecundùm ſuperficiem anguſtiorem non findit & elabitur? cur enim potiùs nitatur in hanc cœli partem, quàm in illam? Iam verò ſi terra aquæ innatat, ipſa aqua quo ſuſtentatur? quòd ſi aqua pendere poteſt in aere, poſſit & terra, quæ enim maior dubitatio? neque igitur ſupra aqua, neque ſuper radicibus, vel cæmentis infinitis firmauit Deus orbẽ terræ, ſed, vt inquit Iob c. 26. *ſuper nihilum appendit.* Certè ex hoc, vt ex aliis multis, quæ in natura rerum eueniunt mirabilia, nos pronocant ſacra eloquia in Dei Opt. Max. admirationem. Nam & Eſaias capite quadrageſimo ita inquit: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* & rurſum paulò infrà: *Nunquid nõ intellexiſtis fundamenta terræ?* rurſum capite quadrageſimo ſecundo, inquit, *Hæc dicit Dominus Deus creans cælos, & extendens eos, firmans terram.* Itaque gloriatur Dominus Deus, quòd ſine vllis fundamentis, ſed ſuper nihilo firmauerit. Nimirum Dei imperium firmius omni fundamento eſt. Sed quoniam Deus omnia diſponit ſuauiter, neque vlli æternã infert violentiam, neceſſe eſt, ita ſit terra ſuper nihilo firmata Dei iuſſu, vt ipſa non repugnet, ſed ita ei obſequatur, vt verè ſecundum ſuam naturam locata ſit. Inueſtiganda igitur nihilominùs cauſa eſt naturalis, qua terra ita locata quieſcit, neque vnquam commouebitur. Plato in Phædone ita inquit: *Perſuaſum mihi quidem eſt primò, ſi eſt terra neceſſitate eiuſmodi, vt nunquam decidat, ſed ad eam ſuſtinendam ſatis id eſſe, quod & cælum vndique*

Falſa Philoſophorũ opinio de terra.

Terra immobilis.

dique ſibiipſi ſimillimum eſt omninò, & terra vndique æquilibris in ſimilis alicuius medio poſita, neque magis neque minus poteſt in partem aliquam inclinari, cumque ſimiliter ſe habeat, ab inclinatione erit aliena. Hæc Plato. Cuius opinio plurimis arridet, videturque optimam & facillimam cauſam reddere, cur non ruat terra, nimirum quia non eſt cur huc quàm illuc potiùs ruet, cùm rotunda cùm ſit, & in medio poſita. Ad hanc etiam opinionem alludit Ouidius dicens: *Ponderibus librata ſuis.* Sed ſi ea eſſet verè cauſa, fieret, vt ſi extra centrum mundi poſita dimitteretur, rueret in eam cœli partem, quam haberet propiùs, ideò enim non ruere dicebatur, quòd in medio ſita in nullam potiùs partem inclinet. Deinde fieret, vt ſi terræ figura deficeret ab ſphærica, & in alteram partem, vt in Septentrionem verbi gratia extaret, in eam cœli partem rueret, velut deficiente æquilibrio, & in eam partem potiùs inclinante pondere. At verò abſurdum eſt, vtrumque horum, nam quoquò rueret, pondere rueret, pondus verò non fert in cœlum (qua enim ratione pondus ferat quà leuitas?) ſed in contrarium. Leuitas autem fert verſus cœlum, ergo pondus ad partem à cœlo remotiſſimam, putà ad centrum mundi. Ergo terra ſiue extra centrum poneretur tota, ſiue mutata figura in alteram partem extaret, rueret eò vſque, vt centrum ponderis ſui in mundi centro collocaret. Dico autem centrum ponderis, quia ſi mutata figura extaret, non eſſet idem centrum ponderis & magnitudinis, ſiſteret verò in mundi medio ponderis medium, quia pondus cauſa deſcenſus eſt. Si verò non mutata figura, ſed à medio mundi aliquatenus pulſa emineret in alteram partem, rueret ſanè tunc quoque, & medium ſuæ magnitudinis, & mundi totius idem eſſe faceret, quia nulla alia ratione poteſt aliis omnibus elementis ſubſtare. Amat verò id eius natura, quia eſt omnium craſſiſſima: eſt verò is naturalis omnium corporum ordo, & cuius comparandi gratia mouentur per ſeipſa, hoc eſt, neque pulſa, neque tracta, neque portata, neque volutata, ſed ſponte naturæ, vt craſſa ſint ſub tenuibus: eſt autem in vniuerſa infimus locus, qui & intimus, putà centrum, ſupremus qui & extimus, putà cœlum. Quia vniuerſi partes non poſſunt ad aliud quodpiam extra ipſum referri, vt in corporibus ſingulis, velut in ouo vitellus eſt pars intima, non tamen eadem infima, quia eſt quædam albuminis pars inferior, quæ ſcilicet longiùs abeſt à cœlo, in ipſo autem orbe non ita, quia non eſt Centrum locus infimus.

extra illud aliud ad quod eius partes referantur, ſed eſt infrà, quod continetur, ſupra verò quod continet; continetur verò ab omnibus quod in centro ſitum eſt, cœlum autem omnia continet. Hæc igitur cauſa eſt, qua terra extra centrum acta, aut altera ex parte eminens, rueret in centrum, & eadem, quia non ruit à centro. Nam quo pacto poſſit à centro, & ad centrum naturaliter ferri, contrariæ cùm ſint tales lationes? neque certè re ita perſpecta, vlla ſupereſt dubitatio. Nam particula terræ in aëre demiſſa, non fertur vnquam in eam cœli partem cui eſt propior, ſed verſus centrum, neque ſi iuxta ipſum cœlum dimitteretur, maneret, quamuis cœlum firmum, & velut ex aëre fuſo eſſe indicatum anteà eſt. Non ergo quærit ruens, rem firmam cui adhæreat, ſed ordinem quem naturaliter expetit, ne ſit, ſcilicet ſuper re tenuiori, ſed tenuioribus omnibus ſubſtet. Terra ergo tota, cùm ita locata ſit, non poſſit vnquam ruere: igitur firmauit Deus orbem terræ, non aliter, quàm rectè, ac ſecundùm eius naturam collocans, hoc eſt, in mundi medio, qui idem eſt locus infimus. Verùm quia, vt diximus, ſi alteram in partem extaret, velut ſi nunc ad Aquilonem aut Auſtrum tuberculum magnum terræ aliquod innaſceretur, rueret, non quidem in cœlum eò verſus (vt timere videbatur Socrates in Phædone) ſed in ſeſe ipſam, vſque dum centrum ſui ponderis teneret mundi medium, neceſſe eſt vt hunc quoque caſum Deus prouideret, efficiens ne aliquam in partem terra extet potiùs, ſed omni ex parte ſit æquilibris: hoc autem æquilibrium, ſiquidem terra eſſet perfectè ſphærica, & ſecundùm omnes partes æquè craſſa, nulla alia ratione indigeret, nam eſſet ita idem centrum magnitudinis & ponderis: verùm ob aquarum diſtributionm, & alias neceſſitates, oportuit vt terræ partes eſſent aliæ aliis altiores, ac nihilominùs vt firmiter quieſceret, oportuit vt nullæ partes potiùs quàm ſibi oppoſitæ extarent, aut vt illa eminentia oppoſitarum partium craſſitie penſaretur ad æqualitatem.

Montium & collium inæqualitas.

Neceſſe eſt igitur vt Deus montes, & colles, ac denique omnia terræ tubercula, ad æqualitatem ponderis terræ partibus diſtribuerit, æqualia æqualibus opponens, ne alia ex parte grauior facta terra, rueret in ſeipſam, aliud centrum quærens, quòd eſſet ſui ponderis, etſi non eſſet ſuæ magnitudinis, velut de iis quæ vehuntur in aqua monſtrat Archimedes. Iuſtam hanc partium orbis terræ diſpenſationem optimè cecinit Eſaias cap. 40. dicens: *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?* ob hanc igitur æqualem diſtributionem partium, & quia in medio collocatus eſt

terræ

terræ orbis, non commouebitur.

Neque verò illa æqualitas partium, eſt extra id quod amat rerum natura, imò eſt quoddam naturæ bonum, non in vniuerſo ſolùm, ſed in vnoquoque ſpectabile. Galenus enim multis commendat, in opere quod de vſu partium ſcripſit, hanc partium æqualitatem in corpore humano. licet verò eandem contemplari in muſica & culice, & arbore, & arbuſto, & herbula, & re quacunque integra, vſque adeò fecit Deus omnia in pondere & menſura. Itaque ne terra per aërem in quo videtur pendere, rueret, prouidit Deus, illam ſub aliis omnibus mundi partibus collocans: ne rueret in ſeipſam, aut commoueretur, prouidit, librans in pondere montes, & colles in ſtatera Duplici ergo ratione firmauit orbem terræ qui non commouebitur.

CAPVT LX.

CAp. 25. Prouerb. *Acetum in nitro qui cantat carmina cordi peſſimo.* Comparat Salomon carmina ſalutaria, decantata homini qui ſit corde peſſimo, aceto in quo diſſolutum ſit nitrum. Quæ quàm ſit appoſita, comparatio, quiuis facilè intelliget, perſpectis iis quæ de talibus carminibus à Philoſophis, & de nitro in aceto à veteribus Medicis ſcripta ſunt. Plato in Charmide in perſona Socratis multis verbis docet, morbos animi curari incantationibus, atque animi morbis ſublatis, plerunque ſalutem in corpus redundare, tollique capitis dolorem, & multa alia mala, incantationes verò præclaris ſermonibus contineri, quibus animæ temperantia tribuatur. Itaque ſunt hæ incantationes, ſeu decantata carmina exhortationes, increpationes, ac denique diſciplinæ omnes, quæ ad Dei timorem, & virtutum cultum nos alliciunt Maximæ ſcilicet ægri animi medelæ, quæ ſanè à ſapiente, & qui ex Deo eſt, libentiſſimè ſuſcipiuntur, ei verò qui corde eſt peſſimo, aceto in nitro, ſeu nitro diſſoluto in aceto ſimiles occurrunt. Principiò enim moleſtæ ſunt, & mordent acriter, poſteà verò extergunt & eluunt ſordes animi, niſi quis iam eſt immedicabilis. Talis enim ſemper auerſatur, & reſpuit, læditúrque omni curatione magis De nitro verò à Dioſcoride cap 89. lib. 5. ita ſcriptum eſt: *Purulentas aures & ſonitum earum ſanat, ſordes expurgat cum aceto inſtillatũ.* Galenus quoque tertio de compoſitione medicamentorum ſecundùm locos, ex Archigenis ſententia commendat ad aurium ſonitus, acetum

Aceti in nitro ſoluti vis.

Aures purgantia.

cum nitro. Vt itaque nitrum cum aceto inſtillatum in aures, earum eluit ſordes, & ſonitus, ſeu tinnitus earum ſanat, ita exhortationes ſanctæ ſæpius inſtillatæ in aures, etiã peſſimis ſordes animi eluunt, & varias perturbationes, quaſi ſonitus aurium prohibentes audire veritatem, ſanant. Mordent verò, neque ſine magna moleſtia ab ægro animo ſuſcipiuntur, non aliter ac acetum & nitrum. Vtrunque enim per ſe, ac ſimul ambo, vbi in purulentas, & exulceratas aures inſtillatur, mordet, durátque ea mordicatio, vſque dum pars ſaneſcit, & cute obducitur.

CAPVT LXI.

Aquæ frigidæ potus.

IN eodem 25. Prouerb. *Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei qui miſerit eum, animam ipſius requieſcere facit.* Et paulò infrà in eodem cap. in eandem ſententiam dicitur, *Aqua frigida animæ ſitienti, & nuntius bonus de terra longinquá.* Itaque coniunctis ambobus locis facilè intelligimus, potum aquæ refrigeratæ admota niue in die meſſis, hoc eſt, in æſtate, facere requieſcere animam potantis, vt nuntius ſeu legatus miſſus è terra longinqua cùm eſt fidelis, facit requieſcere, animam eius qui miſit eum. Quoniam ſcilicet, fiduciam habet in nuncio fideli is qui miſit eum, ac proinde requieſcit animus eius. Poſſit hic Phyſicus pro potu niue refrigerato teſtimonium accipere; atque tempus vtendi illo diſcere, non minus quàm à Galeno: ſiquidẽ verba illa, *Animam ipſius requieſcere facit*, vſum innuũt, illa verò, *In die meſſis*, tempus vtendi. Nimirum anima Phyſicè pleriſque vocatur ipſa reſpiratio, ſeu qui reſpirando attrahitur ſpiritus. Atqui Diogenes, vt tradiũt qui de eius placitis ſcripſerunt, in eo aëre animæ eſſentiam eſſe putauit. Sed vtcunque de animæ eſſentia ſentiat Phyſicus, quia reſpiratu vita ſeruatur, ipſam reſpirationem animam vocat, atque huius ipſius facilitatem, ſeu tranquillitatem, animæ requiem. Itaque facere animã requieſcere, eſt Phyſicis, reſpirationem facilem reddere, id verò fit, igneũ calorem extinguendo, atque hominem attemperando. Quod, cùm febris calor igneus ſit, conſtat, vt poſſit à multis febribus liberare, atque ita eſſe viliſſimum, cùm tempeſtiuè adhibetur. Intempeſtiuus enim eius vſus multorum malorũ cauſa eſſe poteſt. Quæ Hippocrates ferè colligit in Aphoriſmo dicẽs: *Frigida velut nix & glacies, pectori inimica ſunt, tuſſes mouent, ſanguinis eruptiones, ac defluxiones faciũt.* Rurſus in alio Aphoriſmo: *Frigida inimica oſſibus, dẽtibus, neruis, cerebro, ſpinali medulla.*

& ruſſus: *Frigida conuulſiones, antrorſum ac retrorſum, diſtentiones, nigrores, rigores febriles. Opportunitas verò eſt*, vt Galenus libello de cibis boni & mali ſucci inquit, *in aſtate non quibuſuis ſed iis tantùm qui exercentur dare, ne, ſcilicet aſtu forti & exercitatione inflammati, in cauſones incidant.* Quorum generationem Hippocrates in libris de ratione victus in acutis, his verbis docet: *Febris autem ardens fit, cùm reſiccata venula tempore aſtiuo acres ac biliosos ichores in ſeipſa trahunt.* Fit autem plerunque ex longo itinere, & longa ſiti, cùm reſiccatæ venulæ acres & calidas fluxiones in ſeipſa attraxerint. Cùm igitur hæc ſit cauſonis generatio, & his cauſis fiat, conſtat nulla ratione poſſe præcaueri meliùs, quàm eo tempore, iis qui in talibus verſantur cauſis, dato potu frigido, foréque vt venæ refrigeratione temperentur, & ſpiritus, qui æſtu & exercitatione redditur difficilis, requieſcat, fiatque facilis ac moderatus. Cauſonis generatio.

Facit igitur talis potus, animam requieſcere in die meſſis, hoc eſt, in æſtate & labore. Quo enim potiùs vteretur, quo ſignificaret æſtũ & laborem, quàm meſſis; non autem ſolis meſſoribus, ſed & omnibus hominibus negotioſis, qui per æſtatem non poſſunt ſe horis meridianis domi continere, & iter agentibus vtilis is potus eſt, ſiquidẽ inde febres ardentes ſolere cieri Hippocrates author eſt Neque verò tunc omnibus vtendũ tali potu eſt, ſed quibus nulla pars earũ quæ eo lædi ſolẽt, inſigniter eſt debilis; thorax dico, pulmo, cerebrũ, nerui, ſpinalis medulla, aut etiã inteſtina, aut veſica. Quibus ergo talis quæpiã eſt debilitas, exercitationes & inſolationes per æſtatẽ deuitentur penitus ne neceſſariò incidant in alterutrũ. ardentes dico febres, aut illas alias noxas. Vt verò præſcripta verba Salomonis continent cõmendationẽ frigidi potus, ita innuũt, ne in æſtate quidem niſi exercitatis vtendum eo eſſe, in aliis verò temporibus nulli. Non enim ſimpliciter dicit, frigus niuis requieſcere facit animam, ſed in die meſſis? nimirum aliis temporibus, aut etiam in æſtate vacantibus hominibus, animam ſedat ipſa aëris inſpirati temperies, aut otium. Verùm de tali potu alibi mihi dicta ſunt plura. Hîc pro meo iuſtituto dictum eſt ſatis.

CAPVT LXII.

CAp. 1. Eccl. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem ſemper ſtat. Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.*

Hoc

De circulari motu.

Hoc quod Eccleſiaſtes obſeruauit, nihil aliud eſt, quàm quod Ariſt. in duobus vltimis capitibus ſecundi de ortu & interitu diſertè tradidit, puta circularem eſſe rerũ omnium mutationem, & hinc pendere mundi æternitatem, quoniam ſcilicet, ſola mutatio circularis poteſt eſſe perpetua. Partes ergo mundi quæ per ſe ſunt perpetuæ vt Solem & alia corpora cœleſtia, nullam mutationem ſubſtantiæ ſubire, ſed circulo volui, accedereque & recedere, eadem numero ſemper redeuntia: quæ verò corruptibilia ſunt, fieri ſemper ex ſeipſis circulo naſcentia & intereuntia, numero ſemper alia, ſed ſpecie eadem, vt ex aere fit aqua, & ex aqua aer. Hunc generationum abeuntium & redeuntium circulum, quo mundus ſeruatur, innuit Eccleſiaſtes dicens, *Generatio præterit, & generatio aduenit* Conſiderandum verò triplicibus rebus conſtare mundum hunc, quibuſdam enim incorruptibilibus, vt cœleſtibus; quibuſdam ſecundùm ſe totas corruptibilibus, vt ſingulis brutis & arboribus: aliis corruptibilibus per partes, vt terra, mari, & toto aere, horum enim nullum ſecundùm ſe totum corrumpi poteſt, corrumpitur verò ſecundùm partes ſingulas. Corruptibilia primi generis, non aliter ſeruantur, quam ſucceſſiua generatione ſingularium, generatione ſcilicet prætereunte, & generatione adueniente. Terra autem & mare & eiuſmodi ſemper ſtant, etiamſi ſecundùm particulas præ ſua mole inſenſibiles, recipiant acceſſiones. Sol, & reliqua corpora cœleſtia, ſecundùm ſe tota & partes omnes inalterata, tantum mouentur circulo, qui motus ad aliorum corporum mutationes, rationem habent cauſæ. Quia enim hæc circulo voluuntur, illa circulari mutatione, hoc eſt, eiſdem ſpecie rebus abeuntibus & redeuntibus oriuntur & intereunt. Neque ſanè illorum cœleſtium corporum virtus æquè accedit ad omnia, quæ in generabilium & corruptibilium regione ſunt, ſed in his ipſis eſt ordo vt loci, ita & virtutis. Suntque alia aliis efficaciora & perfectiora, mutátque cœlum ipſum alia per alia, velut per tenuiora & ſuperiora, quæ craſſiora & inferiora ſunt. Proindeque dictum eſt Empedocli, terram & aquam materiam eſſe generabilium corporum. vt farinam & aquam, aerem verò & ignem efficientia magis quam accipientia eſſe, & virtutes præſtare magis quam corpora rebus generandis. Hæc igitur conſentaneum eſt accipere propriùs à cœleſtibus vim, quàm in humiliora tranſmittant. Argumento eſt, quòd cum inferiora, & denſiora, ſtent in ſuis locis firma (multóque magis terra) ſuperiora illa & tenuiora cum cœleſtibus voluuntur, & illorum perſequuntur motum. Aerem enim ſupremum, & qui iuxta cœlum eſt

Mũdi partes triplices.

De elementis.

Aëris motus circularis.

circulo

circulo volui quotidiè vt ipſum cœlum, indicant cometæ, qui quaſi in ipſo eſſent cœlo, videntur aliquando circuire, ignem verò qui & per aerem & per reliqua omnia penetrat, vt omnium tenuiſſimum motum ipſius Solis tenere, & cum illo circuire, indicat calor qui lumini accedit ſemper, & tenebroſa deſerit, quaſi luminis comes indiuiduus Id enim eſt, quia ignis eſt aſſecla Solis. Vt igitur Solis circuitio cauſa eſt circuitionis huius ſubſtātiæ ſpiritalis, aereæ inquam & igneæ, ita & hæc ſpiritus circuitio, cauſa eſt generationum, & corruptionum, eorum quæ circa terram, & mare oriuntur & intereunt, atque in his, maximè ignis. huic enim, vt Ariſtoteles inquit, ſubſtrata ſunt omnia: vt materia, illeque ſuo calore efficit omnes naturales ortus, eſtque, vt in hoc ipſo opere anteà interpretati ſumus, ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas, & fœcundabat omnia. Breuiſſimè igitur Eccleſiaſt. complexus eſt totam de ortu & interitu tractationem, dicens, mundi huius perpetuum ductum ſeruari, aliis ex aliis rebus circulo genitis, & generatio ſucceſſiua rerum numero diuerſarum, ſpecie ſimilium, itaque generatione prætereunte, & generatione adueniente: cauſas verò huius communicationis rerum eſſe, quòd terra ſemper ſtat in medio mundi firmata (intelligitur verò terræ nomine, totus eius globus, qui terra & aqua conſtat) & circa eam voluuntur circulo cœleſtia, & ſpiritualia tenuiaque corpora, his enim (cœleſtibus inquam & ſpiritalibus) facientibus, & illis (craſſis ſcilicet elementis) recipientibus, ortus & interitus fiant. Vt verò hæc recipiant, & illa faciant, nihil magis conſentaneum, quàm vt illa circumeant, & hæc firma ſtent, ſiquidem efficientem cauſam oportet accedere ad materiam, nulla autem ratione acceditur melius quàm materia quieſcente, & effectrice cauſa accedente omnem in partem, omnem verò in partem non aliter acceditur, quàm circumeundo.

Quapropter faceſſat iam hinc quorundam veterum ſententia, & Copernici argutiæ, terra enim ſtat, & Sol circuit. Neque verò ipſa cœleſtia corpora & tenuia elementa, æquè pertinent ad effectiuas cauſas, ſed cœleſtia efficiunt ſolùm, elementa tenuia efficiunt multò magis quàm craſſa, ita tamen vt accipiant nonnihil, materiáque ſint, alioqui non eſſent elementa. Neque ipſa cœleſtia inter ſeſe, neque tenuia elementa habent pares efficiendi vires, ſed in illis Sol, in his ignis præcipua ortuum & interituum cauſa eſt, proinde Eccleſiaſtes patiendi principium in terra quieſcente, efficiendi verò in Sole, & ſpiritu, hoc eſt, igne, circulo lactis poſuit. Eam verò eſſe vtilitatem Copernici reprehenſio.

circularis lationis, vt effectrix cauſa ad omnes materiæ partes accedat, apertè inſinuant illa verba, *Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus.* Nihil eſt enim aliud, quàm ſi diceret, in circuitu pergit, vt luſtret vniuerſa. Porrò nos anteà, ſuper cap. 39. Deut. ex loco & motu Solis, Dei ſapientiam commendauimus, & admirati ſumus, qui ita illum cœlo locauit, eumque motum tenere iuſſit, vt nulla ſe mundi pars abſconderet à calore eius.

Solis circuitione. Verùm quod de Solis motu hoc loco dicit, non exiguam ingerit difficultatem. Nam, inquit, *gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Videtur autem hoc non ita habere. Nam Aquilo eſt ea cœli pars à qua flat Boreas, qui & Aquilo dicitur. Ea verò eſt vbi ſitus eſt polus. Sol verò circuit circa polum, ita vt polus centrum ſit eius circuli quem Sol deſcribit, non poteſt ergo verſus polum flecti, ſiquidem circuli partes omnes diſtant à centro æqualiter. Neque verò hîc poſſis dicere quod D. Thomas Aquinas ſuper Iob dicit, Aquilonis nomine ſignificari hemiſphærium quod ſupra noſtrum Orizontem eſt, & huic oppoſitum dici Meridiem. Quin potiùs, meo iudicio, hinc conſtat, non eſſe illam legitimam interpretationem. Nam quis non dicit Solem gyrare per Meridiem, cùm horas nobis exhibet meridianas: conſtat verò horis meridianis ſupra noſtrum Orizontem eſſe Solem. Meridies igitur pars noſtri hemiſphærij eſt, non quid huic oppoſitum. Quid ergo dicas? quo pacto flectitur ad Aquilonem? Videtur ſanè hoc dictum iuxta ſententiam quorundam veterum, qui, vt Ariſtot. cap. 1. ſecundi Meteor. narrat, cenſebant totum mundum ſecundùm Septentrionalem partem in ſublime aſſurgere, ſecundùm Meridionalem verò demiſſum eſſe, idque non ſolùm in cœleſti, ſed in terreno etiam globo. Itaque habere terreũ globum ad Septẽtrionalem partem velut gibberũ quendam prægrandem, extare enim ad eam partem, & ad meridionalem nutare, Solemque non ſub terram, ſed circum terram, & hunc Septentrionalem locum circumferri. Itaque diem eſſe cùm per meridiem circuiret, noctem verò cùm deflectens ad Septentrionem, illo velut terræ gibbero occultaretur. Videtur itaque illi ſententiæ locus hic fauere. Sed & quod ponunt, aliique quàmplurimi veteres putauerunt, Septentrionalem cœli partem aliis omnibus eſſe ſuperiorem, videtur ex ſacris poſſe recipere confirmationem, ſiquidem Eſaiæ 14. capite ita dicitur ex perſona ſuperbiſſimi. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamẽti in lateribus Aquilonis,* quaſi

ſcilicet

ſcilicet, Aquilo excelſior cœli pars ſit. Verùm tamen hoc falſum eſſe, neque vllam mundi partem eminere aliis, eò quòd in perfecta ſphæra omnes extremitatis partes diſtent æquè à medio, indicatum anteà eſt ſuper capite trigeſimoſeptimo Iob. Porrò dicere Solem illo modo circuire, hominum eſt ignorantiſſimorum Aſtrologiæ. Nam cùm Sol moueatur motu diuino cum toto cœlo, niſi moueretur qua nos dicimus, ſupra & infra terram, non poſſent poli eſſe, vbi eſſe nunc ponuntur, ſed mutato circulo mutari oporteret polos, at verò polum eſſe vbi nunc ponitur, declarant ſtellæ omnes fixæ, quæ quò longiùs abſunt ab illo puncto, eò maiores deſcribunt circulos, & quò accedunt propiùs, minores, adeò vt ſint nonullæ æternæ apparitiones. Itaque falſum eſſe illud dogma, ex dictis apertè deprehenditur: quapropter non licet ſecundùm illud ſacra verba interpretari, ſed quæ ex Eſaia produximus verba ſunt Regis præ ſuperbia inſanientis, affectantiſque ſedes æthereas, ac ſoliū ſuum collocare in Aquilone, quæ pars deſpectanti à terra videtur eſſe ſummus cœli apex, quia in medio aſtrorum omnium eſt, & circum quam Sol, & Luna, ac reliqua Aſtra omnia tam errantia, quàm fixa, videntur choreas ducere, non tamen proinde excelſior eſt aliis, neq; quidem poteſt in corpore perfectè ſphærico. Quo pacto autem vera ſint præſcripta nunc de Solis circuitione verba, iam dicamus. Certè illa in ſphæra recta & ſub æquinoctiali vera non eſſent, ibi enim Sol aut per ipſam lineam fertur æquinoctialem, neque in vllam mundi partem flectitur: aut vltra citráve eam lineam, ita tamen vt quotidiana circuitione eam non interſecet, non interſecant autem in contrariam mundi partem flecti nō poteſt. At verò in ſphæra obliqua, qualis eſt hæc quā incolimus, & Syria, vbi hæc ſcripta ſunt, quinimò & vbi inter tropicum Cancri & circulum Arcticum (vltra quos fines nihil habitabile putabat antiquitas) veriſſimum eſt, quotidie Solem gyrare per Meridiē & flecti ad Aquilonem. Nam quacunque die conuertat homo faciem ad eam partem qua oritur Sol, & inde ducens per ſuum centrum lineam, deſcribat circulum magnum, & imaginatione ſecet mundum in duas partes æquales, eam mundi medietatem ad quam ſpectabit ſua dextra, vocabit Meridiem ad quam ſiniſtra Septentrionem aut Aquilonem, quia habebit polum à ſiniſtris, & à dextris meridianum motum Solis: quotidie autem Sol poſtquam gyrauerit per Meridiem, interſecans illum magnum circulum (qui eſt linea longitudinis) flectetur ad oppoſitam cœli medietatem, quare flectetur ad Aquilonem. Interſecare autem eam lineam quotidie, conſtat, quia Sol cùm fertur per

Duæ mūdi partes.

æqui

æquinoctialem, deſcribit magnum circulum, duo autem circuli magni non poſſunt non interſecare ſeſe per medium: cùm verò recedere ab æquinoctiali non poſſit Sol, niſi per triginta gradus, & obliquitas ſphæræ dictis in locis maior ſit (quod eleuatio poli ab Orizonte indicat) fit vt nunquam percurrat Sol circulum, qui non interſecet circulum illum magnum, etſi non per medium, & in partes æquales. Si autem interſecat, certè flectitur antequàm perficiat diurnum motum ad oppoſitam medietatem, & quæ ſpectat ad Aquilonem. Veriſſime ergo Sol ex quo naſcitur, gyrat per Meridiem, & deflectens ad Aquilonem redit in locum ſuum. Quòd verò omnis locus citra tropicum Caneri habeat obliquitatem maiorem, quàm ſit ſummus Solis receſſus à linea æquinoctiali, conſtat quia duo tropici æquè diſtant ab illa linea, & circuli Arcticus & Antarcticus à polis; habebit ergo regio quæcunque tantò plus obliquitatis quàm id ſpatium ſit, quantum diſtat ab ipſo tropico, quod omninò ſit aliquid, ſi citra illum ſita eſt.

CAPVT LXIII.

IN eodem cap. 1. Eccleſ. ita habetur: *Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant.*

Mare cur non creſcat. Antiquam hæſitationem vocat Ariſt. in 2. cap. 2. Meteor. cur mare non redundet, neque verò ſentiatur augeri, tametſi multitudo ingens tantæ magnitudinis fluuiorũ in ipſum continenter influat. Nimirum inde licet intelligere, eam quæſtionem ab antiquiſſimis etiam Philoſophis agitatam eſſe, cuius deciſionem conſtat pendere ab ea opinione, quam quis habeat de fluminum generatione, & hanc à generatione fontium. Siquidem videmus (neque dubium) flumina à fontibus incipere, & acceſſione fontium & riuulorum augeri.

De fluminibus.

Qui igitur cenſebit fontes ex ingenti illo barathro, & aquæ (vt ita dixerim) immenſitate, quæ intra terram eſt, regurgitare, partim per patentes quoſdam poros, velut per quoſdam cuniculos, partim per ſolidam ipſam terram excolatos, dicet (quod in præſcripta oratione legimus) mare non redundare, quia quantum alia parte accipit, tantundem alia dimittit. Cuius ſententiæ Plato eſt in Phædone, vbi differens de magno illo barathro, inquit: *In hoc vtique receptaculum omnia confluunt flumina*

flumina, atque inde rurſus effluunt. Ariſtotel. verò, qui de generatione fontium aliter ſtatuit, putat illos non ex vno communi principio fluere, ſed noua aliqua generatione fieri, ſuo in loco vnumquemque, meritò videtur refutare eam quæſtionis antiquæ deciſionem, & excogitare aliam. Nimirum ipſe cenſet in terræ cauitatibus gigni aquam, aëris, & vaporum qui illic ſunt copioſi, congeſtione, ibique multarum guttularum continenti concurſu, riuulos gigni, qui per meatus aliquos erumpentes fontes dicantur, quorum rurſus coitione fiant flumina quæ per terram decurrant vſque ad mare; hoc verò ob ſuam vaſtitatem, non videri acceſſione fluminum augeri, eſſe enim perinde ac ſi per ampliſſimam menſam effundas aquæ cyathum. Differendum igitur in primis videtur de fontium generatione, vtro dictorum modo fiant, & an eodem modo omnes, deinde ad antiquæ dubitationis ſolutionem veniendum. Ariſtoteli videtur fieri non poſſe, vt fontanæ fluuialeſque aquæ effluant ex mari, cùm in illud influát quia cũ aqua moueri nullo modo poſſit, niſi ab editiori in humiliorem locum, fieri non poteſt, vt in eumdem locum influat à quo effluxerit, quia erit idem locus ſeipſo eminentior, & humilior. Quæ cauſa eſt, vt non poſſint arte fieri vlli fontes perpetui, præcipuè non accedente vacui neceſſitate, quæ certè in terræ cauitaribus non accederet, quia poſſunt facilè repleri aëre. His poſſis addere tam inſignem aquarum fontanarum è marina differentia, ſi enim ex mari vt ex communi alueo omnes fluerent, viderentur & ſui, & maris futuræ ſimiles, nunc autem & à ſeipſis diſſident multùm, & à mari quamplurimùm, cùm paucæ ſalſæ ſint. Cùm igitur hic modus generationis fontium his argumentis videatur tolli, ſupereſt alter, ex vaporibus ſcilicet, & aere denſatis intra terræ cauernas generari denuò aquam, quæ per quoſdam hiatus exiens fons dicatur, atque deinde aliorum acceſſione increſcens, etiam fluuius. Quam ſententiam confirmat Ariſtot. dicens hac cauſa ad radices montium oriri ſemper fontes, neque iu media planitie humilium vallium, neque in ſummis montium cacuminibus, quòd ex ſublimium partium cauitatibus ad humiles guttatim deſtillet aqua, atque ſtellarum concurſu colligatur. Cæterùm ſi quis rectè conſideret, videat argumenta quæ contra aliam ſententiam dicuntur eſſe ſolubilia, & quæ in huius confirmationem communia. Nam primo illo (quod & maximum eſſe videtur) non fit, vt non poſſit aqua influere in eundem locum à quo effluat, ſed vt non ſecundùm eandem partem. Quid autem prohibet mare,

Fontium generatio.

Differẽtia aquarum.

X adeò

adeò vaſtum cùm ſit, & immenſæ profunditatis, ſecundùm aliam partem recipere influentes aquas, ſecundùm aliam demittere effluentes? nimirum in arte factis fontibus machinari conantur, vt idem congus circulo quodam influat, & effluat. At verò in mari non ita euenit, neque eadem aqua quam in mare deponit Tagus, redibit, inquam, in eiuſdem fluminis exortum, ſed in mare deponit, & ex barathro illo immenſo quod intra terram eſt exhaurit. Sed dices quo pacto exhaurit? certè vt in hominis corpore, magna ſanguinis copia in hepate eſt, & corde, decurrit verò inde per totum corpus per quoſdam anguſtos canales, quos vocamus venas, ita intra terram maximæ quædam cauitates ſunt aqua plenæ, indeque per quoſdam cuniculos, ſeu mauis, per quaſdam venas decurrit per totam terram, vſque ad eius extremitatem, atque vbi euenit venarum aliquam ruptam eſſe, aut hiare, fons fit maior aut minor, vt ipſa eſt vena, aut hiatus. Atqui hoc ita ſe habere, apertè indicant verba illa cap. 7. Geneſeos, ***Rupti ſunt omnes fontes***

Abyſſus. *abyſſi*, hoc eſt, omnes fontes, qui ex ingenti aquæ abyſſo (hoc eſt, quod Poëtæ barathrum vocant, ſeu tartarum) procedunt, ruptis venis eruperunt, & ita effuſa aqua abyſſi inundauit terram, vt ſi quis ruptis vbique venis exhauriat ſanguinem hepatis, ac totam corporis cutem commaculet. Sed dices perſtans adhuc in primo argumento, quandoquidem ex terra & mari vnicus conſtat globus fieri non poſſe, vt aqua per illos meatus, ſiue canales, ſupra globi illius extremitatem, ſeu ſuperficiem efferatur, ferretur enim ſurſum ſublimior fiens toto mari à quo naſcitur, nullatenus igitur efferri poteſt in montes, ex mari & reliqua terræ planicie ſublimiores, at verò pleriqne fontes deſcendunt ex ſupremis montibus, decurruntque in terræ planitiem, ac per eam in extimam ſuperficiem maris: non igitur ex mari veniunt, ſed in ipſis montibus generationem habent, non aliter ac pluuiales aquæ in nubium regione. Non eſſet (arbitror) quod reſpondere poſſemus, ſi mare, & tota aquæ moles in ſuo loco conſiſteret firmiter, vt terra, neque agitaretur hac & illac ab vlla alia cauſa, quæ accederet. Nunc autem non ita fit, quinimò videmus mare aſſiduè agitari, nunc quidem ſtato quodam ordine tumeſcens, & detumeſcens, nunc temerè per tempeſtates inſanas vſque ad nubes elatum, & rurſum ſubſidens, quos motus, vix dubitare quiſpiam poſſit, ad concluſos intra terram, & aquam flatus referri. Nam aduentante

tempe

tempeſtate, antequam per apertum aërem ventus reflet, ſentitur intrinſecus aqua agitari, & cum ipſo maris æſtu quotidie aduentat aura quædam, ex aqua impetu interni flatus agitata, erumpens. Quale igitur hoc eſſe, videmus, circa hanc extimam ſuperficiem tale quiddam neceſſe eſſe intra terram in contrarias partes fieri: agitari igitur interiùs aquam à flatu. & à barathro per terræ cuniculos in partes mari etiam ſublimiores efferri, partim quidem ab impellente flatu pulſam, partim etiam ab erumpente, quærentéque exitum tractam, vt eſt ſcilicet via. Cùm igitur hoc ita habeat, putandum eſt, eſſe in ſupremis terræ partibus cauitates quaſdam, quæ cùm aqua agitata eò vſque pertingit, replentur ſupernè, & cum reliqua aqua retrocedit quæ eas repleuerat, manet velut in ventribus quibuſdam ſenſibilibus, à quibus per terræ rimulas defluens, in mare iterum recurrit. Neque verò non erunt hoc modo fontes perennes, nam inundationes illæ ſubterraneæ tam repetunt crebrò, aqua nunquam manente, ſed ſemper agitata, vt antequam ventres illi exhauriantur, anticipent repleri. Sunt verò flatus, & aqua ſibi mutuò cauſa agitationis, nam aqua deorſum cadens illum premit denſatque, ille plus ſatis compreſſus, & quærens laxamentum, illam trudit, hiſque mutuò fientibus, ſunt intra terram magnæ turbationes, vt & in animalium ventre (vt in dicta perſtemus comparatione) euenit, humores & flatus ſurſque deque verſari, quia & craſſiſſimas fæces à flatu ſolent vſque ad ſupernum ventriculum, ab imo ventre efferri Hac igitur terræ mariſque diſpoſitione, ſapientia Dei librabat fontes aquarum, hoc eſt, ita aquas diſponebat alias partes eleuans ac ſuſpendens, alias deprimens, vt nunquam ceſſaret fontium flumínúmque decurſus, quibus, velut verbis, terra omnium mater, animantia omnia potaret, & ſatis omnibus, ac fonte naſcentibus alimenta præberet. vt inquit Philo.

Mare cur agitetur.

Flatus agitationis cauſa.

De hac aquarum diſpenſatione gloriatur ipſa Sap. c.24. dicens: *Ego ſapientia effudi flumina. Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio, ego quaſi fluuius Dorix. & ſicut aquæductus exiui de Paradiſo Dixi, Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus eſt mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.*

Hæc verba haud dubiè innuunt dictam aquarum diſtributionem. Quod ipſarum ſi tam ampla differentia, facit percolatio. Nam & Ariſtoteles ipſe dicit, demiſſis in mare vaſis cereis extrahi dulcem aquam, tamen quod percoletur quod dulce

& potulentum eſt ſalſis & terreis extra relictis. Quin & terrea, ac lapidea quædam vaſa ſunt, per quæ excolata aqua redditur melior, ex corpore verò, per quod permeat, ſemper aliquid trahit. Quid ergo prohibet hoc idem excolanda per terram aqua fieri? Accedit, fontes non exire ex maris conſpicua parte, ſed ex barathro, quod quia intra terram reconditum eſt, neque ita à Sole exuritur, minus erit ſalſum. Hæc igitur argumenta debilia ſunt. Illud verò commune, naſci plerunque fontes ad montium radices. Dico autem commune, quia ſecundùm vtramque opinionem idem euenit, nam cùm aqua naturaliter feratur deorſum, etiamſi rumpatur vena, non decurret per terram niſi rumpatur in montibus, neque quidem in ſuprema eorum planitie, ſed qua iam declinant. Alioqui ruptura venæ in locis planis fiunt putei. Hæc igitur Platonis ſententia, quæ adeò conſonat ſacris oraculis, nihil videtur admittere incommodi. An verò & Ariſtoteles adeò probabilis ſit, expendendum, non enim videtur. Nam ſi fontanæ aquæ perinde generantur in terræ cauernis, vt pluuiales in nubium regione, eueniret certè in illis, quod & in his, ſcilicet, neque eſſent perennes, neque eiſdem in locis ſemper fierent, ſed vt pluuiæ in certis fierent temporibus & locis. Præterea nubes fiunt ex aëre & vaporibus loci frigiditate craſſeſcentibus, cauernæ verò terræ non ſemper frigidæ ſunt, ſed in æſtate ſolùm, quare in hyeme cùm ſunt calidiſſimæ, vt & animalium ventres non manarent fontes, ſed ſolùm in æſtate, euenit verò contrà omninò, per hyemem enim fluunt abundantiùs, per æſtatem extenuantur omnes, & areſcunt plurimi. Quòd ſi dicas non gigni eam aquam craſſeſcente aëre à frigore, ſed congeſtione vaporum à calore reſolutorum, vt in operculis ollarum ex aqua feruente, eueniret contrà, vt per æſtatem nulli fontes fluerent, cùm totus calor ſit extra terram, vt verò fluunt plurimi, iique frigidiſſimi, ac nonnulli etiam ſunt qui obturati per hyemem, fluunt æſtate ſolùm. Quòd ſi dicas, æſtate fieri refrigeratione, hyeme congeſtione reſolutæ calore aquæ, præterquam quòd videtur figmento ſimile, non eandem eſſe toto anno fontis perennis generationem, eueniret vt Vere & Autumno minùs, tenuiuſque fluerent quàm hyeme & æſtate, cùm ſcilicet neque frigus eſſet tantum, & craſſitiem inferret, neque tantus calor, vt ſolueret aquam in vapores, itaque haberent fontes quotannis duo incrementa & totidem decrementa. Tamen non ita euenit, ſed vniuerſum cùm ignis abundat, decreſcit tota aquæ moles, cum extenuatur ignis, abundat aqua. Quapropter cùm fontes ac flumina, ex tota aquæ mole,

Fontes vnde.

&

& ingenti illo barathro (quod nihil aliud eſt quam recondita maris pars) decidantur ; tabeſcunt cùm præualent calor & ſiccitas, abundant cùm contrariæ virtutes, hoc eſt, frigus & humor præcedunt. Conſtat igitur ex dictis, veriſſimum eſſe quod ſacra teſtantur eloquia, fontes aquarum naſci ex abyſſo. Quid verò magis conſpicuum in quibuſdam & fontibus & puteis, qui cum ipſo mari ſentiunt fluxum, & refluxum, quem æſtum dicimus? cur autem non omnes, & cur eorum qui vt mare æſtuant, quidam augeſcente mari augeſcunt, ſubſidente ſubſident, quidam intumeſcunt detumeſcente, & tumeſcente detumeſcunt? Dictæ ſunt cauſæ ſuper caput trigeſimum octauum Iob, nunc illud vnum dicimus, conſentaneum admodùm eſſe putare, eos fontes, qui ſimul cum mari mouentur, ab eodem principio impelli, haberéque cum mari partium continuitatem, quam niſi per barathrum, habere nequaquam poſſunt. Porrò, quod in quibuſdam fontibus euidenter agnoſcitur, de omnibus æquum eſt putare, exire ſcilicet, ex communi aquarum principio, mari. Neque verò hoc verum non erit etiamſi excolatæ per terram aquæ ex mari, acceſſio aliqua fiat ex vaporibus, ſiue denſatis, ſiue congregatis; nam & vapores ipſi ex aqua fiunt. Vt igitur deſtillantem ex alambico aquã, nemo negat exire ex herbis quæ in illius fundo ſunt, etiamſi intercedat reſoluti congeſtio, ita ne illam quidẽ aquæ partem, quæ fontibus & fluminibus accedet, ex vaporibus genita, ſiue intra terram ſiue in nubium regione negandum à mari exire, illud enim eſt totius humiditatis promptuariũ. Fatendum ergo omnia flumina à mari exire, & in illud reuerti, quod, præter dicta, vel facilis expeditaq; antiquæ dubitationis dilutio indicat, nimirum mare, etſi in illud flumina intrent omnia non redundat, quia ab illo etiam exeunt. Nam quam Ariſt. reddidit cauſam, minùs probari poteſt. Qua enim vaſtiſſimum eſt mare, & influentia flumina non vna in parte aceruantur, ſed diffunduntur per illud extenſa, putat facere, neque ſenſibilem vllam molem poſſe addere. Quod quidem ſi vno tantùm die, aut vno menſe, aut etiam vno anno, aut, ſi placet, annis centum fieret, probabiliter diceretur, ſi tamen infinito iam tempore (vt ipſemet author putat) influxerunt, neceſſe eſt plus aquę quàm totũ ipſum contineat mare, ingeſſiſſe, atq; ita redundaſſe iam multò antè in totã terram. Neq; ſi dicas, mare Solis vi ad Meridionalem plagam aſſiduè abſumi plus quàm acceſſione fluuiorum poſſit augeri, effugies dubitationem, non enim minùs augetur ipſum per ſe mare ſub polis, quàm extenuatur ſub Zodiaco, quapropter illis exæquatis, redundabit quod ex flu-

Fontium & puteorũ æſtus.

minibus accedet,denuo genitum. Non igitur illa cauſa eſt,qua mare non redundat, ſed quia ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.

CAPVT LXIV.

CApite 1. Eccleſiaſtæ: *Ego Eccleſiaſtes, fui Rex Iſrael in Hieruſalem, & propoſui in animo meo quærere, & inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub Sole. Hanc occupationem peſſimã dedit Deus filiis hominum,vt occuparentur in ea.* Cap.3.eiuſdẽ ita habetur: *Cuncta fecit bona* (Deus ſcilicet) *in tempore ſuo & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.* Rurſus in calce capitis octaui eiuſdem libri: *Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem,eorum quæ fiunt ſub Sole, quantò plus laborauit ad quærendum, tanto minus, etiamſi dixerit ſapiens ſe noſſe,nõ poterit reperire,* Et rurſum:*Cũcta res difficiles,nõ poteſt eas homo explicare ſermone* His oraculis duæ continentur aſſertiones:altera, ſtudium Philoſophiæ naturalis, & deſiderium agnoſcendi rerum cauſas, inſitum eſſe naturaliter hominibus, neque fluere ex aliquo vitioſo affectu, vt multas rerum prauarum appetitiones, ſed ab ipſo Deo rerum omnium & naturæ parente, & authore, illis eſſe tributum. Siquidem hanc occupationem peſſimam, id eſt maximam, & laborioſam, non, inquit, ipſi ſibi à natura declinantes conquiſiere, ſed dedit Deus filiis hominum, & mundum tradidit diſputationi eorum: itaque cupiditatem philoſophandi illorum animis inſeuit,mundum verò poſuit illis ob oculos,velut quoddam ænigma, & prima quidem aſſertio hæc eſt. Altera, Homines, quantumuis ſtudio Philoſophiæ inſudent,fieri non poſſe, vt aliquando inueniant rationes & cauſas eorum quæ fiunt ſub Sole, ſed neceſſe eſſe, vt omnes in earum inueſtigatione, dum ſint in tenebris ſenſuum horum, plus aut minùs hallucinentur, & de iis etiam quæ ſibi videntur probabiliſſima, niſi ſeipſos velint fallere, dubitent. Non enim, inquit, dedit Deus hanc occupationem hominibus inueſtigandi ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub Sole, vt conſequuti certam eorum notitiam, fiant ſapientes, ſed vt occupentur in ea, ſapienter inueſtigantes. Nimirum homines non tam dici debent ſapientes, quod ſciant, quam quòd inueſtigent non neptè. Qui proinde mihi videntur vocati Philoſophi, id eſt, ama

Mundus ænigma dicitur.

amatores ſapientiæ, potiùs quàm σοφοὶ, id eſt, ſapientes. Non enim tam ſciunt, quàm ſcientiæ amore capti inueſtigant Propoſitæ itaque ſunt duæ aſſertiones. De prima quidem omnes conſentiunt, ſiquidem eum appetitum omnes perſentiſcunt in ſeipſis. Vnde quidam naturam ſequuti, Philoſophiæ vacant, alij eam naturam in vitium commutantes, in curioſitatis peccatum incidunt vana & ſuperſtitioſa conſectantes. Veriſſimè itaque dictum eſt illud ab Ariſt. *Omnes homines naturales ſcire deſiderant* Vt itaque vitam & fœlicitatem (quamquam de ea varie ſentiunt) omnes naturaliter exoptant, ita & ſcientiam naturæ quam in parte fœlicitatis etiam ponunt, iuxta illud Poëtæ: *Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.* Obiiciet fortaſſe aliquis Socratem, qui hanc Philoſophiam videtur ſpreuiſſe, & eam ſolùm probaſſe, quæ ad mores formandos pertineret Cæterùm ſi conſulamus Galenum in libro de hiſtoria Philoſophica, intelligimus facilè, eum vitum non neglexiſſe eam Philoſophiæ partem, quam meliùs etiam, quàm multi aliorum excoluit, ſed damnaſſe ſuperiorum Philoſophorum inſtitutum, qui in ea ſuorum ſtudiorum ponebant finem, & vni Philoſophiæ parti Phyſicæ, cui ſoli illi vacauerant, duas adieciſſe, rationalē ſcilicet & moralem Ipſe etiam Eccleſiaſtes in initio capitis ſeptimi videtur arguere Philoſophos, dicens: *Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm ignoret quid cōducat ſibi in vita ſua?* Tamen re vera non vituperat ſobriam Philoſophiam, ſed (vt ipſiuſmet verbis vtar) verba plurima, multam in diſputando habentia vanitatem. De ſecunda aſſertione plurimum altercatum eſt. Nam cùm fuerint penè innumeræ Philoſophorum ſectæ, quæ in tres primas differentias diſtributæ ſunt, Dogmaticorum, Academicorum, & Scepticorum. in Dogmaticis fuere Peripatetici, Stoici, Epicurei, Pythagoræi, & alij innumeri. Academici, Socrates, Plato, Clitomachus, & Carneales. Sceptici, Pyrrho, & Xenocrates, & Anaxarches Abderyta, & multò pòſt, Sextus in ea ſecta nobiliſſimus, qui eam etiam auxit. Galenus addit duplices alios Philoſophos, Contentioſos, ſcilicet, & Mixtos Contentioſos, dicit fuiſſe eos, qui nihil aliud quam ſuperiores eſſe cauillis contendebant: in his dicit fuiſſe Euclidem, Menedemum, & Clitomachum. Mixtos eos, qui partim Sceptici, partim Dogmatici fuere, vt Xenophanes, qui ſolùm aſſerens omnia eſſe vnum, & Deum eſſe finitum immutabilem, & ratione præditum, de aliis omnibus dubitauit: & Democritum, qui nulla alia de re ſuam ſententiam tulit, quàm de atomis, vacuo, & infinito. Cæterùm Contentioſos, ſatius eſt à numero

Philoſophiæ naturalis deſideriū.

Philoſophorum ſectæ.

De circulari motu.

Hoc quod Ecleſiaſtes obſeruauit, nihil aliud eſt, quàm quod Ariſt. in duobus vltimis capitibus ſecundi de ortu & interitu diſertè tradidit, puta circularem eſſe rerũ omnium mutationem, & hinc pendere mundi æternitatem, quoniam ſcilicet, ſola mutatio circularis poteſt eſſe perpetua. Partes ergo mundi quæ per ſe ſunt perpetuæ, vt Solem & alia corpora cœleſtia, nullam mutationem ſubſtantiæ ſubire, ſed circulo volui, accedereque & recedere, eadem numero ſemper redeuntia: quæ verò corruptibilia ſunt, fieri ſemper ex ſeipſis circulo naſcentia & intereuntia, numero ſemper alia, ſed ſpecie eadem, vt ex aere fit aqua, & ex aqua aer. Hunc generationum abeuntium & redeuntium circulum, quo mundus ſeruatur, innuit Eccleſiaſtes dicens, *Generatio præterit, & generatio aduenit* Conſiderandum verò triplicibus rebus conſtare mundum hunc, quibuſdam enim incorruptibilibus, vt cœleſtibus; quibuſdam ſecundùm ſe totas corruptibilibus, vt ſingulis brutis & arboribus: aliis corruptibilibus per partes, vt terra, mari, & toto aere, horum enim nullum ſecundùm ſe totum corrumpi poteſt, corrumpitur verò ſecundùm partes ſingulas. Corruptibilia primi generis, non aliter ſeruantur, quam ſucceſſiua generatione ſingularium, generatione ſcilicet prætereunte, & generatione adueniente. Terra autem & mare & eiuſmodi ſemper ſtant, etiamſi ſecundùm particulas præ ſua mole inſenſibiles, recipiant acceſſiones. Sol, & reliqua corpora cœleſtia, ſecundùm ſe tota & partes omnes inalterata, tantum mouentur circulo, qui motus ad aliorum corporum mutationes, rationem habent cauſæ. Quia enim hæc circulo voluuntur, illa circulari mutatione, hoc eſt, eiſdem ſpecie rebus abeuntibus & redeuntibus oriuntur & intereunt. Neque ſanè illorum cœleſtium corporum virtus æquè accedit ad omnia, quæ in generabilium & corruptibilium regione ſunt, ſed in his ipſis eſt ordo vt loci, ita & virtutis. Suntque alia aliis efficaciora & perfectiora, mutátque cœlum ipſum alia per alia, velut per tenuiora & ſuperiora, quæ craſſiora & inferiora ſunt. Proindeque dictum eſt Empedocli, terram & aquam materiam eſſe generabilium corporum. vt farinam & aquam, aerem verò & ignem efficientia magis quam accipientia eſſe, & virtutes præſtare magis quam corpora rebus generandis. Hæc igitur conſentaneum eſt accipere propriùs à cœleſtibus vim, quàm in humiliora tranſmittant. Argumento eſt, quòd cum inferiora, & denſiora, ſtent in ſuis locis firma (multóque magis terra) ſuperiora illa & tenuiora cum cœleſtibus voluuntur, & illorum perſequuntur motum. Aerem enim ſupremum, & qui iuxta cœlum eſt circulo

Mũdi partes triplices.

De elementis.

Aëris motus circularis.

circulo volui quotidiè vt ipſum cœlum, indicant cometæ, qui quaſi in ipſo eſſent cœlo, videntur aliquando circuire, ignem verò qui & per aerem & per reliqua omnia penetrat, vt omnium tenuiſſimum motum ipſius Solis tenere, & cum illo circuire, indicat calor qui lumini accedit ſemper, & tenebroſa deſerit, quaſi luminis comes indiuiduus Id enim eſt, quia ignis eſt aſſecla Solis. Vt igitur Solis circuitio cauſa eſt circuitionis huius ſubſtátiæ ſpiritalis, aereæ inquam & igneæ, ita & hæc ſpiritus circuitio, cauſa eſt generationum, & corruptionum, eorum quæ circa terram, & mare oriuntur & intereunt, atque in his, maximè ignis. huic enim, vt Ariſtoteles inquit, ſubſtrata ſunt omnia: vt materia, illeque ſuo calore efficit omnes naturales ortus, eſtque, vt in hoc ipſo opere anteà interpretati ſumus, ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas, & fœcundabat omnia. Breuiſſimè igitur Eccleſiaſt. complexus eſt totam de ortu & interitu tractationem, dicens, mundi huius perpetuum ductum ſeruari, aliis ex aliis rebus circulo genitis, & generatio ſucceſſiua rerum numero diuerſarum, ſpecie ſimilium, itaque generatione prætereunte, & generatione adueniente: cauſas verò huius comunicationis rerum eſſe, quòd terra ſemper ſtat in medio mundi firmata (intelligitur verò terræ nomine, totus eius globus, qui terra & aqua conſtat) & circa eam voluuntur circulo cœleſtia, & ſpiritualia tenuiaque corpora, his enim (cœleſtibus inquam & ſpiritalibus) facientibus, & illis (craſſis ſcilicet elementis) recipientibus, ortus & interitus fiant. Vt verò hæc recipiant, & illa faciant, nihil magis conſentaneum, quàm vt illa circumeant, & hæc firma ſtent, ſiquidem efficientem cauſam oportet accedere ad materiam, nulla autem ratione acceditur melius quàm materia quieſcente, & effectrice cauſa accedente omnem in partem, omnem verò in partem non aliter acceditur, quàm circumeundo.

Quapropter faceſſat iam hinc quorundam veterum ſententia, & Copernici argutics, terra enim ſtat, & Sol circuit. Neque verò ipſa cœleſtia corpora & tenuia elementa, æquè pertinent ad effectiuas cauſas, ſed cœleſtia efficiunt ſolùm, elementa tenuia efficiunt multò magis quàm craſſa, ita tamen vt accipiant nonnihil, materiáque ſint, alioqui non eſſent elementa. Neque ipſa cœleſtia inter ſeſe, neque tenuia elementa habent pares efficiendi vires, ſed in illis Sol, in his ignis præcipua ortuum & interituum cauſa eſt, proinde Eccleſiaſtes patiendi principium in terra quieſcente, efficiendi verò in Sole, & ſpiritu, hoc eſt, igne, circulo lactis poſuit. Eam verò eſſe vtilitatem *Copernici reprehenſio.*

circu

circularis lationis,vt effectrix cauſa ad omnes materiæ partes accedat, apertè inſinuant illa verba, *Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus.* Nihil eſt enim aliud, quàm ſi diceret, in circuitu pergit, vt luſtret vniuerſa. Porrò nos anteà, ſuper cap.39.Deut. ex loco & motu Solis, Dei ſapientiam commendauimus, & admirati ſumus, qui ita illum cœlo locauit, eumque motum tenere iuſſit,vt nulla ſe mundi pars abſconderet à calore eius.

Solis circuitione.

Verùm quod de Solis motu hoc loco dicit,non exiguam ingerit difficultatem. Nam,inquit,*gyrat per Meridiem,& flectitur ad Aquilonem.* Videtur autem hoc non ita habere. Nam Aquilo eſt ea cœli pars à qua flat Boreas, qui & Aquilo dicitur. Ea verò eſt vbi ſitus eſt polus. Sol verò circuit circa polum, ita vt polus centrum ſit eius circuli quem Sol deſcribit,non poteſt ergo verſus polum flecti,ſiquidem circuli partes omnes diſtant à centro æqualiter. Neque verò hîc poſſis dicere quod D.Thomas Aquinas ſuper Iob dicit, Aquilonis nomine ſignificari hemiſphærium quod ſupra noſtrum Orizontem eſt, & huic oppoſitum dici Meridiem. Quin potiùs, meo iudicio, hinc conſtat, non eſſe illam legitimam interpretationem. Nam quis non dicit Solem gyrare per Meridiem, cùm horas nobis exhibet meridianas: conſtat verò horis meridianis ſupra noſtrum Orizontem eſſe Solem. Meridies igitur pars noſtri hemiſphærij eſt, non quid huic oppoſitum. Quid ergo dicas? quo pacto flectitur ad Aquilonem? Videtur ſanè hoc dictum iuxta ſententiam quorundam veterum, qui, vt Ariſtot. cap.1. ſecundi Meteor. narrat, cenſebant totum mundum ſecundùm Septentrionalem partem in ſublime aſſurgere, ſecundùm Meridionalem verò demiſſum eſſe, idque non ſolùm in cœleſti, ſed in terreno etiam globo. Itaque habere terreũ globum ad Septẽtrionalem partem velut gibberũ quendam prægrandem,extare enim ad eam partem, & ad meridionalem nutare, Solemque non ſub terram, ſed circum terram, & hunc Septentrionalem locum circumferri. Itaque diem eſſe cùm per meridiem circuiret, noctem verò cùm deflectens ad Septentrionem, illo velut terræ gibbero occultaretur.Videtur itaque illi ſententiæ locus hic fauere. Sed & quod ponunt, aliique quàmplurimi veteres putauerunt, Septentrionalem cœli partem aliis omnibus eſſe ſuperiorem, videtur ex ſacris poſſe recipere confirmationem, ſiquidem Eſaiæ 14. capite ita dicitur ex perſona ſuperbiſſimi. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum,ſedebo in monte teſtamẽti in lateribus Aquilonis,*quaſi

ſcilicet

ſcilicet, Aquilo excelſior cœli pars ſit. Verùm tamen hoc falſum eſſe, neque vllam mundi partem eminere aliis, eò quòd in perfecta ſphæra omnes extremitatis partes diſtent æquè à medio, indicatum anteà eſt ſuper capite trigeſimoſeptimo Iob. Porrò dicere Solem illo modo circuire, hominum eſt ignorantiſſimorum Aſtrologiæ. Nam cùm Sol moueatur motu diuino cum toto cœlo, niſi moueretur qua nos dicimus, ſupra & infra terram, non poſſent poli eſſe, vbi eſſe nunc ponuntur, ſed mutato circulo mutari oporteret polos, at verò polum eſſe vbi nunc ponitur, declarant ſtellæ omnes fixæ, quæ quò longiùs abſunt ab illo puncto, eò maiores deſcribunt circulos, & quò accedunt propiùs, minores, adeò vt ſint nonullæ æternæ apparitiones. Itaque falſum eſſe illud dogma, ex dictis apertè deprehenditur: quapropter non licet ſecundùm illud ſacra verba interpretari, ſed quæ ex Eſaia produximus verba ſunt Regis præ ſuperbia inſanientis, affectantiſque ſedes æthereas, ac ſoliū ſuum collocare in Aquilone, quæ pars deſpectanti à terra videtur eſſe ſummus cœli apex, quia in medio aſtrorum omnium eſt, & circum quam Sol, & Luna, ac reliqua Aſtra omnia tam errantia, quàm fixa, videntur choreas ducere, non tamen proinde excelſior eſt aliis, neq; quidem poteſt in corpore perfectè ſphærico. Quo pacto autem vera ſint præſcripta nunc de Solis circuitione verba, iam dicamus. Certè illa in ſphæra recta & ſub æquinoctiali vera non eſſent, ibi enim Sol aut per ipſam lineam fertur æquinoctialem, neque in vllam mundi partem flectitur: aut vltra citráve eam lineam, ita tamen vt quotidiana circuitione eam non interſecet, non interſecant autem in contrariam mundi partem flecti nō poteſt. At verò in ſphæra obliqua, qualis eſt hæc quā incolimus, & Syria, vbi hæc ſcripta ſunt, quinimò & vbi inter tropicum Cancri & circulum Arcticum (vltra quos fines nihil habitabile putabat antiquitas) veriſſimum eſt, quotidie Solem gyrare per Meridiē & flecti ad Aquilonem. Nam quacunque die conuertat homo faciem ad eam partem qua oritur Sol, & inde ducens per ſuum centrum lineam, deſcribat circulum magnum, & imaginatione ſecet mundum in duas partes æquales, eam mundi medietatem ad quam ſpectabit ſua dextra, vocabit Meridiem ad quam ſiniſtra Septentrionem aut Aquilonem, quia habebit polum à ſiniſtris, & à dextris meridianum motum Solis: quotidie autem Sol poſtquam gyrauerit per Meridiem, interſecans illum magnum circulum (qui eſt linea longitudinis) flectetur ad oppoſitam cœli medietatem, quare flectetur ad Aquilonem. Interſecare autem eam lineam quotidie, conſtat, quia Sol cùm fertur per Duæ mūdi partes.

æqui-

æquinoctialem, deſcribit magnum circulum, duo autem circuli magni non poſſunt non interſecare ſeſe per medium: cùm verò recedere ab æquinoctiali non poſſit Sol, niſi per triginta gradus, & obliquitas ſphæræ dictis in locis maior ſit (quod eleuatio poli ab Orizonte indicat) fit vt nunquam percurrat Sol circulum, qui non interſecet circulum illum magnum, etſi non per medium, & in partes æquales. Si autem interſecat, certè flectitur antequàm perficiat diurnum motum ad oppoſitam medietatem, & quæ ſpectat ad Aquilonem. Veriſſime ergo Sol ex quo naſcitur, gyrat per Meridiem, & deflectens ad Aquilonem redit in locum ſuum. Quòd verò omnis locus citra tropicum Cancri habeat obliquitatem maiorem, quàm ſit ſummus Solis receſſus à linea æquinoctiali, conſtat quia duo tropici æquè diſtant ab illa linea, & circuli Arcticus & Antarcticus à polis; habebit ergo regio quæcunque tantò plus obliquitatis quàm id ſpatium ſit, quantum diſtat ab ipſo tropico, quod omninò ſit aliquid, ſi citra illum ſita eſt.

CAPVT LXIII.

IN eodem cap. 1. Eccleſ. ita habetur: *Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant.*

Mare cur non creſcat.

Antiquam hæſitationem vocat Ariſt. in 2. cap. 2. Meteor. cur mare non redundet, neque verò ſentiatur augeri, tametſi multitudo ingens tantæ magnitudinis fluuiorũ in ipſum continenter influat. Nimirum inde licet intelligere, eam quæſtionem ab antiquiſſimis etiam Philoſophis agitatam eſſe, cuius deciſionem conſtat pendere ab ea opinione, quam quis habeat de fluminum generatione, & hanc à generatione fontium. Siquidem videmus (neque dubium) flumina à fontibus incipere, & acceſſione fontium & riuulorum augeri.

De fluminibus.

Qui igitur cenſebit fontes ex ingenti illo barathro, & aquæ (vt ita dixerim) immenſitate, quæ intra terram eſt, regurgitare, partim per patentes quoſdam poros, velut per quoſdam cuniculos, partim per ſolidam ipſam terram excolatos, dicet (quod in præſcripta oratione legimus) mare non redundare, quia quantum alia parte accipit, tantundem alia dimittit. Cuius ſententiæ Plato eſt in Phædone, vbi differens de magno illo barathro, inquit: *In hoc vtique receptaculum omnia confluunt flumina*

flumina, atque inde rurſus effluunt. Ariſtotel. verò, qui de generatione fontium aliter ſtatuit, putat illos non ex vno communi principio fluere, ſed noua aliqua genetatione fieri, ſuo in loco vnumquemque, meritò videtur refutare eam quæſtionis antiquæ deciſionem, & excogitare aliam. Nimirum ipſe cenſet in terræ cauitatibus gigni aquam, aëris, & vaporum qui illic ſunt copioſi, congeſtione, ibique multarum guttularum continenti concurſu, riuulos gigni, qui per meatus aliquos erumpentes fontes dicantur, quorum rurſus coitione fiant flumina quæ per terram decurrant vſque ad mare; hoc verò ob ſuam vaſtitatem, non videri acceſſione fluminum augeri, eſſe enim perinde ac ſi per ampliſſimam menſam effundas aquæ cyathum. Differendum igitur in primis videtur de fontium generatione, vtro dictorum modo fiant, & an eodem modo omnes, deinde ad antiquæ dubitationis ſolutionem veniendum. Ariſtoteli videtur fieri non poſſe, vt fontanæ fluuialeſque aquæ effluant ex mari, cùm in illud influāt quia cū aqua moueri nullo modo poſſit, niſi ab editiori in humiliorem locum, fieri non poteſt, vt in eumdem locum influat à quo effluxerit, quia erit idem locus ſeipſo eminentior, & humilior. Quæ cauſa eſt, vt non poſſint arte fieri vlli fontes perpetui, præcipuè non accedente vacui neceſſitate, quæ certè in terræ cauitatibus non accederet, quia poſſunt facilè repleri aëre. His poſſis addere tam inſignem aquarum fontanarum è marina differentia, ſi enim ex mari vt ex communi alueo omnes fluerent, viderentur & ſui, & maris futuræ ſimiles, nunc autem & à ſeipſis diſſident multùm, & à mari quamplurimùm, cùm paucæ ſalſæ ſint. Cùm igitur hic modus generationis fontium his argumentis videatur tolli, ſupereſt alter, ex vaporibus ſcilicet, & aere denſatis intra terræ cauernas generari denuò aquam, quæ per quoſdam hiatus exiens fons dicatur, atque deinde aliorum acceſſione increſcens, etiam fluuius. Quam ſententiam confirmat Ariſtot. dicens hac cauſa ad radices montium oriri ſemper fontes, neque in media planitie humilium vallium, neque in ſummis montium cacuminibus, quòd ex ſublimium partium cauitatibus ad humiles guttatim deſtillet aqua, atque ſtellarum concurſu colligatur. Cæterùm ſi quis rectè conſideret, videat argumenta quæ contra aliam ſententiam dicuntur eſſe ſolubilia, & quæ in huius confirmationem communia. Nam primo illo (quod & maximum eſſe videtur) non fit, vt non poſſit aqua influere in eundem locum à quo effluat, ſed vt non ſecundùm eandem partem. Quid autem prohibet mare,

Fontium generatio.

Differētia aquarum.

adeò vaſtum cùm ſit, & immenſæ profunditatis, ſecundùm aliam partem recipere influentes aquas, ſecundùm aliam demittere effluentes? nimirum in arte factis fontibus machinari conantur, vt idem congus circulo quodam influat, & effluat. At verò in mari non ita euenit, neque eadem aqua quam in mare deponit Tagus, redibit, inquam, in eiuſdem fluminis exortum, ſed in mare deponit, & ex barathro illo immenſo quod intra terram eſt exhaurit. Sed dices quo pacto exhaurit? certè vt in hominis corpore, magna ſanguinis copia in hepate eſt, & corde, decurrit verò inde per totum corpus per quoſdam anguſtos canales, quos vocamus venas, ita intra terram maximæ quædam cauitates ſunt aqua plenæ, indeque per quoſdam cuniculos, ſeu mauis, per quaſdam venas decurrit per totam terram, vſque ad eius extremitatem, atque vbi euenit venarum aliquam ruptam eſſe, aut hiare, fons fit maior aut minor, vt ipſa eſt vena, aut hiatus. Atqui hoc ita ſe habere, apertè indicant verba illa cap. 7. Geneſeos, *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi*, hoc eſt, omnes fontes, qui ex ingenti aquæ abyſſo (hoc eſt, quod Poëtæ barathrum vocant, ſeu tartarum) procedunt, ruptis venis eruperunt, & ita effuſa aqua abyſſi inundauit terram, vt ſi quis ruptis vbique venis exhauriat ſanguinem hepatis, ac totam corporis cutem commaculet. Sed dices perſtans adhuc in primo argumento, quandoquidem ex terra & mari vnicus conſtat globus fieri non poſſe, vt aqua per illos meatus, ſiue canales, ſupra globi illius extremitatem, ſeu ſuperficiem efferatur, ferretur enim ſurſum ſublimior fiens toto mari à quo naſcitur, nullatenus igitur efferri poteſt in montes, ex mari & reliqua terræ planicie ſublimiores, at verò plerique fontes deſcendunt ex ſupremis montibus, decurruntque in terræ planitiem, ac per eam in extimam ſuperficiem maris: non igitur ex mari veniunt, ſed in ipſis montibus generationem habent, non aliter ac pluuiales aquæ in nubium regione. Non eſſet (arbitror) quod reſpondere poſſemus, ſi mare, & tota aquæ moles in ſuo loco conſiſteret firmiter, vt terra, neque agitaretur hac & illac ab vlla alia cauſa, quæ accederet. Nunc autem non ita fit, quinimò videmus mare aſſiduè agitari, nunc quidem ſtato quodam ordine tumeſcens, & detumeſcens, nunc temerè per tempeſtates inſanas vſque ad nubes elatum, & rurſum ſubſidens, quos motus, vix dubitare quiſpiam poſſit, ad concluſos intra terram, & aquam flatus referri. Nam aduentante

Abyſſus.

tempe

tempeſtate, antequam per apertum aërem ventus reflet, ſentitur intrinſecus aqua agitari, & cum ipſo maris æſtu quotidie aduentat aura quædam, ex aqua impetu interni flatus agitata, erumpens. Quale igitur hoc eſſe, videmus, circa hanc extimam ſuperficiem tale quiddam neceſſe eſſe intra terram in contrarias partes fieri: agitari igitur interiùs aquam à flatu, & à barathro per terræ cuniculos in partes mari etiam ſublimiores efferri, partim quidem ab impellente flatu pulſam, partim etiam ab erumpente, quærentéque exitum tractam, vt eſt ſcilicet via. Cùm igitur hoc ita habeat, putandum eſt, eſſe in ſupremis terræ partibus cauitates quaſdam, quæ cùm aqua agitata eò vſque pertingit, replentur ſupernè, & cum reliqua aqua retrocedit quæ eas repleuerat, manet velut in ventribus quibuſdam ſenſibilibus, à quibus per terræ rimulas defluens, in mare iterum recurrit. Neque verò non erunt hoc modo fontes perennes, nam inundationes illæ ſubterraneæ tam repetunt crebrò, aqua nunquam manente, ſed ſemper agitata, vt antequam ventres illi exhauriantur, anticipent repleri. Sunt verò flatus, & aqua ſibi mutuò cauſa agitationis, nam aqua deorſum cadens illum premit denſatque, ille plus ſatis compreſſus, & quærens laxamentum, illam trudit, hiſque mutuò fientibus, ſunt intra terram magnæ turbationes, vt & in animalium ventre (vt in dicta perſtemus comparatione) euenit, humores & flatus ſurſque deque verſari, quia & craſſiſſimas fæces à flatu ſolent vſque ad ſupernum ventriculum, ab imo ventre efferri. Hac igitur terræ mariſque diſpoſitione, ſapientia Dei librabat fontes aquarum, hoc eſt, ita aquas diſponebat alias partes eleuans ac ſuſpendens, alias deprimens, vt nunquam ceſſaret fontium fluminúmque decurſus, quibus, velut verbis, terra omnium mater, animantia omnia potaret, & ſatis omnibus, ac fonte naſcentibus alimenta præberet, vt inquit Philo.

Mare cur agitetur.

Flatus agitationis cauſa.

De hac aquarum diſpenſatione gloriatur ipſa Sap. c.24. dicens: *Ego ſapientia effudi flumina. Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio, ego quaſi fluuius Dorix, & ſicut aquæductus exiui de Paradiſo. Dixi, Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus eſt mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.*

Hæc verba haud dubiè innuunt dictam aquarum diſtributionem. Quod ipſarum ſi tam ampla differentia, facit percolatio. Nam & Ariſtoteles ipſe dicit, demiſſis in mare vaſis cereis extrahi dulcem aquam, tamen quod percoletur quod dulce

& potulentum eſt ſalſis & terreis extra relictis. Quin & terrea, ac lapidea quædam vaſa ſunt, per quæ excolata aqua redditur melior, ex corpore verò, per quod permeat, ſemper aliquid trahit. Quid ergo prohibet hoc idem excolanda per terram aqua fieri? Accedit, fontes non exire ex maris conſpicua parte, ſed ex barathro, quod quia intra terram reconditum eſt, neque ita à Sole exuritur, minus erit ſalſum. Hæc igitur argumenta debilia ſunt. Illud verò commune, naſci plerunque fontes ad montium radices. Dico autem commune, quia ſecundùm vtramque opinionem idem euenit, nam cùm aqua naturaliter feratur deorſum, etiamſi rumpatur vena, non decurret per terram niſi rumpatur in montibus, neque quidem in ſuprema eorum planitie, ſed qua iam declinant. Alioqui ruptura venæ in locis planis fiunt putei. Hæc igitur Platonis ſententia, quæ adeò conſonat ſacris oraculis, nihil videtur admittere incommodi. An verò & Ariſtoteles adeò probabilis ſit, expendendum, non enim videtur. Nam ſi fontanæ aquæ perinde generantur in terræ cauernis, vt pluuiales in nubium regione, eueniret certè in illis, quod & in his, ſcilicet, neque eſſent perennes, neque eiſdem in locis ſemper fierent, ſed vt pluuiæ in certis fierent temporibus & locis. Prætereà nubes fiunt ex aëre & vaporibus loci frigiditate craſſeſcentibus, cauernæ verò terræ non ſemper frigidæ ſunt, ſed in æſtate ſolùm, quare in hyeme cùm ſunt calidiſſimæ, vt & animalium ventres non manarent fontes, ſed ſolùm in æſtate, euenit verò contrà omninò, per hyemem enim fluunt abundantiùs, per æſtatem extenuantur omnes, & areſcunt plurimi. Quòd ſi dicas non gigni eam aquam craſſeſcente aëre à frigore, ſed congeſtione vaporum à calore reſolutorum, vt in operculis ollarum ex aqua feruente, eueniret contrà, vt per æſtatem nulli fontes fluerent, cùm totus calor ſit extra terram, vt verò fluunt plurimi, iique frigidiſſimi, ac nonnulli etiam ſunt qui obturati per hyemem, fluunt æſtate ſolùm. Quòd ſi dicas, æſtate fieri refrigeratione, hyeme congeſtione reſolutæ calore aquæ, præterquam quòd videtur figmento ſimile, non eandem eſſe toto anno fontis perennis generationem, eueniret vt Vere & Autumno minùs, tenuiuſque fluerent quàm hyeme & æſtate, cùm ſcilicet neque frigus eſſet tantum, & craſſitiem inferret, neque tantus calor, vt ſolueret aquam in vapores, itaque haberent fontes quotannis duo incrementa & totidem decrementa. Tamen non ita euenit, ſed vniuerſum cùm ignis abundat, decreſcit tota aquæ moles, cum extenuatur ignis, abundat aqua. Quapropter cùm fontes ac flumina, ex tota aquæ mole,

Fontes vnde.

&

& ingenti illo barathro (quod nihil aliud eſt quam recondita maris pars) decidantur ; tabeſcunt cùm præualent calor & ſiccitas, abundant cùm contrariæ virtutes, hoc eſt, frigus & humor præcedunt. Conſtat igitur ex dictis, veriſſimum eſſe quod ſacra teſtantur eloquia, fontes aquarum naſci ex abyſſo. Quid verò magis conſpicuum in quibuſdam & fontibus & puteis, qui cum ipſo mari ſentiunt fluxum, & refluxum, quem æſtum dicimus? cur autem non omnes, & cur eorum qui vt mare æſtuant, quidam augeſcente mari augeſcunt, ſubſidente ſubſident, quidam intumeſcunt detumeſcente, & tumeſcente detumeſcunt? Dictæ ſunt cauſæ ſuper caput trigeſimum octauum Iob, nunc illud vnum dicimus, conſentaneum admodùm eſſe putare, eos fontes, qui ſimul cum mari mouentur, ab eodem principio impelli, haberéque cum mari partium continuitatem, quam niſi per barathrum, habere nequaquam poſſunt. Porrò, quod in quibuſdam fontibus euidenter agnoſcitur, de omnibus æquum eſt putare, exire ſcilicet, ex communi aquarum principio, mari. Neque verò hoc verum non erit etiamſi excolatæ per terram aquæ ex mari, acceſſio aliqua fiat ex vaporibus, ſiue denſatis, ſiue congregatis; nam & vapores ipſi ex aqua fiunt. Vt igitur deſtillantem ex alambico aquā, nemo negat exire ex herbis quæ in illius fundo ſunt, etiamſi intercedat reſoluti congeſtio, ita ne illam quidē aquæ partem, quæ fontibus & fluminibus accedet, ex vaporibus genita, ſiue intra terram ſiue in nubium regione negandum à mari exire, illud enim eſt totius humiditatis promptuariū. Fatendum ergo omnia flumina à mari exire, & in illud reuerti, quod, præter dicta, vel facilis expeditaq; antiquæ dubitationis dilutio indicat, nimirum mare, etſi in illud flumina intrent omnia non redundat, quia ab illo etiam exeunt. Nam quam Ariſt. reddidit cauſam, minùs probari poteſt. Qua enim vaſtiſſimum eſt mare, & influentia flumina non vna in parte aceruantur, ſed diffunduntur per illud extenſa, putat facere, neque ſenſibilem vllam molem poſſe addere. Quod quidem ſi vno tantùm die, aut vno menſe, aut etiam vno anno, aut, ſi placet, annis centum fieret, probabiliter diceretur, ſi tamen infinito iam tempore (vt ipſemet author putat) influxerunt, neceſſe eſt plus aquę quàm totū ipſum contineat mare, ingeſſiſſe, atq; ita redundaſſe iam multò antè in totā terram. Neq; ſi dicas, mare Solis vi ad Meridionalem plagam aſſiduè abſumi plus quàm acceſſione fluuiorum poſſit augeri, effugies dubitationem, non enim minùs augetur ipſum per ſe mare ſub polis, quàm extenuatur ſub Zodiaco, quapropter illis exæquatis, redundabit quod ex flu-

Fontium & puteorū æſtus.

amatores ſapientiæ, potiùs quàm σοφοὶ, id eſt, ſapientes. Non enim tam ſciunt, quàm ſcientiæ amore capti inueſtigant. Propoſitæ itaque ſunt duæ aſſertiones. De prima quidem omnes conſentiunt, ſiquidem eum appetitum omnes perſentiſcunt in ſeipſis. Vnde quidam naturam ſequuti, Philoſophiæ vacant, alij eam naturam in vitium commutantes, in curioſitatis peccatum incidunt vana & ſuperſtitioſa conſectantes. Veriſſimè itaque dictum eſt illud ab Ariſt. *Omnes homines naturales ſcire deſiderant* Vt itaque vitam & fœlicitatem (quamquam de ea varie ſentiunt) omnes naturaliter exoptant, ita & ſcientiam natura quam in parte fœlicitatis etiam ponunt, iuxta illud Poëtæ: *Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.* Obiiciet fortaſſe aliquis Socratem, qui hanc Philoſophiam videtur ſpreuiſſe, & eam ſolùm probaſſe, quæ ad mores formandos pertineret. Cæterùm ſi conſulamus Galenum in libro de hiſtoria Philoſophica, intelligimus facilè, eum virum non neglexiſſe eam Philoſophiæ partem, quam meliùs etiam, quàm multi aliorum excoluit, ſed damnaſſe ſuperiorum Philoſophorum inſtitutum, qui in ea ſuorum ſtudiorum ponebant finem, & vni Philoſophiæ parti Phyſicæ, cui ſoli illi vacauerant, duas adieciſſe, rationalē ſcilicet & moralem. Ipſe etiam Eccleſiaſtes in initio capitis ſeptimi videtur arguere Philoſophos, dicens: *Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm ignoret quid cōducat ſibi in vita ſua?* Tamen re vera non vituperat ſobriam Philoſophiam, ſed (vt ipſiuſmet verbis vtar) verba plurima, multam in diſputando habentia vanitatem. De ſecunda aſſertione plurimum altercatum eſt. Nam cùm fuerint penè innumeræ Philoſophorum ſectæ, quæ in tres primas differentias diſtributæ ſunt, Dogmaticorum, Academicorum, & Scepticorum. in Dogmaticis fuere Peripatetici, Stoici, Epicurei, Pythagoræi, & alij innumeri. Academici, Socrates, Plato, Clitomachus, & Carneades. Sceptici, Pyrrho, & Xenocrates, & Anaxarches Abderyta, & multò pòſt, Sextus in ea ſecta nobiliſſimus, qui eam etiam auxit. Galenus addit duplices alios Philoſophos, Contentioſos, ſcilicet, & Mixtos. Contentioſos, dicit fuiſſe eos, qui nihil aliud quam ſuperiores eſſe cauillis contendebant: in his dicit fuiſſe Euclidem, Menedemum, & Clitomachum. Mixtos eos, qui partim Sceptici, partim Dogmatici fuere, vt Xenophanes, qui ſolùm aſſerens omnia eſſe vnum, & Deum eſſe finitum immutabilem, & ratione præditum, de alijs omnibus dubitauit: & Democritum, qui nulla alia de re ſuam ſententiam tulit, quàm de atomis, vacuo, & infinito. Cæterùm Contentioſos, ſatius eſt à numero

Philoſophiæ naturalis deſideriū.

Philoſophorum ſectæ.

Philoſophorum reiicere, & Sophiſtas appellare: mixtos verò intelligere cum prioribus. Cum itaque fuerint triplices Philoſophi, Dogmatici, Academici, & Sceptici, ſoli Dogmatici affirmare quædam auſi ſunt, atque ſua placita quaſi certa & ſtabilia pronunciare.

Academici, nihil certò ſciri poſſe, ſed ad veriſimilitudinem quandam, & probabilitatem poſſe procedere diſputationes. Sceptici, nihil de vlla re affirmantes, neque negantes de omnibus æquè dubitant. Atqui, ne illud quidem, an ſciri poſſet quidpiam, an non, affirmabant, aut negabant, ſed in ore ſemper habentes illa familiariſſima verba, *Nihil definio, & nihilo magis, & fortaſſe, & fieri poteſt, & ἐπέχω*, quaſi ſubtraho iudicium, aut vtentes aphaſia, & acriſtia, hoc eſt, taciturnitate, & incertitudine, iudicare recuſabant. Verum enim verò ſi quis Epoches. conſideret, quos illi vocabant modos Epoches, ſiue cauſas ob quas retineri ſemper debeat aſſenſus, facilè intelliget. Scepticos, multò etiam magis quàm Acadamicos, deſperaſſe aliquid ſciri poſſe. Modi enim illi Epoches, ſunt argumentorum genera, quibus indicatur, non ſolùm nullius rei comparatam adhuc eſſe ſcientiam, ſed ne fieri quidem poſſe deinceps. Veterrimi Sceptici decem modos Epoches excogitauerunt, poſteriores adiecerunt quinque. Quibus rurſum alij alios duos. Quos omnes licet videre in libro Pyrrhonicarum Hypotheſeon Sexti Philoſophi, & in Pyrrhonis vita apud Diogenem Laërtium. Mihi ſatis ſit eorum nonnullos proferre quibus maximè quod propoſitum eſt indicetur. Redigunt illi omnes illos modos in tres, quos eſſe dicunt, à cognoſcente, & ab eo quod cognoſcitur, & ab vtroque: in modis à cognoſcente eſt differentia organorum ſenſuum, quæ eorundem ſenſibilium facit adeò diuerſas phantaſias, vt nequaquam conſtare poſſit quid rei inſit verè, quid tantùm appareat. Differentia verò ſenſuum, eſt in differentia multiplici animalium, & ipſorum hominum inter ſe, & affectionum multiplicium, quibus eiuſdem hominis eadem pars variè ſemper afficitur. Nam cùm experiamur, mel videri mihi album & dulce, ictérico flauum, & amarum, & eidem homini eundem cibum, nunc eſſe ſuauem, nunc ingratum, quòd homo affectus morboſa diſpoſitione ſit, ſed & ſine omni præter naturam affectione, quòd eſuriat, aut ſatur ſit, cumque eadem res appareat illi rotunda, huic oblonga, huic ſimplex, illi gemina, quòd pupillæ figura mutata ſit, aut quòd altera ab altera pupilla deſciuerit, conſtat futurum, vt neque omnibus animantibus res appareant eædem, ſed quæ aliis albæ, aliis pallidæ, aliis rubræ: quæ aliis rotundæ, aliis angulatæ, ita

ita etiam dulces, amaræ, ſalſæ, aut acidæ. Nimirum eſt compoſitio & temperies animalium multiplex, atque adeò organum viſus, qui putatur eſſe perſpicaciſſimus ſenſus, & ad conſequendam certam rerum notitiam optimus, habet miram varietatem, quotuplices enim ſunt colores oculorum? Si igitur differentia organi ſenſus facit eiuſdem rei diuerſam phantaſiam, animalia verò omnia differunt ab aliis omnibus cõpoſitione & temperie omnium organorum, & ſinguli etiam homines ab aliis omnibus nonnihil, & ſinguli bene valentes ab ægrotantibus, & ipſimet bene valentes a ſeipſis nondũ ægrotantibus, ſed naturaliter mutatis, per ætates, per animi motus, per caſu incidẽtes cogitationes, per corporales motus, vt quòd ambulauerit, aut ſederit, comederit, aut biberit, aut abſtinuerit, dormiuerit, aut vigilauerit, ſine vllis autem mutationibus, ne minimum tempus poteſt homo perſiſtere, certè nihil poteſt vniuſmodi apparere, neque diuerſis animantibus, neque hominibus multis, neq; eidem alio tempore, ſed quod huic animali tale, illi alterum, huicque homini & illi, ſed & huic hodie & cras, atq; adeò veſperi & manè. Vt autẽ hoc in externis ſenſibus, ita habet in internis. Nam non minorẽ eſſe differentiam iudiciorum quàm ſenſuum, conſtat cùm vix duobus hominibus eadem res placeat, ſed quod alius probat, alius maximè deteſtetur, & eadem de re alius lætetur, alius mœreat, alius iraſcatur. Quin & idẽ homo eiſdem verbis nunc iraſcitur, quibus nuperrimè placabatur. Atq; adeò de eadem re interrogati, vt an hoc honeſtum ſit, an turpe, vix duo homines eadem reſpondeant, non ſolùm è vulgo, ſed & ex iis qui cenſentur ſapiẽtiſſimi. & quod magis mirere, idem homo nihilo factus doctior, aut indoctior, eadem de re mutat ſententiam, ſine nouis nonnunquam argumentis, ſed quò ipſi eadem prorſus nunc diſpliceant, quæ placebant anteà, vſque adeò videntur in nobis omnia continenter mutari & rerum earundem mutare phantaſias. Igitur à natura cognoſcentis accepto argumento videtur nullius rei certam & ſtaturã haberi poſſe notitiam, ſed cẽſeri omnia qualia apparent, qualia autem ſint vera, nos ſcire haud poſſe. Ab eo etiam quod agnoſcitur, capitur ſimile argumentũ. Eadẽ enim res, ſecundùm ſubſtantiam prorſus nõ mutata, ſed quod alio modo obiiciatur, eidem homini & eodem tempore, videtur diuerſa. Nã res quamplurimæ alio colore eſſe videntur integræ, alio comminutæ. Argenti certè fruſtum candidum videtur, eius verò ramenta nigra. Aqua etiam, quæ nunc nigra nunc decolor eſſe videtur, concreta in glaciem fit candidiſſima. Lapis quoque Tenarcus eſt viridis, & comminuti particulæ

Tẽperies multiplex.

Tenarcus lapis.

quam vocant intuitiuam,quia nulla via eſt ad intellectum niſi per ſenſus,ſenſus verò patibiles rantum percipiunt qualitates. Accidētiū haberi poteſt notitia per ſe:ſed ob inſtabilē ſenſuū & ſenſibiliū naturā,& ſentiendi modum,nūquam exacta. Porrò aſſertiones quædam ſunt per ſe notæ,quarū aſſenſus natura nobis inſitus eſt,aliæ verò ſunt quarum ex primis mōſtratorię colligūtur.Primarū habetur ſciētia naturalis,aliarum verò ratiocinādo conquiſita Huiuſmodi ſunt pleræq; Mathematicarum theſeō , quia de immaterialibus prorſus rebus enunciantur. Eorum verò quæ in opinione verſantur , cuiuſmodi ſunt omnia Phyſica problemata,conſtat nullum prorſus ſciri poſſe, quia ſi quodpiam illorum ſciretur, accedēte ſciētia tolleretur omnis opinio, ſublata omni obſcuritate.& incertitudine, quæ non poſſunt abeſſe ab opinione.Non ſolum autem non eſt hactenus comparata ſcientia Phyſicarum aſſertionū,ſed ne cōparari quidē poteſt,quia Phyſicus non abſtrahit à materia.Materialium verò notiria cùm pertineat ad ſenſus,non poteſt vltra opinionem procedere. Scientia enim eſt vniuerſalium & intelligibilium.Itaque Phyſicus,quantumuis laboret,non poteſt ſuarum theſeon ſcientiam comparare. non tamen proinde debet more Pyrrhonicorum dubitare de omnibus,ſed probabilioribus aſſentiri. Magna enim ſtupiditas eſt , putare omnium orationum contrariarū eſſe parem vim etiamſi vbi probabilis eſt contradictio, neutri licet citra dubitationem aſſentiri. Sed dices, ſi nō poteſt homo rerum naturalium ſcientiam aſſequi, quorſum eum appetitum Deus illi inſeuit?an tantùm vt cupiditate , cum deſperatione torqueretur ; non quidem, ſed primùm ſane(vt in præſcriptis oraculis legimus) vt occuparentur in ea, vt ſcilicet honeſta & laborioſa occupatione detenti minùs vacarent criminibus.Deinde & ob aliam quoq; longe potiorem vtilitatem , ſcilicet vt non inueniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.Itaq; datus eſt homini is naturalis appetitus , mundúſque in diſputarionem , vt ſemper quærēs,nunquā inueniat cauſas operum Dei. Sed quæ hinc vtilitas? maxima. Ex nulla enim contemplatione potiùs quàm hac,venire poſſit homo in cognitionē *Dei*,& futurorum bonorum,neq; aliūde capitur melius argumentum.Cùm enim homini ſit ſcientiæ de natura appetitus naturalis , talis verò appetitus nō poſſit eſſe impoſſibilium (quia omnis talis naſcitur ex priuatione & potentia) conſtat eum talem ſcientiam conſequi poſſe omninò. Quare ſi in hac vita,ac ſenſuum horū miniſterio nō poteſt,ſit vt illū maneat vita alia beatior,in qua à perpetua, qua in hac torquetur ſiti,ſit ſatiandus, cum ſcilicet

Phyſica cur ignorentur.

Phyſicorū vtilitas.

apparuerit

apparuerit gloria Dei. Simile etiam argumentum accipitur à beatitudinis naturali appetitu, & vitæ huius neceſſaria miſeria. Eadem enim ratione fit, vt ſæculum aliud beatius debeat expectari. Plurimum itaque confert Phyſica contemplatio ad cognitionem (vt diſertiſſimè dixit D. Paulus) inuiſibilium Dei, idque duobus maximè modis Nam & per ipſarum rerum natura conſtantium pulchritudinem, & ob cauſarum quibus conſtant ignorationem, à Nicolao de Cuſa doctam ignorantiam appellatam, cum ſcientiæ appetitu coniunctam. Quorum illud vocat nos in cognitionem Dei, hoc futuræ vitæ, in qua optatam & tranquillitatem, & ſcientiam, Deo concedente, conſequemur. Argumentum à pulchritudine rerum cœperunt etiam Philoſophi Nam Galenus cap. 26. de hiſtoria Philoſophica, inquit, *Dei verò cognitionem habuimus ex pulchritudine quam cœlo ineſſe ſpectauimus.* Nihil enim temerè aut caſu pulchrum oritur, ſed artificis alicuius opera. Plato quoque pulchritudinem mundi huius quam conſpicimus, pulchritudinis cauſæ exemplaris, quæ eſt ipſe Deus, argumentum eſſe affirmat. Sed in ſacris eloquiis occurrit paſſim hoc argumentum. Quid enim aliud eſt illud Pſalmi: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*? & illud Cantici, *Benedicite Sol & Luna Dominum, benedicite ſtellæ cœli Dominum, benedicite imber & ros Dominum,* & iterum illud Pſalmi: *Laudate eum Sol & Luna* & iterum: *Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyſſi ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Montes, & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri.* Quorſum enim inuitātur ad Dei laudem irrationalia, & inanima, aut quo pacto poſſunt laudare? certè non aliter quàm ſuo factori atteſtantia, atque potentiæ, bonitatis, & ſapientiæ, illi teſtimonium perhibentia. Eò quòd ſuo quodque genere, valde bona, & pulchra ſunt & perfecta, ita vt non poſſimus quidquam addere aut detrahere iis quæ fecit Deus, vt timeatur cap. 3. Eccleſiaſt. Innumera alia huiuſmodi teſtimonia ſunt in ſacris ſcripturis, pro noſtro autem inſtituto, ſatis ſit nunc vnum aut alterum protuliſſe. In ſecundo etiam argumento, quod ab ignoratione cauſarum naturalium accipi diximus, verſatur maxima pars eius diſputationis quæ habetur in libro Iob. Nihil enim aliud innuunt illa verba cap. 36. quibus Eliud ita affatur ipſum Iob, vt ſuo loco explicatum: *Memento quod ignores opus Dei, de quo cecinerunt viri. Omnes homines vident eum. Vnuſquiſque intuetur procul. Ecce Deus magnus vincens noſtram ſcientiam.* Alij etiam multa ſunt huiuſmodi, quorum pleraque propriam habent diſputationem in hoc

Cœli inuocatio.

hoc libro. Illud verò in commune pro quamplurimis ſciri oportet, non ſine magno ſacramento nos paſſim ſacris eloquiis admoneri, nunc noſtræ improbitatis, nunc debilitatis, nunc inſcitiæ, quia ex horum cognitione naſcitur firmiſſimum argumentum infinitæ bonitatis, potentiæ & ſapientiæ Dei. Quicunque enim concedet, hominem neque poſſe velle, neque facere, neque ſcire omnia quæ amari, fieri & ſciri poſſunt, ſed quædam velle quædam inuidere, quædam poſſe, quædam non poſſe, quædam ſcire, quædam ignorare, cogetur neceſſariò concedere, eſſe aliquam in rebus præſtantiſſimam naturam, quæ velit, poſſit, & ſciat, quæcumque amari, fieri & ſciri poſſunt. Nam quod ſimpliciter eſt poſſibile aut ſcibile, huic autem non eſt, neceſſe eſt ſit alteri. Alioqui eſſet ſcibile, & à nullo ſcibile, quod quidem repugnantiam continet, quia paſſiua potentia refertur ad actiuam. Ergo quod ſcibile eſt, & ab homine ſciri non poteſt, ſciri poteſt ab alio. Porrò ab illo alio, aut omnia ſciri poſſunt, aut quædam etiam neceſſariò ignorantur. Si primum, id eſt, quod quærimus, ſit ſecundum, erit rurſus alius cui illa patere poſſint, atque ita in infinitum ibitur, aut peruenietur tandem in naturam præſtantiſſimam, & omniſciam, ita verò & omnipotentem, & bonitatis infinitæ. Igitur agnitio noſtræ improbitatis, debilitatis & ignorantiæ, naturalis via eſt ad agnitionem Dei. Meritò ergo Deus Opt. Max. tradidit mundum diſputationi hominum, ita tamen, vt non poſſit inuenire homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem. Vnde conſtat non ipſam Philoſophiam, ſed Philoſophiæ præſumptionem, & inanem fallaciam eſſe quæ decipiat, & à veritate ſeducat eos qui ſe opinantur eſſe ſapientes. Quod optimè inſinuauit Paulus ad Coloſſenſes cap. 2. dicens: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam.*

Mundus diſputationi datus.

CAPVT LXV.

ECcleſ. c. 3. dicit: *Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus, perſeuerent in æternũ.* Quæ verba optimè videntur congruere cum Platonis ſententia, ſtatuentis, nihil eorum quæ à ſummo Deo per ſeſe, neque interueniente vlla naturalium cauſarum, effecta ſunt, interitum vllum habitura. Inducit verò ille in dialogo de Natura ſummum Deum, ita alloquentem Deos minores: *Dij Deorum quorum opifex ego & pater ſum, hæc attendite.*

Creata an erũt æterna.

Quæ

Quæ à me facta ſunt, me ita volẽte indiſſolubilia ſunt. Omne ſiquidem quod vinctum eſt, ſolui poteſt, ſed mali eſt, quod pulchre compoſitum eſt, ſeque habet bene, velle diſſoluere: quapropter, quia generati eſtis, immortales quidem & indiſſolubiles omninò non eſtis, neque tamen vnquam diſſoluemini, neque mortis fatum ſubibitis, nam voluntas mea maius præſtantiuſque vinculum ad vitæ cuſtodiam, quàm nexus illi, quibus eſtis tunc, cùm gignebamini, colligati. Sed nunc iam quid iubeam cognoſcite. Tria adhuc genera mortalium nobis generanda reſtant. Abſque horum generatione cœlum imperfectum erit. Omnia enim animantium genera ambitu ſuo nõ continebit, contineat autem oportet, ſi eſt mundus perfectus omninò futurus. Hæc verò ſi à me fiant ſolo, vitaque donentur, diis adæquabuntur. Quapropter accedite vos ſecundùm naturam ad animaliũ generationem, ita vt vim imitemini meam, qua in ortu veſtro ſum vſus. Atque eius quidem animalis, quod in ipſis tale futurum eſt, vt cum immortalibus appellatione conueniat, diuinumque vocetur, principatumque teneat, & iuſtitiam ſimul ac vos colat, ego vobis ſemen & initium tradam, vos cætera exequi pars eſt, vt immortali naturæ mortalem attexẽtes, faciatis generetiſque animalia, ſubminiſtranteſque alimẽta augeatis & conſumpta rurſus reficiatis. Ex hac oratione cõſtat, Platonem cenſuiſſe, Deum Maximum, rerum cognoſcendi facultate præditarum, nullam præter Angelos feciſſe per ſeſe, hominem verò & reliqua animalia feciſſe per Angelos. Non quidem quòd Angelis vim creandi (vt noſtri Theologi loquuntur) hoc eſt efficiendi ex nihilo, communicauerit, hanc enim vix eorum vllus tribuebat vel ipſi Deo, nedum vt poſſent Angeli illius eſſe capaces: ſed quòd animalia omnia mortalia ab initio facta ſint concurſione cauſarum naturalium, has verò Angeli inter ſeſe commiſerint. Ita enim inquit: *Quapropter accedite vos ſecundùm naturam ad animalium generationem*, hoc eſt, *accedite, & cauſas cauſis admouentes, accipientes, ſcilicet, ex elementis iam creatis, idoneas cuiuſque naturæ portiones, atque vt cuique congruit miſcentes, facite, vt homo, ac reliqua oriantur animalia.* In quem errorem ſuſpicor Platonem inductum eſſe illis cap. 1. Geneſeos verbis (quis enim dubitet Platonem eſſe verſatum in ſacris?) *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Olfeciſſe ſanè videtur Plato, non immeritò diuinus appellatus, neſcio quid de diuinis perſonis, cùm ſcribens ad Hermiam dicat, teſtando Deum rerum omnium Ducem, præſentium & futurarum, ac ducis & cauſæ patrem Dominum. Quid enim ſibi vult Deum rerum ducem, & Dominum, Ducis patrem nominans? cùm tamen ſacratiſſimum ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium

Angeli creatores Platoni.

ſterium non ſatis aſſequeretur (quis enim hoc in Philoſopho requirat ?) ſuſpicatus eſt , Deum efficiendi hominis curam, Angelis demandaſſe. At verò non ſatis attendit Plato oraculo diuino: *Faciamq́ enim inquit, hominem ad imagine & ſimilitudinem noſtram.* Ipſe verò putat humani ſolùm corporis curam efficiendi, eſſe Angelis demandatam, mentes autem eſſe factas ab ipſo Deo. Conſtat verò hominem ſecundùm mentem eſſe Deo ſimilem, non ſecundùm corpus. Quapropter efficiendi hominem ad Dei imaginem & ſimilitudinem, non potuit cura demandari iis qui in mentium effectione nihil poſſent. Niſi verò hic Plato cum Epicuro cenſebat, Diis etiam eſſe humanas figuras Sed præter hæc conſtat, neque hominis, neque rei vllius earum quæ à Philoſophis vocantur perfectæ, ortum primum potuiſſe eſſe naturalem. Nam nulla talium rerum ortum naturalem habet, niſi à ſibi ſimili, neque hominem vlla naturalis cauſa efficere poteſt, præter hominem. Primus igitur, ante quem non fuit alter, non potuit naturaliter oriri. Niſi quis imaginetur, primum effectum eſſe naturaliter, ſed per accidẽs, hoc eſt, non à ſimili, ſed aliarum cauſarum permiſtione, vt aurum & argentum chymicum fingunt. Conſtat verò conſenſu omnium Philoſophorum, talem ortum perfectis animalibus denegari. Quod ſiquis plus ſatis Platonicus malit id dicere quam Platonem eſſe loquutum diſſentanea ; cogetur tamen fateri iuxta illius ſententiam, omnium hominum imperfectiſſimum, & ſuo genere viliſſimum, fuiſſe primum illum, móxque illi proximum, ſenſimque recedentes à primis factos eſſe meliores. Quod, primùm quidem, diſſidet ab ea quam de primis hominibus omnes conceperunt, opinione, deinde etiam repugnat verbis Moſis, & ipſiuſmet Platonis Ille enim dicit, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; hic verò dicit, delectatũ eſſe Deum opere. Sed in præſcripta oratione dicitur, curaſſe Deũ vt mundus totus perfectus fieret, non eſſet autem talis, ſi præſtantiſſimum animal adeò imperfectum euaſiſſet. Fieri verò ex dictis cõſtat, quia poſteriores facti eſſent à cauſis propriis, & per ſe, primi verò ab alienis & per accidens. Non ergo ſecundùm naturã, neque à Diis minoribus factus eſt homo, ſed creauit illum Deus ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam, vt ſacrum eloquium teſtatur. Non tamen in altera placiti ſui parte, perinde errat Plato, ſed veriſſimè affirmat, quod & Eccleſiaſtes, Omnia quæ à Deo Opt. Max. per ſeſe facta ſunt, æterna eſſe, & interitu caritura, non quidem natura ſua, ſed voluntate diuina: quæ verò naturaliter oriuntur, omnia habere interitum naturalem. Primũ enim Plato, non minùs quàm Ariſt. ſed diſtin

Qualem Deũ eſſe cenſeat Plato.

ſecũdùm partes. Tota verò terra ſemper ſtat, vt in Pſal. dicitur. Porrò neque hominem, neque vllum aliud animalium. fecit Deus ex nihilo, ſed ex terra & aqua (nã ex lino terræ) quapropter non fecit per ſe ſolus, ſed cooperantibus elementis Vt & ſanctiſſimum Ieſu corpus ab Spiritu Sancto, cooperante verò etiam matre formatum eſt, vnde habuit vt mori poſſet, & animalia omnia protoplaſta habuerunt vnde interireut. Hoc verò intererat inter hominem & reliqua, quòd in brutis nihil non eſt effectum ex terra, hominis vero pars præcipua, hoc eſt, mens, non potuit ex terra fieri, ſed ab ipſo ſolo per ſe Deo, dicentibus, vt Moſe, ita etiam & Platone. Quapropter conſentaneum eſt, eam partem interitu carere, atque adeò propter illius bonum alteram aliquando ad vitam reuocari. Itaque nihil eorum quæ fecit Deus per ſeſe, ac citra alterius cauſæ concurſionem, videtur interitum habiturum.

Vt vel hinc accipi poſſit immortalitatis humanæ mentis argumentum, quòd neque ex corporalibus elementis, neque niſi ab ipſo per ſeſe Deo fieri potuit. Quod quidem Plato conſentaneè loquens, diſertiſſimè explicauit poſt præſcriptam orationem, his verbis: *Hac fatus in eodem rurſus cratere, in quo mundi totius animam permiſcens temperauerat, ſuperioris temperationis reliquias miſcendo perfudit, modóque quodam eodem non tamen perfectas ſimiliter, ſed & ſecundo & tertio gradu à primis deficientes. Denique cùm vniuerſum conſtituiſſet, aëris parem numerũ diſtribuit animarum.* Hæc Plato: qui apertè docet, Deum cùm minoribus Diis formandi corporis humani curam demandaſſet, ipſum per ſeſe humanas animas confinxiſſe, eadem ratione qua fecerat ipſos Deos, ſeu Angelos, & animam mundi, atque eadem natura, etſi non æquè perfecta, ſed paulò inferiori. Secundo (inquit ille) & tertio gradu à primis deficientes. In Pſalmo verò octauo dicitur, *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis* Itaque hac in parte congruit diuinum oraculum cum Platonis placito Ille enim dicit temperaſſe Deum in eodem cratere, ſuperioris temperationis reliquias permiſcendo (quæ verba innuunt ſimiles eſſe naturas,) ac effeciſſe animas humanas modo eodem, non tamen æquè perfectas. Diuinus verò vates dicit Deum minuiſſe hominẽ paulò minùs ab Angelis Quod quidem conſtat non ob corpora dici (ob hæc enim belluis ſimillimus eſt, non Angelis,) ſed ob animas, quas vt quoſdam Angelos, etſi ordinis aliquantò inferioris ipſe per ſeſe Deus efficit, & diuino quodam modo, neque homini ſatis intelligibili immittit in corpora nullo quidem tempore, antequam in corporibus ſint exiſtentes. Ita verò ſe habere rem, cuius qui

Philoſophiæ ignatus non ſit, videtur ſuaderi facilè poſſe. Nihil enim Philoſophis magis receptum eſt, quàm ſentiendi facultatem quamcunque cum eo quod ab ea ſentiri poteſt, habere ſimilem naturam, indeque naſci (ſimiliũ ſcilicet concurſione) ſenſum actu, & ipſarum facultatum differẽtiam. Atqui profectò in hoc video, in aliis ferè omnibus placitis diſſentientes ſectas conſentire. Nimirum vt ex Empedocle libentiſſimè recipiunt, Plato, Ariſtoteles, & Galenus, & poſt illos alij omnes. *Sentimus terrã tellure, liquore liquorem, aëre aëream ſubſtantiam, ignem quoque cernimus igne.* Eſt ſcilicet quædã naturæ communio, ſenſibili, ſenſui, & ſentiẽdi organo, neque aliter res cognoſcibiles ſubeunt in animam, quam vnaquæque per ſibi ſimile, ignea per igneum, aërea par aëreum, aquea per aqueum, terrea per terreum. Si igitur in homine eſt (vt quiuis, niſi ſtupidiſſimus, in ſe eſſe agnoſcit) facultas cogitandi de rebus incorporeis & incorruptibilibus, conſtat eſſe etiam ſubſtantiæ partem aliquam incorpoream, & incorruptibilem. Mirum verò, eſſe multos qui ſe doctrinæ nomine iactant, qui acerrimè diſputantes de diuinis, de incorporeis, de vno, ente, & bono, putant nihil in ſeipſis eſſe tale, quaſi verò ſi omnes homines eſſent nati ſine oculis, poſſet inter ipſos oriri vlla dubitatio de coloribus. Itaque quandoquidem humana mens ſubſtantiarum incorporearum habet ſenſum aliquem, incorporea eſt, & aliquid habet aliud quàm vt ſit corporis actus. vnde etiam fit, vt ex nulla materia facta ſit. & à ſolo Deo per ſeſe. Nam vim ex nihilo faciendi penes ſolum Deum eſſe poſſe, anteà indicatum eſt. ſi igitur à ſolo Deo eſt facta. vel ob hoc æterna eſſe cognoſcitur, ac velut Angelus Dei. Quoniam verò non eſt Angelis par, ſed paulò minùs perfecta, neſcio quã habet analogiã cum corporeis, ob quam ſeparabilis cùm ſit, poteſt eſſe etiam actus corporis & organorum ſenſus, ratio, forma, eſſentia, & Entelechia, quod corporei, & incorporei arctiſſimum vinculum, hominis naturam facit adeò mirabilem. Qua dignitate indigniſſimæ mihi videntur illæ belluæ (quo enim alio potiùs nomine appellabo eos, qui tanto ſtudio tales eſſe contendunt?) dicentes cum ſtultis (quos Eccleſ. c. 3. inducit.) *Vnus eſt interitus hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur, ſimiliter ſpirant omnia & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum, de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur. Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Hæc ſunt inſipientium voces.

Sẽſus ſẽſibilis & organi communio.

Quorum inſipientia duplici mihi videtur conſtare errore, altero, quòd in quæſtione de re incorporea, & inſenſibili, vtuntur ſenſus teſtimonio, dicentes: *Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur, ſimiliter ſpirant omnia.* quaſi ſenſu exploranda ſit res hæc: altero, quòd negant fieri, quia quomodo fieri poſſit non intelligunt. Quaſi rationem aliorum omnium, quæ ſecundùm naturam euenire non negant, apertè intelligant, aut valeant inuenire quidpiam eorum quæ operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem. Deberet eo potiùs, ſi modò eſſent ſobrij, propriæ ignorationis conſcientia, dociles reddere, ac ſuaſibiles.

CAPVT LXVI.

Eccleſiaſt. c.12. ſiue Concionatoris: *Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. Antequam tenebreſcant Sol, Lumen, & Luna, & Stellæ, & reuertantur nubes poſt pluuiam. Quando commouebuntur cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes in minuto numero, & tenebreſcent videntes per foramina, & claudent oſtia in platea, in humilitate vocis molentis, & conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis. Excelſa quoque timebunt & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis. Quoniam ibi homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes. Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria ſuper fontē, & confringatur rota ſuper ciſternam, & reuertatur puluis in terrā ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deū qui dedit illum.* Hæc verba continent optimam ſenectutis ingruentis, & ad extremum vſque procedentis, atque adeò ipſius interitus, periphraſim. Metaphoricis enim loqutionibus ſignificantur ſenū labores & miſeriæ *Memento* (inquit) *creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequā veniat tempus afflictionis tuæ,* hoc eſt, ſenectus, & *appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent.* Sanè anni ſenectutis diſplicent. Nam & ipſi ſenes diſplicent ſibi vſque adeò vt ſciamus, vel ob hanc cauſam in extrema ſenectute conſtitutos, ſolere libenter à vita diſcedere, non aliter, ac qui longiſſimo, & inſanabili ſunt confecti morbo. Talis enim re vera eſt ſenectus, hoc ſolum à morbo diſcrepans, quòd eſt ſecundùm naturam. Quod idem eleuat penitus ſpem euadendi, aliter quàm per mortem. Cenſeo autem hic ſacrum

Senectutis deſcriptio atq; excellens declaratio.

Concionatorem nomine iuuentutis appellare, non ſolùm eam quam Medici ad trigeſimumqu intum annum produci dicunt, ſed primam etiam ſenectutem, quam illi conſiſtentiam appellant, éſtque vſque ad quadrageſimum quintum. Nam ad hoc vſque tempus durant pleriſque vires, haudquaquam inſigniter labefactaræ, neque hebeteſcunt ſenſus, neque cani abundè proueniunt. Multò minùs aliæ notæ quas Concionator recenſet dicens, *antequam tenebreſcant ſol, & lumen & Luna & Stellæ*. Hoc eſt antequam debilitari viſus incipiat, & effugiat lucem neque lumen ſuſtinere poſſit. Significat verò ſol diurnum lumen nocturnum Luna & Stellæ, *Et antequam reuertantur nubes poſt pluuiam*. Hæc verba ſignificant perpetuas & incoctiles valdè ſenum coryzas. Nimirum coryza ex vaporibus crudis à ventre aut corpore toto aſcendentibus, primùm quidem, vt nubes quædam caput occupat deinde denſata abit in diſtillationem, vt quædam pluuia. Cùm ergo aſſiduis quis conflictatur catharris, ſucceſſiuis vicibus citra intermiſſionem nunc deſtillantibus, nunc recrudeſcentibus, perindè eſt ac cùm nox à pluuia aliæ nubes reuertuntur. Quoniam ergo, vt Hippocrates in aphoriſmo author eſt, coryzæ valdè ſenibus non coquuntur, fit vt ob caloris naturalis debilitatem, & ciborum incoctiones, aſſiduè conflictentur, nuncque grauentur crudis, ac difficulter ſpirent, nunc denſatis, excreent multa, & emungant. Et nunc eandem ob cauſam *commouentur cuſtodes domus, & nutant viri fortiſſimi.* Hoc eſt, ſenſus debilitantur, & crura præ corporis pondere vacillant. Nimirum exhauſtis ſpiritibus animalibus, cerebroque refrigerato, & ſecundùm propriam ſiccato ſubſtantiam, multis verò excrementis obruto, neceſſe eſt exiguum facultatis influere in neruos motus, & ſenſuum organa, atque ea per ſeſe eſſe inepta, & ad facultatem excipiendam, & ad exequenda ſua munia. Cùm ergo ſenſus & motus ad eandem animæ partem, ad animalem ſcilicet, & ad eandem corporis partem, putà ad cerebrum ſpectent, neceſſe eſt patiantur ſimul. Magna autem proprietate vocantur ſenſus, cuſtodes domus, & crura viri fortiſſimi. Nam huic noſtri corporis domui dati ſunt ſenſus ad cuſtodiam, vt ſcilicet accedentium rerum perceptis noxis poſſit animal ſibi cauere. Quacunque enim alia facultate polleret animalis corpus, niſi ſentiret, cauere ſibi non poſſit ſiue vreretur, ſiue ſecaretur, ſiue pareretur aliud quiduis. Propriè ergo ſenſus ſunt cuſtodes. Mouendi verò inſtrumenta fortiora multò ſunt, vtpote quorum munus in actione & corporis tranſlatione conſiſtit, non autem in paſſione, vt ſentire. Hanc ob cauſam affir-

Coryza quid.

Senſus cuſtodes corporis.

mat Galenus, etſi eadem facultas ſit, qua ſentimus & moue-mur, maiori tamen opus eſſe ad mouendum Nimirum pars quæ mouet, apponit robur, quæ ſentit, patitur tantum. Atqui vel ex ipſo hominum ſermone conſtat. Dicimus enim robuſta eſſe crura, aut brachia, aures verò aut nares nemo dicit robu-ſtas, ſed expeditas, aut perſpicaces, ita etiam,& oculos & alios ſenſus. Si quando enim dicimus fortes aut robuſtos ſenſus, tranſlatà locutio eſt, aut non tam ob agendi vim, quam ob diſparhiam quam ſcilicet fortia obiecta ſuſtineant, neque fa-ci è corrumpantur. Mouentia verò membra non ita ſed ob transferendi,aut portandi vim Cùm verò fortitudinis epithe-tum partibus omnibus, quibus eſt vis mouendi, congruat, multò magis cruribus, quæ tota vita totam corporis molem ſuſtentant, & transferunt. Hæc verò ſenibus vacillant, qua de cauſa baculis vtuntur. Porrò his ipſi ſunt molares dentes perpauci, & ij ipſi qui ſuperſunt otioſi ſunt, neque queunt ſuo munere rectè fungi, cùm ob maxillarum debilitatem, tum etiam ob eandem ipſorum raritatem. Incidens enim in ſpatia vacua cibus mala conteritur Hoc ergo eſt quod dicit, *& otio-ſa erunt molentes in minuto numero.* Dentes ſoli inter omnes noſtri corporis partes nunquam nobiſcum naſcuntur, ſed innaſcuntur iam ortis, & rarò vſque ad naturalem interitum comitantur,ſed excidunt priùs. Illud quidem vtilitate,hoc ne-ceſſitate euenit.Non enim naſcuntur nobiſcum, ne lac e mam-mis ſugere,alimentum vtile ei ætati, adeò impediant; excidunt verò non ſine hominis damno, ſed ob radicis ſiccitatem, & alueolorum quibus clauorum ritu infixi ſunt, amplitudinem, quam defectus nutritionis maximæ, & ipſorum dentium affert. Diximus ſenibus cuſtodes domus commoueri, hoc eſt, ſenſus extingui. In his verò oculi & aures ſolent noxam inſi-gnẽ pati,*obtenebreſcunt* enim aſpicientes per foramina, hoc eſt, oculi,*& obſurdeſcunt omnes filiæ carminis*,hoc eſt aures. Vtriuſ-que cauſa eſt debilitas facultatis eius quæ in cerebro reſi-det, & in vtranque partem per neruos mittitur, & inſtrumen-torum ineptitudo. Nimirum ſiccitate, & excrementorum con-geſtione craſſeſcunt ſenibus ſucci oculorum, & membranæ anteriores dureſcunt, & corrugantur. Vnde(accedente præci-puè ſpirituum inopia) fulgor amittitur. Nonnullis etiam ob-turantur nerui optici. Auribus ſimile quiddam contingit, & tabeſcit internus & congenitus aëre Sed videamus quod inte-reſt. *Claudent* inquit *oſtia in platea in humilitate vocis molentis.* Vocatur platea, humani corporis ipſa facies, quia illis ſunt omnes ſenſus, & omnis ad ſentientem animam pertinens

Cur dẽtes nobiſcum non naſ-cantur.

Cur oculi in ſenectu-te tene-breſcant.

Facies platea cor-poris.

negotiatio, omneſque cordis affectus facies declarat, non timorem, mœſtitiam, & hilaritatem. Quò reſpiciens Poeta ille dixit: *O quàm difficile eſt, crimen non prodere vultu.* Salomõ quoque quinto Prouerbiorum inquit: *Cor gaudens exhilarat faciem.* Eccleſ. quoque cap. 13. ait, *Cor hominis immutat faciem eius, ſiue in bona, ſiue in mala.* Certè cùm totum corpus anima teneat, in facie multò euidentiùs ſe prodit. Quo fit, vt meritò cenſeatur adeò contumelioſum in faciem cædi, quandoquidem in ipſos ſenſus atque adeò in ipſam animam videtur illata plaga. Qua eadem natura, cùm quidpiam irruit extrinſecus, accurrunt partes omnes in faciei cuſtodiam ſeipſas periculis obiicientes. Senibus vox eſt humilis ob debilitatem facultatis, quæ thoracem mouet, quia ad edendam vocem vehementi expiratione opus eſt. Quapropter non temerè centurio, qui ex aduerſo ſtabat vt dicitur Marci capite decimoquarto) vidẽs quia ſic clamans expiraſſet, dixit, *Verè filius Dei iſte.* Nimirum qui ſunt morti proximi, ne edere quidem poſſunt vocem præ debilitate, nedum clamare voce magna Præter facultatis autem debilitatem facit ſenibus humilitatem vocis, dentium defectus. Quia is ipſe ſpiritus qui expiratur, non repercuſſus effluit, quare minùs ſonat. Cui malo vt ſuccurrant, comprimũt introrſum labia quaſi vacua dẽtium loca ita obturaturi Quare oſtia plateæ claudunt. Nimirum labia ſunt oris oſtia, os vt porta plateæ. Claudũt ergo oſtia in platea in humilitate vocis molẽtis, hoc eſt, ob humilitatem vocis, quam faciunt rari molentes. Accedit quoq; ſenibus peruigilium, ob cerebri ſiccitatẽ, & non rarò ob dolores aſſiduos, cùm aliarum partium, tum vel maximè viarum vrinæ, & ob deſtillationes & excreatum. Quo fit, vt nunquam totam noctem dormiant, ſed plerunq; ſurgant ad vocem volucris, hoc eſt ad galli cantum: expergiſcuntur enim, atque ſi dolore vrgẽtur, etiam ſurgunt noctu aliquoties, atque adeò eorum plerique antelucano tempore, aut ſaltem ſummo mane exurgunt. Nimirum eius ætatis eſt, citò ire cubitum diurno motu defatigatos, & citò etiã exſurgere non dormientes, neque minùs defatigatos iacendo. Adeò nulla illis requies eſt, & meritò vita diſplicet. Hoc eſt quod dicit, *& conſurgẽt ad vocẽ volucris.* De cantu galli, vt qui ternis horis cantare ſoleat, quaſi motus cœli rationẽ habeat, vt qui quibuſdam gentibus, & in exercitibus maximè, ad excubias noctis pro horologio ſit, dictum anteà eſt in hoc ipſo opere. *Excelſa quoque* (inquit) *timebunt in via* Hoc eſt, mens quoq; terebitur, vbi ſe ire in mortem præcipitẽ homo ſentit, *Florebit amygdalus* hoc eſt, caneſcet quoque caput & barba, vt floreſcens amygdalus. Nimirum hæc arbo

Senes cur comprimãt labia introrſũ.

arbor omnium citiſſimè candeſcit. Cauſa canitiei eſt, redundantia pituitæ in alimento proprio, partium circa cutem ob debilitatẽ naturalis caloris Addit, *impinguabitur locuſta* Quod de marina locuſta intelligi debet, ea eſt in animalibus oſtracodermis, hoc eſt, teſtacea cruſta rectis. Senibus ob ſiccitatem ſiccatur, dureſcitque cutis, ac proinde locuſtis conferuntur, perindéque eſt dicere, impinguabitur.locuſta, ac ſi diceret, creſcet calloſa durities in cute, quaſi locuſtæ cruſta fiat. Addit. *Et diſſipabitur capparis*. Quidam interpretantur, capparis nomine intelligi generandi potentiam, & ſtimulos Veneris atque adeò ipſas venereas partes, quod (vt author eſt Auicenna ſecundi libri cap. centeſimo ſecundo) cappari Venerem inſtiget. Intelligunt itaque hoc quoq; eſſe extremi ſenij indicium, marceſcere genitalia ſine generandi cupiditate & potentia: fit verò id emoriente virtute in parte, & vitali calore, *quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ*. hoc eſt, morietur, incipit verò mors à facultatum extinctione, huius verò ante alias, quia pluri ſpiritu indiget & ad propriam vitam tuendam minimè eſt neceſſaria, ſed ad prolem. *Et circuibunt plagentes in platea*. Hoc dicunt ſignificare lacrymas innoluntarias, decurrentes ex oculis per faciem. Quod ſignum in ægrotantibus acutè eſt lethale in ſenibus verò debilitatis naturalis oculorum, quod extremos iam ſenes ſolet comitari. Non eſt parum congruens hæc enarratio. Mihi verò ob illa verba quæ interiecta ſunt: *Quia ibit homo in domum æternitatis ſuæ* magis placent, illa verba. *Et diſſipabitur capparis, & circuibunt plangentes in platea*, deſcriptionem eſſe mortis ipſius, & funeralium, quàm ſenij: quaſi dicat eò res veniet tandem per ſenium, vt diſſipetur capparis, hoc eſt, aperiatur ſepulchrum, *& circumeant plãgentes in platea* hoc eſt circa domum plangant, qui lamentis ſunt proſequuturi funeralia, Elegiaci ſcilicet, aut Præficæ vt erat antiquitùs in more. Hæc verò fient, quia ibit homo in domũ æternitatis ſuæ. De cappari ſcribunt naturæ hiſtorici, naſci ſolere in ſepulchris, cùm dederet ſcilicet per campos, vbi quondam, tam Iudæorum quàm Gentium, erant ſepulchra Néceſſe ergo erat, quo ea aperirentur, capparim diſſipari. Nam Ariſtot. ſect. 20 Problem 12. interrogat quid cauſæ ſit quòd capparis locis cultis non gaudeat, ſed inculta & inuia proſequatur, & maximè ſepulchris adhæreat. His de obitu per occupationem dictis, redit rurſus ad ſenij noxas, dicens, *antequam* (ſupple recordare creatoris tui) *rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea*. Funiculus argenteus vocatur magna proprietate ſpinalis medulla, cum neruorum qui ex ea oriuntur diſtributione. Neruis enim,

Caniciei cauſa.

Elegiaci & Præficæ.

Capparis virtutes.

Spinalis medullæ.

enim, vt quibuſdam funiculis, alligantur & firmantur omnes corporis partes. Eſt verò ſpinalis medulla, & ipſa neruorum ſubſtantia, colore argentea. Vitta aurea vocatur menynx tenuis,ſiue cerebri inuolucrũ, ea enim,vt vitta quædam,totum cerebrum ambit,conſtringit,& continet. Vocatur verò ea non ob colorem aurea, ſed ob vtilitatem,quaſi pretioſa Eſt enim adeò, vt multi Medicorum cenſent, non ſine magnis argumentis, ad illam potiùs, quam ad cerebri ſubſtantiam pertinere ſentiendi principium. Ea adhæret adeò indiſſolubiliter cerebro, vt eo ſiccato atque imminuto, vt in ſenibus euenit, contrahatur accorrugetur. Qua cauſa fit,vt cerebrum, & menynx recurrant à cranea, neque illud contingant. Hinc illud areſcit & præ eius ariditate excidunt pili, vt herbæ areſacta terra, fitque caluitium. Porrò ad neruos pertinet ſenſus voluntarius, qui obitur per muſculos, cùm laxantur quaſi funes diſrupti euenit membra,in quæ ſubeunt,reſolui, ac paralyſim pati, ſiue linguam, ſiue brachium, ſiue crus. Quæ paſſio ſenibus familiaris eſt, ob neruorum debilitatem, & redundantiam ſuccorum crudorum. Dicit ergo, *antequam rumpatur funiculus argenteus*, hoc eſt,antequã fias paralyticus,& recurrat vitta aurea, hoc eſt contrahatur menynx cum cerebro, ac fiat caluitium, *& conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam.* Hæc omnia pertinent ad vrinam, quæ primùm quidem exit guttatim,quaſi ex rupta hydria, cùm ſenex laborat ſtranguria, deinde ſupprimitur omninò,quaſi tota confracta ſuper ciſternam, fitque iſchuria vocata,& tunc nihil ſupereſt,niſi vt *reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus reuertatur in eum qui dedit illum,* hoc eſt, homo moriatur. Quod vt intelligas, ſcias renes inceſſanter trahere ſerum ex vena magna, & hepate, vt rotam quandam quæ continenter haurit ex ciſterna: hoc rurſus, quod traxerunt mittere in veſicam,velut in hydriam quandam:hancque mittere in colem,vt in fontẽ ex quo aqua manat. Itaque fons eſt ipſa via per quam emanat aqua:hydria veſica quæ illi ſuperſtat rota ren,ciſterna vena caua, & meritò quidem,quia ex caua hauritur. Ren verò rota,quia inde extrahit. Veſica potiùs hydria, quia non trahit, ſed recipit quod in eam mittitur Primũ ergo ſenibus accidit, ſtranguria debilitata retentrice veſicæ quod eſt, eſſe hydriam ruptam. Deinde ceſſat penitus mictio,corrupta tractrice facultate renum,quod eſt. confractum eſſe rotam, tuncq; citiſſimè moriuntur. Quendam vidi per eam affectionem attigiſſe diem vndecimũ,alium nonum,alium ſeptimũ tantum, quatuordecimum memini attinggere nullum. Neque mirum, diſtribuitur enim

Menynx.

Paralyſi obnoxia.

Mictu quandiu carere cõtingat.

enim ſerum cum ſanguine per totum corpus, quod calorem naturalem partium extinguit & impedit nutritionem, quia adeò dilatum alimentum non affigitur. abit ergo puluis in terram ſuam, ex qua ſumus.

CAPVT LXVII.

CAp 7. Eccleſ. *Noli eſſe iuſtus multùm.* Non videtur facilè intelligere, quis iuſtus multum poſſit vocari, aut quæ iuſtitia poſſit vituperari. Nam, vt ab Ariſt accepimus lib. 5. Ethic. ad Nicomachum, iuſtitiæ nomen dici poteſt, de eo quod legitimum eſt, in quo omnes virtutes continentur (quia in repub. perfecta omne bonum erit ſancitum lege, & omne vitioſum ac turpe prohibitum) aut de eo quod æquum, ſiue æquale, quo ſignificata eſt iuſtitia virtus quædam peculiaris, quæ verſatur in quærenda æqualitate, vbi inter aliquos iniquitas quæpiam interceſſit, ſiue in commutationibus faciendis, ſiue iniuriis inferendis. Sunt verò huius iuſtitiæ partes tres, diſtributiua, commutatiua, & punitiua. Nulla harum videtur poſſe eſſe nimia, neque vituperabilis. Nam primum omnium, vt tota virtus eſt, non ſit nimia. Nam ipſi virtutis rationi repugnat quod nimiū, cùm in eius eſſe ſit, in mediocritate conſiſtere. Multò autem minus, vt eſt virtus quædam peculiaris. Omnis enim eius pars verſatur in quærenda æqualitate. Æqualitas verò eſt res impartibilis, quare in ea non poſſit eſſe nimiū. Quod ſi quàm maximè velimus intelligere per abuſum dari nomen virtutis, vitio quod conſiſtit in exceſſu, velut dicimus aliquando, nimis liberalem eſſe eum qui eſt prodigus, & nimis temperantem eum qui eſt inſenſibilis: tamen id cùm in aliis virtutibus fieri poſſit, in ea iuſtitia nullatenus videtur poſſe. Quia vt Ariſt. inquit cap. 5. lib. citati, iuſtitia non conſiſtit in medio vt aliæ virtutes, ſed modo quodam alio, quia non vt illæ, eſt inter contraria vitia conſtituta, ſed verſatur inter duo inæqualia, inter lucrum ſcilicet, & damnum, ſed inter iniuriam facere & pati. Quæritque inter hæc æqualitatem, & medium, & quò propiùs accedit ad exactum, eò melior eſt, quare per iuſtitiam nunquam itur ad exceſſum, nulla igitur iuſtitia vituperanda, neque quiſquā eſſe poteſt nimis iuſtus. Atqui profectò ita eſt. Nullus re vera eſt nimis iuſtus, ſed neq; nimis temperans, aut prudens, aut fortis, quia virtutes nullam recipiunt vitij admi-

Tres iuſtitiæ partes.

Æqualitas.

ſtionem. Nihilominus cùm nimis adiicitur, ſignificant ea nomina non virtutes ipſas, ſed vitia quæ fiunt per exceſſum. Velut calor (vt conferamus Phyſica cum Ethicis) eſt ea virtus qua generamur, viuimus, nutrimur, & augeſcimus, ſi tamen dicas, calor nimius, febrem ſignificabis. ita nimis fortis dicitur audax ſeu temperarius nimis temperans inſenſibilis, nimis prudens callidus Nimis iuſto non video quod nomen datum ſit. Et fortaſſe anonymum, vt multa alia in morum ſcientia, eſt tamen etiam qui nimis iuſtus vocari poſſit, deficiátque hac ratione à vera iuſtitia, ſitque vitioſus in hoc morum genere. Id quod indicare me poſſe exemplis ſpero per ſingulas iuſtitiæ partes, punitiuam inquam, diſtributiuam, & commutatiuam.

Nimis iuſtus quis.

Nam iudex, qui ſcelerum, & iniuriarum eſt vindex, deficere poteſt à Iuſtitia, minùs aut plus puniendo: minùs quidem, quia cùm Iuſtitia non ſit virtus ad ſeipſum, ſed ad alios, non eſt in eius poteſtate ſitum, alterius iniuriam condonare, neque ſi ſit crimen alio in genere (non enim omnia crimina iniuriæ ſunt) eſt ille aliud quidpiam, quàm miniſter legum; quare ne ſic quidem poteſt pœnam remittere vt lubet, non minùs tamen peccare poteſt, ſi nullam vnquam æquitatem adhibeat, ſed ſemper iudicet ex ſcripto. Nam etſi iuſtum legitimum ſit, quod lege ſtatutum eſt, quia tamen leges non poſſunt eſſe de ſingularibus, vt neque ſcientia vlla, neque ars, quia hæc ſunt infinita, quotidiéque naſcuntur, & intereunt, vniuerſale verò non poteſt non deficere in multis ſingulariũ, neceſſe eſt, vt, iudex inquã multis adhibeat æquitatẽ, quæ nihil eſt aliud teſte Ariſt quam emendatio legis in eo quod deficit ob vniuerſale, hoc eſt, detrahere aliquod ei quod lege ſancitũ eſt ob circunſtantiã aliquã quã legiſlator non præuidit. Qui igitur nullam vnquam æquitatem adhibet, prætextu iuſti legitimi exequendi incidit in vitiũ, quod eſt in exceſſu. Iam verò diſtributiua iuſtitia conſiſtit in tribuendo cuiq; pro ſua dignitate, eſtque hoc modo iuſtus qui in bonorũ diſtributione æqualitatem ſeruat. Quam æqualitatem dicit Ariſt. debere eſſe nõ Arithmeticã, ſed Geometricã, quia non debet tantundem tribuere omnibus, ſed habita ratione dignitatis cuiuſque, vt, verbi gratia, Achilli 3. Aiaci 4. Peccare igitur cõtingit in hoc genere duobus modis.

Æqualitas Geometrica in iuſtis.

Non enim ſolũ peccabit qui tribuit minus digniori, ſed & qui tribuet plus indigniori, ſi ſit materia iuſtitię (nã vbi locũ habet gratia, nõ pertinet ad iuſtitiã) velut ſi quis tribuit vtriq; Achilli dico & Aiaci 4. peccat, quia Achilli tribuit minus, ſi vtriq; 8. quia Aiaci tribuit plus: vtroq; autem modo deficit ab æqualitate, peccatq;, etſi non eodem modo: quia qui tribuit plus, in-

iuriam non facit, vt qui minus, ei ſcilicet cui tribuit, eſt tamen nihilominùs vitioſa & iniqua actio. Velut (ſatius enim ſit apertioribus vti exemplis) in ſuffragiis ferendis pro conſequenda dignitate, aut authoritate in Repub. non ſolùm peccat qui denegat digno, aliquando etiã multò magis qui tribuit indigno. Tametſi non vterq; iniuriam facit, quia qui digno denegat tribuens minus boni aut plus mali, quàm meretur, iniuria eum afficit, qui tribuit indigno nõ ita, quin potiùs in contrariũ incidit vitiũ, quia tribuit boni plus, aut mali minus; eſt tamen hoc quoq; rem iniuſtam facere. Iam verò in iuſtitia commutatiua, iuſtus eſt qui ſibi & aliis tribuit æquale. Æquale verò nõ Geometricum, vt in diſtributiua, ſed Arithmeticũ, vt centũ pro centum, decem pro decem. Nulla enim in cõmutationibus haberi debet ratio dignitatũ, ſed rerum. Igitur peccare quis poſſit in hoc genere duobus modis, & tribuens ſibi plus quàm alteri, & tribuens alteri plus quàm ſibi. Iniquè enim commutat, qui pro re quæ valet centũ, tribuit quinquaginta, iniquè etiã ſi tribuit bis centũ, vbi nõ habet locũ liberalitas. Vbi verò liberalitate id agitur, nõ habet rationẽ cõmutationis, ſed largitionis, quæ cõmutatio autẽ vitioſa erit. Non tamen eodem modo peccabunt hic & ille. Quia qui tribuit minus, iniuria afficit vendentẽ, qui plus, nullam iniuriam facit (niſi fortè Reipublicæ) vitioſè tamen commutat. Sunt igitur hîc quoque duo vitia, alterum in defectu, alterũ in exceſſu, atque vtroq; modo agitur res iniuſta, etſi non vtroque infertur iniuria. His argumentis non poſſum hac in parte probare ſententiam Ariſt. dicentis iuſtitiam non eſſe inter duos exceſſus, vt alias virtutes, ſed modo quodam; quia verſatur inter duo inæqualia, vt inter lucrum & damnum. Quin potiùs ex ipſius Ariſt. ſententia, mihi videtur euidens argumentum capi, aduerſus eundem. Nam ſi iuſtitia verſatur inter lucrum & damnũ, neceſſe eſt vtriuſque poſſe adhiberi plus & minus, & duplices eſſe actiones circa duplicem materiam, augendam aut minuendam, vtraſque deficientes ab æqualitate, ac proinde vtraſque vitioſas. Quare cùm habitus naſcantur ex actionibus, duplices etiam habitus malè operãdi circa iuſtitiam poſſint animis innaſci, ſitque iuſtitia conſtituta inter duo vitia, vt virtus alia quæcũque. Verbi gratiâ, iuſtè cõmutat, qui ſibi & alteri tribuit æquale lucrum & damnũ, iniuſtè verò, qui ſibi lucrum & alteri damnum, vel ſibi lucri plus, aut damni minus quàm alteri, & qui alteri lucrum & ſibi damnum, aut alteri lucri plus, aut damni minus quàm ſibi. Nam etſi pleriſque videtur hic non peccare, quia nulli facit iniuriã (ſibi enim nullus poteſt iniuriam facere quia ea non fit volenti) tamen non bene

commutat,

Iuſtitia in mediocritate conſiſtit. cõmutat,atque ea actio ratione largitionis, & ob liberalitatem poſſit eſſe ſtudioſa,quæ commutatio verò vitioſa eſt. Conſtat igitur,iuſtitiam, vt alias omnes virtutes morales,in mediocritate conſiſtere,quin etiam multò apertiùs quàm alias,quia verſatur in quærenda mediocritate inter exceſſum & defectum. Quapropter ſapientiſſimè monet Eccleſiaſtes, *noli eſſe iuſtus multùm* ſiue,inquam,iudex es à Deo cõſtitutus,ne ita te geras, vt nullam adhibeas æquitatẽ: ſiue emolumenta præmiáq; diſtribuis,caue tantopere timeas digno denegare,vt tribuas etiã digno: ſiue commutas, caue tantopere timeas alteri ſatis lucri non tribuere, vt tibi inferas damnum. Nam etſi non vtroque modo eris iniurioſus, vtroque eris iniquus, atque aliquando ſimul damnum patieris, & iniuria Remp. afficies. Quandoquidem ergo virum bonũ præcipuè ciuilem, oportet omnia eum, & vt oportet, agere,atque omnia in cõmune primùm bonum, deinde ſuum,conferre cauere debet,ne in materia iuſtitiæ quidpiam agat nimis: neque verò in vlla alia. Inſinuant ſe profectò aliæ interpretationes eius loci non ineptæ.Poſſunt enim verba ſcripta eſſe in hypocritas,qui videri ab hominibus iuſti volunt nimis. Quaſi diceretur,noli nimis in conſpectu hominum eſſe iuſtus. Poſſunt etiam dici in ſuperſtitioſos,qui prætextu pietatis, in multas impietates incidunt, & ſeruili timore peccandi, multa ſibi fingunt,in quæ etiam incidunt,peccata.Verùm prior interpretatio, Philoſophica magis eſt, & meo inſtituto accommodatior.

CAPVT LXVIII.

CAp 4. Sapientiæ ita habetur: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona.* Paulus etiam cap. 3. Epiſtolæ ad Galatas, ita eos alloquitur: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit, non obedire veritati?* Quibus in locis videtur faſcinationis facta mentio, tametſi plerique viri docti vanam eſſe cenſent de ea opinionem. Quapropter haud erit abs re, neque præter præſentis operis inſtitutum, de ea tantiſper differere. Haud ſcio vnde meliùs poſſumus incipere, quàm ab iis quæ de faſcinatione vulgus cenſet, inde illius comparata notione, examinemus,an re vera quidpiam ſit in rebus tale,an aliud aliquid, an omninò nihil, ſed meræ nugæ. Audio quàmplurimos affirmare, fieri nonnunquam, vt qui bene valent, ab alio quopiam tantùm

Faſcinatio.

conſpecti,

conſpecti, repentè ac multùm lædantur, eoſque qui ira læduntur, faſcinatos vocant quibus verò vis ea maligna in oculis ſit (neque enim omnibus eſſe æqualem) Faſcinatores. Hos verò ipſos faſcinare (hoc eſt, in tuendo lædere) cum quadam animi affectione magis, vt cùm attentè intuentur cum quadam inuidentia. Proinde hoc periculum multò magis ſubire pulchros quàm deformes, & cum laude magis quàm cum vituperatione. Vnde religio nata eſt, bene imprecandi, ei quem cum admiratione & cum laude intuearis, alioqui (dicunt) faſcinetur. Alij faſcinationis timorem, ad alias etiam quaſcunque inuidentiæ cauſas extendentes, ſi quid comedūt auidè, quod alium quempiam vident intueri, motu percuſſi partem cibi ſtatim porrigunt, ne faſcinentur. Porrò dicunt hanc paſſionem in puſillos incidere potiùs quàm in grandiores, quòd teneriores ſint, & (vt ipſi dicunt) leuiori ſanguine, hoc eſt (vt arbitror) minùs fæculento & melancholico, tametſi pulchræ etiam mulieres & quæ ſe tales eſſe præſumunt, ſibi cauent. Quin etiam ad animalia cætera dicunt hanc affectionem pertinere Nam & gallinas, & agnos. & equos. ferunt faſcinatos aliquando cecidiſſe. Ex his omnibus quæ de faſcinatione circumferuntur, fieri videtur, vt, etſi modo & ſubiecto variet, illud tamen commune omni faſcinationi ſit, oculis & intuitu inferri. Itaque videtur eſſe læſio oculis illata, non tamen hoc ſolùm Nam ſi, qui ophthalmia laborat, obuium quempiam inficit, atque ophthalmia facit laborare, nemo vnquam dixerit faſcinaſſe Quidam addunt læſionem illam illatam oculis, oculis etiam concipi. vbi is qui faſcinatur & qui faſcinat, ſeſe mutuò intueantur attentè. Itaque ponunt in ratione, ſeu notione faſcinationis duplicem oculorum reſpectum, & inferri, & concipi oculis. Alij ponunt hæc ſeorſum, quaſi duplex ſit ratio faſcinationis, aut illata, aut concepta oculis paſſio. Quapropter erit multò verius faſcinatio, cui vtrunque accidet & inferri, inquam, & concipi oculis. Sed neque hoc vtcunque. nam & ophthalmia per contagionem genita, infertur & concipitur oculis, neque vlla ratione potiùs, quàm ſi qui primaria laborabat, & qui inficitur, ſe mutuò intueantur. Sed neque ſi quis peſtilenti affectus febre. aut etiam ſine febre. deferens ſecum peſtis ſeminaria, alium intuens intuétem inficiat, dicitur faſcinaſſe, ſed peſte affeciſſe. Quid ergo aliud poſſimus adiicere ad integram faſcinationis rationem; certènihil (vt videtur) aliud, quàm timorem illum ſuperſtitioſum, & ſuſpicione inuidentiæ, vt ſi pulcher puſillus ſit, intueatur verò maligna anus quæ pulchritudinem miretur, & oderit. Hanc enim ob cauſam duobus occurritur remediis, vt ſigno

Ocolorū faſcinatio.

gno aliquo contemptus, vt implicatis digitis(ficam noſtri vocant) aut bona precatione, alterum enim horum indicat, eum qui intuetur, non admirari, neque laude dignum magnopere cenſere, ſiquidem contemnit, alterum, non odiſſe, ſiquidem precatur bona. Ita etiam ſi quis comedens aliquid intuenti auidè, non porrigit, rimet faſcinationem, quia intuenti expetentique, eſt inuidioſus, inuidiæ enim obiectum eſt, ingratum bonum. Videtur itaque faſcinatio eſſe paſſio oculis illata & concepta, profecta ex quadam affectione animi eius qui intuetur. Quapropter rationem aliquam pulchri, aut expetibilis eſſe oportet in eo quod faſcinetur, & malignitatis in faſcinatore. Si autem hæc eſt faſcinationis ratio, quiuis facilè intelliget faſcinationem eſſe ſuperſtitioſum quendam timorem ex ſtulta credulitate profectum, eiuſmodi ſunt quamplurima alia in hominum vita. Argumento eſt, quod mulieribus magis quàm viris, & viris indoctis magis quàm peritis probatur ea opinio. Tametſi video in ipſis etiam doctis eſſe quoſdã, qui quadam ambitione, omnia quæ vulgus miratur, tueri curent ſubtilitatis magis, quam veritatis amatores; vnde iudiciarij, Magi, Præſtigiatores, & ſecretorum periti haberi volunt, quorum ingenia ego nunquam faſcinabo. At dices, faſcinationis opinio neque vulgaris eſt, neque noua, ſiquidẽ antiquiſſimi & probatiſſimi authores ſcripſere multa illius remedia: ſi verò nulla re vera eſſet faſcinatio, vanum eſſe prorſus eius remedia recenſere. Plinius lib. 26. cap. 10. inquit, *altera Satyriõ Orchus cognominata fœmina eſſe creditur, diſtinguitur internodijs & ramoſiore frutice, faſcinis vtili.* idem lib. 28. cap. 4 *repercuti faſcinationes deſpuitione affirmat* Inuentæ itaque iam ſunt tres faſcinationis præcautiones: fica, & benedictio in eo qui cernit, ſpuitio in eo qui cernitur. Idem commendat lib. 13. cap. 4. contra faſcinationes oſſicula quædam palmarum lunata, & dente, neſcio qua religione, polita. Idem corium frontis hyenæ faſcinationibus reſiſtere affirmat lib. 28. cap. 18 Ariſt quoque ſectione 20. problematum dicit, rutam antidotum eſſe faſcinationũ Non aliter profectò, ac nunc puſillis collo ſuſpenditur Gagates. Nõ videtur ergo figmentũ eſſe faſcinatio, cuius tam multa remedia inuenta ſunt. Nam naturaliũ remediorum cognitio non aliter conſtat quàm experimento: non poteſt autem eſſe auxilij, quin ſit ipſius etiam paſſionis experimentum: id verò ſi eſt, certè & ipſa faſcinatio eſt in rebus. Quod aliis etiam antiquorum dictis confirmatur. Nam & Virgilij eſt illud carmẽ: *Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.* Plinius quoque libro 7. cap. 2. *In Africa*(inquit)*eſſe familias quaſdam faſcinan*-

Faſcinationis reprehẽſio.

Satyrion Orchis.

Faſcinationis remedia.

Gagates lapis.

faſcinantium. Iſigonus & Nymphodorus tradunt, quarũ laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriãtur infantes. Eſſe eiuſdem generis in Triballis & Illyriis, adiicit Iſigonus, qui viſu quoque effaſcinent, interimantque quos diutiùs intuiantur. iratis præcipuè oculis. Quod eorum malum faciliùs ſentire puberes Vides vt multi antiquorum faſcinationem aſſeruerunt. Atqui & illa verba Eccleſ. 31. *Nequius oculo quid creatum eſt?* aliquibus ſonant faſcinationem. Præterquam quòd & in ſacris extant duæ illæ quas præſcripſimus orationes, in quibus faſcinationis mentio ſit. Verùm de præſcriptis orationibus poſteà dicemus, reliquis occurramus. Atqui (vt incipiamus ab vltimis) Virgilius non induxit ita loquentem Socratem, aut Ariſtotelem, ſed opilionem, vt debeat meritò obloquentem perſonam cenſeri id dicere, non ex ſua ſententia, ſed ex vulgi opinione, qua nihil eſt incertius. Plinij verba, & Iſigoni ac Nymphodori authoritas, non indicant eſſe verè vllam effaſcinationem, ſed ſi figmentum eſt, nouum non eſſe. Porrò Eccleſiaſticus, oculi nomine inuidentiam damnat. Quæ de antidotis dicuntur optimè interpretatur Ariſtoteles loco nuper citato, dicens rutam cenſeri faſcinationis remedium, quia tunc ſe putant homines faſcinari, cùm voraciter edunt, aut incommoditatum aliarum tenentur ſuſpicione, aut perturbantur ipſa faſcinationis opinione, vt ſi animaduertant alium intueri in cibum quem capiunt. Ob voracitatem ergo, aut perturbatũ eſum repleri flatibus, à quibus angantur aut vomant. rutam verò tunc temporis prodeſſe, quia flatus abſumit, atque id non intelligentibus, videri faſcinationem tollere. Certè ruta commendatur aduerſus dæmones & faſcinationes, ac denique aduerſus omnes paſſiones, quæ cẽſentur eſſe ſacræ, vt aduerſus terribilia inſomnia, Phantaſmata, & nocturnos timores; huius verò cauſa eſt, quòd abſumit flatus, & ſiccat, extinguitque ſeminis redundantiam. Pleraque verò eorum quæ in Dæmones vulgus refert, naſcuntur ex dictis cauſis, vt facilè diſces ex Hippocrate libello de flatibus & de morbis virginum. Hoc idem dicimus de radice Orchidis præterquã quòd ea radix ſemẽ expellit, potiùs quàm abſumit. Gagates lapis fortaſſe cõparauit eam authoritatẽ quia recreat vuluæ ſtrangulationes. Iam verò oſſicula palmarũ lunæ à ſuperſtitioſum remediũ eſſe, vt ab errore conceptũ, potiùs quàm verum malum, conſtat vel ex ipſis Plinij verbis. Ipſe enim dicit, religione quadam politum. Illa verò religio ſuperſtitio eſt, multò magis ſuperſtitioſũ eſt expulſione repellere faſcinationẽ, atque hoc ipſo remedio teſtari videtur homines, faſcinationem non eſſe vllam à naturalibus cauſis illatam noxam; ſed ad

Rutæ vis.

Orchi herba.

ad veneficia & Dæmones pertinere. Nam hac ipſa religione videas nunc ruſticos, vbi Satanæ abrenunciant, nominato eo ſemper ſpuere, eadem ſcilicet religione, qua contra faſcinationes. Eidem vanitati atteſtatur remedium quod quæritur ex ſica, & ex deprecatione. Naturalia enim non eſſe hæc, ſed ſuperſtitioſa, quis non videat? Sed & his dimiſſis, ipſa per ſeſe res vana eſſe conſpicitur. Quid enim facit (ſublata eius qui ſe lædi putet, imaginatione) placeas, an diſpliceas ei qui te aſpicit, oderit, an amet? niſi fortè placet opinio Auicennæ 9 Metaphyſicæ, qui hominis animam, ea dicit vi pollere, vt poſſit imaginatione ſola permouere materiam longè poſitam, ac diſſitam. Ea verò opinio nulli ſanæ mentis homini probatur, ac tunc quoque imaginationis eſſet faſcinatio, non oculorum.

Faſcinatio eſt vana ſuperſtitio. Faſcinationis itaque nomen antiquum eſt, atque ſecundùm antiquam ſignificationem, nullum naturalem morbum ſignificat, ſed ſuperſtitionem vanam, ex vulgari natam opinione. atque ideò neque Hippocrates neque Galenus, neque veterum Medicorum quiſquam (quod ego ſciam) faſcinationes meminit, neque inter morborum differentias, neque inter eorum cauſas. Vnde rurſus non parum probabile accipitur argumentum eius vanitatis. Neotericorum quidam, vt aſſerant faſcinationem, tollunt ab eius ratione affectionem animi eius qui intueatur, inuidentiam inquam illam, quia ea ſola videtur efficere faſcinationem ſuperſtitioſam, dicuntque faſcinationem eſſe infectionem quandam malignam oculis illatam. Alij addunt, & oculis conceptam. Aiunt igitur multò magis quàm partem vllam aliam noſtri corporis, poſſe virus quodcunque iaculari in alium, ob rectitudinem illam radiorum viſualium, ſecundum quam, vt perſpectiui monſtrant, viſio agitur. Deferri igitur virtus, ſi quod ineſt. cum radiis illis viſoriis, atque in rem conſpectam firmiter infigi. Porrò addunt a corde in oculos habere id virus ex peditiſſimam viam, argumento, quòd cordis paſſiones citiſſimè oculis ſeſe inſinuant: ab oculis verò emiſſum, oculis eius qui contrà ſpectet, quàm vlla alia parte recipi faciliùs, ob ſimilitudinem, quæ parit ſympathiam: atque eadem ratione receptum oculis facillimè rendere in cor, vtpote à corde veniens. Deinde ex Galeni ſententia, quæ multis non inevidentibus argumentis confirmatur, dicunt, intra noſtra corpora gigni poſſe vera venena: multos enim repente mori conſtat, cum eiſdem omninò ſignis, quæ accepto veneno ſolent apparere, tametſi liquidò conſtet acceptum non eſſe. Id etiam venenum poſſe non exiguum tempus intra corpora latere, nulla interim illata euidenti noxa, indicant, quia à

cane rabido morſi ſunt, quorum nonnulli etiam anni dimidium ſolent, ſine conſpicua affectione tranſigere. ita etiam mulieribus menſtruatis virus quoddam verè venenoſum agitati, agitatumque emitti per oculos, & hauſtum aliorum oculis, maximè puetulorum, qui & teneriores ſunt, & incautiùs reſpectant, tranſmittere in cor, atque lethalem inferre noxam. Neque id videri debere mirum, ſiquidem Ariſt. 3. de Hiſtoria animalium capite decimonono, eum ſanguinem vitiatum eſſe affirmat; adeò autem vitiatum eſſe cenſent, vt dicat Plinius cap. 15. libri ſeptimi: *Nihil facile reperitur mulierum profluuio magis monſtrificum, aceſcunt enim* (inquit) *eius ſuperuentu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus inſedêre, decidunt. Speculorum fulgor aſpectu ipſo hebetâtur, acies ferri perſtringitur, eborisq; nitor, aluei apum emoriuntur, at etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus aërea, & in rabiē aguntur guſtato eo canes, atque inſanabili veneno morſus inficitur.* Plura etiam non minùs mirabilia, dicit ibidem lib. 7. c. 2. Ex his videtur fieri probabile mulieres menſtruatas, quibus tantum virus intra corpus agitatur, ſolo intuitu poſſe lethaliter inficere: atque vt hæ ſecundùm naturam colligunt monſtrificum virus, ita poſſe eſſe homines quibus naturaliter veneficum quidpiam inſit, quod per oculos, cùm intuentur recta, ſimul cum radiis viſoriis emittatur, quorum ſit periculoſiſſimus aſpectus, hoſque eſſe faſcinatores: quorum etiam ſcribunt notas, dicentes, hic eſſe in oculis ambobus, aut altero binas pupillas; aut in altero oculo pupillas duas, in altero effigiem quandam equi, aut canis. Vt vero quidam homines ſint tales, ſunt qui cauſentur temperamenti proprietatem, ſunt qui ſubſtantiæ modum, ſunt etiam qui putreſcentiam ſpirituum: qui verò ſunt eorum ſapientiſſimi, natale aſtrum. En quæ maximè videntur abeſſe à præſtigioſis fabulis, eorum quæ de faſcinatione dicuntur. Quæ tamen omnia, ſi animi affectum, eius qui effaſcinet tollas, minimè videntur dici debere effaſcinationes, ſed infectiones venenoſæ; neque venenoſi illi homines faſcinatores, ſed venenoſi, vt & viperæ, & ſcorpiones, bufones, ac multò magis baſiliſci. Itaque vt illa animantia effaſcinantia nemo vocat, ſed venenoſa, ita neque tales homines eſt quòd voces faſcinatores. Si enim ſtudes opinionem de ea re vulgatem afferere, nomen quidem retinet, notionem autem eius minimè. fuiſſe enim ab antiquiſſimis illis ſæculis, in faſcinationis notione, iram, aut inuidentiam præter verba, quæ ex Plinio produximus, & Ariſtotele, ipſum nomen Græcum facilè indicat Vocatur enim Græcis

Mēſtruorum malignitas.

Faſcinatorum notæ.

faſcinatio *βάσκανία*, & faſcinare *βασκαίνειν*. Significat verò hoc
idem verbum, inuidere, itaque *βασκανία*, eſt inuidentia & faſci-
natio : quaſi faſcinatio ſit læſio cum quadam inuidentia illa-
ta. neceſſe igitur eſt dicere, illos ipſos venenoſos homines,
tunc magis inficere, cùm aſpiciunt cum quadam inuidentia.
Non quidem ob ipſam inuidentiam per ſe (ne in Auicennæ
apertè falſam opinionē incidatur) ſed ex accidēti, quod is ani-
mi affectus attentiùs faciat intueri; atque tunc propriè eſſe fa-
ſcinationem quandam, vt à Baſiliſco. Sed tunc quoque hæc de
Baſiliſcus. faſcinatione ſententia ponit viſionem agi exeuntibus viſonis
radiis, cum his ſiquidē deferri vapores venenoſos: quā tamen
minor pars Philoſophorum recipit. itaque iam ea opinio non
poterit eſſe omnibus Philoſophis cōmunis, ſed peculiaris Pla-
tonicorum. Deinde veriſimile non eſt, poſſe cuipiam homini
ſecundùm naturam eſſe vim alteri homini venenoſam. Nam
vt animal animali ſit venenoſum, facit magnum naturæ diſſi-
Saliuæ vis. dium, & contrarietas. Vt vipera homini, & homo viperæ habet
ſaliuam venenoſam. Sed neque vipera viperæ, neque homo
homini adeò aduerſam poteſt habere naturam. Nempe cauſæ
omnes quas reddunt, partim futiles, partim ineptæ ſunt. Pri-
mùm quidem quod de natali aſtro dicunt, mihi riſum mouet
(tametſi eſt grauiſſimorum hominum ſententia, hominum
tamen,) neceſſe enim eſſet, omnes qui illa ipſa hora eſſent nati
eſſe faſcinatores. Sed de huius Aſtrologiæ vanitate (ſi modò
Aſtrologia dicenda, ac non potiùs diuinatio Chaldæorum,) in
hoc ipſo opere diximus multa. Temperiei aut ſubſtantiæ diſſi-
militudo non poteſt eſſe tanta in rebus eiuſdē naturæ & ſpe-
ciei. Siquidem ex differentia temperamenti naſcitur differen-
tia naturæ Certè neq; quod de baſiliſco dicunt, poſſum adduci
vt credā eſſe verum, ſed fabuloſum, vt alia innumera. nedum
vt ea natura in hominē transferatur aduerſus alios homines.
Conſentaneum multò magis ſit, baſiliſcum interimi hominis
aſpectu, ſi modò eum ipſe necat, vt de ſaliua hominis & viperæ
dicebamus Neque quidē argumenta cuiuſquā momenti ſunt.
Nam quæ de menſtruo ſanguine affirmant, falſa eſſe ac fabu-
loſa, ipſum indicat experimentum. Verſamur enim quotidie
cum menſtruatis citra vllam noxam, à quibus tamen ſi vera
illa eſſent, neq; lapides, neq; ipſa duriſſima metalla illæſa eſſe
poſſent. At verò menſtruus ſanguis eſt ipſemet quo mulier
nutritur. Qui nonnunquam ob ſolam redundantiam, citra vl-
lam prauitatem emittitur, aliquando etiam ob malam quali-
tatem, qualis tamen eſt in reliquo ſanguine : nimirum quam
Hippocrates iubet contēplari in colore, quia ſi ſunt alba, ſint
pituitoſa,

pituitoſa, ſi flaua, biliosa. Quæ cùm apparent, nullis incantationibus aut præſtigiis iuuet occurrere, ſed neque alexipharmacis, quibus venena franguntur, ſed medicamentis expurgãtibus, quibus ſoluũtur cacochymiæ. Itaque menſtruus ſanguis vitioſus plerunq; eſt, quia expultrix virtus ſemper fertur in id quod deterius, minimè tamẽ venenoſus, ſed qualis eſſe ſolet in corporibus cacochymis. Iam verò quod poſſint in noſtris corporibus gigni venena, nihil ad faſcinationẽ. Gignuntur enim præter naturam, faſcinatores verò eſſe tales natura dicunt. Quid ergo ſupereſt? nunquid ſatis illis ſit, ſi concedamus etſi naturaliter faſcinatores nulli ſint, tamen eos qui ſunt præter naturam affecti, & morboſi, multò magis poſſe per oculos inficere, quàm per aliam partem? Certè quàm per aures ego conceſſerim, non tamẽ quã per os aut nares, malim enim me aſpiciat, qui peſtilenti tenetur apparatu, quàm ſpiritum in me emittat. Nam & putridi aëris veniet multo plus, & ab ore in cor, per arteriam aſperam, eſt longè expeditior via, quàm ab oculis. Oculi (dicunt) mittunt facile ſua mala in alios. Quæ? nunquid rixas? an ſuffuſiones? an nubes? minimè, ſed ophthalmias. Eſt itaq; ophthalmia morbus cõtagioſus. Quid ad faſcinationẽ? manus quoq; ſcabies contagioſa eſt. Faſcinamus ergò manibus Vnde ergo (dices) nata eſt inter omnes homines hæc opinio de faſcinatione, ſi ea adeò nihil eſt? ex leuium (arbitror) hominum credulitate. Diuus Baſilius cognomento Magnus, in Homilia de Inuidia, ſpreta vulgari hac de faſcinatione ſententia, vt muliebri, dicit cenſere ſe dæmones vti inuidorum hominum oculis ad lædendum, vt inſtrumento quodam Itaque non humanos per ſe, ſed dæmones per eos lædere infantes, & inde natam eam opinionẽ eſſe. Sed quoniam hæc cauſa Phyſica non eſt, ad me non ſpectat, neq; ad hoc opus. Quam ergo habuiſſe occaſionem ſuſpicer, audi. Pueros ſolito nitidiores, craſſiores, pulchriores etiam eſſe, res eſt comperta ſatis, neq; minùs hoc ſolere ſæpiſſime, occurrẽtes, & viros & mulieres, admirari, laudare atque attente intueri, & vlnis geſtare, moritare, ac denique cum illis ludere. Scitum etiam eſt illud Hippocratis: *habitum qui ad ſummum bonitatis attingit, periculoſum eſſe.* & illud Celſi, *Qui nitidiores ſolito ſunt, ſuſpecta bona ſua habere debẽt.* Cũ ergo puſilli ob natalem habitum, non rarò ſoleant, cùm viderentur habere optimè, in magna pericula repentè incidere, vulgus cauſam non intelligens, in laudatorum, quales illi quotidie habent quàmplurimos, oculos, & inuidentiam, reiicit, illos (quæ eſt hominum leuitas) ſequuti ſunt viri alioqui eruditi, &, vt eſt talium ignorantia diſerta, proceſſit paulatim res ad

Oculorum vires ad mala inficienda.

Ophthalmiæ contagium.

Pueri faſcinationi obnoxij.

ad agnos, ad gallinas, ad equos, ad ſegetes, ad arborum fructus, ad ipſa metalla, ad ſpecula, ad lapides. Rubigine obducuntur, heberantur, franguntur, comminuuntur, mendacia mera. Iam eſt cauſa in ſubſtantiæ proprietate, in venenoſa natura, iam in aſtris, meræ nugæ. Neque verò Diuus Paulus faſcinationem aliquam naturalem eſſe aſſeruit, ſed quaſi prouerbio quod ex vulgi opinione natum eſt, vtens dixit, *Quis vos faſcinauit recedere à fide?* hac loquutione inſinuans, illos temerè ac ſine vlla cauſa receſſiſſe à fide cùm viderentur in ea profeciſſe quamplurimùm. Iam verò faſcinatio nugacitatis vocatur in ſacris quod à Diuo Ioanne in Epiſtola prima, concupiſcentia oculorum, hoc eſt, auaritia, & cupiditas rerum alienarum. quia enim is morbus concipit oculis, vocatur per allegoriam faſcinatio: dicitur verò nugacitatis, quia bonorum fallacium, iuxta illud Pſalmi quarti: *Filij hominum vſquequò graue corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* hoc eſt, vana & mendacia bona. Itaque concupiſcentia oculorum eſt faſcinatio nugacitatis. Hæc obſcurat bona, quia, vt dicitur in Epiſtola prima ad Timotheum, *cupiditas radix eſt omnium malorum*, & vt eodem Sapientiæ dicitur, *Inſtantia cupiditatis tranſuertit ſenſum ſine malitia.* Itaque loquutio illa Sapientiæ de faſcinatione allegorica eſt. Allegorica verò accipitur à vulgari opinione. Neque mirum. indicatum enim eſt anteà multis exemplis, in ſacris etiam eſſe morales fabulas, & allegorias à fabulis tranſlatas, non aliter atque in moralibus Philoſophorum libris. Velut & in ea ipſa re de qua diſſerimus, interpretantur nonnulli Platonici ſuper conuiuio, ſiue de Pulchro, amorem, ſiue furorem amatorium eſſe faſcinationem, quòd ea paſſio, eius quæ adamatur oculis plerunque videatur illata, concepta vcò oculis eius qui amat ſemper (niſi forè quandoque concipitur auribus, rariſſimè tamen ſolis) & oculis concepta in cor illabitur, cuius affectione corpus tabeſcit, ſine vllo alio morbo manifeſto. Vide quàm congruat hæc allegoria, quæ tamen ex vulgari, & falſa de faſcinatione ſententia nata eſt. Ita igitur, ſi quis placens Deo, factúſque ei dilectus (qualem illic deſcribit author Sapientiæ) & viuens inter peccatores, per concupiſcentiam oculorum mutetur, & amittat intellectum, dicetur appoſitiſſimè faſcinator, quia cùm valeret optimè, per oculos valde læſus eſt, & in grauiſſimum coniectus periculum, quod pertingit cor per oculos. Nam ita dicitur Hieremiæ 22 *Tui autem oculi, & cor ad auaritiam.* ob has itaque cauſas is animi effectus dicitur faſcinari. Hæc verò ſunt Metaphoricæ locutiones, ad formandum animum comparatæ

Furor amatorius.

paratæ: verus ſit is ſermo vulgi vnde ſunt acceptæ, an non, nihil refert. Veræ enim ſunt ipſæ Metaphoricæ loquutiones. Velut ſi adulatores Syrenes eſſe dixeris, non mentieris, tametſi Syrenes reuera nullibi ſint.

CAPVT LXIX.

CAp. 11. Sapientiæ. *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, immittere illis multitudinem vrſorum, aut audaces leones.*

Mirari euenit hoc loco, cur dicat Salomon ex inuiſa materia creaſſe Deum orbem terrarum, ſiquidem creauit ex nihilo. Quapropter neque ex vlla materia, ſiue viſa, ſiue inuiſa. Hanc dubitationem facilè deuitabunt, aſſerentes mundum hunc factum eſſe ex quadam congerie rerum omnium, citra vllum ordinem commiſtarum, quam vocant, chaos, vt Plato; aut ex atomis, vt Anaxagoras, Empedocles, & Epicurus. Hi enim omnes huic rerum vniuerſitati ortum aliquem tribuentes materiē ex qua conſtitit, faciunt æternam. Mihi verò in ipſo huius operis initio monſtratum eſt, nihil omninò eſſe in rebus æternum, præter illud quod vnum, & primum, ac per ſe ens, hoc eſt, Deum. Illud igitur nunc ponentibus, videndum quid de præſenti dubitatione dicamus. Certè ſi quam habet mundus totus materiam, quæ eadem ſit rerum omnium creatarum, aut certè corporearum, dicere poſſimus Deum feciſſe terrarum orbem ex illa materia, non quidem præexiſtenti, ſed concreata cum formis. Velut ſi nunc repentè Deus creet ſtatuas humanas, aliam cedrinam, aliā abietinam, aliam quercinam, dicemus aliā factā eſſe ex cedro, aliam ex abiete, aliam ex quercu, tametſi non potiùs conſtiterint illa ligna, quàm ſtatuæ. Quòd ſi hoc ita habet, conſtat materiam illam communem rebus omnibus, eſſe per ſeſe inuiſam, atque adeò inuiſibilem quandoquidem ſi per ſe videri poſſet, haberet qualitatem aliquā aſpectabilem, vt candorem, lucem, non nigritiem: quodcunque autem illorum haberet, non poſſet eſſe materia cōtrariorum, vt ſi eſſet candida nigrorū, & ſi nigra candidorū, ſi lucidā luce carentiū. Nam aut materia candida, nigrorum induens formam, maneret candida, aut candorē deponeret: ſi maneret, fieret res eadem ſimplexque candida & nigra: ſi deponeret, eſſet iam illa, materia vtriuſq; cōtrarij, eius videlicet quod deponeret, & eius quod reciperet. Quapropter vtrumq; cōtrarium

Mundus ex materia inuiſa creatus.

rium rationem haberet formæ: forma enim formam excluderet, non materiam. Quare ille candor non eſſet materiæ per ſe, ſed per formam. Ipſa igitur materia aſpectabilem qualitatem per ſe habere non poteſt. Eodem argumento fit, vt neque audibilem, neque odorabilem, neque tangibilem, ſed neque omninò vllam rationem aut formam, ſiue ſubſtantiæ, ſiue accidentis habere poſſit. Itaque neque dici poſſit per ſe hoc, neque tantum, neque tale, neque ad aliquid aliud, ita aut aliter habeat. Hac ratione Ariſtoteles communem ac primam rerum omnium materiam ponens, dicit eſſe meram potentiam citra omnem actum. Plato, qui diſertiſſimè de ea diſputauit, ita inquit: *Intelligēdum eſt quòd cùm eſſe debeat effigies rerum omni formarum varietate diſtincta, nunquam illud ipſum formationis huius gremium bene erit præparatū, niſi informe ſit, & ſuapte natura omnibus formis qua recepturum eſt, careat. Nam ſi erit alicuius eorum quæ in ſe recipit ſimile, cùm contrarium eius cuius ſimile eſt naturam, aut aliam prorſus ſuſcipiet, nequaquam eius ſimilitudinem, & effigiē exprimet: cùm per ſe tulerit ſuam, quo fit vt nullam ſibi propriam habeat ſpeciem, quod eſt omnia genera ſuſcepturum.* Hæc & alia multa eodem ſpectantia ſcripſit Plato in Dialogo de Natura, quæ, vt in commētariis de Phyſica doctrina indicauimus, nullatenus diſcrepant à ſententia Ariſtotelis: ambo enim cenſent, vt & cum ipſis omnes nunc Philoſophi, materiam per ſe nullum ens eſſe, neque omninò rem vllam, quia ſcilicet omni actu caret: ſed neque nihil eſſe, quia eſt principium immanens omnium rerum. Meo igitur iudicio cùm hac in parte nulla illis Philoſophis diſſenſio ſit, libuit Ariſtoteli de nomine altercari cum Platone, quod dixerit eſſe ſimpliciter non ens, quaſi ſimpliciter non ens idem ſit quod nihil. Plato verò non ita intelligit, ſed quòd non ſit ens, niſi quodammodo. Iuxta hanc itaque ſententiam, quæ communis nunc eſt omnium Philoſophorum, dicemus feciſſe Deum orbem terræ ex materia inuiſa, & omninò inſenſibili, atq; adeò per ſe penitus informi, hoc eſt, ex materia prima. Quoniam verò quæ in libris ſacris ſcripta ſunt, non oportet ad cuiuſpiam opinionem interpretari, ſed ad veritatē, videndū eſt quàm certa, atq; firma ſit de materia prima aſſertio, atque ſi eius monſtratio ad probabilitatem procedit ſolùm, aliam quæ omni careat dubitatione, præſentis loci interpretationem adhibere. Certè eſſe rebus omnibus corporeis vnam communemque materiam, facilè dicitur, non ita tamen intellectu facile eſt, ſi quis conſideret exactiùs. nam vt anteà indicauimus, neceſſe eſt per ſeſe omni careat forma, quod primum omnium intelligi non poteſt.

Materia prima.

Nam

Nam quod non eſt aliquid,& ens,cur non ſit nihil ? porrò quo pacto poſſit non ens (ita enim illam vocat Plato) eſſe principium ex quo immanens entis ? nam ſi Ariſtoteles rectè probat in quarto de Phyſica doctrina , cap.1. elementa corporum non poſſe eſſe incorporea,cùm tamen cenſeat(quod eſt veriſſimum) non manere elementa prima in rebus actu,ſed potentia ſolùm, multò minùs poſſit eſſe corporum incorporea materia , ſiquidem ea qualis qualis ſit, maneat actu in rebus neceſſe eſt : non poteſt autem illa eſſe corporea per ſe, ſed per formam, alioqui quantitas illi per ſe ineſſet. quare non eſſet mera potentia. Rurſum ſi ea corporea per ſe non eſt, quæ maior neceſſitas, vt corporeæ ſubſtantiæ materia conſtent, quàm vt Angeli. Hos verò omnes immateriales appellant,quaſi magnitudo materiæ ipſius ſit per ſe,atque per hanc fiant res quantæ.Ob has & alias huiuſmodi dubitationes veteres Philoſophi partim poſuerunt vnam omnium materiam , eamque ſubſtantiam quandam re vera quantam,alij aquam,alij aërem,alij ignem,alij etiam terram , alij ſubſtantiam mediam tenuitate & craſſitie : partim nullam generationis ſucceſſiuæ rerum poſuerunt materiam, ſed ſeparatione & congregatione rerum ſimilarium priùs exiſtentium, oriri & interire res putabant diſſimulares, vt Empedocles, Anaximander,& Anaxagoras. Qui omnes principium materiale ab elementis non diſtinguentes , rerum omnium reſolutiones perducebant vſque ad ſimpliciſſimas aliquas ſubſtantias, Empedocles ad ignem, aërem, aquam , & terram. Anaxagoras & Anaximander ad ſimilaria , vt carnem, os, neruum,& innumera alia eiuſmodi. Alij ad vnũ aliquod quatuor primorum corporum quodcunque eis videbatur reliquis eſſe prius Horum omnium ſententiæ hoc vnico argumento refutari videntur, quòd neceſſe ſit illud quod primum eſſe ponitur, ſiue vnum ſit,ſiue multa, carere generatione & corruptione,atq; ſolùm recipere congregationẽ & ſeparationem, ſecundùm ſententias Empedoclis, Anaximandri,& Anaxagoræ : vel denſationem.& rarefactionem, vel extenuationem , & incraſſationem ſecundùm priores ſententias. At verò reipſa videtur conſtare illud eſſe falſum Nam videmus fieri aërem ex aqua, & ex illo ignem, & ex pane ſanguinem , atque ex hoc carnem, ac deniq; ſimpliciſſima omnia fieri alia ex aliis, quod ſi ita eſt, videtur Ariſtoteli neceſſariò fieri ,vt ſit illis alia prior communiſque materia,quæ per ſe nihil illorum ſit, ſed formarum omnium expers. Illi verò reſponderent,haudquaquã fieri res illas verè vt putamus, ſed ſeparatione apparere quæ deliteſcebant, cõgregatione deliteſcere quę apparuerãt.Quod ſi cui videatur

Corpus ex incorporea materia eſſe nequit.

confictum ad reſpondendum, neque adeò dignum fide, atque ob id nullam dictarum eſſe probabilem ſententiam, poſſit fortaſſe dicere, rerum compoſitarum materiam eſſe res ſimplices, vt hominis carnem & oſſa: & earum quæ ſimplices primo intuitu apparent, alias ſimpliciores quæ latitant: verè autem atque exactè ſimplicium nullam eſſe materiam, ſed factam eſſe illatum quancunque ex materia, vt ignem ex aëre: non verò in materia, vt ſigillum effigiemve in cera: itaque fieri res ſingulas etiam ſimpliciſſimas ex materia aliqua, vnam verò eandemque omnium nullam eſſe, quæ enim neceſſitas, vt quod ex alio fit, immanentem habeat materiam; quoniam (dicunt) res artificiales nos manu ducunt, vt intelligamus, nihil niſi in quadam materia fieri, vt ſcilicet lectus & arca ex immanente ligno, ſigillum ex cera. Dicat verò fortaſſe quiſquam ex aduerſo, hoc artificialium rerum eſſe proprium, naturalibus verò non perinde accidere, quia res artificiales fiunt ex naturalibus, naturales verò non poſſunt fieri niſi ex ſeipſis mutuò; quia non vt arte natura prior eſt, ita ipſa natura aliud quidpiam. Cùm verò fiunt res ex rebus non vt immanentibus, velut lectuli ex nuce, & cedro, fieri; ſed vt deſinentibus, velut menſa ex arca. Quapropter nō videtur opus eſſe ponere primam materiam rerum naturalium, ſed fieri alias ex aliis mutuò, atque ita eſſe circularem rerum generationem & infinitam; non finitam & rectam. Quid ergo diceret hæc ſententia de primis rerum principiis? an eſſe nulla non certè, ſed eſſe formam, & potentiam proximam, & priuationem: eam verò potentiam & priuationem, eſſe non in vlla materia communi genito & corrupto, ſed in eo ex quo res fit. Cur enim fit potiùs caro ex ſanguine, quàm ex vino aut melle? an quia ſanguis potentiam habet ad formam carnis, vinum verò non habet proximam? Illa ergo potentia proxima cum priuatione, quæ neceſſariò adeſt, & forma quæ ingruit, prima principia ſunt rerum ſimplicium. Compoſitarum verò principia ſunt, res ſimplices, vt materia, & forma totius. Atqui profectò (quamquam pleriſque aliter videbitur) ego exiſtimo hanc eſſe ipſiſſimam ſententiam Ariſtotelis & Platonis. Nam vt in commentariis capitis ſeptimi ſecundi libri de Phyſica doctrina, & iterum capitis quarti, ſecundi de Anima (tametſi cùm hæc ſcribo, commentaria in libros de Anima, ſcripta multis antè annis nondum ſunt in lucem emiſſa) indicaui, apud Ariſtotelem hæc omnia nomina, forma rei, & id quod res eſt, & eſſentia, & ipſum rei eſſe, & quod hoc eſt, eandem prorſus rem ſignificant. Quia re vera, rei naturalis forma, nihil aliud eſt, quàm res ipſa qua hæc & talis.

Formæ nomina.

Id

Id verò falſum eſſet, ſi præter formam eſſet in re materia prima immanēs, non enim eſſet rei forma, ipſa res actu qua talis,quia forma materiam non habet,res haberet. Plato quoque in Dialogo de Natura hominis multis argumentis contendit, hominem eſſe ipſam hominis animam, quod cùm hominem animal eſſe,ac proinde corpoream ſubſtantiam, toties ipſemet Plato dixerit, verum eſſe aliter non poterat, quàm ſi ipſa hominis anima eſſet nihil aliud quàm ipſius eſſentia,eſſentia verò ipſum quod quid erat eſſe hominem, hoc eſt, ipſe homo, quia actu talis & perfectus.Tametſi hoc(vt rem totam apertè explicem)non tam exactè dicitur de heterogeneis ſubſtantiis. Quis enim ſepararet ignis formam ab ignis corpore,aliter quàm ratione? nimirū ignis forma eſt ipſe ignis actu talis,& perfectus: corpus,hic idem qua ignis formā,rationem & entelechiam,ſeu perfectionē conſequutus,quod quidem eſt res eadem numero, rationes duæ, quarū coitione fit ipſum ignem eſſe.Quæ cogitans Plato, poſuit illa tria rerum principia,idem,& alterum,& eſſentiam.Quæ eadem principia Raymundus Lullius vocauit, tiuum,bile,& are,hoc eſt factiuum eſſe,factibile eſſe,& facere, hæc tria intelligens,non quidem effectiuè,vt videntur ſonare, ſed formaliter, & hæc quidem Platonicè. Maximè verò mihi videtur errare,quòd diuinam naturam cum creaturis ineptè & arroganter coniungat, ſed de illius doctrina agere loci huius non eſt. Illud ſolum interfuit dicere, ſua illa tria principia, tiuum, bile, & are, eadem eſſe prorſus cum Platonicis, eodem altero,& eſſentia.Quæ omnia cùm iuxta Ariſt.& Platonis ſententiam ratione potiùs ſeparari,quam re ipſa, & numero indicauerimus, conſtat eſſe conſentaneum, iuxta illorum placita, niſi heterogeneorum,materiam nullam,velut alteram rei partem actu immanentem poni, ſed doctrinæ ſolùm gratia intelligi primam materiam,& formam homogenei,vt quædam ratione diuerſa. ſi quid verò his ampliùs de communi & prima materia dicitur, hypotheſim quandam eſſe ob rudiores confictam,& expeditiorem progreſſum Philoſophiæ, qua & ego in Phyſicis auditoriis vſus ſum. nunc verò cùm ad reconditiora Philoſophiæ eſt peruētum, æquum eſt aperire prouectioribus veriora. Quandoquidem ergo aſſertio de materia prima, per ſeſe formarum omnium experte, adeò vacillat, neceſſe eſt aliam loci præſcripti interpretationem inuenire. Ea certè non eſt difficilis, neque aliunde petita quàm ex ſacris. Conſtitit enim in initio Geneſeos, antequam Deus diceret, *fiat lux*, extitiſſe quatuor elementorum corpora,confuſa,& deliteſcentia ſub tenebris, quæ futurorum omnium materia tenebroſa, ac

De Raymūdi Lullij doctrina.

proinde inuiſa ante orbem terrarum facta eſt, ex qua deinceps ille. Neque igitur ob hæc diuini oraculi verba opus eſt communem materiam ponere, in qua omnes corporum formæ recipiantur, tametſi fieri nihil niſi ex materia poteſt, nihil enim fit ex nihilo, ſed quoduis ex alio, vt ex ligno ignis, ex ſuo alimento lignum, & ita aliud quodcunque. Sed quæ (dices) neceſſitas, vt quoduis ex alio fiat, ſiquidem nullam ex corrupto accipit manentẽ materiam, id quod gignitur? certè quia nulla naturalis via eſt ad generationem, niſi per alterationem, atque neceſſe eſt generationem alteratio præcedat, alteratio verò alicuius ſubſtantiæ neceſſariò fit: neque ſanè alterius quàm eius quæ corrupta in aliam ſubſtantiam commutatur. Nam alteratio immodicè producta in corruptionem neceſſariò finitur, quia naturale rei temperamentum tollit. Vt igitur res aliqua oriatur, neceſſe eſt aliam interire; non quidem vt ab ea mutuetur materiam, ſed ob contrarietatem. Vt autem hoc ita fiat, hæc eſt cauſa. Rerũ ſingularũ naturæ nihil ſine inſtrumentis agere poſſunt extra ſeſe, quapropter neq; generare: inſtrumenta verò earum ſunt elementorum virtutes, calor dico, frigus, humor, & ſiccitas. Non poteſt autem ignis verbi gratiâ calore vti, aliter quàm calefaciendo, neq; aqua frigore, quàm refrigerando, non poteſt autem calefacere, neque refrigerare, niſi ſit quod calefiat aut refrigeretur, non calefiet autem ignis qui nondũ genitus eſt, neque refrigerabitur, quæ nondum eſt aqua. Calefiat ergo neceſſe eſt vt ignis ab igne fiat, aliud quod ignis nondũ eſt, futurus autem ſit, vt lignum; aut refrigeretur, quod aqua nondum eſt, futura autem ſit, vt aër. Quapropter rectè anteà dictum eſt, non poſſe quidpiã, niſi ex aliquo fieri, quia generatio omnis ab alteratione incipit. Data autẽ eſt rebus à naturæ parente ea contrarietas, & neceſſitas pugnandi ad generationem, non ob communem materiam, ſed quia, ſi aliter quàm per pugnam generare poſſent, neque talem repugnandi vim haberent, aut nihil generaretur, aut generatio rei cuiuſque procederet in infinitum. Nihil enim eſſet quod modũ poneret rei cuiuſpiã productioni, niſi omnia ſibi ponerent mutuò, mutuò repugnando. Dices fortaſſe; locus modum poneret. Omnes igitur res generarent ſibi ſimile, dum eſſet vbi caperetur, & generare deſinerent, cùm non eſſet. Igitur mox atque vno impetu proceſſiſſent rerum omnium generationes, vſque ad ſummam totius orbis repletionem; atque ſtatim generatio omnis eſſet ſublata. Vt igitur rerum generabilium ſucceſſiua geneſis ſeruetur per æuum, vt ipſe rerum parens voluit contrarietatẽ indere, & res alias ex aliis fieri, velut aliæ aliis loco cedunt. eaque contrarietate

Generationem antecedit corruptio.

trarietas neceſſitatem affert,vt res ex rebus fiant,ſi & communem materiam non habeant.Igitur neque hæc dubitatio cogit primam rerum materiam ponere,ſed vt dictum eſt.Porrò iuxta hanc ſententiam conſequens erit dicere, principium quod vocant indiuiduationis, non eſſe materiam , ſed magnitudinem, quod vel per ſeſe eſt valde conſentaneum.Nam eſſentia rei per ſeſe indiuidua eſt,quapropter vna & tota,in multitudinem non poteſt abire , niſi ſecundùm diuiſibilitatem. Diuiſibilitas verò neque formæ neque materiæ eſſe poteſt , niſi per quantitatem (quanti enim propria eſt diuiſibilitas)igitur multitudo in eadẽ ſpecie,quantorum ſolùm, atque ob quantitatem eſt. Qua ſanè cauſa, & qui eam ad materiam referunt intelligentes non ineſſe materiæ per ſe,addunt ſignata quantitate ; id verò vix intelligi poteſt. Si enim materiæ ipſi per ſe nullum ineſt accidens,certè neque ſignatio, neque quantitas. Veriſimiliùs ergo refertur ad quantitatem ratio indiuidui , quàm ad materiam. Et tota rerum vniuerſitas propriùs diuiditur in corpoream, & corpore carentem ſubſtantiam,quàm in materialem,& immaterialem , niſi quis his nominibus eaſdem res intelligat. Sic enim de nominibus altercari minimè expediet. Nihil igitur prohibere videtur quin dicamus materiam primam eſſe nihil, non ſolùm non ens ſimpliciter,vt dicit Ariſtoteles,aut ſimpliciter non ens , vt dicit Plato. Quorum virorum ſententias ab hac quam nunc ſtatuimus,nihil cenſeo re vera diſcrepare. Non enim eſt , quod non eſt ens.

Indiuiduationis principiũ.

CAPVT LXX.

De Philoſophia Pythagorica.

CAp.10. Sapientiæ : *Omnia in menſura , & numero & pondere diſpoſuiſti.* Et 4.libro Eſdræ cap.4. *Quoniam in ſtatera ponderauit ſeculum, & menſura menſurauit tempora , & numero numerauit tempora.*

Vt Plato dicit in dialogo de Natura,fas non erat, quidquam niſi pulcherrimum facere eum qui eſt optimus. Cùm enim ipſe ſit ſimpliciter pulcherrimus & optimus , feceritque omnia, vt in mundi geneſi indicauimus, ad ſimilitudinem ſuam, neceſſe eſt , vt fecerit omnia, ſuo quodque genere , pulcherrima , & optima , vt ſanè ipſi viſa ſunt. Cùm igitur omnis pulchritudo ſenſibilis in proportione & concinnitate ſit partium , neceſſe fuit mundum hunc ſenſibilem , ſecundùm ſuas

partes,quæ ſenſibiles etiam ſunt, proportionem quandam tenere certam, & totum ad partes ſingulas, & eas omnes inter ſeſe, vnde neceſſe eſt mundum finitæ & certæ eſſe magnitudinis, & eius omnes partes præcipuas. Nam in rebus diuiſibilibus, quod infinitum, aut incertum, imperfectum eſt & deforme. Quapropter, non ſolùm ſi quampiam præcipuarum partium eleuares, vt ſtellam, ſed etiam ſi cuiuſpiam illarum, etiam deſpectiſſimæ quantitati adiiceres aliquid, aut demeres, officeres mundi machinæ, & eius pulchritudini. Quia nihil temerè in eo factum eſt, ſed omnia ad menſuram, numerum, & pondus, iuxta proportionem quam habebant in diuino exemplari.

Pythagoricorũ dignitatum examen.

Huius rerum pulchritudinis rationem aggreſſi ſunt Pythagoræi inueſtigare. Res prorſus diuina, humanis verò viribus impar, neque vlli (arbitror) præter ipſum Deum ſatis cognita. Illorum verò conatum quis non laudet, & ſuſpiciat? qui non ſolùm aggreſſi ſunt, ſed per numerorum etiam ſcientiam, pro hominum captu aſſequuti ſunt multa Mihi nunc non eſt animus, totam hanc Philoſophandi rationem perſequi; quia neque id pro dignitate efficere poſſem, neque ſi poſſem, ad meum inſtitutum eſt admodùm ex vſu. Sed id ſolùm indicabo, quod propoſitum eſt. Omnia ſecundùm certam rationem, & proportionem eſſe facta, & primam omnium menſurarum eſſe numerum, deinde & earum rationem rectè transferri ad inſenſibilia, & totam rerum naturam factam eſſe ad numerum, atque exempli gratia adiiciam de numeris, quæ neceſſe erit, non quaſi omnium numerorum naturam perſequar, ſed vt viam à longè indicem, cui Pythagorici inſtiterunt, mirabilem quidem illam, & veriſſimam, neque vlla in parte Philoſophiæ Ariſtotelicæ, quæ meritò nunc omnium maximè probatur repugnantem, quod vbi factum fuerit, grauitas ſententiæ verborum quæ præſcripſimus, & aliorum quæ ſparſim in libris ſacris ſcripta ſunt, eluceſcet. Deum quidem omnia feciſſe ſecundùm certam rationem, & proportionem, facilè ſuaderi poteſt, conſideranti Deum omnia opera artificialia, quæ fieri iuſſit, ad normam certam menſuramque ab ipſomet traditam, fieri iuſſiſſe. Quare qui in artificialibus, certam commenſurationem, adeò amauit eam in naturalibus, cuius ipſemet per ſeſe eſt effector, non deſpexerit. Sed quæ ſunt artificialia, quæ nos in cognitionem ſtructuræ rerum naturalium, velut manu ducunt? Iuſſit Noë vt ædificaret Arcam. An qualis & quanta illi videretur? non ſanè. Sed, *trecentorum*(inquit)*cubitorũ erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius, feneſtram facies in arca, & in cubito conſummabis ſum*

ſummitatem illius. Exodi 25. dicitur monſtraſſe Deus exemplar, ſecundùm quod faceret tabernaculum, & omnia ad illud ſpectantia. Omnium verò eorum definiuit ipſemet Deus magnitudinem, numerum, & pondus. Arcam teſtamenti habere iuſſit longitudinis duos cubitos cum dimidio, latitudinis & altitudinis cubitum cum dimidio, menſam panum propoſitionis, longitudinis duos cubitos, latitudinis cubitum, altitudinis cubitum cum dimidio: candelabrum ſeptem calamos procedentes ex haſtili vno. & ſingulos calamos ternas ſphærulas, ternos ſcyphos, & terna lilia: altare quinque cubitos longitudinis, totidem latitudinis, & tres altitudinis, atrium longitudinis cubitos centum, latitudinis quinquaginta, altitudinis quinque. Mitto innumera ad horum ornamentum, & ſacra deſtinata, quæ omnia certis numero, & menſura, iuſſit Deus fieri. Iam verò ſtructuram templi, quod ædificauit Salomon, longum eſſet recenſere. Licet legere 3. lib. Regum cap. 6. In explicandis harum ſtructurarum, & numerorum ad equos factæ ſunt Sacramentis, multi fœliciter laborauerunt, mea nunc non referret, niſi ſolum animaduertere, omnes has ad certum numerum & menſuram eſſe factas, vt conſtet multò magis, in magni huius templi, quem mundum dicimus, ſtructura, certam rationem ſeruatam eſſe, quam tamen ad amuſſim tenet ſolus ipſe architectus. Conferri quidem res corporales aliæ cum aliis ſecundum plus, aut minùs, aut æquale, nō poſſunt aliter, quàm numero, pondere, aut menſura: numero quidem vt denario, aut centenario: pondere vt libra, aut vncia: menſura vt cubito, aut palmo. Porro menſura duplex eſt: altera enim conſtat extenſione, vt vlna, aut digitus: altera capacitate, vt congius, vrna modius, & ſemodius. Secundùm omnes has menſuras, ſeruata eſt ratio quædam in mundi ſtructura. Nam eſt certus numerus partium omnium. Primùm quidem maximarum ternarius: regio enim ima corporum mobilium & corruptibilium: & media mobilium ſine corruptione: & ſuprema incorruptibilium & immobilium, quæ ſedes eſt beatorum, & cœlum cœli. In prima eſt quaternarius elementorum. In ſecunda, ſeptenarius orbium errantium ſtellarum, & denarius omnium. In ſuprema veriſimile eſt eſſe vanitatem, ſiquidem principium eſt omnium corporum, & ſedes deſtinata ei quod verè eſt vnum. Iam verò menſura eſt quædam certa partium ſingularum, & aliarum ad alias proportio quædam. Decuplo maius eſſe cenſent Philoſophi elementum quodcunque continens, eo quod continetur: velut aquam terra, & aërem aqua, & aëre ignem. Iam verò quod ad

Arcæ teſtamenti ſtructura.

Menſura quid.

cœle

cœleſtium orbium menſuram attinet, cenſet Plato, primum orbem æqualis craſſitiei, ſeu altitudinis eſſe, cum eo ſpatio inani quod eſt inter terram & cœlum: ſecundùm orbem duplo craſſiorem primo, ſiquidem æqualem cum toto ſpatio aëris & primi cœli: tertium orbem eſſe quadruplo craſſiorem ſecundo, quia duplum totius ſpatij aëris, & duorum orbium: quartum ad tertium habere proportionem quadruplam ſequi alteram, vt 36. ad 8. quintum orbem ad quartũ habere proportionem decuplam ſeſquinonam, vt 384. ad 36. ſextum ad quintum proportionẽ nonam, vt 3456. ad 84. ſeptimum ad ſextũ trigeſimã primã ſuper partientẽ medietatẽ, vt 108864. ad 3456. Iam verò & ſphæræ ſolidæ, quæ intra dictos orbes continentur, proportione quadam conſtãt magnitudinum. Dicunt enim maximã, fixarum ſtellarum centies & ſepties continere terræ molem: Iouem nonageſies & quinquies. Saturnum nonageſies & ſemel. Martem terra eſſe maiorem ſeſquialtera tantùm proportione. Solem verò maiorem terra centies ſexageſiesſexies. Venerem verò eſſe partem vigeſimam terræ. Mercurium quoque minorem eſſe Luna, & hanc triplo minorem terra: terram autem totam (cum qua & aquam intelligo, quia vnicum conflant globum) eſſe 252000. ſtadiorum, quæ conflant ſeptem millia leucarum Hiſpanarum. Hac verò magnitudine, neque maiori, neque minori conſtitiſſe terram, non caſu, ſed ſumma Dei ſapientia, conſtat ex illis verbis cap. 38. Iob, quibus illum Deus ita affatur: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi ſi habes intelligentiam, quis poſuit menſuras eius ſi noſti?* Ponderis quoque habita eſt ratio in mundi ſtructura. Ita enim terræ centrum ad centrum mundi aptatum eſt, vt non poſſit eius globus in hanc aut illam partem inclinare, ſed firmata quieſcat, aquæ verò partes terræ partibus interiectæ, ita vt non poſſint ſeorſum abire, ſed omnibus fontibus, qui velut ex venis quibuſdam erumpunt, pondere latis ad æqualitatem, vnicam cum terra reddãt ſuperficiem: quod dicitur illis Sapientiæ verbis: *Quando librabat fontes aquarum.* Itaque menſura & numero & pondere diſpoſita ſunt omnia. Cùm verò ſint hæ tres menſuræ, quæ ſcilicet peculiariter vocatur menſura, eſtque quantitatis continuæ, & numerus, qui per ſe eſt quantitatis deiunctæ, & pondus, quod eſt ſubſtantiæ corporeæ & craſſæ: videtur ex rei natura, menſura prima eſſe videri: prior quidem pondere, quia magnitudo poteſt eſſe ſine pondere, & in tenuibus elementis & cœli corpore, pondus, tamen non poteſt eſſe ſine magnitudine: numero verò, quia numerus fit diuiſione continui, quare continua quãtitas, prior eſſe

De magnitudine terræ & aſtrorum.

Tria menſuræ genera.

eſſe videtur quàm deiuncta, ac proinde & menſura, quàm numerus. At verò ſi quis exactè conſideret, videat rem non ita ſe habere, quin potiùs numerum priorem eſſe omni menſura. Nam diuiſione fieri ex vno corpore multa, & quod actu erat vnum, & potentia multa, fieri actu multa, veriſſimum eſt. At verò non proinde verum eſt, numerum omnem fieri continui diuiſione: nam Angelorum numerus ſine vlla magnitudine conſtitit. Nihil ergo minus eſt in ratione numeri, quàm fieri ex continui diuiſione, ſed euenit aliquando, neque id quidem ſecundùm rationem & formam numeri, ſed ſecūdùm materiam. Si enim tripedale erat corpus, quod in tria pedalia diuiſum eſt, habebat etiam antequam diuideretur, ternarium: alioqui non fuiſſet tripedale. Nam quid aliud eſt eſſe tripedale, quàm habere tres pedalitates, & duodecim palmos, & quadraginta octo digitos, & centum nonaginta duo grana? Tot igitur habebat id corpus partes, non quidem ſeparatas, cùm nondum eſſet diuiſum, ſed coniunctas. Tamen nihil obſtat coniunctas eſſe, quominùs ſint tres pedalitates, alioqui neque proportionē habet vllam corpus ad corpus. Cur enim tripedale ad bipedale proportionem habet ſeſquialteram, niſi quia hoc duas, illud tres pedalitates habet? Si autem neq; illud tres, neque hoc habet duas, quia ſeparatas nō habent, ſit vt neque proportionem habeant ad ſe vllam: habent verò; ergo & numerum. Itaque indicatum eſt, quæcumque ad ſeſe proportionem habent vllam conſtare certis numeris. Habent autem aliquam magnitudinem omnes, ſiquidem nulla eſt infinita. Ergo nulla magnitudo eſſe poteſt ſine numero eſt, verò numerus ſine magnitudine, vt indicatū eſt; igitur numerus prior eſt quàm magnitudo, quare & quàm menſura: eſt verò menſura prior quàm pondus, quia menſura eſt magnitudinis, craſſitiei. Magnitudo verò prior eſt craſſitie, cùm craſſities non inſit niſi quantis. Igitur numurus prior eſt omni alia menſura, atque omnis proportio naſcitur ex numero. Neque id ſolum ſpectatur in corpore quanto, ſed & in aliis omnibus quantis, vt in motu, & voce, & aſpectabilibus figuris. Nam cantat hic ad characteres quos intuetur in charta, ille ſaltat ad cantum. quod fieri non poſſet, niſi ſingula haberent proportiones quaſdam, & omnia ad ſe mutuò proportionalitates quas vocant, hoc eſt, ſimilitudines proportionum. Ergo ſunt & in ipſis figuris, & motu ſaltantis, & in canentium vocibus numeri ac proportiones. Neque in his ſolùm, quæ etſi non omnia eodem modo, quanta tamen ſunt, ſed & in qualibus quæcunque ſecundùm magis & minus dicuntur, eſt numerus. Nam & calidum & album eſt aliud

Numerus omnium prima menſura.

aliud alio duplo magis tale, & quadruplo: in ratione verò dupli, tripli, & quadrupli, ſunt duo, tria, & quatuor. Nam ne definiri quidem ſine his poſſunt. Sed hactenus indicauimus, numerum intrinſecum eſſe rebus omnibus ſecundùm partes magnitudinis, aut intenſionis, ſecundùm, id inquam, quo, tanto aut tanto maius aut minus, magis aut minus, tale dicitur quidpiam. Eſt autem etiam ſecundùm partes eſſentiæ numerus in rebus. Quod in accidentibus primùm, deinde & in ipſis ſubſtantiarum formis, tentandum eſt indicare; in tranſeuntibus quidem ex ipſis definitionibus, cùm tempus, recte Ariſt. ſit numerus qui numeratur in motu: motus verò numerus, quo numeratur tempus. Secundùm Platonem verò, tempus eſt æternitatis in vnitate manentis imago in numero fluens. Sed & immanentes conſtare numeris facilè intelliges. Figuræ quidem omnes habent eſſentiam in numeris: nam planæ in vnitate aut multitudine linearum, ſolidæ ſuperficierum, vt circulus in vnitate lineæ: ſphæra in vnitate ſuperficiei: triangulus in ternario linearum; cubus in ſenario ſuperficierum. Ita & aliæ omnes. Ipſa verò linea in vnitate dimenſionis, ſuperficies in binario, corpus in ternario. Sed & relationes eorum, quæ dicuntur ad aliquid, habent in numero, aut vnitate eſſentiam, quia ſecundùm ſimilitudinem aliquam aut diſſimilitudinem referuntur. Similitudo verò vnitas quædam eſt rationis alicuius, diſſimilitudo pluralitas. Ipſæ quoque patibiles qualitates, variis eſſentiis ad numerum quendam conflatis conſtant: ſeu potiùs in numero quodam formarum vnam in conſpirantium habent propriam eſſentiam, quod ex definitionibus colorum apud Platonem facilè intelliges: *Splendidum* (inquit) *albumque rubeo miſtum flauum procreat. Rubeum cum albo nigroque, purpureum generat. Fuluum flaui fuſcique temperatione producitur, fuſcum verò albi & nigri confuſione. Pallorem albi flauique copula generat. Caruleũ cum albo, glaucum. Fului nigrique temperie color viridis naſcitur.* Hæc Plato. Vnde conſtat, ſingulas colorum ſpecies in copula quarundam eſſentiarum, ad proportionem quandam, & certos numeros, habere eſſentiam. Conſtat enim non ſolùm fieri colores quoſdam ex quibuſdam, ſed cum certa quadam proportione. Non enim ſi albi duplum cum vna nigri proportione miſceas, idem extat color atque ſi contra apponas nigri duplum. Nimirum ſola proportionis cuariatio mutat eſſentiam: velut compoſitorum medicamentorum vires, & naturam mutatio proportionis ſimplicium, manentibus eiſdem. Conſtant verò, vt mixta corpora corporibus ad numerum coëuntibus, ita eſſentiæ eſſentiis, vt colorum exemplo indica

De numero in rebus.

Miſtio colorum.

indicatum eſt: conſtarque omnium eſſentia certa menſura & numero, (indicatum enim anteà eſt non poſſe eſſe menſuram ſine numero,) etiamſi nobis nota eſſe non poſſit ſingulorum menſura·proinde dixit ibidem Plato: *Quo autem menſura modo ſingula ſingulis miſceantur, etiamſi quis nouerit, narrare prudentis non eſt, præſertim cùm neque neceſſariam neque veriſimilem de his rationem afferre vllo modo poſſit.* His verbis ſignificat, etiamſi nos eum numerum definitè neſciamus in ſingulis, omnia tamen facta eſſe ex rebus ad numerum quendam compoſitis, vt corporea ex corporibus, ita eſſentias ex eſſentiis, atqui ipſa compoſitio corporum, vtpote apertior, manuductio eſt ad formarum compoſitionem. Cùm enim pictores, commixtis certa quadam proportione liquoribus fuluo & nigro viridem reddant, conſtat verum virorem fuluitie nigritieque ad numerum aptatis conſtare (dicitur corporum compoſitio Phyſica, formarum Metaphyſica;) ſimplices verò omninò, ſiue res, ſiue formæ corporeæ nullæ ſunt ſeorſum, ſed in ipſis compoſitis, vt vnitates in numeris Producentes autem ampliùs hanc ratiocinationem, facilè intelligimus, non ſolùm accidentium formas, ſed ſubſtantiarum etiam eſſentias, ita conſtare: ſiquidem aliæ alias, vt numeri numeros continent. Scitè enim illud dictum ab Ariſtotele eſt, vegetatiuum in ſenſitiuo eſſe, vt trigonum in tetragono, ſcilicet vt ternarium in quaternario (nam figurarum differentias numeros eſſe, anteà eſt indicatum;) vt verò hæc, ita alia omnia ad ſubſtantiarum formas ſpectantia, habent. Nimirum eſſentiales vocatæ perfectiones, ſunt in aliis plures, in aliis pauciores, vt vanitates in numeris, & ab eminentioribus inferiores continentur, vt numeraria numeris. Iam verò & in rerum principiis primis, eſt ratio numeri. Nam forma vnitas eſt, materia pluralitas, quia forma per ſe omnia quibus ineſt facit vnum; materia plura, cùm participatione ſpeciei omnes homines ſint vnus homo, ob materiam verò vnum hoc animal adeò multiplicetur. Indicatum ergo videtur ſatis, omnia corpora, ac corporales affectiones, & formas, ac eorum principia, feciſſe Deum ad numerum, atque ei omnibus eſſe numerum natura intimum Quod ſi ita eſt, haud dubiè multò verius id dicatur de incorporeis ſubſtantiis, quandoquidem perfectiori quadam, & eminentiori participant natura, ac proinde pulchriores ſint, & magis concinnæ, fuerintque propriùs illæ factæ ad numerum, in quibus nulla alia menſura ſit, cùm neque magnitudinem vllam habeant, neque pondus: illarum ergo priùs ac propriùs eſt numerus, quàm corporearum. Quoniam verò in tota rerũ vniuerſitate,

Numerus in primis principiis.

ſingula facta ſunt ad numerum,& omnia ad quendam concentum, & harmoniam.reſpondent ſpiritalia corporalibus, atque vt hi cœli aſpectabiles nouem ſunt qui circulo voluuntur, ita inuiſibilium & mobilium per accidens, qui etiam in ſacroſanctis interpretibus vocantur cœli, ſunt nouem ordines, atque vt ſupra nouem orbes mobiles eſt alius immobilis, quem dicimus eſſe ſedem beatorum, ita ſupra omnia inuiſibilia, eſt illud vnum,primum ac optimum nulla ratione mutabile. Ariſtoteli quidem conſentaneum videtur motibus cœlorum ſubſtantias illas incorporeas, ac per ſe immobiles præficere, non verò eas eſſe putat ſupra numerum eorum, ſed ſingulis aptat ſingulas:mihi verò videtur plurimum detrahi gloriæ & ſplendori rerum omnium domini, per tantam miniſtrorum penuriam. Quapropter non nouem ſolùm ſubſtantias, ſed nouem earum ordines eſſe cenſeo. Non quidem ita,vt nouem ſint ſpecies, & magna multitudo ſingulariū. Cùm enim magnitudine careant, quam diximus eſſe principium indiuiduæ multitudinis, non poſſunt eſſe multæ perfectione pares, ſed inæquales omnes, vt numeri. Itaque vt quiuis numerus ab alio quouis ſpecie differt, ita quæuis incorporea ſubſtantia ab alia quacunque. Nihil tamen prohibet eſſe nouem ordines velut nouem genera. Nam tametſi ſingularia ponere ratio prohibet, quia in magnitudine non eſt earum forma, vt corporeatum, tamen ſpecies & genera nihil vetat, cùm habeant etiam ſuam compoſitionem eſſentialem,atque(vt inquit Plato)ex quibuſdam eſſentiis colligatæ ſint, ab eodem à quo ſunt colligatæ diſſolubiles, alioqui eſſet earum ſubſtantia penitus ſimplex, quod niſi primæ non euenit. Itaque ſunt illæ ſubſtantiæ compactæ ex eſſentiis, quas nouit is qui compegit,non tamē coierint temerè, & vtcunque, ſed ad numerum, pro ſingularum perfectione. Si enim certam ſeruatam eſſe rationem, & proportionem in viliſſima etiam rerum conſtitutione indicatum eſt, quo pacto illæ præſtantiſſimæ & pulcherrimæ ea caruerint? itaque omnia & viſibilia & inuiſibilia, facta ſunt ad numerum. Quod ſi ita eſt, cùm non ea fecerit Deus, & aliqua tunc cùm faceret meditando excogitauerit, ſed ad æternum exemplar quod apud ſe habebat, quod eſt eius verbum, conſtat in ipſo omnium parente Deo eſſe vnitatem & numerū. Si enim omnia ad numerum facta ſunt,apud Deū erat numerus. Quòd ſi numerus & vnitas (vnitas enim eſt principium numeri,igitur in Deo primum quidem vnitas erat)deinde & infinita illa fœcunditas per quam ex nihilo fecit tam multa.Quoniā verò ea erat initiū producendæ multitudinis, rectè vocetur dualitas,

Cœlorum numerus.

Numerus apud Deum.

dualitas, accedente verò vnitate ad dualitatem, velut vtriuſque copula, neceſſariò eſſet ternarius. Nemo autem, arbitror, intelliget, ita à me dici eſſe in Deo vnitatem, aut dualitatem, aut ternarium, quaſi accidentia quædam, cùm in primo non poſſit eſſe accidens, neq; eſſe tria, quaſi diuerſis prædita naturis, quia quod primum, neceſſariò eſt vnum. Neceſſe eſt ergo illis tribus vnitatem accidere, vnde fit quaternarius, qui continet omnes numeros. Erat igitur in æterno exemplari omnis numerus, ad quem facta ſunt omnia. Philoſophi, qui ob amorem ſapientiæ nomen id conſequuti ſunt, rerum omnium naturam & eſſentiam, pro ſua virili conati ſunt agnoſcere exactiſſimè; cùm verò id nulli hominum contingere poſſit, dum huius corporis vtitur miniſterio, & horum ſenſuum, qui nihil agnoſcunt præter accidentia, quaſi ſubſtantiarum vmbras, per quaſdam rerum analogias, ſeu ſimilitudines, conati ſunt prope veritatem accedere quaſi circum circa verſantes. Velut Pythagoras, ea omnia quæ de numeris diximus, atque alia multa, vt erat perſpicaciſſimus contemplatus, omnium rerum cauſas & naturalium problematũ ſolutiones redegit in rationes, primùm quidem Geometricas, deinde Arithemeticas. Nimirum intelligens, quandoquidem omnia certa menſura, & numero facta ſunt, ſuo quodque genere pulcherrima neceſſe eſſe, vt omnium harmonia quædam & concentus, atque Phyſica reſpondeant Geometricis, & hæc Arithemeticis. Atque quoniam, vt indicatum eſt, numerus eſt omnium prima menſura, ſint Arithmeticæ rationes quaſi omnium prima principia. Plato hanc ipſam rerum concinnitatem admiratus eſt, numerorum naturas ſuſpiciens, nihilominùs intelligens (arbitror) numeros aliquarum rerum eſſe numeros, vt denarius ouium boum, & caprarum; ac proinde oportere vt in ipſis rebus aliquæ naturæ ſint ſubiectæ numeris, quæ ipſæ analogam aliquam cum numeris habeant rationem, quam numerorum (alioqui non differret ſeptenarius Vergiliarum & Planetarum, non enim qua numerus, cùm idem ſit) vtranque rationem philoſophandi coniunxit, & eam quæ ad numerorum perfectiones omnium cauſas redigit, & eam quæ conſiderat Phyſica principia. Simul enim mundi omnes partes numeris adptauit, & de forma atque materia, motu & tempore, & elementorm qualitatibus diſputauit, modúmque agendi & patiendi, per quem rerum mutationes, ortúſque & interitus, cùm violenti, tum etiam naturales contingunt, perſequutus eſt. Quod quia non fecerunt Pythagorici, ſed ſolis definitionibus per numeros latis cõtenti ſunt, ſimplicitatis notãtur ab Ariſtotele Metaphyſicorum

Philoſophorũ de numero conſideratio.

rum capite quinto Ipſe verò Ariſtot. numerorum magna ex parte depoſita cura, & ſenſibilium magis conſiderationi ſermonem accommodans, corporearum ſubſtantiarum principia per analogiam cum rebus artificialibus intepretatus eſt, & elementorum & rerum compoſitarum virtutes, non aliter quàm per ipſas actiones, in his diiudicandis fidem ſenibus non derogans. Nimirum, vt videmus, quæcunque res arte fiat, vt arca, menſa aut lectus, fieri materia aliqua formam aliquam recipiente, & quamcunque formam cum alia communi; ita vt quicquid fit hoc aut tale, ex non hoc, aut non tali fiat, velùt menſa ex ligno quod non erat menſa, ſed arca, aut aliud quiduis: ita (inquit) cenſendum eſt in naturalibus, ponendúmque neceſſariò, tria eſſe rei cuiuſque principia, formam, materiam, & priuationem. Et vt arca fit ex ligno per hanc formam ſeu figuram, à fabro lignario ad prandendum, ita rerum quoque naturalium quadruplices eſſe cauſas: fieri enim quiduis ab aliquo, ex aliquo, per inſitam formam, alicuius boni gratia. Siquidem nihil fruſtra: effectrices verò cauſas commutationem naturalium eſſe virtutes elementorum, calorem ſcilicet, frigus humorem, & ſiccitatem, quas non, vt Plato, per figuras corpuſculorum, ex quibus elementa ſint coagmenta, exponere ſtudet, ſed per ſenſibiles paſſiones, vt quod fundit & liquat, calidum, quod cogit & denſat, frigidum quod emollit, humidum, quod indurat, ſiccum. Non tamen quia Philoſophorum principes, diuerſis adeò viis inſtiterunt, neceſſe ſit eorum aliquem aliquóſve deerraſſe, aut contraria repugnantiáve dogmata tradidiſſe, quin potius reſpicientes ad diuerſa, diuerſis viis ad eandem veritatem iter feciſſe, vt is eius plurimum videatur eſſe conſequuturus, qui ea dogmata rectè coniunxerit. Quod vno aut altero exemplo præſtiterit indicare, vt videntes conſonare ea, vt verum vero: atque effectis Arithmeticas, Geometricas, & Phyſicas cauſas rectè quadrare, aliquid deguſtemus illius concentus, & harmoniæ, ac pulchritudinis, quam diximus, intelligamúſque veriſſimum dictum eſſe illud Sapientiæ, *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti* Dubitatur de numero elementorum, curque ea quatuor ſint. Reſpondet Ariſtot. quia ſunt quatuor qualitates actiuæ. per quas aguntur omnes ortus & interitus. aut igitur ſingulis elementis dabuntur ſingulæ, atque ita erunt elementa quatuor: aut binæ (ternæ enim non poſſunt, quia inerunt contraria) & cùm ex quatuor qualitatibus habentibus duas contrarietates, quatuor ſolùm poſſint conſtitui coniugia qualitatum non contrariarum, ita quoque erunt

Tria rerũ principia.

Cur ſint quatuor elementa.

quatuor,

quatuor. Plato reſpondet, quia cùm mundum oportet habere non latitudinem ſolùm, ſed altitudinem quoque, & eſſe ſolidum, neceſſe fuit ipſa quoque elementa ſolida eſſe. Fecit ergo Deus duo ſolida ſupremum & infimum. Illa verò oportuit, quò ex extremis fieret vnum, medio aliquo colligari. At verò ſolidis non eſt ſatis ad bonam coaptationem vnum medium, ſed duobus indigent, contra ac latis, quibus ſufficit medium vnicum. Velut in numeris, in quibus qui fiunt ductu ſolius vnitatis, vocantur lineares, quia vt linea fit ſolius puncti ductu, ita illi vnitatis, vt ternàrius, & ſpetenarius. Qui fiunt bis replicato eodem numero dicuntur plani, nimirum vt planities habent duas dimenſiones, ita illi duo latera, vt quaternarius, qui fit ex bis duobus, & nouenarius ex ter tribus. Qui fiunt ter replicato eodem numero, dicuntur ſolidi, quia ſolidum in magnitudinibus fit ex tribus dimenſionibus, vt octonarius fit ex bis duobus bis, & 27. fiunt ex ter tribus ter. inter numeros ergo planos, eſt inuenire vnicùm medium, qui ſecundùm eandem propotrionem illos colliget, hoc eſt, eadem proportione ſuperet minorem, qua ſuperetur à maiori. Inter ſolidos verò id fieri non poteſt, per vnicum, poteſt tamen per duos medios. Vt inrer qnatuor & nouem, qui ſunt primi plami, ſunt ſex, eadem exiſtente proportione à nouem ad ſex, quæ à ſex ad quatuor in 8. tamen & 27. qui ſunt primi ſolidi, nullus talis eſt numerus, ſunt autem duo 18 & 12 eadem enim eſt proportio à 27 & ad 18. & à 18. ad 12. & ab hoc ad 8. ita igitur, vt duæ ſolidæ magnitudines aptè colligarentur, opus fuit duobus mediis, vnde quatuor elementorum corpora conſtitêre. Hæc Plato. In qua ratiocinatione vides rationem Phyſicã redigi ad Geometricam, & Geometricam ad Arithmeticam; quia elementorum ſubſtantiæ indicántur per magnitudines, & magnirudines per numeros. Conſtat verò, hanc rationem non eleuare illam Ariſtoteleam, neque ab ea eleuari. Simul enim conſiſtunt, quia neceſſe eſt elementa, & alias omnes mundi partes præditas eſſe idoneis facultatibus, ſimulque idonea menſura magnitudinis, eamque ptopottionem, quæ in numeris habet eſſentiam, vt indicatũ eſt antea, ad alia omnia habere, & eo eſſe numero, vt in omnibus ſit, & ſecundùm ipſas ſubſtantias & ſecundùm propria accidentia, perfecta quædam pulchritudo, & ad numeros ac muſicam harmoniam videanrur eſſe facta. Quapropter neceſſe eſt, ipſas etiam rationes Philoſophandi cónſonare, & eam quæ principiorum, & elementotum naturas conſiderat per ſe, & quæ magnitudinum proportiones & numerorum quaſi concentus. Omnia

enim inſunt. Atqui profectò vtram vtri præferas, haud facile ſit dictu. Nam illa ſenſui magis ſe accommodat, ac propiùs accedit ad materiam, hæc verò diuinior eſt, haud dubiè, quia magis fert contemplationem diuini exemplaris. Et hoc etiam præſtat, quod multorum reddit elegantiſſimas cauſas, quorum illa alia Philoſophia ne tentet quidem dicere vlla, velut cur ſint ſeptem planetæ, quid dicent qui non habent rationem numerorum? illi verò dicunt quaternarium corporibus ortum & interitum habentibus, atque genitis & generantibus: ſeptenarium verò accommodatiſſimum numerum eſſe corporibus ingenerabilibus, neq; ſimilia ſibi generantibus, cuiuſmodi ſũt cœleſtia. Quia quaternatius primus numerus eſt qui generetur ab alio, & alium generet, fit enim à duobus bis, & generat octo, acceptus bis. Septenarius ſolus eſt intra decem (hi autẽ ſunt omnes numeri) qui neq; generantur ab alio, neq; aliũ generant. Atqui quoniã linearis eſt, fitque ex vnitatibus illis, maximè congruit corporibus incorruptilibus, quæ ſingula ſua quodque orbe vnum conſiſterent. Verùm exempli gratiâ, hæc dixiſſe ſatis ſit. licet cuiuis legere huiuſmodi innumera quæ plurimùm arrideant apud Platonem, & Philonem, & Diuum Auguſtinũ, & inter iuniores apud Marſilium Ficinum, & Auguſtinũ, Eugubinum, & Picum Mirandulæ, & innumeros alios, ex quibus perſpicuè agnoſcet mundi huius aſpectabilis pulchritudinem, & numerum, eò quòd omnia facta ſint ad menſurã, numerum, & pondus. Quamquã ſatis certò ſcio quòd exactè id agnoſcet nemo, vſq; dum videat diuinũ illud exemplar, cuius imitatione facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, quod factũ eſt. Reliqua adiiciamus. Non ſolùm res omnes viſibiles & inuiſibiles fecit Deus certis menſura & numero, & pondere, ſed & ipſa ſęcula ita diſpoſuit, atq; vt dicitur 4. Eſdræ cap. 4. (quamquam is liber eſt apocryphus, neq;, quid in illo diceretur curarem, niſi hæc plurimum cum aliis ſcripturæ locis congruentẽ) *in ſtatera ponderauit ſæculum, & menſura menſurauit tempus, & numero numerauit tempora.* Quod nihil aliud eſt, quàm vt totius mundi moles infinita non eſt, neq; ex infinitis, ſed terra quædam, ex certis conſtituta numero, pondere & menſura, atq; ſingulas habet partes proportione quadam cõſtantes, ita neq; totius mundi decurſum, & durationẽ, ex quo tempus ſimul cum motu cœli natũ eſt, vſque dum eo ceſſante finiatur infinitũ fore, ſed certũ quẽdam, cuius partes omnes, vt ſæcula, generationes, annos, menſes, dies, & horas, habet Deus in numerato, factaque eſſe ſingula, foréque in poſterum quæ ſuperſunt,

Planetæ cur ſint ſeptem.

Secula & tempora numerantur.

ſuperſunt, ſuo quodque tempore. Vt hoc quoque ſenſu veriſſimè dictũ ſit illud Salomonis, *Omnia tẽpus habent*. Ita ſanè omnes inſignes mutationes mũdi, vt in primis illa humanæ creaturæ quaſi renouatio per diluuium: initia imperiorum, & fines, rerum diuinarum, ac legum mutationes, certa quadam temporũ menſura, ac numero diſtant, habentque tempora ad tempora proportiones quaſdam, & in illis quoque ſeruatur ratio quædam harmonica numerorum. Quod cùm ſint plurima in ſacra ſcriptura quæ indicent, nihil tamen vt illa Diui Matthæi in Euangelio cura diſtribuendi per quatuor denas generationes omnes ab Abraham ad Ieſum. Inquit enim, *omnes itaq; generationes, ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à tranſmigratione Babylonis, vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.* Quod certum eſt non temerè, vt neque aliud quidpiam ab Euangeliſta dictum eſſe, ſed vt indicet tres mutationes inſignes fuiſſe populi Dei, perque bis ſeptem generationes accidiſſe. Nimirum ab Abraham cœpit ſeparari à gentibus, gubernari per duces, & à Dauid cœpit regalis proſapia. In tranſmigratione finitum eſt regnum, cœpitque regi populus per ſacerdotes. Si igitur non caſu quodam & temerè ita euenit (neque enim animaduertiſſet Matthæus) ſed Deo ita diſponente, vt eſſet tẽporum ratio quædam & proportio, certè & ipſa ſæcula certo quodã numero diſpoſita ſunt. Quòd verò Matthæus ab Abraham vſque ad Chriſtũ quadraginta & vnum tantùm recenſens, inter quatuordecim diſtribuit, cum tamen ter 14. conflẽt 42. ſimile eſt cõputationi Medicorũ, qui ex ter ſeptem conflant viginti, quatuordecimo bis numerato, vt fine ſcilicet ſecundæ, & initio tertiæ ſeptimanæ. Ita Iechonias in illa computatione, finis ſecundi ſeculi & initium tertij eſt. Neq; ſanè hoc ratione vacat. Nam Ioſias non fuit pater Iechoniæ, ſed auus, interfuit verò Ioachim, qui fuit partim Rex, partim priuatus. Pro hoc recenſetur filius eius Iechonias, velut duplex perſona Longè autem difficilius eſt, cur dicantur à Dauid vſque ad Iechoniã fuiſſe quatuordecim generationes, cùm fuerint reuera præter Reginam Athaliã, reges decem & ſeptẽ, cum fuerint inter Iorã, Azariã ſeu Oziam, Ochoſias, Ioas, & Amaſias, quod reor quidem prætermiſſos eſſe, quod nõ compleuerint in pace dies ſuos, ſed occiſi ſint gladio, velut in mediis generationibus intercepti. Reclamat verò Amõ, qui tãetſi annumeratus aliis, eſt occiſus à ſeruis coniuratis in domo ſua. Ego enim, etſi quæ potui commentaria in eum locum vidi, & multum diúque cogitaui, non intelligo: quantò

Genealogia Chriſti.

autem intelligo minus, eò magis credo, & arcanam numerorum dignitatem magni facio, Deique Optimi Maximi in numero diſponentis ſæculo, ſuſpicio ſapientiam, & veneror. Non abſimile eſt illud Danielis, cui tempus Chriſti Ieſu, ab ædificatione ſecunda templi, ſignificatum eſt per ſeptuaginta ſeptenatios, numeros quidem, ſiquis conſideret rationes harmonicas, ambos inſignes. Quandoquidem ſeptimus cenſetur diuiniſſimus numerus, quia neque producitur, neque producit, ſed eſt vnicus per ſe ex vnitatibus, alioqui continens duos primos perfectos, ternarium, & quaternarium Maximè verò eſt is numerus tempori numerando accommodatus, quia tempus quod vnà cum cœlo natum eſt, vt inquit Plato, ſeptem corporum Planetarum motibus numeratur primo. Septuaginta verò eſt ſeptenarius denariorum, quare cùm decem omnes numeri ſint, ſeptenatius, cuius vnitates ſunt (vt ita dicatur) perfectæ totalitates. Iuxta eundem numerum deſtinati ſunt Hebræi ſeruituti regum Babylonis, per ſeptuaginta annos. Quibus exemplis, & innumeris aliis, quæ per totam ſcripturam ſacram occurrunt, maximè in Daniele, & Eſdra, quibus multæ temporum reuelationes factæ ſunt, ſed & in Apocalypſi Ioannis (ſi quis intelligat) apertè indicatur, quod verbis præſcriptis dicitur, in ſtatera ponderatum eſſe ſæculum, & menſura menſurata tempora mundi. Itaque, vt mundi huius aſpectabilis partes omnes, indicatum eſt proportionem quandam ſeruare inter ſeſe, & conſonantiam cum ſubſtantiis inuiſibilibus, ita & cum toto mundi tempore, & eius partibus, ſiquis hiſtoriæ valde peritus & numerorum acriter conſideret, concentum mirabilem inueniat, velut enim alterabilis partes mundi quatuor ſunt, ita ſecularis potentiæ toto mundi decurſu, ſunt qua-
Monarchiæ. tuor Monarchiæ, quas Daniel Propheticè deſcripſit. Prima Chaldæorum vſque ad Balthaſar, ſecunda Medorum vſque ad Darium, quem expugnauit Alexander, à quo incœpit tertia Græcorum vſque ad Cæſares, à quibus incœpit quarta Romanorum, cuius imperium quia coaluit cùm Eccleſia, durabit vſque ad finem temporis. Itaque conſtat tempus quatuor Monarchiis, vt mundus alterabilis quatuor elementis. Porrò vt tota mundi moles triplici machina, corruptibilium, tantum mobilium, & penitus immobilium: ita & totum tempus tribus ſeculis, naturæ, legis, & gratiæ. Res verò diuina, velut cœleſtiũ orbium lumina, ſeptenariis computatur, vt exemplo gene-
Septẽ diuinæ renouationes. rationis Ieſu, & reuelationis factæ de eius aduentu indicatum eſt, & conſtare etiam poteſt per ſeptem renouationes Diuinæ legis, & mandatorum Dei, quas recenſet Eſdras cap. 3. lib. 4.

primam

primam in ipſo Adam, ſecundam in Noë, poſt diluuium; tertiam temporibus Abrahæ, Iſaac, & Iacob; quartam per Moſem data lege; quintam per Dauidem & Salomonem pro tabernaculo, ædificato templo; ſextam in tranſmigratione Babylonis, renouatis omnibus, & reædificato templo, ſeptimam eamque perfectam, & in ſecula ſeculorum duraturam, per Ieſum Dominum. Quæ quidem ſeptem mundi ætates ſunt. Itaque vt mundus viſibilis & inuiſibilis factus eſt ad numerum, ita & eius duratio. Factáque ſunt ea omnia ad normam quæ erat in exemplari, atque vt mundus factus per quoſdam gradus ferr in id quod æternum, ita tempus per quoſdam curſus certos, labitur in æternitatem. Non autem ſolùm mundi totius ætates, certo quodam numero ſunt apud Deum computatæ, ſed & ſingulorum hominum vita & ætates, vt ex iis quæ de climactericis annis ſcripſimus ſuper cap. 6. Geneſeos conſtare poteſt. Sed adhuc videntur verba illa Eſdræ maiori indigere enarratione. Nam quomodo menſurētur & numerentur tempora, facile eſt intelligere. Siquidem menſurari poteſt tempus cùm ſit continuum & quantum; numerari verò cùm ſit numerus, qui numeratur in motu, vt per Solis circuitiones ſiue annuas, ſiue diurnas, & per circuitiones menſtruas Lunæ, atque adeò per lineas quas percurrit gnomon in horologio, & einſmodi alia: ponderari verò in ſtatera quomodo poſſit? haud dubiè hoc per Metaphoram dici neceſſe eſt, cùm tempus nullum habeat pondus, vt poſſit ſuſpendi in ſtatera, ſed quid ſignificet ea Metaphora, iam explico. Prima cauſa, qua hæc hoc, illa illo tempore fiant, eſt voluntas & præſcientia Dei, qui ita menſura menſurauit, & numero numerauit tempora. Nimirum vt creationis, ita & durationis, & operationum rerum omnium, ac denique omnium quæ fiunt, Deus eſt prima cauſa, neque ipſe ab vlla alia extra ſe mouetur, vt ita aut aliter velit, aut intelligat. Quod innuit Ioannes in Euangelio ſæpe dicens, *factum eſt hoc, vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam.* Quæ phraſis apertè indicat, non quia ita erat futurum, prædictum fuiſſe à Deo per Prophetam, ſed ita eſſe factum, quia prædictũ erat à Deo, & vt impleretur quod Deus prædixerat. Nimirum Deus eſt rerum omnium efficiens cauſa & finis. Omnia fiunt ab illo & propter illum, quia eſt α, & ω, hoc eſt, principium & finis. Siquidem omnia facit propter ſeipſum, vt dicitur 16. Prouerbiorum Igitur quia Deus prædixit euenit, vt & impleatur, & glorificetur Deus, igitur eueniunt omnia eo tempore, quo deſtinata ſunt à Deo, cùm in principio numerauit tempora. Neque eſt qui ea tempora mutare poſſit, aut aliter diſ-

Quomodo tempus pondere-tur.

ponere, quàm à Deo diſpoſita ſunt. Quod innuunt verba illa Danielis cap. 7. vbi futuri tyranni ſuper his verbis depingebatur. *Sermones cõtra excelſum loquetur, & ſanctos Altiſſimi cõteret, & putabit quòd poſſit mutare tẽpora.* His verbis ſignificatur, fruſtra illum per ſuperbiam puraturum, quod fieri nequit vt ſcilicet mutẽtur tempora. Hoc etiam innuunt illa Saluatoris verba, *Nondum venit hora mea*, & illa, *Hac eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Nimirum cùm Deus à principio numerauit omnia ſecula, omnes annos, dices omnes, & omnes horas, & temporum momẽta, nihil geri poteſt, niſi tempore à Deo definito. Verùm etſi hoc ita ſit, nõ tamen ita diſpoſuit Deus tempora, vt nulla alia cauſa ſit, qua tunc fiant, quàm quòd ita ipſe diſpoſuerit: ſed ſunt etiam omnium quæ fiunt aliæ cauſæ effectis proximæ. Velut temporibus Noë accidit diluuium, quia tunc corrupit omnis caro viam ſuam. Temporibus Abrahæ combuſta fuit Sodoma, quia eouſque creuerat tunc eius abſurditas, vt ne decem quidem in populoſis vrbibus inuenti ſint iuſti. Tempore Ieſu Naue, Deus Amorrhæos, & alias gentes deleuit, quia conſummata tunc eſt iniquitas Amorrhæorum. Ciuitatem Sanctam Hieruſalem deleuit Romanus exercitus, quia tunc deſiit eſſe eius populus, qui Chriſtum negauerat. Poſtremò toti mundo finem imponet Deus, quia tunc erit impletus numerus iuſtorum. Igitur cùm ita res ſe habeat, diſpoſuit ita Deus omnia ſecula, vt in deſtinata tempora inciderent ſimul res gerendæ, & earum cauſæ, atque tanquam Deo, in bilance ponderante mutationes rerum & cauſas, in idem tempus deſtinauit ſingula, in quod pondere cauſarum trahebantur: atque aptare cauſas effectis, eaque in tempora certa deſtinare, eſt in ſtatera ponderare ſeculum. Quod quidem apertum fit ex c. 5. Danielis, vbi narratur, qua nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæorum, & regnum eius occupatum à Dario Medorum rege, viſam illi eſſe manũ ſcribentem in oppoſito pariete, *Mane, thecel, phares.* Quam ſcripturam Daniel ſic eſt interpretatus. *Mane, numerauit Deus regnum tuum, & cõpleuit illud: thecel, appenſus es in ſtatera, inuẽtus es minus habens.* His duobus verbis continentur ferè omnia quæ diximus. Nam inſtabat finis regni Balthaſar iuxta numerum annorum, quos Deus dederat regno illi; atque adeò toti Monarchiæ Chaldæorum. Cauſa verò vt tunc finiretur fuit, quòd Balthaſar cùm appenderetur in ſtatera, hoc eſt, eius merita & demerita velut in bilance appenderentur, inuentus eſt habens minus meriti, quàm vt dignus poſſet eſſe diuturniori regno. Numero ergo, menſura & pondere diſpoſuit

Sodomæ interitus.

Hieroſolymorum excidiũ.

Monarchiæ trãſmutatio.

ſuit Deus illam tranſlationem regni à Chaldæis in Medos, vt & alias omnes rerum viciſſitudines. Huic interpretationi conſona eſt illa de Michaële concepta ab Eccleſia opinio (minimè quidem vana, vt quibuſdã impiis videtur) quem depingunt altera manu enſem, altera habentem ſtateram. Enſem quidem, vt indicetur eum fuiſſe principẽ militiæ Dei aduerſus Satanam, quem & vicit, & cœlo deturbauit. Stateram verò, quia cùm ſit princeps populi Dei, ad eum præcipuè ſpectat fidelium animas Deo præſentare & earum merita, velut in ſtatera appendere, iuxta id quod Balthaſari denunciatũ eſt Diximus itaque vt Deus omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuerit hac ratione mundum pulcherrimum efficiens, ac ſecundum harmonicas proportiones conſtituens, & ipſa quoque mundi tẽpora, ex quo cœpit moueri adhuc naſcens, vſque dũ moueri deſinat, velut in ſtatera ponderata eſſe, & numero nũmerata, & menſura menſurata: atque in hac quoque temporum diſpoſitione habitam eſſe rationem numerorum & concinnæ proportionis quaſi mutationibus ipſis ſeculorum cadentibus ad numerum, qua de re eius qui mouet mundum hunc, tanquam appoſitiſſimè citharam pulſet, ſapientia commendatur Vnica videtur ſupereſſe dubitatio. Videtur enim fieri, vt neceſſariò eueniant omnia cùm fiunt, ſiquidem mutari non poſſunt tempora: ſi autem omnia neceſſariò, nihil videtur fieri ex deliberatione. Certè hæc dubitatio non eſt propria huius loci, ſed cõmunis omni doctrinæ de prædeſtinatione, neque aliter nobis hîc quam illic Theologis reſpondendum. Nimirum in ſenſu compoſito, omnia fieri neceſſariò cùm fiunt: in ſenſu autem diuiſo, ac ſimpliciter, poſſe tunc fieri aut non fieri, quæcumque pendent ex electione, quod (vt dicam apertiùs) nihil eſt aliud quàm futurum neceſſariò tunc, ſi Deus tunc fieri præſciuit: id verò fieri poſſe vt non fiat tunc: quòd ſi non fiat, neque Deus præſciuerit, velut fieri non poteſt, quin currat Petrus, ſi eum ego currere video; poteſt verò ille non currere, atque ſi non currit, neque ego viderim. At dices longè intereſt. Ego enim video currere, quia currit, at Deus non præuidit quia erat curſurus, ſed hic potiùs currit, quia Deus præuidit, & voluit. Nam à Ioue principium, ita eſt profectò, ſed hoc eſt immenſæ indicibiliſque ſapientiæ Dei argumentum, ita rerum omnium cauſas diſpoſuiſſe, & aliarum ex aliis ductum, quem Stoici vocabant Fatum, vt cùm nulli liberæ cauſæ detrahat deliberandi, atque eligendi facultatem, omnia tamen ſint futura, cùm, & vt ille diſpoſuit, quæ eſt altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Michaëlis Archãgeli pictura.

Neceſſaria non omnia.

CAPVT

CAPVT LXXI.

CAp. 27. Eccleſiaſtici: *Senſatus homo in ſapientia manet ſicut Sol, ſtultus ſicut Luna mutatur.*

Lunaticorũ conſideratio. Hæc verba videntur innuere, inſenſatos & ſtultos, denique eos qui non ſint ſana mente, per viciſſitudines, & mutationes Lunæ habere grauiùs, eoſque proinde vocari lunaricos, quam ſententiam iuuat, quod cap. 4. Matthæi legimus: *Obtulerunt ei omnes male habentes, varijs languoribus & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia in habebant, & lunaticos, & paralyticos,* & rurſus cap. 17. *Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur, nam ſæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam.* Ex his Euangelij verbis conſtat, haud dubiè epilepticos dici lunaticos. Conſtat quoque ex multis veterum locis, & ex communi hominum ſententia lunaricos vocari maniacos Cuius tamen appellationis non omnes eandem rationem reddunt, ſed genethliaci ſeu iudiciarij, qui natiuitates obſeruant, dicunt inde eſſe, quòd qui in interlunio naſcuntur, aut luna malè collocata, ſunt plerunque epileptici, alij cenſent, & furores & epilepſias mutationes accipere cum Luna, itaque increſcente creſcere, & decreſcente minui. Alij verò dicunt De Luna multa. non ob aliud appellari hos lunaticos, quàm quòd teneantur morbo cerebri, membri adeò humidi, Luna verò humiditatibus præeſt. Verùm ſi Luna humiditatibus præeſt, hac eadem cauſa augebit eas, & minuet, quare & morbos ipſos, quod ſi fit, quam potiùs ob cauſam appellentur lunatici, qui ita ſunt effecti? augere verò Lunam humiditates, & veterum & recentium conſtat teſtimoniis. Nam Plinius cap. 41. lib. 2. ita inquit: *Iam quidem lunari poteſtate oſtrearum, conchyliorumque, & concharum omnium corpora augeri, ac rurſus minui.* Hoc quoque fatetur Ariſtot. 4. de Generatione animalium. Omnes etiam qui de agricultura ſcripſere, nullo excepto, decreſcente Luna putari arbores iubent, quod tunc minus humiditate redundent, & ea ipſa cauſa, ligna eo tempore deciſas minùs ſentire cariem affirmanr. Itaque communis omnium hominum ſententia eſt (cui ſine proteruiæ nota non poſſemus repugnare) cum Luna humorem omnem augeri & Morbi ſecũdũ Lunæ mutationes. minui. Quod ſi ita eſt, cùm dicti morbi ex humore pendeaur, vt & alij plerique non mirum ſi ij, & aliorum multi ſecundùm Lunæ mutationes, ipſi quoque mutentur. Sed cur Luna humiditates

ditates augeat, aut ſi non auget, cur illi, aliíque ſimiles morbi mutentur cum Luna, nõ omnes eodem modo dicunt. Quidam enim cenſent Lunæ naturã eſſe frigidam & humidam, vt Saturnum frigidum & ſiccum, vt & Martem calidum & ſiccum, ac Iouem calidum & humidum. Itaque Lunam, quia humida eſt, augere humiditatem, tuncque maximè cùm eſt valentior, increſcentem ſcilicet, Ariſt. Lunam calefacere & ſiccare cenſet, vt ipſum Solem, tantò autẽ minus, quantò repercuſſum, quàm rectum lumen debilius eſſe par eſt. Augere verò Echinos & teſtacea in pleniluniis, quòd calore & lumine adiuta, fœliciùs nutriantur: humiditatem verò excrementitiam, in decremento &, interlunio redundare magis ob defectum caloris, ac proinde muliebria decedentibus menſibus potiùs fieri. Vide caput quintum de partibus animalium quarti, & ſecundum quarti de Generatione animalium. Itaque videtur conſequens, vt iuxta priorem ſententiam, dicti morbi, creſcente Luna creſcant, iuxta poſteriorem verò, decreſcente. Alij autem quibus fortaſſe nihil horum placet, cenſet lunaticos ſolùm fuiſſe, quod Dæmon premeret. Diabolum verò lunaria ſeruare tempora, vt creaturam infamet, in blaſphemiam creatoris. Omnia quæ ad iudiciariam, ſeu Chaldæorum vanitatem ſpectant, refutata mihi ſeorſum ſunt in hoc ipſo opere, præcipuè ſacrorum authoritate Quapropter licet tunc intacta, repellere quæcunque genethliaci dicunt: neque minùs quæ de temperamentis Aſtrorum leuiſſimi homines effutiunt, cùm nulla confirmentur monſtratione. Certè Luna plena à vacua ſolo differt lumine. Nam cætera eadem habet. Id verò lumẽ eſt ſolare, à Sole enim accipit. Solem verò ipſum non aliter quàm lumine calefacere, indicatum mihi anteà eſt. Lumine quidem non per ſe, ſed ex accidenti, quòd ſcilicet luminis comes eſt ignis ob analogiam. Lumini ergo, præcipuè ſolari, etſi per accidens, ſemper tamen accedit vis calfaciendi. Quandoquidem verò per ignem qui ſe exhibet comitem, conſtat quòd & ſiccandi. Conſtat ergo haud dubiè, noctes plenilunij calidiores & ſicciores eſſe quàm interlunij, atque adeò Lunam eadem præſtare quæ Solem, etſi debiliùs, atque vt Sol per annum, ita Lunam per menſem ſuam æſtatem facere & hyemem. quod Ariſt. affirmat 4. de Generatione animalium, cap. 2. quod idem euidenter confirmatur verbis illis Pſ. 120. *Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem.* Vrit ſcilicet per noctem Luna, vt per diem Sol. Nimirum eſt Solis vicaria lumen ab illo accipiens, vt pro illo præſit nocti, vt ille diei. Luna ergo per lumen habet vim calfaciendi & ſiccandi, quare ea diminuta, aut omninò deficiente, meritò euenit augeri

Lunæ plenitudo.

Lunæ lumen.

augeri humiditates, defectu ſcilicet ignis. Cùm tamen ita ſit, nihil prohibet, ipſam etiam plenam humidas paſſiones augere, non quòd frigida & humida, vt vulgus putat, ſed quòd reflexio luminis tepidus ſit calor. Talis enim ſolet humiditates plus fundere quàm reſoluere, atque ita augere, & mouere, vt tepidum balneum, & vernus calor fluxiones mouet. Hinc fit vt qui deſtillationibus ſunt opportuni, ſentiant ſe lædi à Luna, quòd ſcilicet tepidus eius calor humores fundat. Læduntur verò minùs aliquando à Sole, quòd hic calidior cùm ſit, non plus fundat quàm abſumat. Quod quidem Plinius cap. 9. lib. 2. explicuit, de Luna diſſerens his verbis. *Ideò mollior & imperfecta vi ſoluere tantùm humorem, atque etiam augere, quem Solis radij abſumant.* Eſſe igitur morbos qui Luna creſcente, aut decreſcente augeantur, & eos qui ita laborent, vocari lunaticos, nihil habet rationi diſſonũ, idque ſiue dæmone exagitante fiat, ſiue aliter. Nam dæmones ipſi vtuntur ad torquẽdos homines ſuccis, eorundem obſeruata natura, vt iam antea indicatum eſt. Porrò tales præcipuè eſſe epilepſias, & inſanias, rationi quoque eſt conſonum, quia cerebrum eſt membrum redundans multa humiditate, quæ aut in plenilunio fundi, aut in interlunio augeri poſſit. Vtro verò potiùs Lunæ tempore patiantur lunatici, & an vtroq; , an alii in alio, res exigit vt explicemus.

Quo tempore Lunę patiantur lunatici.

Quandoquidem duplex ratio eſt, qua Luna humiditates auget, conſtat, neque omnes, neque eoſdem lædi vtraque, ſed quoſdam hac, quoſdã illa. Nam qui vtraque ratione æqualiter afficientur ſemper (quod ad Lunam attinet) æqualiter ægrotabũt, qui altera afficientur grauiùs, ad alterã videbuntur habere leuiùs. Quoſdam autem hoc, quoſdam illo tempore habere deteriùs, & meliùs conſentaneum eſt. Nimirum quibus fuſio humiditatis inexiſtentis fiet maior quàm acceſſio nouæ, lædentur plenilunio. quibus contrà gignetur potiùs noua quàm fundetur priſtina, lædentur interlunio. Quæ autem erit vtrorumque differentia, certè quæ humorum. Horũ enim quidam ſunt concreti, frigidi adeò, vt niſi magno calore, qualis Lunæ non eſt, non fundantur; frigore verò moderato maior, magnopere augeãtur, huiuſmodi ſunt pituitoſi & vitrei. Alij ſunt calidi adeò, vt vel moderato calore fundantur. frigore verò nõ augeantur, ſed compeſcantur, & ſedentur, huiuſmodi ſunt bilioſi & exuſti. Eos ergo qui huiuſmodi ſuccis abundant, veriſimile eſt deteriùs habituros in plenilunio, qui verò illiuſmodi, in interlunio. Ergo maniacis omnibus, & epilepticis ex atra bile, creſcet malum cum ipſa Luna. Epilepticis verò ex pituita & crudis ſuccis, decreſcẽte creſcet, & vrgebit maximè in interlunio. Natos verò

eſſe

eſſe homines in nouilunio aut plenilunio, meo iudicio, nihil refert. Refert fortaſſe potius, quo tempore vtero eſſent concepti. Sed pro aliis rebus, & aliis ſuccis eſt diſtinctio alia; nimirũ quidam ſuccis ſunt alimenta, quidam excrementa. Alimenta ſemper auget Lunæ lumen: moderatum enim calorem cùm afferat rebus, nutritionem auget; quare & alimentis replet, excrementa verò non ſemper. Nam quæ per incoctionem generãtur, decreſcente potiùs augentur. Hinc fit vt plantæ omnes, & natura illis proxima conchilia, creſcant magis in plenilunio, & ea humiditate qua nutriuntur abundent: ac proinde periculoſius putentur: menſtrua verò, quæ magna ex parte ſanguis crudior eſt, plerunque fiant circa interlunium. Neque tamen ſemper, vt enim de epilepticis dictum eſt, ita & in hac euacuatione eueniet. Atrabiliariis ſcilicet fœminis, & quibus atrabiliarius erit ſanguis, aut valde bilioſus, & ſi non ater, plenilunio potiùs irritabitur, & fluet: pituitoſis verò & quibus crudior, in coniunctione ſeu interlunio. Omnium igitur quæ eueniunt dicta eſt cauſa, Lunæ nulla, neque frigida, neque humida, neque maligna facultate imputata, ſed ea per lumen, quod à Sole accipit calfaciente atque etſi minùs, vrente tamen per noctem, vt per diem vrit Sol, dictumque qui & quotuplices ſint lunatici, & quo tempore quique lædantur. Ad inſanos ergo & lunaticos poteſt Eccleſiaſticus alludere dicens, *ſtultus ſicut Luna mutatur.* Quamquam alioqui Luna hieroglyphicè ſignificat ſtultos, & inconſtantes homines, ob aſſiduas mutationes. Luna hieroglyphicè quid.

CAPVT LXXII.

CAp. 30. Eccleſiaſtici: *Multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus.* cap. etiam 25. Prouerbiorum: *Sicut tinea veſtimento, vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.*

Medici in ſex genera redigunt res omnes, quibus conſtat victus, ſeu dieta. Hæc ſunt, cibus, & potus: motus, & quies, ſomnus, & vigilia: aër in quo viuimus: animi perturbationes, & quæ excernuntur, aut retinentur. In bona enim horum moderatione cõſiſtit tota victus ſalubriter inſtituẽdi ratio. Vocant verò has res non naturales, quia neque naturales ſunt & ſemper vtiles, neque præter naturam & ſemper noxiæ, ſed eædem bonæ, & malæ pro vtendi modo. Itaque ſi quis illis De dieta multa.

rectè

augeri humiditates, defectu ſcilicet ignis. Cùm tamen ita ſit, nihil prohibet, ipſam etiam plenam humidas paſſiones augere, non quòd frigida & humida, vt vulgus putat, ſed quòd reflexio luminis tepidus ſit calor. Talis enim ſolet humiditates plus fundere quàm reſoluere, atque ita augere, & mouere, vt tepidum balneum, & vernus calor fluxiones mouet. Hinc fit vt qui deſtillationibus ſunt opportuni, ſentiant ſe lædi à Luna, quòd ſcilicet tepidus eius calor humores fundat. Læduntur verò minùs aliquando à Sole, quòd hic calidior cùm ſit, non plus fundat quàm abſumat. Quod quidem Plinius cap.9. lib.2. explicuit, de Luna diſſerens his verbis. *Ideò mollior & imperfecta vi ſoluere tantùm humorem, atque etiam augere, quem Solis radij abſumant.* Eſſe igitur morbos qui Luna creſcente, aut decreſcente augeantur, & eos qui ita laborent, vocari lunaticos, nihil habet rationi diſſonũ, idque ſiue dæmone exagitante fiat, ſiue aliter. Nam dæmones ipſi vtuntur ad torquẽdos homines ſuccis, eorundem obſeruata natura, vt iam anteà indicatum eſt. Porrò tales præcipuè eſſe epilepſias, & inſanias, rationi quoque eſt conſonum, quia cerebrum eſt membrum redundans multa humiditate, quæ aut in plenilunio fundi, aut in interlunio augeri poſſit. Vtro verò potiùs Lunæ tempore patiantur lunatici, & an vtroq; , an alij in alio, res exigit vt explicemus.

Quo tempore Lunę patiantur lunatici.

Quandoquidem duplex ratio eſt, qua Luna humiditates auget, conſtat, neque omnes, neque eoſdem lædi vtraque, ſed quoſdam hac, quoſdã illa. Nam qui vtraque ratione æqualiter afficientur ſemper (quod ad Lunam attinet) æqualiter ægrotabũt, qui altera afficientur grauiùs, ad alterã videbuntur habere leuiùs. Quoſdam autem hoc, quoſdam illo tempore habere deteriùs, & meliùs conſentaneum eſt. Nimirum quibus fuſio humiditatis inexiſtentis fiet maior quàm acceſſio nouæ, lædentur plenilunio. quibus contrà gignetur potiùs noua quàm fundetur priſtina, lædentur interlunio. Quæ autem erit vtrorumque differentia, certè quæ humorum. Horũ enim quidam ſunt concreti, frigidi adeò, vt niſi magno calore, qualis Lunæ non eſt, non fundantur; frigore verò moderato maior, magnopere augeãtur, huiuſmodi ſunt pituitoſi & vitrei. Alij ſunt calidi adeò, vt vel moderato calore fundantur. frigore verò nõ augeantur, ſed compeſcantur, & ſedentur, huiuſmodi ſunt bilioſi & exuſti. Eos ergo qui huiuſmodi ſuccis abundant, veriſimile eſt deteriùs habituros in plenilunio, qui verò illiuſmodi, in interlunio. Ergo maniacis omnibus, & epilepticis ex atra bile, creſcet malum cum ipſa Luna. Epilepticis verò ex pituita & crudis ſuccis, decreſcẽte creſcet, & vrgebit maximè in interlunio. Natos verò

eſſe

eſſe homines in nouilunio aut plenilunio, meo iudicio, nihil refert. Refert fortaſſe potius, quo tempore vtero eſſent concepti. Sed pro aliis rebus, & aliis ſuccis eſt diſtinctio alia; nimirũ quidam ſuccis ſunt alimenta, quidam excrementa Alimenta ſemper auget Lunæ lumen: moderatum enim calorem cùm afferat rebus, nutritionem auget; quare & alimentis replet, excrementa verò non ſemper. Nam quæ per incoctionem generãtur, decreſcente potiùs augentur. Hinc fit vt plantæ omnes, & natura illis proxima conchilia, creſcant magis in plenilunio, & ea humiditate qua nutriuntur abundent: ac proinde periculoſius putentur: menſtrua verò, quæ magna ex parte ſanguis crudior eſt, plerunque fiant circa interlunium. Neque tamen ſemper, vt enim de epilepticis dictum eſt, ita & in hac euacuatione eueniet. Atrabiliariis ſcilicet fœminis, & quibus atrabiliarius erit ſanguis, aut valde birioſus, & ſi non ater, plenilunio potiùs irritabitur, & fluet: pituitoſis verò & quibus crudior, in coniunctione ſeu interlunio. Omnium igitur quæ eueniunt dicta eſt cauſa, Lunæ nulla, neque frigida, neque humida, neque maligna facultate imputata, ſed ea per lumen, quod à Sole accipit calfaciente atque etſi minùs, vrente tamen per noctem, vt per diem vrit Sol, dictumque qui & quotuplices ſint lunatici, & quo tempore quique lædantur. Ad inſanos ergo & lunaticos poteſt Eccleſiaſticus alludere dicens, *ſtultus ſicut Luna mutatur.* Quamquam alioqui Luna hieroglyphicè ſignificat ſtultos, & inconſtantes homines, ob aſſiduas mutationes. Luna hieroglyphicè quid.

CAPVT LXXII.

CAp. 30. Eccleſiaſtici: *Multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus.* cap. etiam 25. Prouerbiorum: *Sicut tinea veſtimento, vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.*

Medici in ſex genera redigunt res omnes, quibus conſtat victus, ſeu dieta. Hæc ſunt, cibus, & potus: motus, & quies, ſomnus, & vigilia: aër in quo viuimus: animi perturbationes, & quæ excernuntur, aut retinentur. In bona enim horum moderatione cõſiſtit tota victus ſalubriter inſtituẽdi ratio. Vocant verò has res non naturales, quia neque naturales ſunt & ſemper vtiles, neque præter naturam & ſemper noxiæ, ſed eædem bonæ, & malæ pro vtendi modo. Itaque ſi quis illis De dieta multa.

rectè

rectè vtatur, vtiles fiunt, ſi malè, fiunt cauſæ morborum, atque etiam mortis. Sunt verò hæc quæ vocantur cauſæ externæ ſeu procatharticæ. Hæc igitur Eccleſiaſtici verba, quibus affectus animi moderatio conſulitur, partim pertinent ad tractationem de cauſis morborum, partim ad tuendam valetudinem, priora illa, *Multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa*, ad morborũ cauſas: vituperatur enim triſtitia, vt quæ morbos & mortem inferat: poſteriora verò ad tuendã valetudinem, quia vituperatur ſollicitudo, vt quæ vitam contrahat, & canos ante tempus capillos afferat. Perpẽdamus ſingula, & apponamus cauſas. Videtur triſtitia penitus vituperari, quaſi ſemper noxia, & in qua nulla vnquam ſit vtilitas, ſæpe verò etiam occidat. Si autem hoc ita eſt, primùm quidem malè ponitur à Medicis in cauſis non naturalibus, ſed potiùs in iis quæ præter naturã ac ſemper noxiæ. Deinde gaudiũ ſemper eſſet vtile, & quantumcumque. At verò non eſt: quin potiùs, vt Galenus docet primo de ſymptomatũ cauſis, ex ingenti gaudio nõnulli puſillanimes perierunt, ſuntque multæ de ea re hiſtoriæ & antiquæ & recentes. Non igitur ſemper gaudium vtile eſt, quare neque triſtitia ſemper noxia, ſed eſt huius quoque, vt & aliorum animi motuum quædam moderatio ſalutaris. Atqui profectò ego ita cenſeo. Conſultum enim fuiſſet mulieri, quæ viſo filio quem mortuum crediderat, exanimata eſt, aduentum filij eum triſti aliqua narratione prænunciaſſe, vt ſcilicet, triſtitia gaudiúm temperaret. Haud dubiè procuranda nonunquam quædam triſtitia eſt, non minùs quàm alij animi motus, velut certè & ira, quæ Hippocrate authore conſultò eſt in frigidis naturis & affectibus excitanda, augendi feruoris gratia; & gaudium, quod tam multis machinamentis melancholicis procuratur: & vt etiam timor, quem nonnulli in quibuſdam paſſionibus incuſſerunt, & furentibus ſæpe incutitur ad cohibendam iram, nihil enim iram æquè frangit ac timor. Non tamen proinde magna triſtitia, quæque plus quàm profuſi gaudij temperatio eſt, vnquam prodeſt. Quinimo talis ſemper nocet, & poteſt aliquando occidere. Non quidem repentè, vt timor & gaudium (author Galenus loco citato) ſed paulatim, & multo tempore. Quia per gaudium affatim, & ſine vllo fræno effunditur totum calidum, quare in puſillanimis totum exhalat. In timore magno affatim accurrens ad cor, ſuffocatur. Motus ſimilis eſt triſtitia timori, non tamen vehemens, vt ille, ſed natura ſua lentus: ac proinde paulatim facit vitalem calorem marceſcere, & nutritionem partium minui, atque ita deducit ad tabem. Quod apertè ſignificant illa verba Prouerb. 17. *Spiritus triſtis exſiccat*

Cauſæ procatharticæ.

Triſtitiæ.

Gaudio mortui.

Morbi ex triſtitia.

exſiccat oſſa. Itaque triſtitia repentè nullum fortaſſe occidit, vt & timor gaudium, lentè verò ac paulatim quamplurimos. Illa verba, *& non eſt vtilitas in ea*, duplicem ferunt ſenſum, naturalem & moralem. Naturali quidem ſignificant, triſtitiam nihil conferre: nam neque ad pellendos morbos, neque ad tuendam valetudinem (id verò conſtat ex dictis, intelligi debere de magna triſtitia, & quæ omnem excludit hilaritatem, morali verò, continent exhortationem quandam, ad pellendum ex animo triſtitiam. Quaſi dicatur, vita triſtitiam, quia multos occidit, & nihil confert ad recuperandum id cuius gratiâ doles. Neque enim lachrymis defunctum vita maritum ſuſcitabis, neque filium, neque amiſſam inuenies pecuniam, neque incendio cõſumptam reficies domum. Huc pertinent illa verba c. 38 vbi de lamentatione mortui agitur: *Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te, & memento nouiſſimorum, & noli oblíuiſci.* Neque enim eſt conuerſio (à morte ſcilicet ad vitam) & huic nihil proderis (mortuo ſcilicet) & teipſum peſſimabis. Hactenus de prima præſcriptæ orationis parte. Altera, quam pertinere diximus ad tuendam valetudinem, vituperat zelum & iracundiam, & aſſiduum cogitatum quòd minuant dies & ante tempus adducant ſenectam. Videntur autem mihi illa omnia vnico ſolitudinis nomine ſignificari. Sollicitos enim eſſe dicimus eos, qui plus ſatis curant, quid agatur, quod futurum ſit. Tales enim ſunt zelatores, ac proinde iracundi, & cogitabundi. Quæ omnia excludunt ab animo hilaritatem. Quare ſi verè dictum eſt 17. cap. Prouerb. *Animus gaudens ætatem floridam facit*, meritò euenit, vt quæ gaudium excludit ſolicitudo, afferat intempeſtiuam ſenectutem. Verum autem illud eſſe cõſtat, ſiquidem indicatum anteà eſt ſpiritum triſtem exſiccare oſſa: exſiccat ergo & ea paſſio cuius triſtitia comes eſt, purà ſollicitudo, & nimia cura: vt verò exſiccat, ita refrigerat, quia, vt nuper diximus, ſiccat imminuta nutritione, per vitalis caloris & ſpirituum conſumptionem: refrigeratio verò naturalis cum ſiccitate ipſum eſt ſenium, vnde efficitur, vt ſollicitum eſſe, ac proinde iracundum, & cogitabundum adducat ante tempus ſenectutem. Neque res vlla experimento magis cognita eſt. Neque quidquam iis qui priuatam agunt vitam conſultius, quàm nulla de re eſſe ſollicitos, iis verò qui Reipub. tenent gubernacula, qui id non poſſunt, tamen interponere gaudia curis, & animum tantis ſolutum curis crebrò laxare, ac locum dare cibis & exercitationi, ne ſemper animo ad cogitationem tranſlato, corpus tabeſcat. Sollicitudo vitanda.

CAPVT LXXIII.

ECcleſiaſtici c.23. *Vigilia, & cholera, & tortura, viro infrunito: ſomnus ſanitatis in homine parco. dormiet vſque in manè, & anima illius cum ipſo delectabitur. Et ſi coactus fueris in edendo multùm, ſurge è medio, euome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. Audi me fili, & ne ſpernas me, & in nouiſſimo inuenies verba mea, in omnibus operibus tuis eſto velox, omnis infirmitas non occurret tibi.* & rurſum cap. 37. *In multis eſcis erit infirmitas, & auiditas approbinquabit vſque ad choleram. Propter crapulā multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adiiciet vitam.* Plurimùm gloriatus eſt Hippocrates 1. libro de Diæta (ſi modò eius eſt is liber,) & initio libri de Ratione victus in acutis, ſe rationem victus inſtituendi inueniſſe, quam antiquiores aut omninò non attigiſſent, aut tractaſſent negligentius, quam tamen artis partem magnoperè laudat, & meritò quidem Siquidem reliqua medicina, tam quæ pharmacis vtitur, quàm quæ adhibet manuum operam(his enim tribus tota medicina continetur,) ad præſentes tantùm, aut iamiam imminentes morbos eſt vtilis, quæ verò victum inſtituit etiam ante omnem morbi ſuſpicionem, ne vnquam fiant. Sed & ad multos morbos præſentes facit non minus victus, quam pharmaca, & Chirurgia, & ad quoſdam multò plus, atque adeo ad nōnullos ſola ſufficit, cùm ad nullos ſit ſatis reliqua medicina ſine vlla victus cura multis itaque rationibus præſtat reliquis Medicinæ partibus, hæc cuius inuentione gloriatur Hippocrates, eſt profectò tanti momenti, vt ad animi æquè ac corporis medicinam ſpectet, nullus enim error in victu committitur, qui non æquè vtramque partem hominis lædat. Ebrietas etiam vt caput grauat, ita mentem lædit, cibi & potus ingeſtio nimia, vt replet ſuccis corpus, ita facit hominem libidinoſum. Otium facit corpus excrementoſum, & animum mollem, ac deſidem. Cibi abſtinentia nimia extenuat ac debilitat corpora, animum facit meticuloſū Vini potus(cui aqua erat ex re fluxiones multas cier & iracund am affert: potus aquæ (cui vino erat opus) cruditates parit, & triſtitiam. Si igitur, vt ad tuendam corporis valetudinem humores oportet eſſe compoſitos, ita ad valetudinem animi affectus; & vtroſque modo aliquo turbat quicunque error in victu. conſtat idoneam victus inſtitutionem ad totius hominis valetudinem, corporis inquam, & animi eſſe neceſſariam. Cùm præcipuè non ſolùm talis error vtroſque

Dietę vtilitas.

Ebrietatis incommoda.

vtroſque per ſe turbet, ſed & alterutros per alteros, vtcunque enim turbentur ſucci, euenit turbari affectus, & vtcunque turbentur affectus, humores quoque. Quapropter veriſſimè dictum eſt à Galeno, Medicinæ partem eſſe Philoſophiam morum, non ſolùm quæ ad Reipub. pertinet conſtitutionem, ſed quæ ſingulorum motibus componendis ſe accommodat Hæc enim affectus temperat, quæ vna quidem pars eſt (neque ea maxima) totius victus: cùm hic, vt Medicis omnibus conuenit, ſex conſtet rebus, cibo & potu, motu & quiete, ſomno & vigilia, aëre, animi affectibus, & excretione, aut retentione quorumdam. Haud dubiè igitur, ea Philoſophia, quæ affectus temperat, Medicinæ pars eſt, non minùs quàm quæ modum ponit cibo & potui. Neque abs re Galenus, aut extra chorum ſaltans, ſcripſit, de cognoſcendis, & curandis animi morbis, neque Plutarchus de ſanitate tuenda, neque igitur ſine cauſa in ſacris, ac præcipuè in moralibus (cuiuſmodi ſunt liber hic Eccleſiaſtes, & omnes libri qui extant Salomonis, aut Salomoni attributi, præter Cantica) tam multa ſcripta ſunt medicinalia, & ad victus inſtitutionem pertinentia, Cùm verò multa ſint, præſcripta oratio continet præcipua totius victus capita, & plurimum congruit cum Hippocratis præceptis. Nam tametſi victus dictis ſex cõſtat rerum generibus modus cibi, & exercitationis, primũ ac ſummum rei caput eſt, & ad hæc referũtur alia omnia. Omnes enim morbi, teſte Hippocrate, additione aut detractione conſtant Atqui præcipua additio & detractio, repletio & inanitio eſt. Repletionem facit cibus, inanitionem exercitatio. Conſtat verò quod repletionẽ naturæ eſt facere, inanitionem tollere, quod inanitionem facit, tollere repletionem. Cibus igitur & exercitatio non vt expedit ſuſcepta, morbos omnes nata ſunt facere, & vt expedit, tollere. Reliquæ verò omnes cauſæ, his ſeſe adiungunt ſocias, quia aut replent, aut inaniunt Proinde maxima pars diæticæ partis eſt, modum ponere cibo, & exercitationi. Modus autem quem ponit Eccleſiaſticus eſt ne quis ſit infrunitus, hoc eſt, intemperans in capeſſendo cibo, ſed parcus: & vt in ſuſcipiendis laboribus ſit velox, quæ eadẽ ſentẽtia ſcripta eſt ab Hippocrate lib. 6. Epid ſectione quarta, his verbis: *Exercitatio ſanitatis eſt, citra ſatietatem cibũ capere, & impigrum eſſe ad labores.* Quæ aſſertio quàm ſit eadem, quæ & Eccleſiaſtici, quiuis videt. Parcum enim eſſe, quid aliud interpreteris, quàm citra ſaturitatẽ vti cibis? eſſe verò cẽ in ſuſcipiẽdis laboribus, quid aliud quàm eſſe impigrum ad labores? Verùm Eccleſiaſticus, non cõtentus ſimpliciter præcipere, apponit

Medicinæ pars Ethica.

Parſimoniæ vtilitas.

etiam incommoda, quæ intemperanter facientibus eueniunt & commoda quæ temperantibus. Explicat verò vtraque per notas quaſdam, & ſigna affectionum, quæ Medici ſymptomata appellant. *Viro* (inquit) *infrunito accedet vigilia & cholera, & tortura, ſomnus autem ſanitatis in homine parco.* Nihil magis experimento cognitum, quàm eum qui ſe cibis impleuit vſque ad ſatietatem, non poſſe dormire, ſed aut totam noctem vigilare, huc & illuc ſe iactantem, neque poſſe loco conſiſtere: aut dormire ſomnum grauem, cum multis horrendiſque inſomniis, neque eum longum, ſed crebrò interruptum, ac cum cholera nonnunquam, & tortura, hoc eſt, cum anxietate ventriculi & vomitibus cibi corrupti, aut nauſeis, & fluctibus nidoroſis (hic affectus vocatur Hippocr. cholera ſicca) & cum torminibus inteſtinorum. Illud quidem ob cibos corruptos, qui adhuc in ventriculo hærêt, hoc ob eos qui in inteſtina deſcenderunt: eum verò, qui parcè aut citra ſaturitatem cœnauit, dormire vſque in manè, & animam eius cum ipſo delectari, hoc eſt, magnam ex ſomno voluptatem capere, & expergiſci alacrem & expeditum, quod quidem ſignum optimè peractæ concoctionis, atque adeò bonæ valetudinis eſt. Ob hæc igitur iubet, parcum eſſe, & præterea in omnibus operibus eſſe velocem. *Et omnis,* inquit, *infirmitas non occurret tibi.* Quod non ita accipiendum eſt, ac ſi nullo poſſit morbo penitus corripi, ſed quòd nullis morbis eſſe poterit valde obnoxius, ſed raiò, ac leniter tentabitur: niſi caſu lædatur à cauſis, quas Medici vocant non neceſſarias, vt enſe, aut igne, aut lapidis iactu, aut domus ruina, aut contagio. Nam præter hæc, etſi parcum atque exercitatum hominem reliquæ quatuor victus partes lædere poſſint, aut ita vt Sol, hæc tamen ipſa raro magnopere lædent. Quanquam non nego poſſe etiam grauiter lædere aliquando, præcipuè eorum quædam, vt ſi fortè, qui parcus atque exercitatus ſit, v atur multa Venere, fortaſſe enim lædetur plus quàm ſi viueret in otio. Supereſt igitur, vt illud, *Omnis infirmitas non occurret tibi,* intelligatur ita vt explicui; quaſi, inquam, diceret, rarò grauiter ægrotabis. quia ſcilicet, præcipua, ac maxima pars rectæ victus inſtitutionis, eſt hæc, quamque Hippocrates antonomaſticè vocauit exercitationem ſanitatis. Verùm expedit eum qui nolit ex rectè dictis anſam peccandi accipere, hoc loco ſcire non ita eſſe vtilem cibi parſimoniam & exercitationem, vt quanto minus accipiat & plus ſe exerceat, tantò cenſeatur ſuæ ſanitati meliùs conſulere non enim ita eſt, ſed ambo fieri debent intra modum quendam, quia in Aphoriſmo dicitur, Neque ſatietas, neq; fames, neque aliud quiddam, quod naturæ

Repletionis mala.

Exercitationis vtilitas.

Modus in ...

naturæ modum excedat, bonum eſt; habet certè vterque exceſſus, & cibi & laborum, ſuas noxas, atque haud facile ſit dicere vter maiores, nam vt cibus ſupra modum ingeſtus morbum facit, ita & nimis tenuis, dictum enim ab Hippocrate eſt, Morbos ex repletione, ſanat inanitio, & ab inanitione repletio. Porrò vt otium vituperatur, ita & defatigatio, quam interdicens Hippoc. ſcripſit, *vbi laſſari cœperit corpus, quieſce & ſtatim remedium eſt.* Cur igitur (dices) Eccleſiaſticus tenuem victũ & labores commendat, ac non potiùs mediocritatem eorum? certè intra mediocritatis fines intelligendum eſt, hæc laudari. neque verba aliud ſonant Nam parcus non eſt qui fame ſe macerat, ſed qui non eſt infrunitus, hoc eſt, inutiliter cibos ingerens, aut, vt referam Hippocratis verba, *qui non accipit ad ſatietatem.* Velox non qui præcipitatus, ſed qui non piget. Itaque harum, vt & aliarum omnium cauſarum quæ nos alterant, eſſe debet modus, quia omne nimium eſt naturæ inimicum, modus verò cibi & exercitationis, definiri primùm debet ad ipſum hominem, ſeu ad eius facultatem, deinde alterius ad alterum, quia exercitatio eſſe debet pro modo cibi, & cibus pro modo exercitationis. Nam Hippoc. in Aphoriſmo dicit, *vbi fames laborandum non eſt.* Atque ita conuertenti licet dicere, vbi laborandum, fames ſuſtinenda non eſt, ſed capiendus cibus, atque eadem ratione colliges, vbi otium, cibus capiendus non eſt, niſi parciſſimè & vbi multum accipiendum ſit cibi, non vtcunque, ſed multum exercendus eſt homo: quia vt ipſemet dicit lib. I. de Diæta. *homo comedens & non laborans, non poteſt eſſe ſanus.* appoſuit verò ibidem cauſam omnium eorum quæ diximus, his verbis: *Contrarias enim inter ſe vires habent cibi & labores.* Verùm inter ſe mixti conferunt ad ſanitatem. Labores enim ea quæ inſunt conſumere ſolent, cibi autem & potus ea quæ euacuata ſunt explent. Itaque modus eſt, vt vterque ad alterum accommodetur, quia contrarias cùm habeant facultates, neutrum oportet alterum ſuperare, neque cibum vnquam, neque laborem; mutuò enim ſeſe corrigunt, alterum cùm inaniat. Igitur ſi cui laborandum neceſſariò plus ſolito, eſt adiiciendus cibus: ſi veſcendum pluribus, exercendus etiam plus. Igitur ne nimio indigeas motu, conſultius ſit parcè vti cibo. Neque tamen ſemper; vbi ſolitam cibi copiam auxeris, ſatis ſit augere exercitationem, neque vbi ſatietas magna fuerit, quia etſi cibus & labor contraria ſunt, non tamen vterque poſt alterum commodè adhibetur; ſed, vt Hippocrat. inquit, *labor cibum præcedere debet, non ſubſequi.* Neque quidpiam periculoſius, quàm pleno

Exercitatio poſt ſatietatẽ mala.

pleno ventre, aut toto etiam corpore pleno, aut impuro vehementer exerceri, antequam magna pars copiæ aut cacochymiæ, manifeſta euacuatione ſit depoſita Quia exercitatio diſtrahit per corporis habitum, quæ intra ventres ac cauitates recondita ſunt. E pleno igitur ventre cruda detrahit in partes alias omnes quare & capitis, & pulmonis. & hepatis & viſcerum omniũ facit obſtructiones, atque fluxiones multas in eas ipſas partes,& in veſicam,& in articulos,& totum corpus vnde innumeri naſcuntur morbi. Igitur maximè ac primùm curandum eſt, ne vnquam cibum capias niſi parcè,vt ab illo placidè ad longum dormias, & à ſomno alacriter exporrectus, impigrè exercearis, vt omnem effugias infirmitatem. Si quando verò coactus ſis, ita vt fit in conuiuiis (tametſi id vir temperans, & fortis, quique ruſtico pudore non laboret,pati non debet) in edendo multum,cõſultiſſimum ſit, multitudinem cibi primùm deponere,deinde dormitum ire,vt concoquatur reliquum, poſtea exercere,vt extrudantur excrementa. Optima autem ratio ventriculi vacuandi in vomitione eſt, ſecunda ab hac in deie-
Vomitus vtilitas. ctione. Vomitio enim eiicit ex ipſo ventriculi ore, antequam deſcenderint cibi, ſuccurritque citiſſimè, ſine aliarum partium noxa. Deiectio ex inteſtinis, quæ iam deſcenderunt. Vtendum ergo,ſi modò facere id homo poſſit,vomitione ſtatim,ſi autem quiſpiam eorum ſit qui vomat difficillimè, vtendum aliquantò pòſt alui ſubductione,tunc ſcilicet,cùm tormina,aut diſtenſionem inferioris ventris cœperit ſentire. Optimè igitur,ac ſecundum Hippocratis & Galeni præcepta, vt lib.7. Methodi medendi licet videre, præcepit Eccleſiaſticus: *Si coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio* (his verbis ſignificat ſtatim id eſſe faciendum, antequam cibi copia noxæ aliquid afferat) *& vome, & refrigerabit te* (hoc eſt, ſubleuabit te,)& non adduces corpori tuo infirmitatem.

CAPVT LXXIV.

De Medicina. CAp.38. Eccleſiaſtici: *Honora Medicum propter neceſſitatem, etenim illum creauit Altiſſimus, à Deo eſt enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnarum collaudabitur. Altiſſimus creauit Medicinam de terra, & vir prudens non abhorrebit illum. Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus honorari*

honorari in mirabilibus ſuis. In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis, & vnctiones conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera eius. Pax enim Dei ſuper faciem terræ, fili, tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Da ſuauitatem, & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem, & da locum Medico. Etenim illum Dominus creauit, & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria. Eſt enim tempus quando in manus illorum incurras. Ipſi verò Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, & ſanitatem, propter conuerſationem illorum. Qui delinquit in conſpectu eius qui fecit eum, incidet in manus Medici. Hactenus Eccleſiaſticus.

Qui Medicinã dum ſani ſunt vilipendunt, neque pauci ſunt, neque ignobiles, imprudentes tamen ſunt haud dubiè, vt hoc loco teſtatur Eccleſiaſticus. Nam, inquit, *vir prudens non abhorrebit illam*, neque de ſpirituali hîc agit (huc enim confugiunt) Medicina, ſed de ea quam creauit Altiſſimus de terra, tribuens ſcilicet virtutes ſalutares herbis, lapidibus, ſuccis, & terræ generibus, & metallis. Eorum igitur qui Medicinæ detrahunt, quidam ipſas medicamentorum facultates negant, quòd nihil poſſint inſigne, ſed opinione magis conſtent Medicorum, quàm reipſa. Quidam, eſſe quidem re vera, hominibus verò non haberi certam de iis ſcientiam, atque adeò neque ipſam Medicinã ſcientiam verè eſſe, ſed incertas & inſtabiles opiniones, & coniecturas non ſatis firmas: argumento, quòd multæ fuerint, naſcanturque quotidie Medicorum ſectæ, & abeant, & redeant ſemper per quaſdam viciſſitudines, quaſi nihil certum in eis ſit, fallanturque quotidie Medici, quaſi nihil habentes ſcientificum. Quidam etiam calumniantur, defeciſſe iampridem, temporis diuturnitate, medicamentorum vires, neque eſſe quales antiquitùs, ſed elanguiſſe omnia. Alij ſtulta quadam religione affirmant, Medicinæ opera neceſſaria non eſſe, quòd ſanitas, & morbus, vita & mors penes Dei voluntatem ſint, ita vt nulla arte poſſit vitare homo, quod de eo Deus Opt. Max decreuerit, & apud ſeſe habuerit ſtatutum. Hæc omnia ſigillatim refutat Eccleſiaſticus, præcipitque honorem haberi Medico, duplici de cauſa, & quòd neceſſaria ſint eius opera, & quòd creatus ſit ab Altiſſimo. Explicat verò quem honorem illi haberi præcipiat, dicens, *à Rege accipiet donationem, & in conſpectu magnatum collaudabitur.* Nimirũ his duabus rebus conſtare debet honor Medici, copioſa donatione, hoc eſt, ampla mercede atque laudibus. Nam his duobus euadet honoratior. Cùm

Variæ de Medicina opiniones.

Medici honor.

enim ex Peripateticorum ſententia quæ à noſtris etiam Theologis receptiſſima, rei familiaris amplitudo ſit in bonis honorabilibus, hæc ipſa accedens ex arte efficiet artificē honoratiorem. Laudibus verò comparatur bonum nomen, quod melius etiam eſt quàm diuitiæ. Cùm verò duo hæc honorare adeò poſſint Medicum, tunc maximè, cùm à regibus, & magnatibus præſtantur. Nam cùm honor, teſte Ariſtotele, ſit in honorante, is maximè honorare poteſt, qui eſt honoratiſſimus. Proinde Eccleſiaſticus, tum omnibus in commune mortalibus, præcipit honorem Medico habere: tum maximè Regibus & magnatibus. Atqui profectò ipſa natura, cuius Medicus miniſter eſt, id omnes gentes docuit. Nulla enim tam barbara aut fera eſt, aut vnquam extitit, vt nulla penitus vteretur Medicina. Neque ſanè ſolùm natura, quæ eſt hominibus omnibus communis, à qua naturale ius fluit, ſed ea etiam quæ eſt illis cōmunis cum belluis (quam naturæ impetum, ius verò vocari non vellem) Medicinæ vſum ingerit, cùm ab irrationalibus putentur Medici multa, neque ea quidem parum vtilia, didiciſſe. Quæ verò gentes humanioribus vſæ ſunt legibus, omnes quidem publicè decreuerunt Medicis multos honores, immunitates, ac priuilegia, & inter eos quidam, Regiis, lōngè ampliſſimos: præſtantiſſimis verò Medicis, etiam diuinos honores tribuebat antiquitas. Romani Imperatores certatim largiebantur Medicis, & ipſam artem ac medicamentorum affluentiam magnis ſumptibus augendam procurabant. Nulla potiùs ratione mortalibus vtiles ſe eſſe poſſe iudicantes. Quod, vt alia omnia, quæ ad Regia pertinent officia, omnium optimè nunc Philippus II. Dominus meus exequitur, multam pecuniam impendens medicamentis conuehendis ex America, & vndique terrarum, & medicinalibus viridariis excolēdis, & de naturali hiſtoria rerū Americarum commentariis componendis, quo ſtudio haud dubiè de tota hominum poſteritate optimè merebitur, vt de nobis merita eſt antiquitas: quæ hanc artem maximi fecit. Quam vt ego exiſtimo in magna illa antiquitate, Medici requirebantur, vt reliquis hominibus imperarent, ac Reges fierent. Quod non obſcurè indicant illa verba Iſaiæ cap. 3. *Apprehendet enim vir fratrem ſuum, domeſticum patris ſui, & dicet: Veſtimentum tibi eſt: princeps eſto noſter. Ruina autem hæc ſub manu tua. Reſpondebitque in die illa dicens. Non ſum Medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me principem populi.* Hæc Iſaias: conſtat verò illa verba *non ſunt Medicus*, excuſantis ſeſe eſſe, quòd poſſet eſſe princeps populi. Nunc verò eò res deuenit, tanta eſt hominum imprudentia,

Medicorū præmia.

déția,tam præpoſterumque fertur de rebus honorabilibus iudicium, vt licet nobis aliud dignitaris artis huius argumentum accipere, quòd hoc ſeculo vili penditur. Sed quia locum hunc multi Iutiſperiti tractauerunt diſertiſſimè, & meus fortaſſe affectus ſuſpectus habebitur, continendus mihi impetus orationis eſt, condonandaque inſcitiæ Plinij ſua Grammaticalis garrulitas, mendaciis plena, & Catonis pulchra magis & procax quàm grauis ſententia dimittenda: & ſigillatim enarrandæ ſingulæ præſcriptæ dictionis partes. Ab Altiſſimo dicit crearam Medicinam ob neceſſitatem. Haud dubiè ab Altiſſimo, ſi neceſſaria eſt. Deus enim non deficit in neceſſariis, neceſſariam verò eſſe Medicinam conſtat, ſi modò ſunt morbi, quos non poſſit ipſa per ſeſe natura ſuperare, poſſit verò accedente artis miniſterio. Hoc quidem ſi eſſe indicetur, nemo negar eam artem eſſe neceſſariam. Omninò enim ſalute opus eſt ad vitam retinendam, eſſe verò ita, facilè monſtrari poteſt. Nã eſſe morbos quoſdam, & alios aliis maiores, ac maligniores, quiuis libenter concedet. Porrò mitiores ac benigniores faciliùs, maiores & maligniores difficiliùs vinci quis neget? Porrò nos admotione, aut ingeſtione rerum quarundam poſſe lædi, refrigeratos aut exuſtos, aut aliter affectos ſi quis negat, admoue illi niuem aut glaciem, aut ignitum ferrum, aut nudum hyeme ſub dio dormire, aut diem totum per æſtatem tranſigere in Sole coge. Quòd ſi lædere poſſunt hæc & alia huiuſmodi, poſſunt etiam prodeſſe non enim omnia eodem modo lædunt, ſed per contrarias alterationes. Quare quibus alia nocent, alia erunt vtilia, atque quia non omnes homines eodem modo affecti ſunt, eadem aliis noxia, & aliis erunt vtilia. Hæc ſolùm ſi receperis, neceſſe eſt concedas reliqua. Si enim ad quaſcunque intemperies ſunt res aliquæ vtiles quæ ſcilicet inducunt contrarias alterationes, conſtat, naturam idoneo adhibito medicamento, morbum quemcunque faciliùs ſuperaturam, quàm nullo. Si igitur ſunt morbi alij aliis ſolutu faciliores, alij difficiliores, neceſſe eſt ſint aliqui adeò difficiles, vt omninò vinci non poſſint, & alij adeò faciles, vt ſine vllo medicamento vincantur. Hæc duo facilè dabis. Nam ſi neges, fiet vt nullus morbus poſſit ſine medicamento ſolui, aut vt omnis poſſit cum medicamento, atque vtrumuis horum fiat, erit ars longè magis neceſſaria. Si verò ſunt illa duo, neceſſe eſt, ſit etiam inter illa medium, morbi ſcilicet, qui medicamento ſolui poſſint, ſine illo non poſſint, ob quos conſtat, Medicinam eſſe ſimpliciter neceſſariam. Dico autem ſimpliciter; nam ob quoſdam etiam aliorum erit vtilis, in illo enim genere morbo-

Medicina eſt neceſſaria.

rum, qui ſine medicamento ſolui poſſunt, ſunt qui facilè, & qui difficilè: ob eos verò, qui etſi à ſola natura vinci poſſint, difficilè autem ſoluuntur, vtilis eſt Medicina, vt interim natura minùs laboret, & minùs in poſterum relinquatur noxæ: ob alios verò qui nullatenus ſine eius ope ſoluuntur eſt omninò neceſſaria. Rurſus, ſunt nonnulli morbi, qui errore ipſius naturæ conſtant, & augentur, quique proinde nõ niſi ſolius artis opera, etiã natura repugnante curationi ſolui poſſunt. Quos ſi ſolui ad tuendam vitam neceſſarium eſt (eſt profectò aliquãdo) Medicinam eſſe ſimpliciter neceſſariam. Nam pone, carnem (ita vt fit quotidie) creſcere in vrinæ meatu, niſi diſſoluatur, nõ magis viuere poſſis, quàm ſine mictu. Non eſt autem quòd expectes naturæ medelam, quia ipſamet natura eſt quæ auget, eſtque ille morbus, & præter naturam, auctæ ſubſtantiæ verò naturalis incrementum. Sola igitur arte curari poteſt, ferro ſcilicet, aut exedente medicamento. Eſt igitur tunc ſolius artis curare id, quo non curato, viuere non poſſis omninò. Igitur ars eſt ſimpliciter neceſſaria. Ad multa itaque vtilis eſt, & ad quædam neceſſaria Vtilitatis adſcripſit Eccleſiaſticus duo exẽpla dicens: *Curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis.* Nam hæc duo pertinent ad meliorem tolerãtiam morbi, & quandam facultatis refectionem, vt ſcilicet per anodians vnctiones dolor miteſcat, & per ſuauia pigmenta voluptas concilietur. Addit verò, *& vnctiones conficiet ſanitatis,* quaſi dicat alias quoque conficiet vnctiones neceſſarias, quibus non ſoluat ſolùm dolorem, aut voluptatem conciliet, ſed morbum ipſum demoliatur, dolores aliquando etiam augens. Hæc igitur ita habent. Si verò Medicina eſt ad multa vtilis, & ad quædam neceſſaria, conſtat datam eſſe hominibus à Deo, alioqui deficeret Deus in neceſſariis. Neque hoc quoſpiam latuit mortalium. Omnes enim gentes Medicinæ inuentionem in ſuos Deos retulerunt, aut illos ipſos homines qui putarentur inueniſſe, retulerunt in numerum Deorum: quaſi Medicina non poſſet eſſe niſi Dei inuentum. Auxerunt quidam illam præſtantiſſimi quidem viri præceptis & experimentis, & ſecundùm Dialecticæ leges, methodo conſtituerunt. At verò primò, ab ipſo rerum opifice data hominibus eſt, neque priùs fuerunt ægroti quàm Medici, neque vnquam ſine Medicis. Illos enim ſexcentum annos quibus Roma caruit arte hac, Senatuſconſulto damnata, mendacium eſſe merum, ipſa annorũ cõputatione conſtat. Nam venit Romam (teſte eodem Plinio) Arphagatus, anno ab vrbe cõdita 530. qui honorificentiſſimè receptus eſt, & poſt illum ſemper plurimi ſubſequuti. Si igitur

Medicina vtilis ad multa.

Quando cœperit Medicina.

pluſquam

quam 600. antè annis, damnauerat artem, Roma pluſquam 70. annis antequam conderetur. Futilia itaque dicteria ſunt hæc omnia. Eſtque Medicina Dei inuentũ, quo nullo vnquam tempore caruit, aut omninò carere potuit hominum genus, atqui profectò ita oportet. Nam eiuſdem eſt domum facere, & labentem reficere, ita & veſtem, & calceum, & rem quamcunque. Cũ ergo ad Deum ſpectet humani corporis formatio, & temperies, ad eundem ſpectet neceſſe eſt eius conſeruatio & refectio: à Deo igitur eſt omnis medela. Quid igitur honorabilius ea arte, quæ neceſſaria eſt, & à Deo fluxit? At dicunt non eſt tanta vis medicamentis neque experimento probantur quàm plurima eorum, quæ ab iis qui de illorum facultatibus ſcripſere, dicta ſunt. Ita eſt profectò. facileque conceſſerim, nulla de re magis medicos nugari quã de medicamentorum viribus, ſingulis tribuentes innumera, quorum multis experimenta non reſpondent, aut non euidenter. Sed nugentur illi quantum lubet, ſunt nihilominus plurimæ, atque mirabiles medicamentorum vires, tametſi illi de quibuſdam nugentur per lenitatẽ, alias exploratas nõ habeãt per inertiã. Sed ſunt etiã per omnia ſecula nonnulli prudentes, docti & exercitati Medici. Quid autẽ non ſperes, fieri poſſe circa humanũ corpus, per naturalis cuiuſpiã rei admotionem, cùm Moſes iniecto in eos ligno quodã magnos aquæ fontes, ex adeò amaris, vt neque à valde ſitientibus poſſent deguſtari, reddiderit dulces? Id quod naturali quapiam virtute effectũ eſſe, ſuper caput quindecimum Exodi diſputauimus. Conſtat verò ex hoc loco. Niſi enim naturali facultate id feciſſet lignum, non bene in Medicinæ cõfirmationẽ accõmodaretur. Sed de hoc ſeorsũ egimus, nunc procedamus. Dicũt alij. Sũt quidẽ multæ virtutes tributæ rebus naturalibus, earum verò cognitio non eſt hominibus tributa. His reſpõdet Eccleſiaſticus dicens, *ad agnitionem hominum virtus illorum* (ſcilicet peruenit,) *& dedit illorũ ſcientiam hominibus Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis*, hoc eſt, vt honoraretur in mirabilibus ſuis. Quod & argumẽtũ affine. Quorsũ enim feciſſet Deus, niſi eorũ cognitio eſſet ad homines peruentura? quæ enim vtilitas accederet hominibus, aut quæ gloria Deo: neceſſe eſt ergo dederit Deus in ipſo mundi initio facultatum talium ſcientiam, quam fortaſſe, quia exoleſcebat, poſteà dedit Salomoni, qui ſcripſit de omnibus ab Hyſopo vſque ad Cedrum. Ex cuius ſcriptis multa arbitror deriuata eſſe ad Græcos & ad Latinos, & Arabes & ad nos vſque. Dicunt alij. At deficit iam plurimorum medicaminum vis. Ipſa quoque terra velut defatigata, & tabeſcens, minùs profert efficacia. Non eſt iam ea virtus rebus, quæ antiquitus

An eadem virtus ſit medicamẽtis quæ antiquitus.

tiquitùs Cui ſententiæ fauere videntur verba illa capitis quinti libri quarti Eſdræ, vbi de terræ totius & minùs ſenio agitur. Verba verò ſunt hæc, poſt multa alia facientia ad inſtitutum idem. *Conſidera ergo & tu, quoniam minori ſtatura eſtis, præ his, qui ante vos, & qui poſt nos minori quàm vos, quaſi iam ſeneſcentes creaturæ, & fortitudinem iuuentutis prætereuntes.* Cæterùm neque hic quartus Eſdræ liber recipitur à Theologis inter ſacros: neque mihi hæc ſententia vnquam probari potuit. Habet enim mundus ætates ſecundùm diuinas ordinationes, & rationem temporum quam Deus apud ſe habet, non tamen ſecundùm naturam, cùm neque naturalis extiterit eius ortus, neque interitus futurus ſit. Fieri quidem poteſt, vt vna aut altera terræ particula, longa cultura & aſſidua ſeminatione defatigata, languerit, vt tamen tota terra, minimè. Neque enim vnica particula langueſcit vnquam, velut quæ verè ſeneſcunt, vt non poſſit ſcilicet in poſterum vires reſumere, ac velut reiuueneſcere. Imò circulo quodam abeunt & redeunt omnia, ſecundùm omnes & ſingulas partes, ſecundùm omnes quidem per viciſſitudines, aliis debilitatis, aliis fœcundioribus redditis: ſecundùm ſingulas autem ſingulis debilitatis, & refectis alternatè Quapropter fieri poteſt vt quæ aliunde antiquitùs deportabantur medicamenta, veniant nunc aliunde potiora ac contrà: vt verò omnia vbique debiliora effecta ſint, fieri non poteſt. Atqui profectò nunc medicamenta non valent minùs quam antiquitùs. Quinimò video Medicos nunc multò magis illorum potentiam formidare, ac de doſibus antiquis magnam partem detraxiſſe. quod facultatum non imminutarum argumentum eſt. Iam verò copiam medicamentorum habemus longè maiorem, quæ noſtræ Indiæ, & Orientales abundè ſuppeditant. Haud dubiè igitur (vt inquit Eccleſiaſticus) *non cõſummabuntur opera eius*, hoc eſt, Medici, *Pax enim Dei ſuper faciem terræ.* hoc eſt, quia ſemper Dominus dabit benedictionem, & terra dabit fructum ſuum, alimenta ſcilicet, & medicamenta. Dicunt alij, imprudenter morbos & ſanitatem, vitam, & mortem, voluntate Dei diſpenſari, neque rationem vllam eſſe euadendi, cùm Deus morti homines deſtinauerit, aliqui verò ipſos per ſeſe ſaneſcere: quapropter ea arte opus non eſſe, quæ ſolùm non morituros. Huic abundè contradiximus nuper, indicãtes artis neceſſitatem, atque adeò eſſe morbos quoſdam, qui arte quidem poſſint, ſine ea verò non poſſint ſuperari. Verùm nunc aliter procedamus, vt hic locus poſtulat. Non dubium eſt morborum cauſas aliquando eſſe in peccatis: nam hoc ipſum præſcriptæ orationis verbis vltimis,

mis teſtatur Eccleſiaſticus, dicens, *qui delinquit in conſpectu eius qui fecit eũ, incidet in manus Medici*: itaque ex peccatis naſcũtur morbi, vt & aliæ omnes miſeriæ. *Neque eſt in ciuitate* (vt inquit Propheta) *malum quod non fecerit Dominus.* Atque ipſa Eccleſia Catholica, penes quam prima ac ſumma authoritas eſt, id teſtatur, dicens, *Cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat.* Nihilominus habent etiam illi iidem morbi naturales, circa noſtra corpora conſiſtentes, cauſas. Nam ipſemet Eccleſiaſticus explicuit multas tales, inter quas, multam eſum, dicens, *Si coactus fueris in edendo multùm, ſurge & vome, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Neque quidem Deus cùm in morbum hominem ob peccata coniecit, vult niſi rariſſimè & maximis de cauſis per ſeſe liberare, ſed per hanc digniſſimam artem, quam in humanæ ſalutis cuſtodiam, & reparationem creauit. Nimirum hac ratione efficiens quod præcipit, honorem, inquam, tribuens Medicinæ. Ipſemet Deus vulnerat & ſanat, neutrum tamen niſi per naturales cauſas, ſiue enim morbos infert, in vindictam, aut caſtigationem, aut probationem, ſiue ſalutem miſeratus noſtri largitur, cauſis vtitur ſecundis. Velut Tobiam excæcauit ſtercore hirundinum, & ſanauit Callionimi piſcis felle. Si igitur morbi duplicem habent ortum, alium diuinum, alium naturalem, quid expediet ægrotos agere? certè pariter placare Deum, & medicationem adhibere. Si enim ad Deum confugiens, curationem paruipendas, peccas ob imprudentiam in ipſum Deum, qui poſt expiationes iubet locum dare Medico, quia ipſe creauit eum propter neceſſitatem. Quare falſa pietatis ſpecie, incidis in impietatem, parui pendens illius opera; ſi verò oblationibus, & precibus derelictis, ſolis Medicinæ confidas operibus, pecces grauiùs, aliquid ſine Deo rerum naturam præſtare poſſe confidens. Ob quod peccatum (permittente Deo) rex Aſa dolore pedum vehementiſſimo vexatus per biennium, mortuus eſt, vt narratur ſecundo Paral. cap. 16. itaque infirmus placare debet Deum, & Medicum adhibere in curationem. Quoniam verò, vt inquit Hippocrates, in ipſo totius artis proœmio, non ſolùm ægrotus ſe debet præſtare opportuna facientem, ſed Medicus, hunc quoque oportet perinde facere, adhibere ſcilicet, curationem, & Dominum deprecari, vt dirigat opera ſua. Requirendus igitur eſt, vt res bene cedat. Medicus doctus pariter, ac probus, vt poſſit vtrumque præſtare, curationem, inquam, idoneam, & preces. Huic verò habendus honor eſt, & ſui gratia, quia eius opera ſunt neceſſaria, Dei verò præcipuè, à quo creatus eſt propter neceſſitatem noſtram. Hæc omnia adeo ſunt rationi

Morbi ex peccatis naſcũtur.

Duplex morborũ ortus.

conſentanea vt niſi ei, qui de Deo malè ſentiat, aut nullam omnino notitiam habeat rerum naturalium, dubia eſſe non poſſit. Quæ his verbis complexus eſt Eccleſiaſticus, *Fili in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum* (ſine vlla ſcilicet procuratione manens, vt iumentum,) *ſed ora Dominũ & ipſe ſanabit te.* Non ſit tamen ſatis orare, ſi in peccatis maneas, *ſed auerte à delicto, & dirige manus*, reſtituens ſcilicet ſi quid rapueris, ac inſuper tribuens pauperibus. *Et ab omni delicto munda cor tuum*, hoc eſt, neque ſolùm non exequaris opere, ſed neque cõcupiſcas malũ. *& da ſuauitatem & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationẽ*, hoc eſt, offer abundanter munera Deo grata, tuncque (placato ſcilicet Deo) *da locũ Medico, etenim illũ Deus creauit* (vt ſcilicet per illum largiretur ſalutẽ, quibus vellet) *& non* (inquit) *diſcedat a te quia eius opera ſunt neceſſaria: eſt enim tẽpus, quando in manus illorum incidas.* nimirum, omnia tempus habent, & tẽpus ægrotandi, & tempus vtendi Medicis. *ipſi verò*, præterquam quod idonea adhibebũt medicaméta, *Dominum deprecabuntur vt dirigat requiem eorum, & ſanitatem*, hoc eſt, vt tribuat ægrotis ſanitatem, & ipſis requiem animorum impetrato eo, quod vehementer exoptant & ob hanc ipſam cauſam, quæ Dei eſt bonitas, exaudientur, & tribuet Deus ſanitatem ægrotis ob conuerſationem, & conuictum eorum. Haberi igitur debere honorẽ Medico, & naturæ lege (quando quidẽ gentium omniũ de re aliqua confirmata opinio lex eſt naturæ, vt inquit Cicero) & Diuino præcepto iam conſtare videtur. Poſſunt verò ex Philoſophorum placitis nonnullæ etiam oriri obiectiones, quas dilui ſatius ſit, quàm diſſimulando præterire. Videtur

Scientia optima quæ.

enim ſciẽtiæ cuiuſpiã dignitas malè neceſſitate æſtimari, ſiquidẽ Ariſt. c. 2. primi Metaphyſicorũ, de prima Philoſophia diſſerẽs inquit. *Cætera itaque omnes magis ea neceſſaria sũt, nulla verò melior* Itaq; dicit artiũ omniũ aut ſcientiarũ, eam eſſe optimã, quæ minimè neceſſaria ſit etiã viliſſima; quare & minimo honore digna quæ maximè neceſſaria. Neque profectò dubiũ eſt, longè aliud eſſe in rerum omnium generibus, quod honorabile, & quod neceſſarium. Quis enim neget naturales actiones, vt eſſe, bibere, egerere, & mingere, neceſſarias magis eſſe ad vitam tuendam, quàm rationales, vt meditari, conſultari, & diſputare, conſtat verò quàm ſint hæ honorabiliores. Ita igitur dicere poſſis, Medicinam artem eſſe maximè neceſſariam, vilem tamen, cùm dignitas alia potiùs ratione ſit æſtimanda, quàm neceſſitate. Dicit enim Ariſt. primo Politicorum, cap. 6. *Sunt enim operationes illæ artificioſiſſimæ, in quibus maximum eſt fortunæ: illæ ſordidiſſimæ, in quibus maximè inquinatur corpus; illæ ſeruiliſſimæ, in quibus corporis eſt*

vſus plurimum: illæ vero ignobiliſſimæ, in quibus minimū requiritur virtutis. Ignobilis quidem hac ratione non ſit Medicina, non enim minimum virtutis cum eius recto vſu coniunctum eſt. Quin potiùs, vt nuper diximus, probus æquè ac doctus eſſe debet Medicus. Videri non poſſit ſordida, ac ſeruilis, quia non poteſt ſine magno corporis labore exerceri, cū opus ſit ægrotos viſere, & nō rarò Medicus inquinatur, contrectatque partes inunctas, aut per ſeſe turpes, præcipuè cùm Chirurgia non minima pars Medicinæ ſit, ſed neque admodùm artificioſa videri alicui poſſit, cùm in ea minimum putetur valere fortuna Quis igitur honor haberi debeat arti ſeruili ac ſordidæ, ſi præcipuè neque admodùm artificioſa eſt, ſed fortunā plena? his obiectionibus facturi ſatis, de neceſſitate dicamus primùm Nam & ad rem ipſam maximè expedit & ad verborum Eccleſiaſtici enarrationem. Certè neque quò ſcientia eſt minus neceſſaria, eſt ignobilior (alioqui eſſet prima Philoſophia quam vocamus Metaphyſicam, omnium ignobiliſſima) neque quò minus neceſſaria, nobilior, Nam agricultura eſt, quàm mercatura nobilior, & multò magis neceſſaria Et in ipſis mercaturæ generibus, quæ fœneratur eſt ignobiliſſima, eandēque quam quæ emptione, & venditione cōſtat mercium, multò minus Reipublicæ neceſſaria. Quia agricultura, cum qua & pecuaria intelligitur, ſecundùm naturam eſt, mercatura mercīū, præter naturam, fœneratio verò, etiam contra naturam, quia facit, vt pecunia pecuniam pariat, quæ tamen natura ſterilis eſt (author eſt Ariſtoteles primo Politicorum capite ſeptimo.) igitur neque quò magis neceſſaria, eo nobilior ars quæpiam cenſenda eſt. Neque id dicit Eccleſiaſticus, ſed Medicinā eſſe honorabilem, quia eſt neceſſaria, non tamen hinc ſit vt omnis honorabilis ſit neceſſaria, ſed vt omnis neceſſaria, quà neceſſaria ſit honorabilis. Dico autē, quà neceſſaria, quia cum non vnica honoris cauſa ſit neceſſitas, poteſt ob alia multa eſſe quæ neceſſaria, ignobiliſſima, vt carnificis opera, qua fortaſſe in republica cauſæ ſunt magis neceſſariæ, & nulla vilior, nō tamē eſt ob neceſſitatē vilis (nam ob hanc ſolùm tolerabilis.) ſed ob alia multa Neceſſitas igitur, cùm accedunt alia, nobilitatem auget, ſola verò non valet efficere. Conſideranda igitur alia quæ ad Medicinam ſpectant, videndumque an ob ea etiam ſit honore digna Intereſt, vt apud Ariſtotelem legimus ſecundo Ethicorum capite duodecimo, laudabile quid dicere, aut honorabile. Laus enim debetur virtuti, qui eſt boni alicuius effectiua, honor verò poſterius quiddam ac præſtātius eſt, quod debetur ob dignitatē, per operationē perfectæ virtutis

De Medicinæ neceſſitate.

Laudabile quid ſit.

virtutis comparatam. Itaque propriè laus eſt eius, quod boni cuiuſpiam eſt effectiuum, honor verò eius dignitatis, quam virtus peperit. Ita mihi fieri videtur, vt laudabile meritò nihil ſit, quod non ſit etiam honore dignum (dignitas enim neceſſariò ſequitur virtutem;) honorabilia verò nonnulla, quæ laudem nullam merentur, quia laus eorum ſolùm eſt quorum & virtus, honor verò etiam attingit poſteros, honoramus enim viros maiorum virtute, & rebus bene geſtis nobiles, idque meritò, neque ſine iniuria poſſumus illos eo honore priuare. Quia cùm fortunæ poſterûm ad defunctos pertineant, ſuorum maiorum id debetur virtuti, atque etſi virtus non poſſit, dignitas tamen poſſit eſſe hæditaria. Nemo tamen qui mentis ſit compos eos laudet, quod tam bonis parentibus nati, aut pulchri, aut proceri, quia nulla eorum virtute id effectum eſt, ſed naſcendi ſorte. Qua quidem in re præſtant homines noui iis qui veteri gaudent nobilitate, quod hi honorandi ſolum, illi verò etiam laudandi ſint, niſi tamen virtute propria augeant veterem nobilitatem, ita enim & laudem habent propriam, & honorem duplicem. His itaque conſtitutis, conſtat Medicum laudari debere, quia Medicina virtute comparatur, & exercetur, eſtque boni magni effectiua, quòd ſi laudari, certè & honore haberi, ac tantò maiori, quantò maiorem dignitatem conciliat. Naſcitur verò dignitas ex nobilitate ſubiecti, & finis: ſubiectum verò circa quod verſatur eſt humanum corpus corporearum omnium ſubſtantiarum haud dubiè præſtantiſſima, finis verò ſanitas, ſummum bonorum omnium quæ ad corpus ſpectant, quæ enim ſanitate ſunt meliora, pertinent ad animam. Iure igitur Medicis in omni bene conſtituta Rep. honores magni legibus decernuntur, & illorum poſteris: quod hæc ars, vt & ciuilis, & bellica honorabiliſſima ſit Neque quæ ex aduerſo obiecta ſunt, habent quidpiam monenti: fortuna enim fieri, quæ in Medicina bene cedunt, vulgi, & imperitorum ſententia eſt, qui ſi dato medidicamento expurganti, ſuccedit expurgatio copioſa, facilis, & vtilis; aut ſecta vena ceſſat dolor, aut ſoluitur ſtatim febris, bonæ Medici fortunæ id imputant, cùm deberent arti. Nihil enim eſt minus quam fortuna. Nam hæc ſolùm eſt, cùm quid rectè euenit præter intentionem agentis; ſi verò Medicus vt expurgaret, dedit medicamentum expurgans, & expurgauit, artis eſt rectè adhibitæ, non fortunæ; neque enim quia potuit decipi, & arte malè vti, fortunæ eſt non eſſe deceptum, ſed artis, vt decipi eſſet erroris, & inertiæ: habet quidem fortuna etiam in Medicina locum aliquem, vt in alia arte quacu nque

Medicinæ ſubiectum & finis.

cunque, cùm ſcilicet artifice aliud procurante, aliud, idque meliùs quam expetebatur, euenit. Vt ſi cum pharmacum expurgandi per aluum gratiâ dederit, menſes qui erant ſuppreſſi erumpant, aut vomica aliqua puris in aliquo viſcere, vel in ipſo ventre latitans rumpatur, & expurgerùr, aut calculus è rene detrudatur, & mictu erumpat. Verùm hæc perpauca ſunt præ illis quæ ex arte, atque ex Medici inſtituto fiunt. Atque ea ipſa fortuita ſunt huic Medico potiùs quàm ipſi Medicinæ, quia non ſine naturali cauſa fiunt, quam alius fortaſſe Medicus intelligens illud ipſum auxilium direxiſſet, in id quod euenit. Nam ipſemet Hip. 6. Epidem. ad calculos renum iubet vti pharmaco expurganti, ſciens certè illius vſu ſolere detrudi. minimus igitur locus ſupereſt fortunæ in Medicina, quo fit vt ſit artificioſiſſima. Multò profectò maiorem locum habet in re bellica, in qua nonnunquam euenit, qui ſe parabant ad fugam, videri inimicis velle prælium inire, illiſque ob id fugientibus priùs, victoriam fortunâ manere, apud eos qui iam cœperant fugam capere. Artificioſior ergo multò eſt Medica ars, quam militaris. Neque mirum, hæc enim vſu non adeò longo, comparatur mediocriter, illa non ſine Philoſophiæ ſtudio, & multis lucubrationibus, ac longo inſuper vſu. Haud dubiè igitur eſt per ſe artificioſiſſima, nunc verò ab optimis authoribus adeò eleganti methodo conſtituta, vt mihi videatur nulla artium cum illa poſſe de methodo & conſtitutione contendere. Iuris enim peritia quam hominum ambitio omni ex parte Medicinæ anteponit, aliis quidem cauſis fortaſſe vincit, vt mox explicabo, methodo verò longo ſpatio à Medicina relinquitur. Iam verò Medicis nullus labor corporalis, niſi ex accidenti: quia ſcilicet, non poſſunt ægroti ob debilitatẽ ad eos adduci, alioqui cõſtat eos non curare viſendo, ſed cõſulendo non aliter ac cathedræ moderator, docere non poteſt niſi quotidie abeat in Lycæum, eius verò officium docere eſt, non abire, neq; Peripatetici officiũ erat deambulare, niſi per accidẽs, quia deambulans diſputabat. Nobilitas verò artis non expectatur ab eo, quod per accidens, ſed quod per ſe facit, aut patitur artifex: nobiliſſima enim eſt ars imperatoria, quia eius eſt imperare, etſi non poſſit id ſine magnis laboribus exequi. Iam verò elegantior Medicinæ pars, à qua Chirurgia, & Pharmacopœa ſeparatur, ſolùm medetur victus inſtitutione, & ex ſyngrapha pharmacis, & ſine omni ſorditie tractari poteſt. Quinimò mundities omnis, & ornatus ſplendidus, decet admodùm Medicos, vt licet videre apud Hippoc. libello de Medico, vbi cõſulit Medicum veſtitu decoro, & vnguentis odoratis vti. Neque ſi quid

Iuriſprudentiæ & Medicinæ comparatio.

humanæ neceſſitatis cauſa admittit ſorditiei, vt frequenter contemplari vrinam, ac, vbi neceſſitas poſtulat, etiam fæces, haberi id debet turpitudini, aut ignobilitati, quin potiùs virtuti, condonandumque id eſt ſubiecti dignitati. Neque verò quòd ſuæ operæ mercedem accipiant, nobilitati detrahit, nam & milites merent, & duces, & ipſi Imperatores. Neque ad nobilitatem intereſt mercedem recipiat an non, ſed ex qua arte recipiat. Neque Medicus lucratur quà Medicus, ſed cùm idem ſit Medicus & paterfamilias, quà Medicus medetur, quà paterfamiliàs victum quærit familiæ, ex arte honeſta & nobili. Nam cùm victus quærendi induſtria ad œconomicam pertineat, ſitque muneris patris familias, & ea tribus conſtet agricultura, mercatura, & arte: victum ex agricultura quærere, nobile certè

Honoris gradus in Repub.

eſt, & maximè ſecundùm naturam, ex mercatura eſt præter naturam, & niſi accedat magna opulentia (quæ tamen raro iuſta eſt) ignobile: ex arte verò, nunc nobile, nunc ignobile, vt ipſa eſt ars. Medicinā verò ex aliis indicatum eſt, eſſe nobilem: quare victum ex ea comparare, ignobile non eſt. Sed quo honoris loco ſit habenda, ſupereſt explicemus, ne quid deſideretur in hac lucubratione. Multis Medicis videtur, eiſdem argumentis effici, hanc artem honore magno eſſe dignam, & eſſe omnium digniſſimam, atque præferendam Iuriſperitiæ, & aliis omnibus diſciplinis, Quorum ſententiæ videtur fauere Ariſt. cap. 5. lib. 1. Rhetoric. qui recenſens omnes honoris cauſas, primo loco ponit facultatem benefaciendi, in iis, quæ pertinent ad ſalutem, vitamque tuendam. Mihi verò videntur multis modis falli, neque rem ad exactum ducere: quod mihi nunc agendum eſt, Repub. in omnes ſuas partes diſtributa, & conſiderata ſingularum dignitate. Tria mihi eſſe videntur totius Reipub. membra principalia, vt & hominis. Ea ſunt in Republica agricultura, res bellica, & literaria: in homine iecur, in quo reſidet facultas naturalis, ad quam ſpectat omnis nutritio: cor, in quo facultas vitalis & iraſcibilis: & cerebrum in quo mens, & tota cognitio, vides quæ cui reſpondeat. Agricultura enim naturali, quia alimenta ſuppeditat ciuitati; bellica ars iraſcibili, quia repellit ſi quid inferatur violentiæ; aut impedimenti; literarum ſtudium cognitiuæ facultati, quia ſpectat ad intelligentiā, porrò, vt præter tria membra, quæ principalia vocantur, ſunt in homine alia multa minùs principalia externaque vt manus, & crura: ita in Republica præter dictas tres partes, ſunt aliæ externæ & minùs nobiles, vt mercatura & artes mechanicæ. Ex dictis haud dubiè fit. vt primus honoris gradus debeatur Reipub. rei literariæ, ſecundus bellicæ, ſintque duæ hæ viæ ad nobilitatem: poſt has verò agriculturæ debeatur ho-

nor antiquitatis, & naturæ. ea enim fuit prima mundi ars, & maximè naturalis, quam hoc nomine commendat. Ecc.cap.7. dicens: *Non oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab Altiſſimo.* Manet etiam mechanicas artes ſuus honor: maximũ enim dedecus in inertia. Conſtat verò rem literariam honorabiliorẽ eſſe bellica, quia bello nihil eſſet magis ferinum, niſi compareтur ad tuendam pacem, & vt vacent homines ſapientiæ, in qua eſt omnis veri, & boni contemplatio, & verus Dei cultus. ipſa igitur ſapientia, & intelligentia præſtantior multò eſt quàm bellum. quia propter vnum quodque tale eſt, illud magis tale eſt. Cùm verò id dicimus, ſecundùm genus intelligimus. Habet enim vtraque pars Reip & bellica inquã & literaria, partes multas dignitate diſpares. Neque omnes literarias, bellicis omnibus anteponimus (neque enim Grammaticum Imperatori) ſed præcipuas præcipuis, mediocres mediocribus, & infimis infimas. Porrò res literaria tres habet diſciplinas principes, ex quibus aliæ inferioris notæ miniſtrant, hæ ſunt Theologia, Iuriſperitia, & Medicina. Miniſtrant his tres ſermocinales, Grammatica, Rhetorica, & Dialecta, duæ Philoſophiæ naturæ, & morum: Mathematicæ vocatæ ſcientiæ. In tribus primis, aut dubium eſt, primum & ſummum honorem deberi Theologiæ. Quia, vt Ariſtoteles capite ſecundo primi Metaphyſicorũ dicit, *quæ diuiniſſima, eadẽ & honorabiliſſima eſt, ea verò eſt, quam maximè Deus habet, & quæ maximè diuinorum eſt.* Hæc Ariſtot. quæ Theologiæ congruunt. Ea enim eſt ſcientia rerum diuinarum, quæ quidẽ principia penes ſua Deũ habet, & mentes beatorum. Huic itaque non eſt quod vlla alia certet: tametſi audiui quoſdam ſciolos, volentes huic quoque ciuilem artem præferre, hoc argumento, quod vt aliis omnibus artibus, ita etiam Theologia videatur ars ciuilis vti. Non enim minus videtur cautum legibus, & ad ciuilem ſpectare, ne in Rep. ſacra deſint quàm vt iuſtè, & ſaluhriter viuatur, & artium omnium miniſteria exerceantur, vt oportet. ſi igitur (dicunt) ciuilis Theologia vtitur præſtabilior quàm illa eſt; hîc verò optimè occurrit Ariſtoteles in calce capitis vltimi ſexti Ethicorum differens de prudentia, his verbis. *At verò neque ſapientiæ præeſt, neque præſtabilioris eſt partis ſicut neque ars medẽdi præſidet ſanitati. nõ enim vtitur ipſa, ſed videt, vt fiat. illius igitur gratia, non autem illi iubet. Præterea ſimile eſt, ac ſi quiſpiam facultatem ciuilem principium eſſe Deorum, ſiue diuinorum dicat, propterea quod præcipit de omnibus quæ aguntur in ciuitate.* His verbis Ariſtoteles docet, eos qui prudentiam ſapientiæ præferunt, aut ciuilem

Diſciplinæ quæ principes & miniſtræ.

Theologiæ & Iuriſprudentiæ compàratio.

facultatem qui quæ de diuinis eſt, perinde errare, ac ſi quis dicat Medicinam eſſe potiorem ſanitate: quia vt Medicina non vtitur ſanitate, ſed medicamentis propter ſanitatem, ita neque prudentia ſapientia, ſed mediis prudenter inuentis ad conſequendam ſapientiam. Et ars ciuilis non vtitur peritia rerum diuinarum, ſed legibus, vt rebus diuinis ciuitas vacet. Itaque in diuinis eſt finis rerum omnium diuinarum, Theologia verò eſt de rebus diuinis, ac proinde omnibus ſcientiis ſine contentione præferenda. Solùm igitur ſupereſt agitatiſſima illa inter Medicos, & Iuriſconſultos controuerſia, illis dicentibus, ſe non de fideiuſſione, ſtipulatione & iure hæreditario, quæ ſolùm pertinent ad tuendam rem familiarem, agere, ſed de propulſandis morbis, tuenda valetudine, ac denique ſeruanda vita, qua nihil eſſet mortalibus pretioſius: his contrà reſpondentibus, ſed non ſingulorum hominum, ſed totius Reipub. vitam tueri, ac ſanctitatem, hoc eſt, iuſtitiam. Quam ergo controuerſiam citra inuidiam dirimam. Satis enim mihi eſſe videtur, ſi mea ars ſit in præclaris, quin ſit omnium præſtantiſſima. Iuriſperitia duas habet partes, alteram ciuilem, quæ verſatur in gerenda Repub. alteram litigioſam, quæ in agendis cauſis. Prima haud dubiè Medicinæ præferenda eſt. Nam Ariſt. 2 Ethic c.13. ita inquit, *Facultas ciuilis honorabilior Medica eſt, atq; e præſtabilior.* Cauſa verò eſt, quod Medicus de ſeruanda ſolius corporis valetudine agit, atque ſi quando de temperantia, & cohibendis animi affectibus, id quoque refert in corporis valetudinem: ciuilis verò de formandis moribus & continendis omnibus in officio. Quod quantò ſit præſtabilius quam bene valere, ſatis conſtat. Alteram etiam partem, & litigioſam, præfert Medicinæ hominum auaritia, & inſcitia, tamen hanc immeritò fortaſſe. Quia hæc, non vt ciuilis agit per ſe de Reipub. conſtitutione, & bonis moribus, ſed de ſingulorum iure, vt neque Medicus de hominis ſalute, ſed huius, & illius. Eorum verò quæ lite poſſunt detrahi, aut tribui, nihil eſt cum vita conferendum, de capiendis enim animi bonis (quæ ſola rectæ vitæ præſe ferun-tur) nunquam eſt inter homines orta lis. Præſtabilior igitur eſt ea ars quæ curat ne homo ante fatale tempus intereat, quàm quæ ne illi quidpiam ſuorum bonorum iniuria detrahitur. Honore igitur dignam eſſe Medicinam, & quo honoris gradu, dictum eſt.

De cõtrouerſia inter Medicinam & Iuriſperitiam.

CAPVT

CAPVT LXXV.

ECcleſiaſtici cap.33. *Et ſic intueri in omnia opera Altiſſimi: duo contra duo, & vnum contra vnum* Vſurpatiſſimum eſt Peripaticis omnibus axioma illud Ariſtotelicũ, Vnum vni eſt contrarium. Vnde fit, vt duo aut plura non poſſint eſſe contraria vni, quare neque vnum duobus aut pluribus, ſed neceſſariò contra vnum, & duo contra duo, & plura contra plura. Quod euidenti monſtratione videtur confirmari poſſe, poſita definitione contrariorum. Nam contraria ſunt, quæ ſub eodem genere poſita longiſſimè diſtant: at verò ab vno non poſſunt in eodem genere plura æqualiter diſtare; neceſſe eſt igitur vt vnum ſit, quod diſtet longiſſimè, non poſſe autem duo diſtare æqualier, conſtat. Nam aut illa duo diſtant loco, aut magnitudine, aut ratione aliqua. Si loco, aut ſecundum eandem lineam, aut ſecundùm diuerſas. Si ſecundum diuerſas diſtant duo æqualiter ab vno, neceſſe eſt illud vnum ſit centrum duarum linearum, & illarum extremitatum, atque ita non poteſt illud vnum eſſe quod longiſſimè diſtet ab illis duobus. Nam productis vltra centrum ambabus lineis, erunt duæ aliæ extremitates longiùs diſtantes à duabus primis quàm illud medium, igitur illud vnum neutri eſt contrarium, nedum ambabus. Si verò duo illa ſecundum diuerſas lineas diſtant inæqualiter ab vno, non diſtant ambo longiſſimè, ſed alterum, quare ſecundùm diuerſas lineas, non poſſunt eſſe contraria vni, duo aut plura. Multò autem minùs ſecundùm eandem lineam Nam aut verſus eandem partem, aut verſus oppoſitam. Secundùm eandem lineam, & verſus eandem partem, non poſſunt duo ab vno æqualiter diſtare, nam neque duo puncta eiuſdem lineæ, quæ ducatur à centro ad peripheriam, poſſunt æqualiter diſtare à centro Si autem non diſtant æqualiter, non diſtant ambo longiſſimè ab vno, ſed alterum longiùs. Si verò ponis duo illa diſtare ab vno ſecũdum eandem partem, tunc à neutro diſtat illud vnum lõgiſſimè, quia longiùs diſtat alterum ab altero. Nullo igitur modo poſſunt ſecundùm locum diſtare duo ab vno longiſſimè ſed vnum ab vno, vt ſupremum ab imo, & duo à duobus, vt ſupremum, & dextrum ab imo, & ſiniſtro: magnitudinis eãdé omninò Contraria quæ.

omninò ratio eſt, quæ & loci. Quæ ratione aliqua, aut natura aut forma (nihil enim refert) diſtant, ea etiam neceſſe eſt eſſe tantum duo, ita vt & vni vnicum ſit contrarium. Nam ſi duo diſtant ab vno, aut ſecundùm eandem rationem, aut ſecundùm diuerſas. Secundùm eandem non poſſunt duo ab vno diſtare æqualiter. nam ſi illa ratio diſtanti æqualiter participatur, ſecundum illam rationem, vnica fit ſpecies, non duæ, velut à candore non poſſunt diſtare duo colores æqualiter, ſed quæcunque à candido recedunt æqualiter eodem colore ſunt, quia colorum differentia ſolo maiori aut minori receſſu conſtat. Igitur quod ſummè recedit vnicum eſt. Si verò duo illa ab vnico recedunt æqualiter ſecundùm diuerſas rationes, iam non ſub eodem genere ſunt, ſed ſub diuerſis. nam illa ratio ſecundùm quam diſtant contraria, genus illorum eſt. Velut color eſt genus quo & conueniunt & diſtant candida, & nigra. Si verò diuerſis generibus communicant duo vni, illud vnum ad duo pertinet genera, qua autem ad duo genera pertinet, non vnum, ſed duo eſt, vt lac, albũ, & dulce. Neq; enim quia dulce, & cãdidũ ſunt in eodem lacte, non ſunt duo, & duobus contraria, putà nigro & amaro. Vnum igitur vni, & duobus duo ſtatuere contraria neceſſe eſt. Neque dictis obſtat, videri auaritiæ eſſe contraria duo, putà liberalitatem, & prodigalitatem: ita verò, & in aliis virtutibus & vitiis. Cùm enim authore Ariſt. virtus in mediocritate, atque inter duo vitia ſtatuatur, videbitur virtus contraria eſſe vtrique vitio, & vitia ipſa inter ſe. Quare & virtuti, & vitiorum vtrique ſunt contraria bina. Nam virtuti duo vitia, & vitiorum vtrique virtus, & vitium alterum. Nõ, inquam, hoc dictis obſtat. Non enim liberalitas contraria eſt auaritiæ, neque prodigalitati, ſi exactè loqui volumus, ſed liberalitas illiberalitati, atque ſub illiberalitatis genere auaritia, prodigalitati. itaque liberalitas & illiberalitas ſunt ſpecies contrariæ, ſub eodem genere, putà ſub habitu animæ pertinenti ad largitionem, hic enim habitus liberalitas, aut illiberalitas eſt. hæc rurſum auaritia aut prodigalitas. Atque ita ego non concederem virtutem vllam in medio vitiorum eſſe, quia quod in medio eſt participat vtroque extremo, nihil autem diſtat magis à vitio quàm virtus. Neque ſanè prodigus tantum diſtat ab auaro, quàm liberalis, quia hic habet cum Iuſtitia coniunctam liberalitatem. Illorũ vterque abeſt à iuſtitia quare facilè vterque futatur, cõueniuntque ambo in vno genere illiberalitatis, quo liberalis differt ab vtroque. Potiùs dixerim virtutem omnem contrariam eſſe certo cuidam generi vitiorum, idque genus diuidi in duo contraria vitia, quorum vtrumque moderatur

Vitia duo an vni virtuti contraria.

Prodigalitati cõtrarium.

tur virtus, non vt medium illorum, ſed vt contrarium eorum generi. Itaque illa duo ſunt vni virtuti contraria, non qua duo, ſed qua vnum genus Mox verò ac duo fiunt eſt alterum alteri contrarium. itaque in eis quoque euenit, vt ſit vnum vni contrarium. Videtur dictis repugnare ſaporum genus, quandoquidem Ariſtoteles dulce & amarum, dicit eſſe contraria, Galenus acerbum, & amarum. Quæ ſi vera ſunt, conſtat amaro eſſe duo contraria, dulce & acerbum. Verùm hæc nõ eadem ratione, neque ſecundum eandem conſiderationem dicuntur: nam reuera qua ſapores, dulce & amarum contraria ſunt, quia longè diuerſas paſſiones inferunt guſtandi potentiæ, alterum voluptatem, alterum magnam moleſtian. Verùm qua alterationem aliquam noſtris corporibus afferunt, quæ talibus qualitatibus ſunt affecta (quod ad conſiderationem Medicam magis ſpectat) acerba, & amara ſtatuuntur contraria, quia illa adſtringunt, & refrigerant, hæc calefaciunt & diſſoluunt, ac dilacerant. conſtat verò has eſſe conſiderationes diuerſas. Vtcunque verò conſiderentur res, vno modo eſt vnum vni cõtrarium. Sed quoniam Eccleſiaſticus iubet intueri in omnia opera Altiſſimi, ſermonẽ vlteriùs producamus. Non ſolùm quod diximus verum eſt in iis, quæ propriè vocantur contraria, ſed in naturalibus etiam rerum antipathiis. Nimirum animalia non omnia cum omnibus exercent inimicitias, atque cùm multa alicui videantur aduerſari, non tamen æquè omnia illa, ſed eſt quod aduerſetur præcipuè cuicũque quoddam certum. Velut leporẽ canis inſectatur, non ita lupus, aut leo, neque ita felem, aut murem, felis murẽ, non ita aliud quodpiã animal. In inanimis quoque rebus perinde euenit: cùm enim ſint quædam antidota, & ſimplicia, & compoſita, quæ cenſentur pluribus venenis aduerſari, vt lapis bezohar & Theriaca, tamen ſunt ſingulis venenis ſingula antidota propria, quia eſt quod cuique peculiariter ac propriè aduerſetur, velut aconito ruta, opio generoſum vinum, lepori marino lac. Itaque ſunt quædam ſimpliciter antidota, quædam quorundam, atque deteriorum generi aduerſatur genus alexipharmacorum, vnum vni, eſt enim quodammodo etiam vnum genus omne cuicunq; venenoſum antidotum. Porrò naturalem hanc con trarietatis legem imitari videntur etiam hominum ſimultates & odia, quæcunque enim inter plurimos, ſiue in vna domo, ſiue in ciuitate, ſiue in regno, ſiue etiã inter multa regna, oriãtur diſſidia; mox omnes ad quos illorũ cauſa vtcũq; pertinet, ferũtur in duas factiones. adeò diuiſioni accõmodatus numerus, eſt dualitas. Itaq; vidẽtur odia omnia, ſiue naturalia, ſiue volũtaria, exerceri per binarios

Saporũ cõtrarietas.

Antipathia naturalis.

Bezohar lapis.

vt neceſſe ſit, vnum eſſe contra vnum, duo contra duo, & ita deinceps. Habent verò hæc omnia cauſam non valdè diffidentem à priori. Nimirum vnum quiddam eſſe ſemper id, ſecundū quod aduerſari contingat: ſecundum vnum verò non poſſe diſtare longiſſimè niſi duo. Nam antipathiæ naturales, ex naturali quapiam diſſimilitudine naſcuntur, diſſimilitudo verò eſt ſimilitudinis vacuitas: ſimilitudini verò cuicunque eſt vnū ſubiectum. igitur & diſſimilitudo omnis eſt ſecundùm vnum aduerſitas. Iam verò cauſa omnis diſſidij, quod naſcitur inter homines, redigitur ad affirmationem, aut negationem. Quare neceſſe eſt abeant primùm in duas ſententias, tametſi illarum quæcunque poſſit deinceps abire in alias diuiſiones. Præter dicta videtur etiam præſcripta oratio Eccleſiaſtici, cōtinere dogma quoddam Epicuri de vocata illi *ἰσονομία*, ſeu, vt interpretatur Cicero primo de natura Deorum, æquabili tributione, ſeu æquilibritate. Annotauit enim Epicurus ineptè, eam eſſe naturam rerum, vt omnia omnibus partibus paria reſpōdeant, & ſimilia ſimilibus, & contraria contrariis, & oppoſita, ita vt in omnibus, & ſingulis ſeruetur æqualitas, & reſpondentia quædam. Velut totidem eſſe quæ conſeruent, & quæ interimant: atque corporeorum, & corpore carentium, mortalium, & immortalium, & aliorum omnium quæ ſecundùm oppoſitionem dicuntur, eſſe quandam æquabilitatem. Quam Galenus quoque in membris hominis, quæ ſecundùm oppoſita latera ſita ſunt, dextram, dico & ſiniſtram partem animaduertit, miriúmque in modum celebrauit, iuſtitiam naturæ appellans. Nimirum nulla pars eſt in vllo laterum cui non in altero ſit oppoſita æqualis altera. Nam vt geminæ ſunt atque altera in altero latere oppoſita, æquabilitatem etiam ſitus obſeruans, vt oculi, aures, narium foramina, renes, teſtes, manuſque & crura & eorum digiti: aut ſimplices eæq; in medio ſitæ vt cerebrum, cor, pulmo ventriculus, veſica, & vterus; inter externas, frons, os, & colis; aut ſecundùm latera, contrapoſitæ ad æqualitatem vt hepati opponitur lien. Duæ tantum particulæ videri poſſunt *ἰσονομίαν* corrumpere, vena quæ vocatur *ἄζυγος* hoc eſt ſine coniuge, quia ea ſola inter omnes, non oritur gemina & inteſtinum vocatum cæcum, quod in dextra ſolum parte ſitum eſt ſub rene. Verùm neque hæ rectè conſideranti, citra æqualitatem eſſe videbuntur, quia vena mox ac oritur ex ſiniſtra reflectitur ad dexteram partem, vt hactenus, neque dextra, neque ſiniſtra eſſe videatur, ſed tranſuerſim poſita in medio. Mox repit deorſum, æquales ramos emittens in oppoſitas partes per ſingula ſpatia intercoſtalia, vſque dum inſumitur

Æquilibritas.

Corporis partes trinæ.

Vena Azygos.

Inteſtinū cæcum.

mitur tota in modum ſpinæ cuiuſdam. Iam vero cæcum inteſtinum, totius inteſtini pars eſt, vt & colum. rependitur verò ea pars, qua inteſtinum vocatur cæcum, maiori coli ad partem oppoſitam amplitudine. Itaque & ſecundum genera ſimilium oppoſitorum, & contrariorum, & ſingulas ſpecies & partes ſingularum rerum retinet natura æquabilitatem & vocatam Epicuro ἰσονομίαν atque vt inquit Eccleſiaſticus, *In omnibus operibus Altiſſimi duo contra duo, & vnum contra vnum.*

CAPVT LXXVI.

CAp. 42. Eccleſiaſtci: *omnia duplicia, vnum contra vnum, & non facit quidquam deeſſe.* Poſtquam Eccleſiaſticus capite hoc percucrerat plurima, & præclariſſima operum Dei, poſtremo paucis his verbis, totius vniuerſitatis rerũ rationem complexus eſt Verè enim tota rerũ vniuerſitas, & tota eius perfectio hac ratione conſtat: *Fecit Deus omnia duplicia, & vnum cõtra vnum &, nõ fecit quidquam deeſſe*, eorum quæ ad perfectionem vniuerſitatis ſpectant. Sed quo pacto ſunt omnia duplicia? an eſt duplex Sol? & Luna duplex? aut etiam terrarum orbes duo? Imò verò videntur præcipuè mundi partes eſſe ſimplices, vnica enim terra, mare vnicum: res verò quæ multiplicitate conſtant, haud ſcio an vllæ ſint geminæ, ſed multæ, vt homines, ſtellæ multæ, Angeli quoque, aut ſua ſpecie ſinguli, aut quacunque plurimi. Quæ ſunt igitur hæc duplicia? In microcoſmo certè quædam ſunt gemina, vt renes, teſtes, oculi, nares, aures, manus ac pedes; quædam verò ſingula, vt veſica, ventriculus, caput: quædam multiplicia, vt digiti, & dentes: quommodo ergo ſunt duplicia omnia? certè non ſunt res omnes geminæ, imò verò nõ eſt numerus quem non alicui rerum generi aptare poſſis, etſi incipias ab vnitate. Nam eſt vnicus mundus, & vnicus mundi rector, & vnicus Sol, ſunt duo luminaria magna, duo ſexus, tres mundi corporalis partes, ſeu regiones corruptibilium, tantum mobilium & immobilium, tres corporis dimenſiones, tres diuinæ perſonæ. Quatuor elemẽta, quatuor eorum virtutes, quatuor anni, partes totidem concretorum corporum temperamenta. Quinque ſenſus, quinque vocalia elementa, quinque digiti: ſex apparent Pleiades: ſeptem planetæ, vt & triones: octo orbes ſtellati: nouem Angelorum ordines: decem rerum genera. Quo pacto ergo ſunt omnia duplicia? Certè ſecundum contrarietates: quia rerum multiplicitas formalis, naſcitur ex

Creata duplicia.

diuiſione generum, & diuiſiones fiunt per differentias contrarias, vni verò non eſt niſi vnum contrarium. & non facit Deus quidquam deficere, quia tota rerum vniuerſitas opus perfectũ eſt, ac proinde in quocunque rerum genere, ſi vnum contrariorum eſt, neceſſe eſt alterum omninò eſſe. Velut quoniam eſt numerus aliquis par, neceſſe eſt eſſe etiam aliquem imparem ſi res aliqua calida neceſſe eſt eſſe aliquam frigidam, atque ſi cãdida, aliqua etiam ſit nigra. Alioqui manca eſſet, & inſufficiens rerum vniuerſitas: niſi inquam eſſent omnia rerum poſſibilium genera. & omnium generum differentiæ omnes. Non enim eſt perfectum, & integrum cui aliquid deeſt. tametſi verò ſunt quorundam generum differentiæ multæ, omnes tamen illæ ad duas rediguntur, aut duarum miſtura conſtant. Velut animaliũ differentiæ rediguntur ad rationale, & rationis expers, & colores omnes conſtant miſtura albi & nigri, & ſapores dulcis, & amari, ſoni grauis, & acuti. Itaque omnia genera rerũ quibus conſtat hæc vniuerſitas ſunt duplicia, ſecundùm differentiarum oppoſitionem, quia vnum vni contrarium eſt, & non fecit quidquam deeſſe. Conſtare verò totam rerum vniuerſitatem rebus geminis, & multitudinem omnem fluere à binario, cõſtat primùm hac ratione. Ipſum ens, primùm quidem duplex eſt, alterum enim ſemper ens, alterum non ſemper ens: rurſus ipſum non ſemper ens, duplex, nam alterum eſt per ſe exiſtens, alterum alicui accidens. Rurſus quod per ſe exiſtit alterum corporeum, alterum incorporeum. Porrò ens corporeum alterum generabile, & corruptibile, alterum ſine ortu, & interitu. Rurſus quod ortui, & interitui obnoxium, ſimplex (quod & elemẽtum vocamus) aut miſtum, rurſus miſtum, viuens, aut vita carens, & quod viuit, ſenſu præditũ aut ſine ſenſu, & quod ſentit, rationale eſt, aut irrationale. Porrò elementum duplex, alterum actiuum, alterum paſſiuum, etiam vtrumque horum duplex, nam alterum calidum, aut frigidum: alterum humidum, aut ſiccum. Alia omnia horũ miſtura conſtant, cuiuſque quoque corporis, ſiue ſimplicis inquam, ſiue compoſiti, duplex eſt principium, forma, & potentia. Genera quoque omniũ, quæ miſtione conſtant, ſunt diuiſione duplicia, vt de viſibilibus, guſtabilibus & audibilibus indicatum eſt. eadem autem eſt ratio omnium patibiliũ qualitatum. Itaque conſtat omnia eſſe in hac vniuerſitate duplicia, aut ad duo redigi, quia cuiuſque generis prima diuiſio eſt, in duas differentias oppoſita. Hoc tamen non prohibet eſſe quinque digitos, & ſeptem Planetas & ſtellas fixas innumeras, & huiuſmodi alia, quia illa duplicitas non eſt in cuiuſque ſpeciei

Binarum rerũ principium.

ſingulis,

ſingulis, ſed in ipſis generum differentiis. Quoniam ergo genera omnia diuiduntur per oppoſita, & vnum eſt vni contrarium, conſtat(ſi quidem mundus perfectus eſt)fieri non poſſe, vt quidquam deficiat eorum quæ verè exiſtentibus oppoſita ſunt. v. g. quandoquidem eſt aliquid aliquando ens, aliquando non ens,neceſſe eſt eſſe aliquid ſemper ens, & quoniam eſt aliquid alteri accidens, neceſſe eſt ſit aliquid per ſe ſubſiſtens, & quoniam eſt aliqua ſubſtantia corporea, ſit etiam aliqua incorporea,& quoniam eſt aliquod corpus corruptibile,ſit etiam aliquod incorruptibile,& quia generabilium quædam ſunt miſta,ſint neceſſariò quædam ſimplicia,atque in his ſi ſunt actiua, paſſiua quoque ſint,vt in ipſis rerum principiis.Et quoniã calidum,& frigidum contraria ſunt,ſi res quædam ſunt calidæ,neceſſariò ſint aliæ frigidæ, etſi enim omnium hæ,& aliæ huiuſmodi conſequutiones habent peculiares alias neceſſitates,omnes tamen illam communem, quod non fecit Deus quidquam deeſſe. Nimirum inſufficiens,& imperfecta,atque,vt ſic dicam, manca & mutila eſſet rerum vniuerſitas,atque adeò ne vniuerſitas quidem eſſet,niſi haberet vniuerſa. Nam hæc eſt ratio totius vt nihil deſit. Dices hinc fieri,vt neceſſariò ſint in mundo animalia immortalia(cuiuſmodi eſſe Deos,& cœleſtia corpora multi Philoſophorum putauere) ſiquidem ſunt mortalia: at verò non fit, quia mortale, & immortale non ſunt differentiæ animalis, imò alterum repugnat, alterum neceſſariò ineſt animali. non enim poteſt eſſe animal quod non ſit ſenſitiuum,neque ſenſitiuum quod non paſſiuũ corruptiuè,neque hoc quod non mortale. Ergo mortale, per quædam media,eſt in ratione animalis. Non poſſunt ergo eſſe animalis differentiæ mortale, & immortale.velut ergo nemo dicet,quia eſt homo rationalis, eſſe hominem irrationalem,ita neque quia eſt animal mortale, ſit animal immortale, ſed quoniã ipſe mortalis, & immortalis, rationes contrariæ ſunt, & ſunt res quædam mortales,ſint neceſſariò aliæ res immortales. Itaque(vt reſumentes ſermonem dicamus) ſunt rationes rerum omnium duplices, & neutra ex parte claudicat vniuerſitas,ſingula tamen, vt homines, equi, & ſtellæ,innumera, omnis tamen multitudo rerum quarumcunque, multiplicatur per dualitatem, vt animalia per duplicem ſexum, & quæ ſexu carent per duplex principium,materiam,& formam,ſeu potentiam & actum.Nec ſanè quidquam eſt,quod omninò careat dualitate, præter id, quod perfectiſſimè eſt vnum per ſe ac ſemper ens, à quo facta ſunt omnia, & non fecit quidquam deeſſe, cui honor, & gloria in æternum.

Generum oppoſita.

CAPVT

CAPVT LXXVII.

Del ſal e copioſè.

CAp 43. Eccleſiaſtici legimus, *Gelu ſicut ſalem effundet ſuper terram.* Quæ verba nonnulli referunt ad ſalis naturam, dicentes ſalem concreſcere vt gelu à frigore, habereque ſimilem illi generationem. Quod tamen facillimè redarguitur, quia celebratiſſimum eſt apud omnes Phyſicos, à contrariis diſſolui rem quamcunque, iis à quibus compacta eſt. Sal à nulla cauſa minùs diſſoluitur, quam calore, quia ad ignē ſiccatur ac vritur, diſſoluitur verò ab aqua, vt quæ conſtructa ſunt, calore. Neque verò dici poteſt conſtructum eſſe ab vtroque vt fictile, eſſet enim illiquabile, vt illud non eſt tamen, ſed facillimè liqueſcit, vbi quidpiam accedit humiditatis. Illud igitur quod de ſale hoc loco dicitur, non ſpectat ad illius naturam, ſed ad phantaſiam, & id quod apparet. Nimirum nomine gelu, hîc pruina deſignatur quæ aſpectu quidem ſali per terram ſparſo eſt ſimillima, adeò ut ſi procul aſpicias, non valeas diſcernere; res verò adeò ſimiles aſpectu diſcrepant naturâ plurimùm. Nam pruina eandem habet cum niue generationem, hoc ſolùm diſcrepans, quòd circa terram conſiſtit, ſe habet enim ad niuem pruina, vt ad pluuiam ros, & ad grandinem glacies. Hæc verò omnia ſunt aqua concreta, exiguis differentia conditionibus. Sal autem inſignem habet naturam, vix vlli alteri ſimilem. Si quidem neque in metallis eſt, quia non diſſoluitur calore, neque in lapidibus, quia diſſoluitur aqua. neque in terræ generibus, quia totus diſſolutione abit in aquam, non quidem in ea ſubſidens, ſed ſolutus in aquam craſſiorem neque verò eſt aqua, quia non abſumitur ab igne, ſed vritur potiùs, vt terræ, quid ergo illum eſſe dicas, niſi αὐτόγενον, hoc eſt, ſui generis? quod ſit autem id genus, ſeu qui modus miſtionis, inueſtigandum. Primùm quidem, ſalſum ſaporem remiſſione amari fieri terræ vſtione, aperte indicat Galenus: nam exuſtis rebus ſupereſt cinis, qui nihil eſt alius, quàm terrea, exuſtarum rerum pars, ignitionem retinens. Hic amarus ſentitur, qui depoſita in aquam ignitione fit frigida terra, aquam verò vertit in ſalſum lixiuium, itaque amarum fit maxima terræ vſtione: ſalſum hoc ipſo, adiectione humoris, aliquatenus attemperato. Sal verò eſt illud terreum vſtum, quod cum aqua permiſcetur

facilè,

facilè, permiſtum verò ipſam tendit ſalſam. Id apertè percipitur, quia ex aqua ſalſa quæ colligitur, ſiue ex mari, ſiue ex ſalinis, per deſtillationem ſeparatur ſal, & fit ſuccus potui aptus: quandoquidem igitur ſeparatione ſalis dulceſcit, permiſtione illius etat ſalſa, eſtque ſal terra illa exuſta, quæ cum aqua facile permiſcetur, non eſt autem vſta vſque ad amaritudinem. ſed infra, argumento quod vbi vſtio plurimùm creuit, mare ipſum pro ſalſo eſt amarum, vt quod mortuum appellatur. Non eſt autem ſal, terra vtcunque exuſta, neque qualiſcunque, ſed talis nimirum quæ ſenſim vrenda exhalatione, atque cum aqua miſcenda, conſtituit. neq; prius eſt ex terra facta, deinde in aquam demiſſa, aut ex terræ ſordibus, vt quidam dicunt, in mare congeſta, ſed ſimul vi Solis eleuata, vſta & immiſta, vnde illud miſti corporis genus, vix vlli ſimile conſtitit, maxima ex parte terreum, & graue (nam & Eccleſiaſticus ſalem confert cum arena, & ferro quo ad pondus attinet) facilè verò miſcibile cum aqua, neque ſubſidens, ſed retinens miſtionem, vt primæ ſuæ generationi congruentem per minutulas quoque partes, intra exuſtam terram concluſit flatum, vnde vt ſpuma quædam eſt, & candorem habet. Qua etiam in re ſimilis eſt niui, & pruinæ: qua cauſa, ab igne reſilit, extenuato ſcilicet flatu, qui concludebatur, vt & in aliis omnibus rebus flatuoſis, velut caſtaneis & glandibus, euenit. Itaque ſal ad terrã pertinet mòdo quodam alteratam, & nactam quandam ſympathiam cum aqua ob primam generationem, ob quam non ſolũ in aqua, ſed & in aëre humidiori, vt cùm inſtat pluuia, emollitur: ob redundantiam verò terræ, & vritur & eſt adeò grauis, incluſus enim flatus non adeò detrahit pondus rebus cùm appenduntur in aëre, quàm in aqua. Quod indicant ligna quæ cùm ſint in aëre importabilia, in qua fluitant, ac ſuperuehuntur. hanc ob cauſam, ſal, cùm in aëre æquè grauis ſentiatur ac terra, in aqua nõ ſubſidet, vt terra, ſed commiſtus pendet cum aqua. Ob dictam quoque naturam euenit ſalem ſiccare ſimul, & extergere ſiccitatem præſtante terra vſta, & exterſionem ipſa ignitione, quia verò hanc minorem habet, extergit ſolùm. Nam amara etiam corrodunt. Atque ſal quidem ſolus, eandem ob cauſam, linguæ moleſtus eſt, admiſtus verò pinguibus, aut inſipidis, moleſtiam & faſtidium tollit, & gratiam addit: acida verò, contrarij cauſa retundit, liberant verò vtraque & ſalſa, & acida, inquam, à putredine, abſumendo humiditatem, quia hæc cùm frigore, illa cum calore ſicca ſunt, putredinis verò cauſa eſt redundans humiditas cum languido, & alieno calore. Salis igitur natura vtcunque explicata eſt,

Ligna cur ſupernatent.

quæ

quæ non adeò ſimilis eſt pruinæ, quàm aſpectu, & forma, præcipuè cùm effunditur ſuper terram in ſalinis.

CAPVT LXXVIII.

CAp 43. Eccleſiaſtici: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde ſpecioſus eſt in decore ſuo: gyrauit cœlum in circuitu gloria ſua, manus Excelſi aperuerunt illum.*

De Iride multa. Multis in locis ſacræ ſcripturæ commendatur Iridis pulchritudo. Nam & in cap. 50. huius libri in Oniæ laudem dicitur: *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ.* Et merito quidem, pulcherrimis enim coloribus eſt, puniceo, ſcilicet, viridi, & rubro, quapropter plurimum nos vocat in laudem Dei, vt & aliæ omnes res pulchræ in laudem opificum. non minimum autem auget pulchritudinem eius, illa magnitudo, qua cœlum videtur gyrare. hoc eſt, in circulum comprehendere. Nunquam enim ſuperſtat hemiſphærio niſi circuli medietas, quaſi pars ſit circuli maioris, ac totum cœlum ambientis, atque altera pars ſub terra ſit in altero hemiſphærio. Cuius quidem cauſa eſt ab oppoſito Sole fieri velut in terram diſpectante, ac ſecundùm peripheriam refractione radiorum in denſo aëre reddente circulum, qui terram in medio contineat, quò fit, vt quò Sol ſit humilior, atque occaſui propinquior, eò ſit arcus pars quæ ſpectatur ſublimior, & quò ſuperior Sol, eò arcus demiſſior. Nimirum eſt illi oppoſitus, & velut per totum cœlum diſtentus. Miratus ergo Eccleſiaſticus illam tanti arcus extenſionem, vt quod videtur, pars circuli maioris appareat, dicit, *Manus Excelſi aperuerunt illum.* De iridis cauſis dictum iam anteà eſt, ſuper Geneſim. Nunc hoc ſolùm dicere refert.

CAPVT LXXIX.

CAp. 6. Baruch, quod eſt Epiſtola Ieremiæ ad adducendos in Babyloniam, ità dicitur: *Quaſi poſſint ſentire, qui non habent motum.* quibus verbis Ieremias indicare vult Idola ſentire non poſſe, quandoquidem motum proprium non habent: non poſſunt autem ſenſum habere, quæ motu carent animali. contrà autem videtur, motum ſine ſenſu eſſe non poſſe, ſenſum verò eſſe poſſe ſine motu. Quandoquidem præſtantoris facultatis, & ordinis eſt motus, ſiquidem Ariſtoteles quatuor animalium gradus ſtatuit hoc ordine, vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & intellectiuum: vt ergo intellectiuum à motiuo ſeparati non poteſt, motiuum verò ab intellectiuo ſeparatur in brutis, ita motiuum ſine ſenſitiuo eſſe non poſſit, licet ſenſitiuum ſine motiuo aliquando ſit. Nimirum valet argumentum a maiori ad minus, non contrà. Galenus quoque libello de cauſis ſymptomatum, affirmat, in parte præter naturam affecta poſſe perire motum manente ſenſu, non tamen hunc, manente motu, quandoquidem vehementiori facultate opus ſit, ad transferendum membrum, quàm ad ſentiendum ſolum. Igitur & in toto animali, & in parte quacunque, videtur ſeruari poſſe ſeorſum ſenſum ſine motu, non tamen motum ſine ſenſu. Præterea, ſenſus cauſa eſt vnde incipit motus per appetitum, aut phantaſiam: appetitus enim eſt qui mouet animal (is verò fluit à ſenſu;) motus verò nullo modo, cauſa ſentiendi eſſe videtur: igitur motus neceſſario coniunctus ſit cum ſenſu, vt cum ſua cauſa, ſenſus verò non neceſſariò cum motu Quapropter à motu rectè videatur quis argumentari ad ſenſum, dicens ſi quid mouetur, ſentit etiam, non tamen è contrario, ſi ſentit mouetur. Videtur ergo Propheta non ſatis indicare, Idola non ſentire, quòd non moueantur, fuiſſeque rectiùs dicturus non moueri, qui non ſentiunt. Nihilominùs Prophetæ verba ſecundùm communem hominum ſenſum prolata ſunt, nulla enim alia ratione agnoſcimus animal mortuum eſſe ac ſenſu vacuũ, quàm quòd neque reſpirat, neque aliter mouetur. Sed & in ipſo ortu, quod nondum ſenſum aſſequutum eſt, neq; viuit vita animalis, non poteſt aliter dignoſci ab eo, quod iam ſentit, quàm quod moueatur, aut ſecus. Atque adeò Eccleſia ipſa ita procedit, abortiuos enim fœtus niſi motus alicuius ſpeciem

Senſus an ſine motu.

Gradus motus.

Baptiſmus abortiuorum.

præ ſe ferant, non baptiſat, quaſi animæ præſentia, non aliter quàm per motum agnoſci poſsit, neque ſenſus, vbi motus non ſit. Atqui profectò, præterquam quòd reipſa & communi omnium hominum ſententia videtur conſtare, argumentis multis indicari poteſt non poſſe ſenſu eſſe prædicum, quod moueri non poſsit. Nam Medici multis neque inevidentibus indicant, ſenſum & motum ab eodem principio fluere, putà à cerebro eiuſdémque animæ partis eſſe (quam vocant facultatem animalem) & eiſdem inſtrumentis deferri, & exerceri, puta neruis, & muſculis. Quæ igitur actiones, neque differentia

Senſus & motus ab eodem.

facultatis, neque principij, neque inſtrumentorum poſſunt ſeparari, neceſſe eſt ſimul inſint, merito autem ſi inſunt ſimul, motus nota ſentiendi eſt, potiùs quàm ſenſus mouendi, quia motus ſenſibile quoddam eſt, ſenſus autem non eſt ſenſibilis per ſe ab alio, quàm ob eo cui ineſt. Cùm igitur ſignum notius quiddam eſſe debeat, neceſſe eſt ſenſum ex motu venemur, vt ex re notiori, ſimul autem exiſtente Præterea, cui motum denegaſſet natura, fruſtra ſenſum conceſſiſſet. Quorſum enim dediſſet voluptatis atque doloris occaſionem, niſi proſequendi, & fugiendi dediſſet potentiam? niſi certè conferret animali ad ſui cuſtodiam, ſi neque cibum, quem cum

Motus à ſenſu non ſeparatur.

voluptate olfaceret, capere poſſet, neque ab igne à quo vreretur ſe ſubtrahere. Fruſtra igitur dediſſet ei ſenſum. Sed neque fruſtra ſolùm, ſed etiam crudeliter. Quod cùm tamen longè abſit à diuina bonitate, vbi natura eſſet perficienda, nòn puniendà culpa, conſtat fieri non poſſe, atque adeò conuertibiliter dici de re quacunque ſenſum & motum: neque alterum ſine altero ineſſe, in aliquo toto, & ſecundum naturam habente: velut in animali quopiam bene valente. Quare rectè conſideranti, motiuum à ſenſitiuo non rectè ſeparari videtur ordine

In quibus ſenſus ſit ſine motu.

& gradu, ſimul enim inſunt & æqualiter, generibus omnibus. æquè inquam perfectè, aut imperfectè. Quibus enim omnes ſenſus, & imaginatio bona, ea & progrediuntur; quæ verò affixa tantùm contrahuntur ac dilatantur, vnum aut duos tantum habent, guſtum ſcilicet, & tactum cum imaginatione leuiſſima. Non igitur ineſt cuipiam alterum ſine altero. Dixi in toto & ſecundum naturam habente, quia in vna quapiam particula haud dubiè ineſt ſecundùm naturam ſenſus ſine motu, velut in neruis omnibus qui in nullos muſculos inſeruntur, cuiuſmodi ſunt optici & alij complures, qui ea cauſa vocantur à Medicis nerui ſenſus. Præter naturam verò & per morbos, & in toto animali, & in parte poteſt perire motus manente ſenſu,

in

toto quidem vt per catalepſim; in parte verò, cùm paralyſis non procedit vſque ad ſenſus ſublationem. Maiori enim noxa perit ſenſus, quia, vt dictum eſt, minori facultate obiri poteſt. Vnde fit, vt non ſtatim ac ſentiri deſinit omnis motus, ſciri certò poſſit obiiſſe hominem, ſed expectandum non rarò ſit, vſque dum refrigeratio integra ſubſequatur, præcipuè in quibuſdam mortis generibus. Rectè igitur Propheta argumentatus eſt, dicens, *quaſi poſſint ſentire qui non habent motum*, non habent ſcilicet, motum naturalem, vt animalia. Non enim poteſt quidpiam, quod totum ſit atque integrum, & ſuam naturam retineat, tali motu carens, habere ſenſum.

CAPVT LXXXI.

Libri Danielis cap. 4. *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi vngues auium.* Videtur Nabuchodonoſor in belluam verſus per annos ſeptem, ſiquidem & figura illi mutata eſſe dicitur ab humana, & cor à corde hominis. Nam paulò ante præſcripta verba ita dicitur in eodem capite: *Cum feris pars eius in herba terræ, & cor eius ab humano commutetur.* Porrò paulò infrà in eodem capite dicitur, *In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni mei, decoremque perueni, & figura mea reuerſa eſt ad me.* Quaſi ſcilicet, & figuram hominis amiſiſſet, & ſenſum. Cæterum conſtat apertè non fuiſſe hanc metamorphoſim aliud quàm morbum eum, quem Medici vocant melancholiam, morbum, quo qui laborant, inſaniunt non eodem modo omnes, ſed multifariam, vt ſunt eius morbi multæ, ac longè diuerſæ ſpecies, inter alia inſaniæ genera, illa ſunt celebratiſſima, quod ſe in aliorum animalium formas mutatos eſſe imaginantur, faciuntque, & patiuntur omnia quaſi re vera ita eſſet; alij in canes, & latrant; alij in gallos, & cantant, & concutiunt latera; alij in lupos, & exeunt noctu domo, quæruntque ſepulchra, & verſantur libenter cum cadaueribus. Adeò ſunt celebres hæ inſaniendi differentiæ, vt ab illis indita ſint morbis nomina. Vocatur enim canina melancholia, & lupina. Græcis λυκανθρωπία, Arabibus Cutabut. Verùm, plures ſunt inſaniendi modi, quàm morborum nomina. Non enim vllum

Nabuchodonoſoris metamorphoſis.

Melancholicorum genera.

lum peculiare nomen eſt eius inſaniæ, qua ſe quis eſſe gallum putat, aut aſinum aut bouem, eſt tamen omnibus his commune nomen inſania ex melancholia. Quem morbum inſinuauit Ariſt. 7. Ethic. c. 1. dicens, *Ferus atque immanis eſt inter homines rarò, maximè verò inter nationes barbaras eſt.* Fiunt autem quidã tales, & ob morbos læſioneſque principij. Vocat Ariſt. læſiones principij, ipſa inſaniæ genera, quia ſunt læſiones partis principis in qua eſt mens. Hic Nabuchodonoſor haud dubiè neque Canem ſe, neque Lupum eſſe imaginabatur, ſiquidem fugiens ſemper homines, vitam agebat in ſyluis & veſcebatur herbis, quod neque Canum, neque Luporum eſt, ſed Onagrorum, aut boum: aliquid igitur tale eſſe ſe ipſe putabat, appetebatque belluinam vitam, & victum, quod eſt factum illi eſſe cor ex humano belluinum, alioqui & figura ipſi mutata eſt non quidem penitus in belluinam, ſed in magnam deformitatem, & faciem ab humana diuerſã, corporis tota cute durata, & infecta à rore cœli, cùm verſaretur nudus, ortiſque pilis craſſiſſimis, vt quodammodo imitarentur plumas, quod ſanè ab eiuſdem morbi cauſa fiebat, à copioſa ſcilicet fuligine craſſiſſimæ melancholiæ: vngues quoque illi creuerunt, factique ſunt vt rapacium auium, ob copiam craſſi terreique alimenti & ob tam longam intermiſſionem amputandi Durauit morbus hic annos ſeptem. quod tempus multis morborum longiſſimorum eſt fatale, & decretorium, ob vim ſeptenarij.

Pilorũ & vnguium materia.

Anni decretorij.

CAPVT LXXXI.

CAp. 14. Danielis: *Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter, fecitque maſſas, & dedit in os Draconis, & diruptus eſt Draco.* Hæc ratio interficiendi Draconem, qua Daniel vſus eſt, non fuit miraculoſa, ſed naturalis. Quia etſi neque pici, neque adipi, neque pilis, vis vlla deleteria ſit, ac proinde neque illorum miſturæ, tamen ſunt alia ratione mortifera. Nimirum, quæ deuorata mortem afferunt, quædam ob ipſius ſubſtantiæ proprietatem, quæ accipientis animalis naturæ aduerſa eſt (non enim eadem ſunt omnibus venena, ſed alia aliis,) id faciunt, ſuntque illis venena: quædam cùm ſint alioqui medicamenta, in vſus quoſdam viliſſima, quòd intempeſtiuè accipiantur aut doſi nimia mortem inferunt: quædam ob quandam incõmoditatem, quam à ſubſtantiæ modo, aut figura habent, etſi per ſe nulla vehementi qualitate polleant, velut aciculæ

Draco diruptus.

Deleteriorum diuerſitas.

aciculæ latenter intra maſſam, aut panem deuoratæ, aut fruſtula vitri, aut adamantis, huiuſmodi ſunt quæ Hiſpani vocant, *caracas*, in hoc genere eſt quod Daniel obtulit deuorandum Draconi. Nam pici nulla perniicioſa qualitas eſt, neque adipi, cùm præcipuè non fuerit pernicioſi cuiuſpiam animalis, ſed vt veriſimile eſt, cùm ſimpliciter dicat adipem, nullius animalis facta menſione, hirci, aut arietis, aut bouis aut alicuius alterius familiariſſimi. Sed neque pilis talem vim ineſſe agnoſces, quia ſi in puluerem comminuti propinantur, nihil aliud, quàm ſiccant. Tamen conſtat (mihique aliquando id contigit videre) pilos humanos deuoratos, magnam ventriculo inferre noxam, atque adeò choleram morbum lethalem. Cuius cauſam eſſe exiſtimo, quòd ob illam flexibilitatem, nauſeam mouent, ipſi vero ob tenuitatem, & implicabilitatem non reiiciuntur, ſed continenter hærent, irritant. Iam verò pix & adeps cùm ſint glutinoſa, & emplaſtica, obturare viam cibi nata ſunt, implicata verò pilis multò hærebunt tenaciùs, quapropter meritò factum exiſtimo, vt boli ex ea maſſa dati hæſerint firmiter anguſtiſſimæ ventris viæ, eâque penitus obturata, nullóque exitu dato, neque deuoratis, neque flatûi, dirumperetur Draco.

CAPVT LXXXII.

Lib. 1. Machab. c. 6 ita legitur: *Elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ, & mori, ad acuendos eos in prælium.* His verbis conſtat, Perſas, qui Elephantis vtebantur in præliis, conſueuiſſe illos irritare poſito ab oculos ſucco vuæ, & mori. Atque eiſdem verbis inſinuatur, illos ob ſimilitudinem ſanguinis cenſuiſſe, Elephantos ſuccis illis irritari, quaſi conſpectu ſanguinis ſæuientes. Nam dicitur, *oſtenderũt ſanguinẽ vuæ & mori*, hoc eſt, ſuccum vitæ & mori ſanguine effuſo ſimilem, an verò vana eſſet hæc conſuetudo, an ratione fulciatur naturali, dignum eſt conſideratione. Certè multarum gentium opinione conſtat, pugnaces feras intuitu rerum rubrarum irritari: nam & Hiſpania qui tauros agitant, rubris tunicis induti in forum proſilire conſueuerunt, quaſi illos ita magis irritaturi. Atque quod multarum gentium conſtat conſenſione, æquum eſt cenſere eſſe ita atque vt confirmatũ experimẽto recipere, & cauſam inueſtigare, eam eſſe vulgus cenſet, quòd ſanguinis intuitu ad ſanguinis effuſionem prouocentur. Mihi verò ea

Elephas cur viſo colore ſanguineo irritetur.

lum peculiare nomen eſt eius inſaniæ,qua ſe quis eſſe gallum putat, aut aſinum aut bouem, eſt tamen omnibus his commune nomen inſania ex melancholia. Quem morbum inſinuauit Ariſt.7.Ethic.c.1. dicens, *Ferus atque immanis eſt inter homines rarò,maximè verò inter nationes barbaras eſt*.Fiunt autem quidã tales,& ob morbos læſioneſque principij.Vocat Ariſt.læſiones principij, ipſa inſaniæ genera,quia ſunt læſiones partis principis in qua eſt mens. Hic Nabuchodonoſor haud dubiè neque Canem ſe, neque Lupum eſſe imaginabatur, ſiquidem fugiens ſemper homines, vitam agebat in ſyluis & veſcebatur herbis, quod neque Canum, neque Luporum eſt,ſed Onagrorum, aut boum: aliquid igitur tale eſſe ſe ipſe putabat, appetebatque belluinam vitam,& victum,quod eſt,factum illi eſſe cor ex humano belluinum, alioqui & figura ipſi mutata eſt non quidem penitus in belluinam,ſed in magnam deformitatem, & faciem ab humana diuerſã, corporis tota cute durata,& infecta à rore cœli, cùm verſaretur nudus,ortiſque pilis craſſiſſimis, vt quodammodo imitarentur plumas, quod ſanè ab eiuſdem morbi cauſa fiebat, à copioſa ſcilicet fuligine craſſiſſimæ melancholiæ: vngues quoque illi creuerunt, factique ſunt vt rapacium auium, ob copiam craſſi terreique alimenti & ob tam longam intermiſſionem amputandi Durauit morbus hic annos ſeptem. quod tempus multis morborum longiſſimorum eſt fatale, & decretorium, ob vim ſeptenarij.

Pilorũ & vnguium materia.

Anni decretorij.

CAPVT LXXXI.

CAp.14. Danielis: *Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter, fecitque maſſas, & dedit in os Draconis, & diruptus eſt Draco.* Hæc ratio interficiendi Draconem, qua Daniel vſus eſt, non fuit miraculoſa, ſed naturalis. Quia etſi neque pici, neque adipi, neque pilis, vis vlla deleteria ſit, ac proinde neque illorum miſturæ, tamen ſunt alia ratione mortifera. Nimirum, quæ deuorata mortem afferunt,quædam ob ipſius ſubſtantiæ proprietatem,quæ accipientis animalis naturæ aduerſa eſt(non enim eadem ſunt omnibus venena,ſed alia aliis,) id faciunt, ſuntque illis venena: quædam cùm ſint alioqui medicamenta, in vſus quoſdam viliſſima, quòd intempeſtiuè accipiantur aut doſi nimia mortem inferunt: quædam ob quandam incõmoditatem, quam à ſubſtantiæ modo,aut figura habent, etſi per ſe nulla vehementi qualitate polleant, velut acicula

aciculæ latenter intra maſſam, aut panem deuoratæ, aut fruſtula vitri, aut adamantis, huiuſmodi ſunt quæ Hiſpani vocant, *caracas.* in hoc genere eſt quod Daniel obtulit deuorandum Draconi. Nam pici nulla pernicioſa qualitas eſt, neque adipi, cùm præcipuè non fuerit pernicioſi cuiuſpiam animalis, ſed vt veriſimile eſt, cùm ſimpliciter dicat adipem, nullius animalis facta menſione, hirci, aut arietis, aut bouis aut alicuius alterius familiariſſimi. Sed neque pilis talem vim ineſſe agnoſces, quia ſi in puluerem comminuti propinantur, nihil aliud, quàm ſiccaut. Tamen conſtat (mihique aliquando id contigit videre) pilos humanos deuoratos, magnam ventriculo inferre noxam, atque adeò choleram morbum lethalem. Cuius cauſam eſſe exiſtimo, quòd ob illam flexibilitatem, nauſeam mouent, ipſi vero ob tenuitatem, & implicabilitatem non reiiciuntur, ſed continenter hærent, irritant. Iam verò pix & adeps cùm ſint glutinoſa, & emplaſtica, obturare viam cibi nata ſunt, implicata verò pilis multò hærebunt tenaciùs, quapropter meritò factum exiſtimo, vt boli ex ea maſſa dati hæſerint firmiter anguſtiſſimæ ventris viæ, eáque penitus obturata, nullóque exitu dato, neque deuoratis, neque flatûi, dirumperetur Draco.

CAPVT LXXXII.

Lib. 1. Machab. c. 6 ita legitur: *Elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ, & mori, ad acuendos eos in prælium.* His verbis conſtat, Perſas, qui Elephantis vtebantur in prælijs, conſueuiſſe illos irritare poſito ab oculos ſucco vuæ, & mori. Atque eiſdem verbis inſinuatur, illos ob ſimilitudinem ſanguinis cenſuiſſe, Elephantos ſuccis illis irritari, quaſi conſpectu ſanguinis ſæuientes. Nam dicitur, *oſtenderũt ſanguinẽ vuæ & mori,* hoc eſt, ſuccum vitæ & mori ſanguine effuſo ſimilem, an verò vana eſſet hæc conſuetudo, an ratione fulciatur naturali, dignum eſt conſideratione. Certè multarum gentium opinione conſtat, pugnaces feras intuitu rerum rubrarum irritari: nam & Hiſpania qui tauros agitant, rubris tunicis indui in forum proſilire conſueuerunt, quaſi illos ita magis irritaturi. Atque quod multarum gentium conſtat conſenſione, æquum eſt cenſere eſſe ita atque vt confirmatũ experimẽto recipere, & cauſam inueſtigare, eam eſſe vulgus cenſet, quòd ſanguinis intuitu ad ſanguinis effuſionem prouocentur. Mihi verò ea

Elephas cur viſo colore ſanguineo irritetur.

cauſa non placet. Nam ira eſt feruor ſanguinis, quem ciet appetitus vindictæ. Quæ autẽ cauſa eſt, vt ſanguinis effuſi phantaſia, appetitum inferat vindictæ? Hunc enim appetitum nihil niſi imaginatio contemptus, vel acceptæ iniuriæ in animantibus, quibus honoris eſt ſenſus aut doloris illati, vel prohibitionis rei expetitæ, in omnibus inferre poteſt. In obiectu autem ſanginis nihil horum eſſe videtur, quapropter multò magis placet ratio alia quæ non incipit ab imaginatione, ſed à propria ſanguinis natura. Nimirum ſanguis intuitu rerum rubrarum commouetur, is commotus, præſenti præcipuè iræ cauſa, vt in præliis, facilè feruet. Quo feruore, accedente eo quem præſens irritatio ciet, veriſimile eſt primùm ira increſcere. Agitari verò ac commoueri ira ſanguinem, receptiſſimũ eſt à Medicis omnibus, qui proinde, ſpuentem, aut fundentem ex naribus ſanguinem, vetant ipſum ſanguinem, & res alias omnes rubras intueri, & ad cærulea aut nigra potiùs iubent oculos conuertere. Contrà exanthematis ſecũdùm cute laborantes iubent rubris indumentis operiri, atque cubiculi, in quo decumbunt parietes, rubris tapetibus tegi, vt ſcilicet rubra deſpectent. In illis quidem timentes, ne ſanguis ampliùs agitatus rumpat, in his ſperantes fore, vt ita abundantius ad cutẽ emergat. Galenus libello de ſubfiguratione empyrica ira inquit: *Præterea color rubeus ſanguinem expuentes irritat, in reliquis verò paſſionibus, & ſymptomatibus, ipſa etiam experientia atteſtante planè inutilis, & ſuperuacaneus eſt.* itaque Galenus eo loco dicit experimento conſtare irritari ſanguinem conſpecto colore rubro, cauſam verò qua irritetur non dicit, quia arbitror, illic de empyrica ſubfiguratione diſſerebat: opus eſt ergo vt à me dicatur. Hanc ego arbitror præcipuè eſſe in ſpiritibus. Nam hi tenues, & maximè mobiles cùm ſint, adeò vt ab Hippocrate idcirco vocentur impetum facientia, & in venis, & in arteriis cum ipſo ſanguine miſti abundent, faciantque eum fluxilem eſſe, alioqui concreturum, atque vt Ariſt. cenſet futurum etiam frigidum, in ſpiritibus caleſceret, conſentaneum, eſt eos allici ſplendore illo ſimili ſplendori ſanguinis in quo volutantur naturaliter; ad oculos præcipuè, quæ partium omnium externarum maximè ſpirituoſa eſt, deinde, & ad totam cutem accurrere, & per quamcunque venæ aut arteriæ rupturam, aut laxitatem effluere. Cum præcipuè vt Medicorum opinio fert, ſpiritus vitales ex ſanguine, & animales (duplices enim ſpiritus eſſe autumant, niſi etiam triplices) ex vitalibus generentur. Omnes ergo hæ ſubſtantiæ, ſanguis dicò, & duplices ſpiritus proximam habere naturam eſt neceſſe, atque adeò ſpirituum

Colore rubro cur ſanguis moueatur.

Spiritus duplices.

naturam fulgorem cum fulgore rubro ſympathiam, ob quam illo alliciantur, ſecumque ſanguinem commoueat.' Sunt certè alia quamplurima, quæ longè occultiores habent ſympathiæ cauſas, in quibus tamen acquieſcunt Philoſophi, aliis euidentioribus deſtituti, quapropter non videtur mihi eſſe hæc valde longè petita. Vtcunque verò de cauſa ſentias, res certè ipſa multis neque ineuidentibus conſtat experimentis. Noui quendam qui oculos in rem quampiam cum rubore ſplendentem aliquantiſper attentius intendens, non aliter oculis ac toto vultu afficiebatur, ac ſi vino æſtuaret, aut eryſipelate corripi inciperet. Id verò quoniam non æquè accidit omnibus, conſtat accidere magis, quibus ſint cum ſanguine ſpiritus agiliores (ob hæc ſymptomata dicit vulgus eſſe quibuſdam ſanguinem leuiorem) aliquantiſper verò accidere omnibus, nam & qui faciei eryſipelate laborant, & qui ophthalmia, vel ſuffuſione cruenta, ſplendoris rubei conſpectu plurimùm læduntur. Mulieres verò, quibus pulchritudinis eſt cura, ſiquidem albidæ ſunt purpureis vtuntur indumentis, & ſpectris, non ſolùm quòd ſpecierum attemperatione apparens quidam rubor exoriatur, ſed etiam quòd hunc apparentem inſequatur verus color incitatis ſpiritibus, ac cum eis ſanguine, quæ eadem eſt cauſa furoris excitandi in belluis, vbi alioqui eſt præſens iræ occaſio.

CAPVT LXXXIII.

Lib. 2. Machab cap. 7 ita alloquitur mater filium ſuum minimum: *Fili mi, miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi.* Dubitare hîc poſſit Phyſicus, cur dicat, nouem menſibus te portaui in vtero, cùm in c. 7. Sapientiæ, dicat Salomon, *Decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conuenienti.* Deinde cur dicat triennio lac dedi, an id factum eſt iuxta naturæ ac Medicinæ rationem, an nimium fuit infantem triennio lactare? Primam quidem dubitatiunculam facilè dilues, quandoquidem, vt Ariſt. dicit capite quarto ſeptimi de hiſtoria animalium, *Cum alia omnia animalia ſingulari, ac vno modo partum ſuum perficiant (vnum enim ſtatutum eſt pariendi tempus omnibus) homini vni multiplex datũ eſt. Nam & ſeptimo menſe, & octauo, & nono, parere poteſt, & quod plurimùm decimo: nonnulla etiam* Vteri geſtationis exacta cõſideratio.

vndecimum tangunt. Hæc Ariſt. Author libelli de carnibus, qui inter Hippocraticos eſt, affirmat poſtremum finem, quo mulier parere poſſit, decimum eſſe menſem, neque vllam vltra id tempus poſſe parere deceptaſque eſſe omnes, quæ ſe vndecimo affirmant peperiſſe, menſium ſuppreſſione anticipante conceptionem: infrà illum verò finem eſſe alios plures. Libello etiam de alimento Hippocrates multos varioſque pariendi fines connumerans, poſtremum ſtatuit tercentum dies, quos conſtat decem menſes perfectos eſſe. Ariſtot. nonnullas vndetimum attigiſſe affirmat, quod mihi non videtur inopinabile, tametſi rarum ſit, quandoquidem vix quidquam eſſe in rebus huiuſmodi, quæ ad naturam ſpectant impoſſibile, aut neceſſarium, adeò mira rerum varietate natura luxuriat. Itaq; ſunt & qui recenſentur ab Ariſt. pariēdi fines, & plures adhuc: inter eos autem omnes, qui maximè videntur iuxta id quod deprehenditur exprimento, & Hippoc. doctrinam naturales ſunt dies ducenti & ſeptuaginta, qui complent nouem menſes Græcos, hoc eſt, vulgares, & conſtantes triginta diebus, & ducenti & octoginta, qui decem dies accipiunt decimi menſis, & treeenti qui decem integri menſes ſunt. Nam Hippoc. lib. 2. de morb. vulgaribus ſectione tertia, ita inquit: *A menſium fluxu numerandi ſunt nouem menſes, aut à conceptione, & ad ſeptuaginta ad ducentos dies Græci menſes fiunt.* Porrò libello de partu ſeptimeſtri, maximam vim tribuit quadragenariis dierum, affirmans eos qui quinto aut ſeptimo edantur quadragenario, vitales eſſe, ſunt verò ſepties quadraginta, ducenti octoginta. Iam verò tercentum dierum finem eodem loco, & in eis quos citauimus ex libello de alimento & de carnibus & alibi pluries, ſcribit. Cùm ergo optimi ac perfectiſſimi ſint naſcēdi fines, nouem, & decem menſes, dicere poſſis vtriuſque in ſacris factā eſſe mentionem, neque poſſit quiſpiam inficias ire. Ego verò magis adducor vt credam, vtrobique intelligi idem tempus, puta menſes nouem, is enim, & Hippocratis teſtimonio & omnium hominum experimento creditur eſſe maximè naturalis, & communis naſcendi terminus. Sed quia nomen menſis non de eodem dierum numero ſemper dicitur, ſed nunc de Græco, qui, vt diximus, triginta diebus conſtat; nunc de Lunari, qui Græco ſemper eſt minor, fit vt qui nono menſe Græco erit, vtero exeat decimo lunari: itaque ſi Lunæ circuitiones numeres, naſcuntur homines decimo menſe, ſin vulgares mēſes, perfecto nono tempus idem eſt. Et hæc quidem quæſtio Phyſica eſt, illa verò Medicinalis; An expediat integrum triennium lac dare infantibus, an priùs ſint ad cibos ſolidiores transferē-

Partus multiplicitas.

di,

di,eſt verò non ſolùm Medicinalis,ſed etiam practica.Scire autem in primis expedit velut earum mutationum, quæ pueris natura contingunt,cuiuſmodi, ingreſſus, loquelæ, dentitionis, primæ & ſecundæ,nulli ſunt certi iidemque omnibus fines, ita neque eorum, quæ arte circa illos fiunt, velut extrahendi brachia, erigendi in pedes,contrahendi veſtes,admiſcendi cibi aliquid cum lacte, & omninò ablactandi. Nimirum vtraque, & quæ natura inquam, & quæ arte fiunt, cauſam habent in natura, naturarum verò eſt mira varietas. Verùm quia incerta cadere non poſſunt ſub artem, facit Medicina quod & aliæ artes, hanc irregularitatē redigens ad regularitatem, & ſtatuens certos quoſdam fines, quaſi ſint omnibus iidem, qui tamen ſunt plurimis communes, à quibus deflectere, niſi exiguum non liceat Galenus primo de tuenda valetudine iubet lacte ſolo vti, vſque dum exeāt dantes anteriores,ſeu inciſorij,poſtquàm autem prodierint aſſuefacere infantem cibo craſſiori, dare verò nihilominùs lac μέχρι τὸ τρίτου ἔτους, hoc eſt, vſque ad tertium annum. Dubitare poſſis in Galeni verbis, an ſpectanda eſſet integra eruptio dentium anteriorum, ad primam ſolidioris cibi oblationem, & an tertius quoque annus eſſet tranſigendus ante ablactationem. vtrumque expoſuit eius interpres Auicenna fen. 3. primi libri dicens, *naturale tempus lactandi, eſt tempus duorum annorum*, & rurſus, *poſtquam duales* (vocat duales anteriores, quia naſcuntur bini, ſuprà & infrà) *apparere cœperint dentes, ipſe adnutriens mouendus erit ordinatè, quòd ſit fortius.* Itaque vt aſſuefacere incipias puerum craſſiori cibo, Galeno authore, & interprete Auicenna, ſatis eſt, ſi anteriores dentes incipiant apparere: ad ablactandum autem ſi duos annos trāſegerit,itaque lac acceperit, vſque ad tertium. Eandem ſententiam ſequuti ſunt Oribaſius, & qui ab illo mihi videtur hæc, & multa alia tranſcripſiſſe Paulus. Dicunt enim: Satis erit biennium lacte nutrire. eadem quoque eſſe videtur Ætij ſententia,qui cum frumentaceum cibum(hoc eſt,panem) intrepidè accipit, ablactandum cenſet infantem,quod (inquit) circa vigeſimum menſem plerumque accidit. tunc ergo paulatim ab vbere deſueſcat. Eadem inquam penitus mihi videtur eſſe ſententia: nam in illū paulatim inſumuntur quatuor menſes,qui vſque ad integrum biennium reſtant.ergo & quod mater Machab.dixit,*triennio lac dedi*,ita eſt intelligendum,ac ſi diceret vſque ad tertium annum.Non eſt autē res parui momēti, neque parum refert ſcire,quo tēpore ſint ablactandi pueri:nam ſi ante tempus id fiat,maxima naſcuntur incōmoda;ſi vltra tēpus differatur,maiora. Naſcuntur verò vtraque ex eadē cauſa:

Lac ſugere quādiu pueri debeant.

Ablactationis tempus.

 ca

ea videlicet, qua datur lac, infantibus ea eſt, quia humiditas illa infantilis quam ex vtero & ſuæ generationis principiis contraxerunt, conſeruationem poſtulat, & quia ſecundum naturã eſt, vt certè quodcunq; tẽperamentũ ætatis, & præterea eſt optima, quia nõ ſolum naturalis, ſed etiã natiua, & ad reliquã vitam, & futurum incrementum apprimè neceſſaria. Calor enim naturalis tali humiditate ſeruatur, & incrementum, non niſi in humida materia fieri poteſt, igitur multis cauſis, eiſque optimis, infantilis humiditas, ſeruari poſtulat. Conſeruatio autem omnis agitur ſimilibus, velut curatio contrariis. Humido autem humiditate natiua, nihil vel excogitari quidem poteſt ſimilius lacte, quod ita eſt humidum ſiccúmque ex ipſo vbere ſpirituoſũ, vt vnica eâque exigua trãſmutatione factũ ex ipſomet ſanguine, ex quo coagulatus eſt infans. Si igitur ab hoc adeò ſimili cibo ante tempus abſtrahatur, eueniet, id temperamẽtum nõ conſeruari quandiu poteſt, ſed intempeſtiuè cõmutari in aridius. Vnde euenient, vnum, vt cibi ante tempus oblati non benè conficiantur, & infans in morbos incidat; alterum vt caro intempeſtiuè ſiceſcat & infantilis ætas contrahatur, atque cum illa ad proportionem ſequentes ætates, & incremẽtum minùs ſuccedat, ſitque proinde homo, & minor, & breuioris vitæ, & morboſior. Si autem plus ſatis in vſu lactis perſiſtitur, & hæc eadem naſcuntur mala (præter id quod ſpectat ad incrementum & moribus etiam,) ingenio incommodatur. Nam vt infans ætate procedit, ſiccatur naturaliter & dureſcit. Si igitur eius temperamento alterato, cibus manet idem, fit vt qui ſimilis erat, contrarius iam ſit, atque qui naturalem ſeruabat humiditatem, excrementitiam inducarquare & morboſam. humidum igitur faciet præter naturam Sed & frigidum, & caloris naturalis inopem. quia vbi iam eſt tempus ablactandi, infans ſolidiores appetit cibos, quos & poteſt conficere. Si igitur dentur tenuiores, & debiliores quàm pro eius concoctrice facultate debilior fiet homuncio, & naturali calore minùs abundãs (marceſcit enim naturalis calor cibo tenuiori) ac proinde breuioris vitæ. Nam caloris naturalis robore ſeruatur; & producitur vita. In hanc ſententiam dixit Hippocr. Epid. comm 4. imbecilli victus frigidi, robuſti verò calidi, & rurſum Comm. 5. eiuſdem ſexti, imbecilliora cibaria breuem vitam habent. Sed & quod ad mores attinet, & ingenium, perinde probatur. Si enim Plato rectè dicit, humiditati s redundantiam ſtupiditatis infantilis cauſam eſſe, conſtat nimium vſum cibi adeo humidi contrarium eſſe prudentiæ. Quoniam verò calori detrahere naturali indicatum eſt, augebit timiditatem,

Lac ex quo generetur.

Ratio nutriẽdi infantis.

erit

eritque contrarius fortitudini. Fiet igitur qui non ablactabitur tempeſtiuè, debilis, mollis, & ſtolidus. Plurimum itaque refert ſuo tempore infantes ab vberibus abducere, tempus verò legitimum eſſe perfectum biennium conſtat ex communi Medicorum omnium ſententia, & ipſis naturalibus indiciis. Ad id enim tempus in pleriſque dentibus os impletur, & pueros panem auidè euenit arripere ac plorantes poſcere, natura ſcilicet, & inſtrumentis, neceſſitatem, vt digito, indicauit.

CAPVT LXXXIV.

IN Euangelio Matthæi cap. 6. *Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus, ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* His conſonare videtur quod ab Hippocrat. 6. Epid. ſectione 4. dicitur his verbis. *Oculi vt valent, ita & totum corpus.* eam enim orationem in noſtris commentariis indicauimus, æquè ad Medicinam, & Phyſiognomiam, & Philoſophiam morum pertinere poſſe, ſiquidem oculi præ aliis omnibus corporis partibus notas præbere poſſunt morborum qui infeſtant, & morborum in quos quiſque natura eſt propenſus & motuum animi, ſiue hilaris eſt, ſiue triſtis, ſiue iratus, ſiue timet, ſiue aliud quiduis patitur. Nimirum librum Prognoſtici inchoat Hippocr. à facie & oculis: & Phyſiognomici nulla ex parte accipiunt plura ſigna, quam oculis, neque verò tot, vt facile eſt videre apud Ariſtot. in libello de Phyſiognomia & apud Hippocrat. lib 2. Epid. ſect. 5. & 6. in quibus ſunt multa pertinentia ad hanc Philoſophiam, eorum verò pars maxima ſpectat ad oculos, nimirum, vt ſuper vltimo cap. libri Eccleſiaſtes explicuimus, hominis facies vocatur platea animæ, & oculi vocantur aſpicientes per foramina, quia in facie ſunt omnes ſenſus, quapropter illic videtur anima, vt in foro verſari, ac negotiari cum rebus externis. Senſuum verò perfectiſſimus, atque exactiſſimus eſt viſus. Atque per oculos quàm per aures & nares, & os, tantò magis videtur exire ipſa vis animæ ac ſeſe manifeſtè prodere quaſi per feneſtras: vt à Platonicis omnibus atque adeò à Galeno, exiſtimatum ſit, verè ipſam animæ facultatem exire ad videndum atque viſionem longè ab homine agi. Certè conſtat fulgoris illius ſenſifici qui

De oculis multa.

ſpiritibus animalibus ineſt multò plus abundantiũſque venire ad oculos, quàm ad alium quodpiam ſentiendi inſtrumentum, atque per hoc multò magis cum externis communicare animam. Hinc fit, vt quid patiatur, qualiſque ſit, nulla in parte apertiùs indicet: atque vt veriſſimum, ſit quod Hipp loco citato dixit, *vt oculus valet, ita & totum corpus*. Porrò nomen oculi propriè dicitur de corporali videndi organo: Metaphoricè verò de acie mentis, hoc eſt intellectu. Quia vt ille videt corporalia, ita hic incorporea. Hac Metaphora, & Philoſophi omnes & poëtæ etiam vtuntur: in ſacris verò eſt frequentiſſima. Illud enim Pſal. 12. *illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*, & illud 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum*, non de corporalibus his oculis, ſed de mente venit intelligendum. Neque enim optandum eſt ne vnquam obdormiamus corpore, ſed mente & in peccatis: neque refert corporeos oculos intentos ſemper eſſe in Deum, quę illis oculis non videbit homo & viuet, ſed mentem. Significatur verò hæc nomine oculi quam Metaphora m perſequutus optimè eſt Plato lib 7. de Rep. ſeu de iuſto, ita de mente diſſerens comparanſque cũ corporali oculo: *Præſens autem ratio nobis innuit, primùm vim quæ eſt in animo cuicunque, deinde inſtrumentum quo res diſcere quiſque poteſt, perinde ac ſi oculum impoſſibile eſſet, aliter quam vnà cùm toto corpore ad clarum obiectum ex obſcuro conuertere. Ita tota mente à generatione vſque ad id quod ens dicitur, circumagere oportet, vt quod clariſſimum eſt, poſſit ſpeculando tranſcendere. Hoc autem ipſum bonum eſſe dicimus. Ad hoc igitur ipſum eruditio competens erit facultas quædam animi dirigendi, vt ipſius oculi, quam facilimè & efficaciſſimè conuertantur, quæ huic oculo aciem, viſumque non dabit, ſed tum potius cùm viſum quidem habeat, neque tamen rectè conuerſus ſit, neque quod decet aſpiciat, conuertere omni machinatione contendet.* Ecce vt Plato mentis aciem oculum vocet, atque per oculi analogiam definiat. Ergo quo Phyſici, & Phyſiognomici de corporali oculo affirmat, qualis ſcilicet is eſt, tale eſſe & totum corpus, hoc Dominus transfert ad oculum animi, hoc eſt intellectum, dicens, *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* Quaſi diceret, vt oculus eſt lucerna corporis, ita mens ſeu intellectus animæ, quæ eſt præcipua hominis pars, ac per quam homo bonus, aut malus dicitur. Velut ergo, vt vel oculus, ita valere agnoſcitur totum corpus; ita & valet anima, ac per eam totus homo, qui nunc ſignificatur nomine corporis. *Si igitur* (inquit) *oculus tuus ſimplex*, hoc eſt, bonus

Oculorũ virtus.

nus eſt, *totum corpus* (hoc eſt totus homo) *lucidum erit. Si autem oculus fuerit nequam, homo totus erit tenebroſus.* Vbi eſt animaduertendum, in ſacris, cùm hæc de mente, aut de homine enunciantur, idem eſſe ſimplex ſeu bonum & lucidum, atque nequam & tenebroſum. Nimirum radix, ac principium peccati, eſt ignorantia, & tenebræ: principium autem veræ virtutis, lux & perſpicacia mentis intuentis primum verum bonum. Vnde à cauſa ad effectum tranſlato nomine malus vocatur tenebroſus, & bonus lucidus, & ipſa bonitas, lux & ſapientia, & malitia tenebræ, & ſtultitia: qua phraſi tota ſcriptura ſacra, maximè verò libri Sapientiales referti ſunt. Philoſophis etiam omnibus eſt ſemper in ore illud Ariſtot. 3. Ethicorum cap. 1. *Omnis peccans eſt ignorans.* Cauſam verò non omnes aſſequuntur, imò plerique dubitant, quod non videantur peccata ex ignorantia, fluere omnia, ſed quædam. Imò verò quæ verè ex ignorantia, ea aut omninò non eſſe peccata, aut leuiora videantur, ſiquidem & Paulus de ſeipſo dicit in epiſt. 1. ad Tim. *Miſericordiam conſequutus ſum, quia ignorans feci in credulitate.* ignorantia igitur non videtur facere, ſed aut tollere, aut imminuere peccatum. Porrò pleriſque hominibus videtur, ſe non ignorare quid faciant, cùm quid peccant, ſed velle potiùs ſcientes & volentes, ſequi deteriora. Hæc autem dubitatio nulla ratione melius diluitur, quàm adhibita cauſa, qua dicta aſſeritur theſis, puta peccatum omne naſci ex ignorantia, & tenebris. eam verò reddit optimè Plato, loco nupertime citato ex ſeptimo de Rep. dicens, mentem humanam velut oculum quendam eſſe, eumque cùm conuerſus eſt, ad res & negotia huius ſæculi, auerſum neceſſario eſſe à veris & æternis bonis, ac proinde non poſſe ea perſpicaciter intueri. ideoque neque videre, niſi tenuiter, neque ab illis permoueri, ſed à rebus caducis trahi, vtpote quas videat exactiùs: eum verò cuius mens diuinis rebus ſit intenta, circa humanas cæcutire non aliter ac qui è luce ſplendida repentè ſe transfert ad tenebras. Hinc fit, vt filij huius ſeculi (dicitur hoc c. 16. Luc.) hoc eſt, qui res huius ſeculi habent chariores quam diuinas, prudentiores ſint in generatione ſua, hoc eſt, in tractandis negotiis ſecularibus, quam filij lucis, quod in id ſolum, quod verè bonum, & verè ens eſt, habent intentos mentis oculos. Iidem verò, qui in his rebus ſunt perſpicaciores, circa diuinas cæcutiẽtes, & ſtulti facti peccant, quia verba bona tenuiter vidẽt, vtpote à quibus habent oculos auerſos. itaque vtrique ſunt perſpicaces circa quæ habent oculos intentos & cæcutientes circa contraria, vnde & illud Paul. epiſt. 1. ad Cor. c. 3. etiam intelligitur facilè: *Si*

Filij huius ſeculi perſpicaces.

quis

quis videtur inter vos ſapiẽs eſſe in hoc ſaculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens, ſapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Ignorantia itaque eius qui peccat, eſt in auerſione oculorum mentis à Deo. Proinde monet ibidẽ Plato, eius oculos diſciplina, & meditatione ad vera bona ſenſim cõuerti, quia ſi quis repentè velit diu occupatũ in rebus caducis ad vera bona trãsferre, nihil proficiet, quia excæcabitur repentino lucis intuitu, vt qui diu moratus ſit in tenebris, paulatim verò meditatione, & exhortationibus trãsfertur mentis oculus ad veri boni contẽplationẽ facilem, vnde & reſipiſcet. Quanquam nonnulli etiam repentè trãſlati ſunt, atque iis quidẽ ſolet repentinus fulgor multas excutere lachrymas; quorum multi quaſi dolore perterriti retrocedunt, nonnulli verò quibus Deus maximè fauet, etiã perſeuerant. Conſtat itaque vt vera virtus ex vera mentis oculorum luce; nequitia verò naſcatur ex tenebris. Nam etſi vtrique, & boni inquam & mali, in ſuis quique rebus ſint perſpicaces, tamen quantò res diuinæ humanis ſunt illuſtriores ac meliores, tantò etiam præſtat bonorum ſapientia malorum ſagacitati (nimirum ſcientia ex obiectis accipit dignitatem; quare hæc ad illam tenebræ. illa verò lux Prouer. 4. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant: iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendida procedit & creſcit vſque ad perfectam diem.* Meritò igitur in tenebris verſari dicuntur impij, boni verò ambulare in luce, atque adeò, quod probum lucidum, quod nequam tenebroſum. Quod verò eorum qui peccant, plerique nihil ſe ſentiant ignorare, nihil obſtat dictis, quin potiùs hoc ipſo ſunt inſipientiores, hoc ipſum adiicientes ſuæ inſipientiæ quod ſe putant ſcire, quæ ignorant. Nimirum teſte Ariſt. c. 3. 7. Ethic. ſunt vel furentes, & ebrij, qui de quacunque re interrogentur. reſpondent nonnunquam, ita, vt videantur ſapere, & eligunt, faciuntque contraria. Duodecimo etiam cap. Prouer. legimus: *Via ſtulti recta in oculis eius.* Quod verò obiiciebatur de ignorantia quæ peccatum minuere potiùs quàm augere videtur, explicemus. Dicta ignorantia quæ auerſio intellectus à vero bono eſt, non poteſſe abeſſe ab eo qui peccat, illam enim facit perturbatio mentis qua tenetur; & qui in illud bonum habet mentem intentam, videtque illud perſpicaciter fieri, non poteſt vt mala eligat præ illo. naturaliter enim ferimur in bonum, atque hoc ipſum in ratione boni eſt. Quare qui deteriora eligit, meliora non ſatis vidit, & ea quidem ignorantia non minuit, ſed auget peccatum, quia ea ipſa maxima improbitas eſt. Habere inquã mentem auerſam à Deo, cùm poſſis conuertere, aut ſtudere, vt conuertas. Quidam verò præter hanc, quæ communis omnibus

Vera virtus vnde.

An ignorãtia peccatorum minuat, an augeat

qui peccant eſt, ignorantiam, habent aliam peculiarem circa propriam materiam peccati, vt qui ignorans diem feſtum eſſe, rei ſacræ non interfuit, aut ignorans eſſe alienum, quidpiam abſtulit. ea quidem ignorantia culpam ſemper minuit, niſi ſit ſtudio procurata, grauius enim eſſet ſine vlla excuſatione, ſciẽtem ac conſiderantem diem eſſe feſtum. & rem alienam, peccare; ſi verò nulla negligentia in cauſa fuit vt ignoraret, etiam tollit omnino peccatum, quia (vt Ariſtot. cap. citato ex tertio Ethicorum dicit) cum tali ignorantia non eſt electio, ſine qua eſſe peccatum non poteſt. Nihilominùs eſt ſemper peccatis adiuncta ignorantia ea, quæ in oculi mentis auerſione conſiſtit, vt omnis vera bonitas ad eius oculi in Deum conuerſione procedit. Quapropter vt habet is oculus, ita & totus homo. Atque ſi oculus is fuerit ſimplex, totum corpus erit lucidum: ſi nequam, tenebroſum, vt explicatum eſt.

CAPVT LXXXV.

MAtthæi cap. 16. ait Dominus, *Veſpere facto dicitis, ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum: & manè, hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum.* Quæ verba haud dubiè non ſunt dicta à Domino, vt docerentur tempeſtatis, aut ſerenitatis præſagia, ſed vt arguerentur illi ad quos ea verba habita ſunt, ex ſuo ipſorum ſermone. Nam addit: *Faciem ergo cœli diiudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis?* Verùm quia non vulgi ſolùm, ſed Philoſophorum etiam & agricolarum, & nautarum eſt ea aſſertio, quibus vtpote talibus obſeruationibus deditiſſimis, fides non debet denegari, huius quoque ſi fieri poteſt, reddẽda hoc loco cauſa eſt. Ea verò mihi eſſe videtur, quod nubes denſæ tactæ Sole obliquo, qualis eſt qui iam occidit, nigritiem per ſe ferunt. Quæ ergo rubicundæ ſunt, non ſunt adeò opacæ, & denſæ, ſed penetrantur lumine, quapropter in diem poſterum nullum indicat tempeſtatis apparatum, ſerenitatem ergo permittunt. Cùm verò oriente Sole, triſte hinc inde, & nubiloſum ſe exhibet cœlum, plerunque ſolent ad primum orientis Solis occurſum diſpergi nubes. Quæ tamen ſi denſæ ſunt, quales cùm triſte cœlum, non diſſipantur, ſed excepti per eas radij Solis videntur rutilare. Poſtremò verò, veſperi, cùm Sol, cum quo toto die ſint colluctatæ langueſcit, concurrunt, denſatur, fiúntque imbres.

Serenitatis præſagium.

CAPVT

CAPVT LXXXVI.

CAp. etiam 12. Lucæ eodem modo arguens hypocritas, ait Dominus, *Cùm videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis, nimbus venit, & ita fit: & cùn Auſtrum flantem, dicitis, quia æſtus erit & fit.* Horum verborum multò magis rationem reddi oportet, quam priorum. Quia non ſolùm quaſi vulgi ſermonem protulit, ſed adiecit, *& ita fit.* Quaſi in eo iudicio ferendo de imminente tempeſtate, non deciperentur. Sanè vt incipiam ab vltimis, Auſtro ſuccedere æſtum, & experimento eſt compertiſſimum, & rationi valdè conſentaneum, cùm Auſtrum calidum ventum eſſe, & oppoſitum illi Aquilonem frigidum, omnes qui de ventorum agunt naturis, vno ore confiteantur, neque ſolùm ſecundùm hanc qualitatum primarum oppoſitionem, ſed ſecundùm alteram etiam contrarios eſſe putant illos flatus, Auſtrum ſcilicet humidum, Aquilonem ſiccum, vel hoc argumento, quod tempeſtates Auſtrinæ plerunque ſunt etiam pluuioſæ, ac ſemper blandæ; Aquilonares plerunque ſerenæ ac ſemper arentes: atque adeò, quod flante Auſtro facile res putreſcunt, vtpote calidi, & humidi flatus contractu alteratæ; Aquilo à putredine liberat, ſiccans, & refrigerans. Huc pertinent illa verba Iob cap. 37. *Nonne veſtimenta tua calida ſunt cùm perflata fuerit terra Auſtro?* Verum cur Auſter talis ſit, memini me anteà dixiſſe. Nimirum quia flat à meridie verſus Septentrionem: meridiana verò mundi pars abundat igne præ mundi lateribus. hunc ergo allicit Auſter, Aquilo cõtrariam ob cauſam frigidus eſt, quia ſcilicet, aduerſus ignem latus, illum abigit. Sed dices oportere vt eadem cauſa Auſter ſiccus, & Aquilo humidus ſit, quia ignis non ſolum calidus, ſed ſiccus etiam eſt. Cæterum, vt hæc illis inſint, alia cauſa eſt. Nimirum qui venit à frigidiori mundi parte à frigidiori cœlo repulſus, non effertur in ſublime, ſed decurrit iuxta terram, ac proinde, humiditati aëris ſublimioris minùs admiſcetur, contrà, qui venit à parte mundi calidiori, effertur in regionem mediam aëris, vbi à vaporibus quibuſcum miſcetur, multam recipit humiditatem. Cur ergo flanti Auſtro ſuccedat æſtus, hæc eſt cauſa. Cur verò nimbus

De vẽtorũ naturis.

Cur Auſter ſit calidus.

bus aſcendente nube ab occaſu oportet ſcrutemur. Certè Elias cùm futuram copioſam pluuiam, poſt tam longam ariditatem Regi Achab prophetauit 3. Regum capite 18. dicitur vidiſſe nubem aſcendentem à mari Dicitur enim: *Ecce nubicula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat à mari.* Conſtat autem aſcendiſſe ab occaſu Solis. Nam Palæſtina ad occaſum habet mare. Cenſebatur ergo vt exiſtimo, in illa regione pluuiæ ſignum, nubes ex occaſu aſcendens, quia cùm ad occaſum haberent mare, inde aſcendebant, erátque id ſignum illi regioni proprium. Nobis verò quibus mare æquè ad occaſum, & meridiem, & Septentrionem eſt, æquè ex his omnibus partibus aſcendunt nubes nimborum nunciæ, Britannis aſcendunt vndique, vt qui mari cinguntur. Nubes ex Occaſu pluuiæ ſignum.

CAPVT LXXXVII.

CAp.10. Lucæ ait Dominus: *Et appropinquans alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum*: quibus verbis per inſinuationem, videtur commendare ad vulnera oleum & vinum quod Græcis vocatur οἰνέλαιον. Videtur verò ad id alia quidem ex parte Medicinæ placitis diſſonum. Nam de vino Hippocrat. libello de Vlceribus ita inquit, *Vlcera vniuerſa niſi vino humectari non oportet, niſi in articulo fuerit vlcus.* His verbis Hippocrat. commendat vinum ad lauanda vlcera, vituperat verò omnem humectationem, quantò magis eam quæ agatur oleo. De quo paulò infra idem Hippocrat. dicit *At oleum, & quæcunque mollia aut oleoſa ſunt medicamenta, talibus vlceribus non conducunt, ſi non valde iam ad ſanitatem tendant.* Neque vlceribus exercenti vulnere oleum conducit, neque mollientia, neque adipoſa medicamenta tum aliàs, tum quòd vlcus ampliore purgatione opus habet. Gal. quoque tertio libro Meth. commendat vinum, & vituperat oleum ad curanda vlcera. Nam cap.4. ita inquit, *Vinum igitur omnis vlceris, quæ vlcus eſt, optimum eſt medicamentum*; capite autem 2. eiuſdem libri inquit, *Oleum namque cauo vlceri infuſum aduerſiſſimum omnium medicamentorum eſt, cùm ſi ita mederi voles, ipſo vſu intelliges ſordidum ac malè olens vlcus fieri.* Videtur ergo id medicamen, quo in parabola dicitur vſus Samaritanus, partim fuiſſe vtile, partim verò Vinum vlceribus aptum.

Oleum quomodo noceat aut proſit vlceribus.

verò etiam noxium. Neque ſanè (vt hoc obiter dictum ſit) etſi id medicamen fuiſſe ineptiſſimũ quis exiſtimet, quidquam detrahitur ſacræ lectionis authoritati. Nam in illo loco hominis charitas, nõ Medicinæ peritia cõmendatur. Nihilominùs mihi etiã ſonat, velut medicaminis ad eã rẽ idonei facta mentio. Cur autem vino & oleo vteretur, duplex ratio eſt, aut enim ſeorſum aut admiſtis ſeorſum quidẽ, interius. & in ipſo vlcere vino: exteriùs verò, & ſuper circũſitis partibus, oleo haud dubiè vtiliſſimè vteretur, niſi eſſent vlcera in articulis aut penetrantia in capite. Nam vinum mundat, confortat, & ſiccat vlcera: á partem; oleum verò ſanat, circum circa exiſtentes fouet & ſi quæ eſt in illis doloris cauſa, mitigat. Re vera, an infuſum ὀνέλαιον, quod vino & oleo conſtat, vtile eſſe poteſt, difficiliorem habet inquiſitionem. Certè vlcus ſimplex, & quod prima, vt dicunt, intentione curandum ſit, non indiget oleo, quia tale ſiccationem ſolùm, & agglutinationem deſiderat, quorum neutrum præſtare poteſt oleum. Non læditur autem oleo magnopere, niſi quod ſordidum eſt, & putredini valde opportunum, quia oleum hæc magnopere auget, eſt nihilominus aliquod vlcus quod vſu olei multum iuuatur: in quo ſcilicet pus moueri eſt opus, vt quod cum contuſione conſiſtit. Sunt ergo quædam vlcera, quæ oleum amant non ſolùm partibus ſanis quæ circunſtant, admotum, ſed infuſum etiam intrò. Atqui neque ea quæ oleum ſolum purúmque reſpuunt, vt quæ caua & ſordida, ſtatim etiam læduntur omnibus quæ partem aliquam eius recipiunt: nam cerato ex oleo cera & ærugine æris expurgantur, replentur carne, & ſeneſcunt. Cùm igitur ſint vlcera, quæ ſolo oleo gaudent, & recentia omnia quæ in carne conſiſtunt, vno ſolo plurimùm iuuentur, & ea etiam quæ ſolo oleo læduntur, commiſtum cum aliis amicè recipiant, plus aut minus, vt res exigit, ſint etiam hauddubiè quibus miſtura ex oleo, & vino ſit accõmodatiſſima, quibus, ſcilicet, vlcus ſit crudiuſculum in carne (nam nerui neque vinum, neque oleum ſimplex amant) & aſperum, & phlegmonis aliquid per partes habens. Ea enim ſolùm oleum fecerit, ſordida ſolùm vinum irritauerit, & exaſperauerit ὀινέλαιον verò mitigauerit, (anodinum enim eſt) emollierit ſimulque roborauerit particulam (conſtat verò id modicè calidum debere infundi;) fuerũt verò talia haud dubiè vlcera eius quia latronibus percuſſus, ſemiuiuus relictus eſt. Siue enim fuſtibus ictus ſit. quod plagatum nomen ſonat, ſiue enſe vulneratus, oleo neceſſariò indigebat. Nam ſi contuſione erant inflicta vulnera, nihil potiùs: ſin autem ſola inciſione, tamen deſtituto ſine alligatione

tandiu

tandiu ſub dio, ab aëre haud dubiè eſſent exaſperatæ, & refrigeratæ partes, cui malo nulla re meliùs ſuccurreretur, quam calente ἐλαίῳ.

Itaque bonus ille Samaritanus, non piè ſolùm, ſed prudenter etiam videtur ſuccurriſſe. Idem etiam medicamentum vtile ſit ad partes verberibus contuſas ſimul, & dilaceratas. Quod innuitur etiam illis verbis Iſaiæ cap. 1. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circum ligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.*

CAPVT LXXXVIII.

CAp. 20. actuum Apoſtolorum ſcriptum eſt, Ieſum ſeruatorem noſtrum, ſuo ore dixiſſe: *Beatius eſt magis dare, quam accipere.* Quæ aſſertio etſi nullum deſideret argumẽtum, vtpote diuina authoritate confirmata, Phyſicam etiam habet monſtrationem, ſolo eo poſito, quòd beatitudo in bonorum abundantia ſit, miſeria in priuatione, aut contrarios quod ex ipſis nominum notionibus manifeſtum eſt. Cùm igitur dandi principium ſit, ipſum habere, recipiendi verò in vacuitate, quia nihil poteſt dare idquo caret, neque recipere id quod habet, conſtat beatius quiddam eſſe ipſum dare, quam recipere. Obiiciet autem quiſpiam recipiendi cupidus; quia beatius eſt habere quàm carere, beatius eſſe recipere quàm ſpoliari, quando quidem ex fine debent æſtimari omnia, finis verò recipiendi eſt habere, dandi verò carere. Coniunctis ergo vtriſque rationibus conſtat fieri, vt illud ſit longè beatiſſimum, dare ſemper, & abundanter, & nihil amittere, quod primæ ac ſummæ & beatiſſimæ cauſæ neceſſe eſt tribui, cui ex ſeſe eſt ſufficentia ſumma. Cauſis quoque naturalibus, quæ ſcilicet ſine deliberatione operantur, euenit dare nihil amittendo ex ſuo, hæquè tunc dare poſſũt magis, cum habent melius. Ignis enim, cùm actu eſt ignis formam tribuit; quod verò eſt potentia ignis, & adhuc caret, recipere poteſt. Itaque in merè naturalibus, haud dubiè, dare eſt melius habentis, & per eam largitionem nihil amittitur eius quod inerat largienti. Verùm quoniam de talibus nomen beatitudinis non dicitur niſi fortè æquiuocè, neceſſe eſt videre an de humanis largitionibus quæ non niſi aliqua bonorum expenſa fieri poſſunt, dicatur illud

Dare an beatius quàm accipere.

verè. Conſtat autem quandoquidem hoc ad mores hominum ſpectat, Ethicam deſiderare monſtrationem. Quam non aliunde poſſimus meliùs petere, quam ex Ariſt. cap. 7. lib. 9. Ethic. ea pendet ex bonorum differentia. Nimirum bona omnia, & hominibus expetibilia, ſunt in triplici genere: nam aut honeſta, aut vtilia, aut voluptuoſa. Horum quiuis homo bonus (penes tales enim oportet eſſe iudicium) concedat, præſtantiſſima eſſe quæ honeſta, poſt hæc quæ vtilia; omnium vtiliſſima tantùm voluptuoſa. Dico autem tantùm voluptuoſa, quæ nihil aliud afferunt quàm voluptatem. Nam voluptas quæ accedit ex honeſtate, aut vtilitate, aut etiam ex eo quòd aſſequutus ſit ea quæ voluptuoſa, & animum ſuum expleuerit, ea non eſt differentia bonorum, ſed perfectio & finis ac ſummum cuiuſque generis. Velut ſummum virtutis eſt, cùm iam quis cum delectatione bene agit. Summum etiam artis quæſtuoſæ, cùm quis negatione delectatur. Summum turpitudinis, cùm quis gaudet expreſsè voluptatibus. Has enim pœnitentiam ſubſequi oportet, non gaudium. Ita cùm ſic ſe habeant bona, & fœlicitas in fruitione bonorum optimorum, præcipuè plurimorum, & maximorum, & largiri ſit res honeſtior, accipere vtilior, conſtat tantò beatius eſſe date quàm recipere, quantò præſtat honeſtas vtilitati. Præſtat autem, tum ex ſeſe, quia ita videtur omnibus hominibus, qui non ſunt animo ægro, tum etiam quia honeſtas diuturnior eſt quàm vtilitas. Quin etiam honeſtas per ſeſe æterna eſt, vtilitates verò paucæ non breues. Nam vtilitas accipiendi perit ſimul ac conſumptum eſt quod donatur, quia inde ſolum eſt, honeſtas verò dandi eſt æterna, quia non eſt ex re donata, ſed ex ipſo dediſſe. Fieri autem non poteſt vt qui dedit non dederit, per accidens quidem perire poteſt honeſtas dandi pereunte memoria, ex ſeſe autē æterna eſt. Quàpropter ſi quæ eſt in rebus memoria, quæ in nullam vnquam obliuionem poſſit incidere (vt certè eſt) conſtat nullam vnquam honeſtatē, nihil quod rectè actum ſit, penitus perire poſſe, ſed æternū eſſe. Contra verò in eo qui accipit, conſumpto dono perit vtilitas, manet verò illa inhoneſtas, & illiberalitatis nota, quæ eſt in recipiēdo. Prætereà beatitudo, authore Ariſt. (qui maximè ſequitur communem hominum bonorum ſenſum) conſiſtit in operatione ſecundùm virtutem, cum omnium bonorum ſufficientia. Largiri autem eſt liberalitatis, virtutis quidem honeſtiſſimæ accipere verò ad nullam virtutem ſpectat, niſi fortè rarò amicitiam. Eſſe autem ita vel inde conſtat quòd dare difficilius eſt, vtpote in quo virtus verſatur, accipere verò facile vt quod plerumque ex vitio eſt aut indigentia. Igitur haud dubiè

Triplex genus bonorum.

Beatitudo in quo ſita.

eſt beatius dare, quàm recipere. Conſtat verò ex dictis, non vtcunque neque vbicunque eſſe beatus, ſed cùm agitur ſecundùm virtutem (ea enim dicebatur eſſe ſumma beatitudinis cauſa) cùm oportet ſcilicet, & vt oportet. Hæc enim virtutes omnes comitantur, ſiquidem cum prudentia coniunctæ neceſſario ſunt. Talis autem largitio alios ſanè augebit bonis, largitorem autem ipſum non ſpoliabit, neque miſerum reddet. Rationem enim habet propriorum bonorum liberalitas Igitur liberalis largitionis extremum, non eſt bonorum vacuitas, ſed abiectio potiorum, putà honeſtatis, & honoris. Neque recipiendi extremum eſt abundantia, cum quadam nota potiorum, & cum quadam illiberalitate. Quapropter ij, qui bene de rebus ſentiunt, beatiores iudicant eos, qui largiuntur, quàm qui recipiunt. Atque hac ipſa cauſa cenſet Ariſt. plus amare eos qui beneficia conferunt, quàm in quos ſint collata, vtpote maius inde bonum conſequuti. Ita etiam à parentibus amari filios, plus quàm redament. Contrà qui receperint, citiùs recedere ab amicis, quàm qui largiti ſint, quòd ſcilicet amiſſa vtilitate, nihil illis reſtet in amicitia præter illiberalitatis memoriam: his verò reſtet ſemper ſuauis recordatio benefactorum At dices, non ergo omnis largitio commendatur præ receptione, ſed ea tantum quæ liberalis eſt. Multæ autem largitiones ſunt peſſimæ, quæque in ſummam miſeriam ipſos largitores adigunt. Certè laudari dicique beata non poteſt, niſi ea quæ ſit ſtudioſa largitio. Neque dubium eſt, honeſtius eſſe recipere ab amicis, ne illis videaris intractabilis, & ex arte honeſta mercedem, vt familiam nutrias, quam dando ſicariis, aut meretricibus, patrimonium perdere. Sed oportet vt aliis omnibus in rebus, æqualitatem comparationum ſeruare conferréque ſtudioſa cum ſtudioſis, & praua cum prauis, eritque ita generatim atque omninò, beatius dare quàm recipere. Nam & liberalis qui largitur, beatior eſt multò, eo qui recipit mercedem iuſtam, & prodigus eſt minùs malus, quàm auarus, vt idem Ariſt. multis argumentis probat cap. 1. quarti Ethicorum ad Nicomachum. Quorum hæc ſunt præcipua, quòd prodigalitas prodeſt multis, auaritia nulli: quod curari facilius poteſt, idque multis de cauſis, & quia propinquior eſt liberalitati, cum habeat communem cum ea voluptatem dandi, & dolorem recipiendi, & quia ipſa ſeipſam curat, conſumens ſuas facultates, ſine quibus largitio ceſſat. Auaritia verò pecunias cumulans, ſeipſam auget, curatur etiã ætate prodigalitas; auaritia creſcit ſenectute. Itaque prodigalitas his cauſis minùs mala eſſe probatur, quã auaritia. Quod quidẽ vt exactè conſideretur aliqua

Largitio liberalis.

Prodigalitatis & auaritiæ comparatio.

indiget animaduerſione. Non enim omninò, neque ſemper ita habet Nam ſunt vtriuſque vitij multi gradus. Et ſiquidem prodigus, qui ſua omnia, ſibique neceſſaria diſtribuit, etſi non omninò indigus, deterior adhuc qui talibus largitur ſua & aliena, aliena ſcilicet rapiens, vt det quibuſuis; omnium peſſimus, qui conſumptis iam propriis, rapit aliena, tribuitque indigniſſimis. Porrò auarus eſt, qui non largitur ex ſuo pro modo ſuarum facultatum, multò autem magis, qui penitus largitur nihil; magis adhuc, qui retinet ſua & aliena: omnium peſſimus, qui ſibi etiam denegat neceſſaria ad victũ & aliena quacunque ratione arripit, atque omnia congerit. His ita poſitis, conſtat quoſdam prodigos deteriores eſſe quibuſdam auaris. Si tamen pares paribus gradus cõponas, ſtant adhuc argumenta quibus efficiebatur, prodigum minùs malum eſſe, quam auarũ, atque adeo beatius eſſe dare quàm accipere, quia in bonis melius in malis minus malum eſt. Euenit autem mox dubitare ex dictis, ſi liberalitas rationem habere debet ſuarum facultatum, atque ea cura depoſita vitioſa largitio ſit, quo pacto conſultum eſſe poſſit cuipiam, vt vendat omnia quæ habet, & det pauperibus, quod tamen ſcimus Dominum conſuluiſſe cuidam (Marci 10. & Lucæ 18.) atque adeò in initio naſcentis Eccleſiæ ab omnibus ſolitum fieri Hieroſolymis? tametſi enim hi conferebant in indigentes & dignos, tamen ſuarum facultatum rationem non habebant, cùm darent omnia. Quod tamen neceſſarium eſſe ad veram liberalitatem indicauimus. Multò meliùs ad hæc intuenti videri poſſit conſilium Tobiæ, qui cap. 4. ad filium dixit, *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli faciem tuã auertere ab illo paupere, ita enim fiet, vt neque à te auertatur facies Domini Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude.* Hìc cõſiderare oportet conditiones ſimpliciter liberalis largitionis aut commutationis. Qui largitur enim, primam rationem habere debet ſui, ſecundam eius cui tribuit. Sibi quidem cauere, ne auferat neceſſaria; alteri proſpicere, vt tribuat vtilia. Ratio igitur quam ſuarum facultatum habere debet liberalis, eò redigitur tota, quam ſibi ſint neceſſaria, quę largitur. Cui ergo nulla bona neceſſaria sũt, omnia poteſt largiri ſine vlla prodigalitate, modò rectè collata ſint. Porrò qui commutat, id ſolùm videre debet, quid pro quo det, dans enim quod minus, pro eo quod magis eligible, vel ſimpliciter, vel ſaltem ſibi errare non poteſt: imò quanto exceſſus maior, tantò prudentiùs aget. Tobias igitur ſapienter conſulebat filio, ne omnia, ſed pro modo ſuarum facultatũ largi

Liberalitas beatiſſima.

largiretur, vt pote patrifamiliàs futuro, vxoríque ac proli neceſſariò proſpecturo: ſapientiùs autem multò Dominus adoleſcenti, qui ad cœlibatum, & ſtatum nullis indigentem vocabatur, vt ſe ab omnibus expediret, & primum perfectæ virtutis faceret gradum, pauperibus tribuendo. Eorum etiam qui in initio naſcentis Eccleſiæ, prædiorum pretia ponebant ad pedes Apoſtolorum, eſt eadem ratio. Nam etſi vxores habebant, & filios, transferebant tamen ad aliam viuendi formam, ad communionem ſcilicet bonorum, in qua nulla eſſe poterat indigentia, vt nunc etiam qui cœnobia ingrediuntur. Porrò vtrique, & hi, inquam, qui relictis retibus ſequuti ſunt Dominum, commutabant bona hæc viliſſima, & maximè caduca pro optimis & æternis, quæ veriſſima ſapientia eſt, & beatiſſima liberalitas.

CAPVT LXXXIX.

CAp. 3. epiſt. 2. Petri, ita ſcriptum eſt: *Aduenient autem dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu tranſibunt, elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* Deinde (paucis interpoſitis) *properantes in aduentum Domini, per quem cœli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent: nouos verò cœlos, & nouam terram, & promiſſa ipſius expectamus.* Hoc idem videtur eſſe quod Ioanni reuelatum eſt 21. Apocalypſis, vbi inquit: *Et vidit cœlum nouum, & terram nouam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare iam non eſt.* Quod idem reuelatum anteà erat per Eſaiam cap. 65. his verbis: *Ecce enim ego creo cœlos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora.* Dauid quoque in Pſal. 101. dixit: *Opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Dominus quoque in Euangelio dicit: *Cœlum & terra tanſibunt, verba autẽ mea non tranſibunt.* Multa alia ſunt oracula, quæ nobis indicant mundũ hunc, quem conſpicimus mutandum eſſe, atque formam aliam longè præſtantiorem ſubiturũ, tunc ſcilicet, cùm ceſſabunt ortus, & interitus rerũ ceſſantibus motu, & tempore. Plerique nolunt intelligere, mutãdas eſſe naturas & formas corporum cœleſtium, & elementarium, ſed motũ cum quiete commutandum, & tempus cum æternitate, manentibus tamen eiſdem formis, & eſſentiis, atque ob has tam inſignes

De mundi fine egregia.

mutationes quas ſubibunt, dici mutanda faciendaque noua. Itaque permanſura in illa æternitate, Solem, Lunam, & Aſtra, & hos ipſos in quibus nunc ſunt orbes, nullas autem circumuolutiones eorum futuras. Veniunt autem in hanc ſententiam, primùm quidem, quoniam non videtur eſſe neceſſarium, hos cœlos, & hæc elementa deleri, vt creentur alia denuò, ſed ſi quàm maximè opporteret, ſatius eſſe, hæc reddi ſpecioſiora, adiicíque illis decorem manente ſubſtantia. Cùm præcipuè dictum ſit ab Eccleſ. c. 3. (quod cum Platonico dogmate maximè conſonare anteà indicauimus.) *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum.* Cùm ergo cælum, & elementa ab initio facta ſunt ab ipſo Deo ſine vlla cauſa ſecunda, videtur oportere, vt perſeuerent in æternum. Deinde Petrus dicit cœlos ardore eſſe ſoluendos, terram autem, & quæ in ea ſunt exurenda. Cœlorum autem ſubſtantia non eſt vſtionis, neque verò alterius alterationis capax. Alioqui quid prohiberet multò iam anteà exarſiſſe, ſi eorum cauitas plena eſt igne, & illi adeo rapidè mouentur, & Solis fulgor eum vndecunque attrahit? multò minus intelligi poſſit cœlum præ ardore diſſipandum, ſiquis ponat cum Ambroſio, Iſidoro & Baſilio, cœleſtia corpora ignea eſſe, ne autem ardore ſoluantur prohibere aquas, quæ ſupra cœlos ſunt. Nam ſi ardore ſoluenda ſunt illa corpora, nihil ſunt minùs, quàm ignea. Ardor igni non poteſt eſſe alienus, neque corruptiuus magis quàm aquæ frigus. Perinde ergo ſit dicere, ignea corporea calore ſoluenda, ac ſi diceres aquam frigore abſumendam. Quin potiùs oporteret corpora illa pertinere ad aquam, & frigore eſſe concreta modò: nam quæ concreta ſunt frigore, ſoluuntur calore, quæ calore humore. Non videtur ergo conſentaneum, cœleſtia corpora calore, neque vlla alia virtute elementari corrumpi poſſe, ſed vt Ariſtot. ſenſit, ac nunc omnes conſentiunt eſſe incorruptibilia & inalterabilia ac proinde ſiquis ortuum & interituum rerum futuros finis eſt, ſiſtenda priuandáque motu, ea figura qua deprehenſa ſint, in æternum permanſura, non tamen mutanda ſecundùm ſubſtantiam, & naturam. Nihilominus maius aliquid mihi ſonant illa oraculorum præſcriptorum verba, mutandos cœlos, vt opertorium ipſos perituros, ſoluendos, nouos creandos. Quapropter ſi quæ ratio inueniri poſſit, quam propoſitis argumentis pari probabilitate obiiciamus, in ea certè acquieſcere æquum eſt. Videtur autem ex hypotheſi probabiliſſimum eſſe, mundum hunc corporalem, quem conſpicimus, periturum aliquando eſſe, ac pro illo alium longè præſtantiorem denuò creandum. Scilicet, hæc ſeries ortuum,

Cœli quomodo igne ſoluendi.

tuum & interituum in æternum duratura non eſt, ſed ceſſatura aliquando, ceſſuruſque motus quieti, & tempus æternitati: Alienum enim omninò à ratione eſt, corpora natura mobilia, quæque naturali impetu feruntur, vt cœleſtes orbes in æterna violentia contineri. Nihil enim Philoſophis certius quàm nullum violentum eſſe æternum. Cœlum autem cùm naturaliter feratur circulo, præter naturam, & violenter detineretur. Neque minor inferretur violentia elementorũ naturæ; ſi ea quoque quaſi nunc ſunt natura durarent. Etſi enim corporibus ſuis ordine diſpoſitis, naturalis ſuccederet quies, eſſet tamen neceſſe, ſtatim & illum ordinem & quietem interturbari actione mutua virtutum elementarium; niſi eſſent actiua paſſiuis proxima ſine vlla actione: quòd nihilominus rationi repugnat. Quid enim poſſet eas illis inducias firmare, niſi à maiori virtute illata violentia? neque enim ſatis ſit (vt quiſpiam fortaſſe putet) ſublatam eſſe lationem, vtpote motum primum vt tolleretur alteratio. Eſt enim latio prior alteratione, nulla cauſa, quàm ob admotionem efficientis & recipientis. Si autem eſſet ordine poſita, non ſolum propè eſſent, ſed & contigua. Eſſent itaque omnia violenter detenta, & actione orbata, qui nihil abſurdius, in illo præcipuè fæliciſſimo æuo, in quo oporteret omnia eſſe pulcherrima & propriam perfectionem cõſequuta. Veriſimilius ergo multò eſt, corpora hæc cœleſtia, & elemẽtaria quæ ad hanc velut rerũ geneſim optimè cõparata nũc ſunt; exacto toto tẽpore, & eleuatis ſucceſſiuis mutationibus quaſi toto iam negotio peracto, velut defuncta munere ſuo finiri atque alia pro illis longè pulchriora, & æternam illam requiem naturaliter expetentia, & ſecundùm ſe tota inalterabilia, creari denuò, quæ immutabilibus, & æternis ſubſeruiãt, vt priora hæc naſcentibus, & intereuntibus deſeruiũt modò. Videtur itaq; inuenta optimatatio, qua quæ nunc ſunt deleantur & illis eleuatis creentur pro eis alia, vt ſcilicet ad tam diuerſos ſtatus res etiam diuerſæ accommodetur. Neque obſtat eſſe hæc corpora à Deo creata, vt deleri poſſint, non enim ab vlla naturali cauſa, ſed ab ipſomet Deo qui creauit delẽda dicimus: neq; ſanè in nihilum (non enim hoc dignũ cenſent Dei bonitate) ſed in alia eſſentialiter perfectiora, in quibus horũ ipſorum perfectiones maneant eminenter demptis mobilitate cœleſtium, & corruptibilitate elementarium, quæ imperfectionis ſunt. Velut autẽ mutatio naturalis formæ in aliam perfectiorem, non vocatur interitus, ſed ortus, vt cum ex embrione ſit animal, ita neque mutatio quæ diuina virtute fit in ſubſtantiã præſtãtiorẽ, vocari debet annihilatio, ſed creatio, alioqui limum ex quo Adã crea-

Cœleſtia corpora his pulchriora futura.

tus eſt, annihilauit Deus, & coſtam Adæ ex qua Eua. Ita igitur diſſoluere quæ fecerat non eſt à bonitate diuina alienum, mutando ſcilicet in potiora, in quibus priorum perfectiones maneant eminenter. Alioqui neceſſe eſſet in æterno illo, & fœlici æuo Equos eſſe, & Leones, & Vrſos ac reliqua animantia, quorum ſpecies æternæ ſunt; etſi ortu, & interitu ſingulorum ſeruantur, ſed omnia huiuſmodi habenr firmam æternitatem præcipuè in exemplati, deinde & in aliis rebus perfectioribus, in quibus ſunt, vt trigonus in tetragono. Ita ergo animantia reliqua erunt in homine, & priora hæc corpora illis poſterioribus, omnia autem in exemplari diuino. Hoc eſt quod mihi ſonant illa verba Pauli, ad Romanos, *omnis creatura parturit vſque adhuc*, hoc eſt, in potentia eſt ad aliam perfectiorem naturam. Quod non ſolùm ſoluendos eſſe cœlos, ſed ardore ſoluendos Petrus dicit, aliquantò videtur difficilius, & ob eas obiectiones quas antea ſcripſimus, & ob eam quã tetigimus modò. Nimirum quæ à Deo ipſo per ſe ac ſine cauſa ſecunda cõpacta ſint, nõ poſſe ab alia cauſa ſolui, ſed ſolũ ab eo ipſo à quo ſint coagmentata. Quæ igitur Deus ipſe compoſuit vt cœleſtia corpora, haud quaquam diſſoluet ignis, neq; alia cauſa ipſo Deo minor. Certè ita eſt, virtutem diuinam apponi neceſſe eſt, vt deleatur quod Deus ipſe fecit, nõ igitur ignis delere, aut diſſoluere cœlos poterit ſua vi, ſed diuina, quam Deus illi tunc, ad id miniſterium exequendum appoſuerit. Velut damnatorum corpora torquebit nõ corrumpens, ac multò magis, vt nunc torquet animas damnatorum. Nimirum corpore hoc natura violentiſſimo vtitur Deus ad actiones, quæ omnes naturæ vires exceſſerunt, aut igitur hoc modo ignis diſſoluet cœlos, aut orbis mutationem inchoabit, totam hanc corruptibilium corporũ molem exurens, interimque Deus ſua virtute demolietur cœlos, vt videatur tota mundi machina cõflagrare. Dicetúrque ita verè, per ſynecdochen, totus mundus igne perire, quia vrendus omnibus cõbuſtibilibus, mutationem recipiet. Complebiturq; tunc quod Pſalmo quadrageſimo nono cecinit Dauid dicens: *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tẽpeſtas valida.* Solùm igitur intereſt, de hypotheſi, ex qua fluunt hæc cum probabilitate dicere. An ſcilicet, futurus aliquis ortuum, & interituum finis ſit. Futurum autem eſſe videtur, facilè ex indicatis antea colligi poſſe. Indicatum enim eſt, mundum hunc æternum non eſſe, ſed incœpiſſe aliquando, cùm anteà non extitiſſet. Indicatum quoque eum eſſe vnicum totum, pulchrum, & perfectum, ferrique totum in ſummum bonum, à quo creatus eſt. Creati verò

Opera Dei niſi vt diuina ſolui non poſſunt.

mundi

mundi velut apicem & per quem in Deum feruntur omnia, eſſe hominem. Hunc enim eſſe propter Deum, & propter ipſum reliqua, atque animos hominum eſſe immortales. Ex his fit quod quærimus. Si enim mundus pulcher, ac perfectus eſt, neceſſe eſt omnia in illo eſſe menſura, numero & pondere, certis effecta. Nam neque magnitudo, neque multitudo actu infinita eſſe, neque intelligi poteſt. Quod autem infinitum potentia, deforme, & imperfectum eſt. Nam eſt id cui ſemper aliquid deeſt, conſtatque ea infinitas, ex nunquam finienda adiectione, quæ perfectioni eſt contraria. Nam perfecto, qua tale, nihil deeſt, nihil adiici poteſt. Cum igitur humani animi à mundi exortu continenter creentur in corporibus, atque ſeparati permanent, ſi generatio hominum nunquam eſſet ceſſatura, illorum eſſet futura multitudo potentia infinita, quo nihil imperfectius, neque magis inconcinnum. Cùm præcipuè ſit mundi pars, earum quæ cum corporibus habent aliquid commercij, præſtantiſſima. Ad pulchritudinem ergo & perfectionem mundi ſpectat, eſſe certum numerum creandarum animarum, qui vbi perfectus erit, neceſſe eſt, aut eaſdem rurſus redire ad corpora per palyngeneſiam Pythagoricam, aut generationum naturalium eſſe finem: ſi autem generationum & motus, & temporis. Quantum igitur habet improbabilitatis illa Palyngeneſia, tantum probabilitatis habebit finem habituram hanc rerum geneſim. Sed ex ipſa humanæ animæ natura colligitur hæc ipſa aſſertio. Indicatum enim animam hominis id habere præcipuum præ formis co[illegible]orum, quod eſt ſeparabilis, idque ſingulare præ omnibus ſubſtantiis incorporeis, quod eſt etiam actus corporis. Itaque eſt pariter ſubſtantia incorporea ſine corpore potens exiſtere, vt Angelus Dei, & actus corporis, vt forma alia quæuis. Igitur & cum eſt in corpore, poteſt ſeparari, & cum ſeparata, expetet vniri. non ſunt igitur ſine corporibus in æternum victuræ. Alioqui quod corporibus cœleſtibus, & elementaribus timebamus, eueniret animabus, vt ſcilicet, æterna priuatione rei naturaliter expeditæ teneretur. Quod tantò longiùs à ratione abeſt, quanto vacuitas cum ſenſu miſerabilior eſt quàm ſine illo. Veriſimillimum ergo eſt illas ſua corpora aliquando reſumpturas. Si ergo naturalis palyngeneſia impoſſibilis eſt, ſupereſt, vt ſit alia longè ſuperior, quæ diuina virtute peragatur. Nō autem vt naturalis virtus proferet aliam poſt aliam regenerationem, quaſi generationem priſtinam ordine repetens (ſucceſſio enim hæc impotentiæ naturalis eſt) ſed vnam totámque omnium ſimul efficiet palyngeneſiam, tunc ſcilicet, cum perfectus earum erit

Generationes finiendæ.

Anima in æternum victura.

ratio proportionis ad alias intelligentes ſubſtantias exiget. Si quando igitur animi omnes ſunt ſua corpora reſumpturi, certè poſtquam ſeparati ſint omnes. Separati autem eſſe omnes, non poterunt, antequam finis ſit naſcendi. Neceſſe eſt igitur naſcendi finis aliquando futurus ſit, atque ideò & mouendi, & temporis. Hinc autem fiebat, vt & cœli & elementa eſſent in alia corpora præſtantiora abitura. Verè igitur tota hæc mundi moles peritura eſt: ac pro ea alia longè pulchrior creanda, nullis mutationibus idonea, ſed domus æternitatis futura. Quapropter omnia oracula quæ æternitatem corporum, quæ nunc ſunt videntur aſſerere, & immutabilitatem vſque ad mundi huius finem, intelligi debent. Quale eſt illud Pſal. 148. *Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit & non præteribit.* Et illud Pſal. 92. *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* Nimirum Eccleſia Catholica ſemper proclamat: *Dies illa in qua cœli mouendi ſunt, & terra.* Itaque vſque ad mundi finem ſtabunt hæc qualia nunc ſunt, nullam ſentientia mutationem naturalem, tunc autem deleta, mutabuntur in alia noua & pulchriora.

Mundus nouus.

CAPVT XC.

Aqua tepida ad vomitum inuitat.

APocal. cap. 3. *Vtinam frigidus aut calidus eſſes, ſed quia tepidus, neque calidus, neque frigidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Res eſt Medicis omnibus notiſſima, & confirmatiſſima experimento, tepida omnia vẽtriculũ ſubuertere, frigida verò aut calida retineri multò meliùs. Vſque adeò, vt ſola aqua quæ per ſeſe nullam vim vomitoriam habet, ea ſolùm cauſa, quod tepida bibatur, vomitum moueat non omninò ſegniter. Huius rei cauſa eſt, quod tepidarum rerum tactus blandus, placidus, ac laxans eſt. Quod apertè indicant medicamẽta, propriè anodina, à ſoluẽdo dolore vocata, quæ tepidi caloris ſunt, quia immoderatiùs frigida, & calida vtraque mordent, frigida quidem, quia contrahendo exaſperant, calida quia pungunt, & ad vtrorumque tactum contrahuntur partes; ad tepidum autem blandum & ſuauem, laxantur, atque extenduntur, non aliter atque animalia affixa, aut cruſta tecta, quæ videmus, quæcunque cauſa doloris accedat, ſiue mordens, ſiue pungens ſeſe contrahere, perfuſa verò tepida, ſeu ad Solis moderatum calorem, diſtẽdi. Ita faciunt ſpõte naturæ ventriculi partes. Cum verò primo occurſu cum quadam voluptate id accidat partibus mos eſt

tactus

tactus vertitur in triſtitiam, & anxietatem, ob quam accidit abominatio, & vomitus. Nam ventriculus bene conſtrictus, atque corrugatus circa cibum, aut potum, continet illum ſine moleſtia, & nullam offenſam ab ea ſentit. Si verò laxatur, dimittit, qui dimiſſus ponderi eſt ac moleſtiæ. Non aliter ac manus laxata euertitur ab eodem pondere, quod firmiter conſtricta facilè ſuſtentaret. Itaque eandem paſſionem afferunt ventriculo tepida, etſi aliqua vomitoria non ſint facultate, quàm quæ ſunt per ſeſe, & propria potentia talia. Horum enim quædam, qui ſunt laxantia, & emollientia, ſunt etiam vomitoria, vt oleum & omnia quę ſine ſale ſunt pinguia: quædã ſunt malignitate quadam abominabilia, vt agaricus, Turpetum, & Elleborus, & ſuccus Raphani. Vtraque verò etſi longè diuerſa ratione, faciunt ventriculi in quem ingeruntur laxitatem ſaltem ſecundùm fibras obliquas, quæ ſubſeruiunt retentioni. Tranſuerſæ enim & quæ ſeruiunt expulſioni conſtringuntur, inſurgente virtute partis in id quod moleſtum ei eſt. Similem huic etiam paſſionem facit tactus rerum tepidarum. Fibras obliquas laxat per ſe ob blandum ſenſum, trauerſas per accidens facit conſtringi ad exemplum, quod quia male continentur, grauat. Vt ergo famem non mouet ſola penuria & ſuccus ab habitu corporis excitatus, ſed quæcunq; ſimilem faciunt in ore ventriculi corrugationẽ vt acida: ita abominationem contraria ei appetitui in quo famẽ ponimus, efficiunt non ſolum quæ abominabilia per ſe ſunt, ſed & quæ quacunque ratione laxari illud faciunt, in quibus ſunt quæ accipiuntur tepida, præcipuè verò quæ liquida. His enim accedit fluctuatio, quæ non parũ facit ad vomitionem. Ex hac calidorum, frigidorũ, & tepidorũ proprietate accepit Spiritus Sanctus allegoriam transferens ad hominum mores, dicenſque: *vtinam frigidus aut calidus eſſes, ſed quia tepidus es, & neque frigidus, neque calidus, incipiam te euomere.* Quæ verba ſunt Dei ad hominem improbum, poſſuntque Theologicos ſenſus recipere, mei verò muneris ſolùm ſit, ea Ethicè interpretari, vt id vnde allegoria accipitur sũ interpretatus Phyſice. Cõſtat nomine frigidi & calidi non intelligi contrarios affectus, inter quos ſi tepiditas, vt mediocritas quædam nihil admittens nimium. Nam vt in 2. lib. Ethicorum Ariſt. monſtrat, virtus quæcunque atque adeo virtus omninò in mediocitate conſiſtit, inter exceſſum, & defectunt conſtituta: vitia verò conſiſtunt in extremo. Si igitur calidi, & frigidi nomina extremos affectus ſignificarẽt, & tepiditas eorum mediocritatem videretur virtus præ contrariis vitiis vituperari, quod conſentaneum non eſt. Ob hanc obiectionem plerique

Agarici malignitas.

Virtus in mediocritate perſiſtit.

plerique calidorum, & frigidorum hominum nomine, intelligi putat optimos, & peſſimos: tepidos verò vocari remiſſæ cuiuſdam, & imperfectæ virtutis homines, hoſque vituperari plus aliis, non quòd vtriſque ſint deteriores, ſed quod ſua mediocritate decepti, minùs ſoleant reſipiſcere, & ad perfectam virtutem aſpirare. Placet hoc non paucis: mihi verò non ſatis. Nã præter quàm quòd manifeſtum, melioré eſſe conditionem hominum, qui etſi perſpecta virtute non ſint, neque vendiderunt omnia quæ haberent, vt pauperibus largirentur, ſequuntur tamen temperatum quoddam, & mediocre viuendi genus, ſeruantque mandata, quàm eorum qui ſunt manifeſtè improbi: ſed & ad proficiendum, ac ad reſipiſcendum à peccatis, ſunt illi quàm hi paratiores. Nam ſi naturales ipſorum vires conſideres, conſtat tantò cuique eſſe difficilius bene agere, quantò plus criminibus aſſueuit. Quandoquidem habitus omnis facilitatem parit, ita operandi & contrarij difficultatem habitus quidem virtutis facilitatem bene operandi, & ſecundùm rationem; vitioſus verò difficultatem, & quantò maior, tantò maiorem. Sin autem conſideres auxilium quod diuinitùs accedit, id quoque conſtat tantò deſiderari maius, quanto homo pluribus, maioribuſque peccatis eſt implicatus, vel hoc ſolùm argumento, quòd ea auxilia morborum animi medicamina ſunt, morbi autem maioribus maiores indigent. Tametſi ergo peſſimi, & iniquiſſimi hominis iuſtificatio meritò ſit Deo glorioſiſſima & cœlitibus iucundiſſima, vt ſcilicet medico & eius amicis reuocatio deplorati, eius tamen ſtatus nulli exoptãdus, neque imprecandus eſt; vt pote periculoſiſſimus, & ex quo perpauci euadunt. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, & Dominus particula exhortãdi vtatur, dicens: *vtinam frigidus aut calidus eſſes*, neceſſe eſt nomine tepiditatis, ſignificari diſpoſitionẽ quampiam animæ, quæ mediocritatis, & trãquillitatis cuiuſdam ſpeciem præ ſe ferat, re vera autem ſit vitioſiſſima, dicaturque tepiditas ob apparentem pacem, vituperatur autem omnium maximè ob veriſſima, & maxime latentia vitia. Quæ autem ſit

Continẽtis & incontinẽtis ratio.

hæc diſpoſitio, primò mihi videtur Ariſtot. explicaſſe 7. Ethicorum ad Nicomachum, continentis ac incontinentis, & temperantis, ac intemperantis rationes exponens, atque differentiam. Nimirum dicit intemperantiam, & incontinentiam (eadẽ eſt contrariorum ratio) circa eadem verſari: nam ſpeciatim ac propriè acceptis his nominibus, verſantur circa voluptates tactus, & guſtus, neque quidem circa omnes tactiles, ſed ſolùm circa Venereas: itaque circa ingluuiem, & Venerem; tranſlatiuè verò & latius patentibus nominibus, verſantur

circa

circa omnem dolorem, & voluptatem, atque vt eſt incontinens cibi,& potus & laſciuiæ,eſt etiam incontinens iræ,& cupiditatis diuitiarum, & honorum.In quocunque horum generum eſt perturbatio animi, & ipſum peccatum, & vitium per quod peccatur. Velut eſt ira, & vltio, & ipſum vitium animi, per quod homo ſponte ſua deliberat vlciſci. Non eſſe autem idem,iram & illud vitium, conſtat, quia multi etſi iraſcantur abſtinent à vindicta,quia ſunt probi. Eſt igitur virtus quæ obſiſtit iræ Cùm ergo ira & virtus illa non ſint in eodem genere proximo,quia virtus eſt affectus in anima permanens,habitus ſcilicet.ira autem paſſio,conſtat præter iram eſſe vitium quoddam,illi virtuti contrarium,in eo qui iraſcitur,& cum deliberatione & ſponte vlciſcitur, aut vlciſci vult.

Cùm tamen ſint hæc tria,ira,vindicta, & illud vitium, conſtat malignitatem per ſe non eſſe niſi in illo vitio.Nā vindicta poteſt eſſe bona, vt vindicauit Moſes in fratres ſuos. Ira quoque: nam in ſatellitium rectæ rationis data eſt hominibus à Deo. Vitium verò nunquam poteſt eſſe bonum,quia eſt per ſe malum. Dicit ergo Ariſtot.temperantiam & intemperantiam verſari circa actiones bonas,aut malas;continentiam & incontinentiam potius circa ipſas paſſiones, & perturbationes ſiue animi, ſiue corporis.

Tēperantia & intemperātia circa quæ.

Animi dico, vt circa iram, gaudium, & cupiditates diuitiarum,aut honoris;corporis,vt circa carnis laſciuiam, ſeu pruritum,& cupiditates cibi aut potus.Temperans enim eſt qui etſi irritetur commoueatúrque,temperat à crimine: intemperans qui nō temperát, vtcunque habeat circa irritationem. Incontinens verò aut continens,potiùs propter perturbationes dicitur.Eſt enim incontinens qui leuiter, & ob quæcunque irritamenta perturbatur, vt qui de quauis leuicula cauſa iraſcitur, aut prurit aut concupiſcit. Itaque qui conſpecta muliercula nō ſe videtur poſſe continere,ſed citra deliberationem mox irruit, ita verò aut iraſcitur, aut vtcunque aliter patitur, incontinens eſt Continens contrà,qui talis eſt,vt minus etiam quam homines ſolent perturbatur, quæcunque occurrant iritamenta: Ex his definitionibus conſtat, continentiam & incontinentiam quodammodo non eſſe virtutem,neque vitium,quia per ſe non verſantur circa actiones bonas aut malas,ſed circa paſſiones, quæ natura indifferentes ſunt. Prætereà incontinentia, & contrarium naſcuntur ſæpe ex cuiuſque hominis temperamento, aut compoſitione,denique ex natura, ob quam neque laude,neque vituperatio dignus eſt homo,ob ea autē quæ ſunt vera vitia aut virtutes,meritò vituperatur quis,aut laudatur.

Continēs & incontinēs quis.

Verbi

Verbi gratiâ, culpa non eſt in ira, ſed in vindicta. Ita verò fugienda eſt, quia eſt animæ perturbatio, cum qua perdifficile eſt, à vindicta velle abſtinere. Per ſeſe autem culpa eſt, in vindictæ cupiditate ſpontanea & cũ deliberatione. Dixi verò incontinentiam quodammodo non eſſe vitiũ, neque cõtinentiam virtutem, quia quodãmodo etiam ſunt. Sæpe enim illi naturali, ſiue impotentiæ, ſiue potentiæ, admiſcetur aliquis voluntarij. Vt qui facilè iraſcitur, non tamen omninò pœnitet leuiter admiſſæ iræ. Is enim iam non merã habet incontinentiam, ſed intemperantiæ etiam aliquid & vitij quatenus vult, & delectatur. Ita etiam continentia quæ non venit ex natura, ſed hac repugnante, vſu temperata eſt, timore Dei aut amore, ea maxima temperantia, & eximia virtus eſt. Itaque ſignum incontinentiæ meræ, & quæ nihil habuit culpæ, eſt, mox à ſedata perturbatione pœnitentia vera conceptæ perturbationis. Contrà ſi quis incontinenter eſt iratus, poſteà verò illum perturbationis non pœnitet, ac multò magis, ſi quem iratus læſit, euidenti argumento eſt aliquid ibi fuiſſe vitioſæ voluptatis, & culpæ. Cum igitur quiſpiam iratus eſt, quãtumuis vehementer, nullũ tamen læſit aut non ſponte, & cum deliberatione, & illũ citò incontinentiæ illius pœnitet, in nulla culpa eſt. Quod apertè ſatis inſinuant illa verba Pſalm. 4. *Iraſcimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Quaſi dicat, cùm iraſcimini (id quod natura hominibus ineſt) nolite peccare, id eſt, opere exequi, aut cum deliberatione velle, ea quæ in cordibus veſtris dicitis cùm eſtis irati, quæ ſcilicet, comminamini, ſed ab iniuriis temperantes poſteà in veſtris cubilibus, vbi ſedari conſueuit hominum animus, compungimini, & pœnitentiam agite conceptæ iræ. Ita enim ob naturalem quidẽ debilitatem egeritis incontinentes, non eritis autem in culpa. Ex his quæ dicta ſunt, conſtat, temperantium, & intemperantium poſſe eſſe quatuor modos. Nam poteſt eſſe quis temperans ſimul, & continens, qui ſcilicet minùs perturbatur quàm homines ſolent, ſimúlque à peccatis abſtinet. Poteſt etiam eſſe incontinens, ſed temperans, qui etſi ob naturale rituum, aut inueteratam cõſuetudinem eorũ quibuſcum vixit, vt domus, aut vrbis, aut gentis facilè irritatur, à committẽdis peccatis abſtinet, cùm locum deliberationi paſſio concedit. Intemperantium quoque ſunt duo modi. Nam poteſt eſſe quis ſimul incontinens, & intemperans, qui quacunque occaſione perturbetur, & quiduis opere exequatur, non primo ſolùm impetu, ſed etiam poſtquàm deliberandi tempus aliquod nactus eſt, neque eum facti pœnitet; poteſt etiam eſſe

Quatuor modi tẽperantiũ & intemperãtium.

eſſe intemperans, etſi non ſit incontinens, qui ſcilicet, non admodum permouetur, neque irritatur in occaſionibus; imperturbatus verò,& citra irritationem, nihilominùs committit peccata. Horum quatuor duos quidē conſtat ſtudioſos eſſe, temperantes ſcilicet ſiue continētes etiam ſint, ſiue ſecus. Atqui etſi multitudini videntur eſſe meliores longè, qui continentes ſimul ſunt & temperantes, reuera tamen non ſemper ita eſt, ſed tunc ſolùm, cùm continentia meditatione virtutis comparata eſt, aut, incontinentia culpa eſt contracta. Si enim tam continētia, quàm incontinentia naturalis eſt, aut gentilis, melior multo eſt temperatus incontinens, quia longè maioris difficultatis eſt, cum ea incōtinentia temperare; difficultas verò nulla ſua culpa orta eſt. Duos alios conſtat eſſe vitioſos, & prauos intemperantes, ſcilicet quorum ij qui ſimul ſunt, & incontinentes, vulgò videntur eſſe deteriores, reuera autem ſunt tolerabiliores Reliqui enim qui ſcilicet ſine incōtinentia ſunt intemperantes, ómnium ſunt peſſimi, idque multis de cauſis. Primùm quidem, quia quò quis cum minori perturbatione, eò peccat cum maiori libertate, & deliberatione. Paſſio enim libertati detrahit, adeò vt nonnunquam in ipſo primo impetu omninò tollat. Cùm igitur malignitas in libertate operandi cōſiſtat, malignior ſit is, quā is, qui ſine perturbationibus trāſgreditur nihilominùs rectæ rationis fines. Atque vt dicitur Eccleſ. 19. *Melior eſt homo qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu in timore Domini, quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem Altiſſimi.* Is certè de quo dicitur Prouerb. 3. *Quaſi per riſum ſtultus committit ſcelus.* Deinde, & quia eſt inſanabilior, idque etiam multis de cauſis. Primùm quia peccatorum medela, vt idē Ariſtoteles loco citato apertè dicit, pœnitentia eſt, hunc verò rarò facti pœnitet qui cùm peccauerit imperturbatus, in eadem voluntate perſiſtit. Deinde, quia hic non agnoſcit propriam culpam, ſed eadem cauſa, qua vulgò videtur minùs malus quàm incontinens, ſibi videtur etiam eſſe bonus. Adeò vt dicat Ariſt. 2. magnorum Moralium cap. 6. in talibus corruptum eſſe principium, hoc eſt rationem & mentem, eoque in prauis: rationem aliquam magni boni conjectare, velut Dionyſius, Phalaris, & Clearchus, haud dubiè immaniter peccantes, illuſtria facinora conjectabant. Neque enim per iram ea ſemper patrabant, ſed plerunque per errorem talem; multi etiam mulieribus abutuntur non per amorem, neque verò admodum per pruritum, ſed per licētiam, & corruptionem principij, quapropter neque peccata ſua ſatis agnoſcunt. Nam perturbationes, vt ira, & lentigo, & reliquæ cupiditates, manifeſtæ

Intemperantium vitia.

Peccatorum cognitio.

feſtæ admodùm paſſiones ſunt, & ei qui patitur, & intuentibus. Peccata verò ſine perturbationibus latent, quia nullam per ſeſe ſenſibilem notam præſtant, cùm præcipuè non finiuntur in extrema opera. Hinc naſcitur tanta illa difficultas agnoſcendi peccata, quæ Dauidem in illa verba fecit prorumpere: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* In hos igitur quos omnium eſſe peſſimos dicit Ariſt. optimè quadrant illa verba capitis duodecimi Prouerb. *Via ſtulti recta in oculis eius.* Quomodo igitur curationem quæret, qui ſe putat bene valere; eſt itaque hic peſſimus, & quia re ipſa malignior, & quia incurabilior, deinde & quia inexcuſabilis; non enim habet perturbationes quas cauſetur, ſed ob ſolum legis & virtutis conceptum, quaſi nihil interſit ita, aut aliter agere imperturbatè, ac proinde inemendabiliter peccat. In hoc genere ſunt ſimulatores, & callidi, parati ſcilicet ad proditiones fratrum vrbium & regnorum, qui (vt dicitur Iob. 16.) prouocant iram Dei: Nam vt dicitur Prouerb. 12. *Qui ſtatim indicat iram ſuam fatuus eſt* (nimirum vt Ariſtot. indicat cap. decimo ſeptimi Ethicorum) *incontinens non poteſt eſſe prudens, qui verò diſſimulat iniuriam,* (vt ſcilicet vlciſcatur melius) *callidus eſt.* In hoc etiam genere ſunt hypocritæ qui ſpeciem virtutis præ ſe ferentes, alios primùm, deinde & ſeipſos aliquando ſeducunt. hos vocat Sanctus Spiritus tepidos, quia neque boni ſunt, neque conſpicuè mali, cùm reuera ſint omniū peſſimi. hos euomit Deus, atque à ſe reiicit & indurat, traditque non rarò in reprobum ſenſū. Ergo inquit, *vtinam calidus, aut frigidus eſſes,* hoc eſt, bonus, aut apertè malus, & perturbationis plenus, vt iis ſedatis ageres pœnitentiam, ac reſipiſceres. *ſed quia tepidus es.* hoc eſt ſub ſpecie boni iniquus & impœnitens, & legis contemptor, *incipiam te euomere,* velut qui tepida deglutierunt iuſcula. Tu autem Domine miſerere noſtri.

Peccatorum cognitio.

Peſſimi qui.

Hypocritæ peſſimi.

CAPVT XCI.

CApite 21. Apocalypſis. *Ego ſum α, & ω, initium & finis,* quæ eadem verba repetuntur cap. vltim. adddítis his duabus voculis, *Primus & nouiſſimus*, quæ ad Philoſophiam non videntur pertinere, ſed grandius aliquod continere arcanū fidei, quæ eſt Domini noſtri IESV CHRISTI. Priora illa à Deo prolata, rationē mihi videntur habere naturalem, & cōſonare

Deus principiū & finis.

nare cum illis 16.cap. Prouerb. *Vniuerſa propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus.* Itaque eſt Deus vniuerſorum principium & finis,quia ab ipſo & propter ipſum facta ſũt.Ab ipſo quidem facta eſſe omnia ſuper caput primum Geneſeos, quod huius operis eſt primum, firmiſſimis, vt mihi videtur, argumentis eſt indicatum. Supereſt vt qui in principio,principium eſſe rerum oſtendimus,iam nunc in fine,finem eſſe indicemus. Erunt autem nobis hîc poſitiones,quæ illic ſunt indicatæ,nimirum mũdum hunc vniuerſum factum eſſe, neque ab æterno extitiſſe, factumque ab vno quodam principio quod æternum, vnicum, ſimpliciſſimum, idemque potentiſſimum, ſapientiſſimum, & optimum,pulcherrimumque His poſitis, fit, illum mundi opificem ſui ipſius gratiâ feciſſe vniuerſa, eſſeque & principium à quo omnia,& finem,cuius gratiâ effecta ſunt. Nam aut fecit mundum alicuius gratiâ, aut temerè. Operari autem temerè non cadit in ſapientem, fecit ergo alicuius gratiâ. Id verò cuius gratiâ aliquid fit,melius eſſe debet quam ipſum quod fit, vt ſanitas quàm medicina, & habitatio quàm domus. Boni enim gratiâ fiunt, quæcunque alicuius gratiâ fiunt, à cauſa non errante, & ipſa ratio finis, eſt ratio boni. Igitur id cuius gratiâ Deus fecit vniuerſa, melius eſt vniuerſis quæ facta ſunt, non factum autem nihil eſt præter ipſum Deum. Ipſemet igitur eſt finis,qui & principium. Dices fortaſſe,Deum cùm ſit ſummum infinitumque bonum,eſſe etiam ſibi ſufficentiſſimũ,atque nullam boni acceſſionem poſſe recipere, ac proinde nullius gratiâ operari,cuius enim gratiâ operetur, qui nulla re indiget:atque ſi quàm maximè alicuius gratiâ, certè non ſui ipſius,cùm nihil poſſit ſibi comparare, ſed gratiâ aliorum, vt fortè rerum ipſarum quæ fiunt, vt ſcilicet ſint, quia res ipſas eſſe, quàm non eſſe,melius eſt illis. Itaque ſit finis fiendi ipſum eſſe,ſicut rei cuiuſque generatio finitur in eius formam. Ita eſt profecto: res factæ ſunt vt ſint,ſed hinc rurſus efficitur, quod aſſerimus. Nam cur Deus voluit eas eſſe; annon quia melius erat, quàm non?eſſe igitur vt illis benefaceret. Sed cur voluit benefacere? an non quoniam bonus? igitur poſtremus rerum faciendarum finis,vt effector benefaceret,ſecundùm quod bonus eſt. Is autem finis eſt in ipſo principio,ſua gloria.Deus igitur ipſe eſt finis vltimus rerum omnium.Dico vltimus,quia ſingularum rerum ſunt ſinguli fines proximi, nam res ipſæ ſunt aliæ propter alias, poſtremò verò omnia deuoluuntur ad vnum finem. Porrò eiſdem argumentis quibus effectum eſt, vnicum eſſe rerum omnium principium, omniaque ab vno fluere efficitur vnicum etiam eſſe finem: nimirum ex vnitate & perfectione

 vniuerſi.

vniuerſi.multò enim magis diſſoluit vnitatem & perfectionem multitudo finium vltimorum, & qui non ordine feruntur in vnicum, quàm principiorum. Eſſe enim & perfectio rei ex fine magis pendet,quàm ex vlla alia cauſarum. Neceſſe eſt igitur, ſiquidem mundus eſt vnus, pulcher, ornatus (vnde & nomen accepit)perfectus,vnicum eſſe rerum vniuerſarum finem. Vnicus autem, omnium non poteſt eſſe vlla rerum effectarum. Nā aut ipſius eſſet alius finis, aut nullus. Si nullus,ea res eſſet facta temerè quod non minus eſt abſurdum, quā ita eſſe facta omnia. Sin eſſet alius, is alius eſſet vltimus finis omnium. Si enim eſt finis proximus eius, quod eſt finis aliorum omnium, eſt ſimpliciter vltimus omnium. Ille igitur,aut eſſet res creata, aut ipſe Deus; ſi creata,redit eadem dubitatio,& in infinitum ibitur.Neceſſe eſt igitur ſtare in fine increato,qui eſt ipſe Deus. Si igitur alia omnia facta ſunt propter hominem, ipſum hominem neceſſe eſt factum eſſe propter Deū,atque ordine quodam extitiſſe alia propter alia, poſtremò verò omnia propter Deum,vt prata irrigua propter pabula,hæc propter pecora,hæc propter hominem,hominem propter Deum Igitur ſi mundum oportet eſſe perfectum,& vnum, oportet etiam ab vno principio fluere,& in vnum finem ferri.Non poteſt autem differre ille finis ab illo principio. Nā cùm indicatum ſit ſeorſum,neque principium,neque finem poſſe eſſe creatum;fieret vt eſſent duo æterna.Indicatum autem eſt anteà.quod & nunc ponitur,quod æternum, eſſe vnicum & ſimpliciſſimum:neceſſe ergo eſt idem eſſe vniuerſorū principiū & finem.Sed & ipſa forma aſpectabilis mundi, ob ipſam rerum neceſſariam concinnitatem, hoc idem indicat. Velut enim ipſum mundi corpus. quod conſpicimus, perfectiſſima figura.hoc eſt, circulari, eſt, & inceſſanter circumuoluitur, ita neceſſe eſt ipſam rerum ſeriem, non in rectum ferri.ſine fine, vt quæ imperfecta ſunt, ſed circulum imitari.finirique vnd cœpit. Nam quod huiuſmodi.eſt perfectum & infinitum. Perfectum quidem, quia finitum ſuo ipſius principio,infinitū verò,quia nullibi interciſum,& pendens,vt quod rectà producitur.Indicatum verò anteà eſt multis argumentis, caput quod de Philoſophia Pythagorea inſcripſimus, in hac vniuerſitate rerum,quæ a b æterno fluxit exemplari, quod penes Deum eſt ipſe Deus, concinnitatem habere perfectam, & ad ſe ſingula.& inter ſe, Arithmetica, Geometrica, Phyſica, & Metaphyſica entia,ex eaque concinnitate naſci mirabilē quandam perfectionem, quæ eſt ipſa forma & ratio vniuerſitatis. Eloquamur igitur iam, vt in libri calce decet, apertè principia & cauſas totius vniuerſitatis, & rerū ſingularum. Cùm ſint generatim

Homo propter Deum factus.

Quinque cauſarum genera.

neratim quinque cauſarum genera, efficiens, materia, forma, finis, & exemplar: vniuerſitatis totius creandæ materia nulla fuit ex qua, ſiquidem ex nihilo eſt facta, nunc autem immanens materia ſint eius partes: efficiens verò, & finis, & exemplar, eſt ipſe Deus. Forma quidem eius non eſt Deus (etſi aliquibus veterũ id quoque viſum eſt) forma enim, eſſentia, & quod quid erat eſſe rei, eſt, mundus verò non eſt Deus. Neque verò eſt anima mundi quam Plato inuexit, cenſens mundum animal quoddam eſſe perfectiſſimum, & ſapientiſſimum Nam ne animal quidem eſt, vt Ariſtot. multis firmiſſimiſque argumentis oſtendit, & omnium iam Philoſophorum communis ſententia eſt Sed illa aptiſſima omnium ad omnia coaptatio, & ordinantiſſima concinnitas, quæ facit ipſam verè vnam ac perfectam, ipſa illius forma eſt. Eſt verò non accidentalis, vt lignorum, & lapidum diſpoſitio talis eſt forma domus, ſed ſubſtantialis, ſiquidem vniuerſitas vna ſubſtantia perfecta eſt, vocarique poteſt illa, vniuerſalis natura, quæ adeò eſt ipſum mundi eſſe, vt quin mundus deficiat deficere illa vnitas, & coordinationis appetitus nõ poſſit. Hinc fluunt omnes motus, & quietes, ac denique omnes naturales actiones & paſſiones, quæ communes æquè omnibus rebus ſunt. Moueri ſcilicet, & quieſcere, vtcumque expedit ad retinendam continuitatem, & rerum ordinem: velut quæ cuique rei ſunt propriæ, fluunt ex cuiuſque rei peculiari natura, velut calefacere, aut calefieri, refrigerare, aut refrigerari, durare, aut durari, mollire, aut emolliri, trahere, aut trahi, repellere, aut repelli, aut quiduis aliud eiuſmodi facere, aut pati. Itaque vniuerſitatis totius hæ ſunt cauſæ. Singulæ autem res ab vniuerſitate diſcrepant: primùm quidem, quòd eorum plurima habent materiam ex qua fiunt, non immanentem, quod vniuerſitati repugnat. Nam cùm vniuerſitas conſtet ex omnibus rebus creatis, nihil potuit eſſe ante ipſam quod in eius creationẽ inſumeretur, alioqui fiens deſineret eſſe vniuerſitas. Quare vel ipſa ratio vniuerſitatis exigit, vt facta ſit ex nihilo. Aliarum verò rerũ, artificiales quidem omnes ſiue homogeneæ, ſiue hetero geneæ, fiunt ex materia immanente, & nulla (niſi per accidens, vt ſi fit ex arca menſa) deſinente. hac in parte quodãmodo ſimiles vniuerſitati, vt lectus ex cedro, menſa ex nuce, arca ex pinu, ſtatua ex ære, domus ex lateribus, lignis, tegulis & calce: nauis ex tabulis, trabibus, & ferramentis. Naturales verò omnes quæ heterogeneæ, habẽt materiã vtranque aliã ex qua deſinentẽ, vt animal fit ex ſemine aut ouo deſinentibus, & ex carne, oſſe, neruo, medulla & pelle, manẽtibus, arbor ex nucleo diſinẽte radice, cortice, ligno, fibríſque, manẽtibus. Ipſæ verò homogeneæ quæ

Materia immanẽtiæ & deſinentiæ.

ſummè tales ſunt, actu immanentem nullam materiam habent, niſi fortè potentia: fiunt verò aliæ ex aliis deſinentibus, vt ex arena lapis, ex lapide rurſum arena, accedente, & recedente humore. Diſcrepant etiam vniuerſitas & res ſingulæ, efficiente & fine. Quòd vniuerſitatis ſolus Deus eſt effector primus & proximus, & finis vltimus & proximus, quia inter Deum & vniuerſitatem nihil poteſt intereſſe, Cùm vniuerſitas ſit omnia præter Deum. Singulorum verò ſunt aliæ cauſæ effectrices, & aliæ finales proximæ, niſi fortè hominis, qui hac ratione videtur conuenire cum vniuerſitate (ipſe non alia ratione potiùs microcoſmus nuncupatus) quòd propter ſolum Deum effectus eſt. Dico autem ſecundùm ſpeciem Nam in ſingulari cuiuſque generatione fuit proximus finis, ſpeciei productio. Itaque Deus eſt prima & vltima cauſa omnium, proximus verò effector vniuerſitatis, finis tamen & vltimus ſimul & proximus vniuerſitatis, & ſolus hominis ſecundùm ſpeciem. Quod ad formam attinet nullum eſt diſcrimen Nam & vniuerſitatis, & rei cuiuſque forma eſt ſua ratio, & ipſum rei eſſe. Exemplaris cauſa eadem eſt vniuerſitatis & rerum omnium ſecundùm ſpeciem, vt hominis, equi, & bouis, putà Deus: ſingularum verò generationum non eſt cauſa vlla exemplaris. Neque enim α, ignis fecit β, ignem ad exemplar, ſed naturaliter in nihil intuens. Homo quoque ab homine fit ſine exemplari, ſed naturaliter. Nam tametſi intuitus rei cuiuſpiam, faciat id quod gignitur ſimile, vt de virgis Iacob differentes recepimus, cauſa non eſt in imitatione, vt cùm tranſcribitur aliquid ab exemplari, ſed in ſimilitudine quam cogitantis anima induit, vt illo loco explicauimus. En finis totius Philoſophiæ naturæ, cognitio ſcilicet cauſarum, quæ omnes cùm ad ipſum ſummum Deum deuoluantur, ipſo exiſtente, totius vniuerſitatis & rerum in ea omnium α, à quo primo fluunt, vt à principio & exemplari, ω, in quem finem feruntur, conſtat, quàm recta via tendat, imò quàm proximè accedat naturalis contemplatio in Dei Optimi Maximi contemplationem. Qui, vt eſt mundi totus, fuerit mihi huius operis principium, ſitque finis.

INDEX

INDEX RERVM,
& Verborum.

A

Ablactationis tempus. fol.411.& ſeq.
Abortus quando fiant. 99
Abyſſus. 310
Aceti in nitro ſoluti vis. 300.
Accipitrum natura. 285
Achores. 112
Adamas. 238
Adami ſtatua lutea. 62
Adamus ſine morbo creatus. 20
Adulteræ maledictio. 85
Aëris motus circularis. 304
in Aëre nihil gignitur. 41
Aëris materia proxima. 41
Aër pro cœlo. 27
Aëris temperies. 41. & ſeq.
Æqualitas. 333
Æqualitas Arithmetica & Geometrica. ibid.
Æquilibritas. 396
Æſtus conſideratio. 268. & ſeq.
Æſtus noxa. 212
Æſtitui calores vnde. 129
Æternitas quid. 31
Æterna quæ Platoni. 43
Æternum vnum ſolum. 36.
Æternum pro longo. 67
Agarici malignitas. 431
Albugo. 209
Alfonſi regis tabulæ. 280
Alexipharmaca. 305
Alopecia. 113
Alteratio duplex. 66
Amyli vtilitas. 197
Anacreontis mors. 212
Angelica ſalutatio. 50
Angeli quid ſint. 203
Angelorum apparentia. 66
Angelorum curſus. 182
Angelorum motus & locus. 204.206.& ſeq.
Angeli creatores Platoni. 322.& ſeq.
Animalium cognitio. 272
Animalium differẽtia. 102
Animales motus. 214

Animalium morbi. 209
actiones & paſſiones Animalium. 120
Animalium gradus. 403
Animalia perfecta ſanguinea. 62
Animalium nullum immortale. 399
Animalia ex crementis. 20
Animalia ante ſemina. 35
an ſola Anima creata. 45
Anima an ex Dei ſubſtantia. ibid.
Animarum tranſmigratio. 58
Animæ motus in morbis. 59
Anima immortalis. 60. *ex quo.* 61. *quid.* 79. *quorum principium.* 63. *Natura gemina.* 95. *inorganica.* 56. *omnia quodammodo.* 80. *quando imperfecta.* 66. *antiquior corpore.* 67. *an ſanguis.* 59. *quomodo in ſanguine.* 61. *vis.* 62
Anima quomodo cauſa vitæ. 64
Animæ duæ Philoni. 59
Animæ aſſiſtentis refutatio. 66
Animam quæ formæ præcedant. 78
Animæ hominis & brutorũ differentia. 123
Anni climacterici. 69
Anni partes. 83. *earum cum diei partibus comparatio.* ibid.
Anni decretorij. 406
Annorum ſupputatio. 280
Annus magnus. 180. 226
Antipathia naturalis. 395
Antipodæ. 127
Appetitus peccati. 214
Apis taurus. 82
Apologus de lignis regem petentibus. 57
Apoplectici. 212
Apolophones Philoſophus. 160.
Aqua principium frigidorum. 24
Aqua generationis mater. ibid. *duplex.* 28. 175. *congregatio aquarum.* 29
Aqua maior terra. ibid.
Aquarum dulcedo. 89. *differentia.* 309
Aqua cur fluxilis. 24. *fœcunda.* ibid.
Aquæ motus. 25
Aqua per ignem facta fluxilis. ibid.
Aquæ ſalſæ nocumenta. 192
Aqua ſale iniecto curata. 193.
Aqua ſalſa fœcundiſſima. 193

Aqua ſupra firmamentum. 28.
Aqua frigida potus. 302. *& ſeq.*
Aqua, & terra globus. 29
Aquæ creatio. ibid.
Aquila. 284
Aquilarum genera. 285
Aquilo. 117. & 226
Arborum ortus. 223
Ardea. 283
Ariſtotelis laus. 14
Aaron. 283
Ars naturam imitatur. 22
Arcturus. 244
Artis & naturæ progreſſus. 22.
Aſclepiadis mors. 212
Aſtra ignea. 29. *in ſigna facta.* 30
Aſtrorum creatio. 30. *vis.* 172. *diſtantia.* 175
an Aſtrorum ſubſtantia ſit tenuior cœlo. 253
Aſtris nihil cum fortuna. 178.
Aſtra non neceſſitant. ibid.
de Aſtris præclara. 252. *& ſeq.*
Aſtrologia diuinatrix quid. 172.
Aſtrologiæ iudicariæ reprehenſio. 176. *& ſeq.*
Aſtrologia agricolarum, nautarum & Medicorum 179.
Atheorum argumenta & eorum ſolutio. 292. 295. *& ſeq.*
Atheorum reprehenſio. 296
Athlanticum mare. 261
Auaritiæ contraria. ...
Augurij exemplum in ſacris. 152
Aurifera prouinciæ. 240
Aurium conſideratio. 293
Aures purgantia. 302
Aues in qua aëris parte volent. 41
Auium tẽperamentum. ibid.
ſiccitas. 40
Aues igneæ. ibid.
Aues rapaces. 285
Aues infauſtæ. 286
Auſter. 116. & 226
Auster cur calidus. 618
Authoris edita volumina. 6
Authoris proteſtatio. ibid.

B

Balnea quibus interdicta. 142
Baptiſmus abortiuorum. 403
Baſiliſcus. 342
Beatitudo in quo ſita. 422
Bezaar lapis. 395
Binarium rerum principium. 398
Binarij imperfectio. 104

Bonum. 46
Bonus non inuidet. 16
Boreas. 246
Bruta cur præſentiant. 168
Bruta libertate carent. 214
Bruta quomodo rationabilia. 215.277
Bruta quomodo intelligant. & ſeq. & 273. 275. & ſeq. quo à noſtra ratione differant. 276
Brutorum anima. 59
Brutorum opera. 79

C

Cabaliſtæ. 50. *eorum reprehenſio.* 51
Cadmia lapis. 240
Cebetis de anima ſententia 93.
Cœlum & terra facta ſunt nō à ipſis ſe, ſed ab alio. 13
Cœlum quid. 27. *quando factum.* 28
de Cœlo multa. 252. *& ſeq.*
Cœlum incorruptibile. 254
Cœli interitus. 255. 426
Cœli motus. 173
Cœli regularitas. 31
Cœli & aſtri differentia. 30
Cœli innouatio. 320
Cœlum cryſtallinum. 29
Ceruorum induſtria. 182
Callyonimi piſcis natura. 210. *& ſeq. eius forma. ib.*
Caligines quæ. 231
Calidum effluuium. 143
Calidi metaphoricè qui. 436
Calor duplex. 144. *effectrix cauſa.* 24. *vis.* 145. *differentia.* 146. *auxilia. ibid.*
Color Solis. 26.44
Color cœleſtis. 174. *& ſeq.*
Coloris cauſæ tres. 128
Caluities. 113. *& ſeq.*
Caluitiei non obnoxij. ibid.
Canitiei cauſa. 331
duobus modis homo fit Caluus. 114
Capparis virtus. 331. *ortus. ibidem.*
Caricarum vires. 200. *cataplaſma ibid.*
Carmina Phrygia. 147
Caſtor. 55. *aſtutia. ibid.*
Caſtori qui ſimiles. ibid.
Cauſarū genera quinq;. 439
Cauſarū externarum vis. 67
Cauſæ primæ fœcunditas. 15
Cauſæ procatarctica. 372
Cauſonis generatio. 303
Catacumbæ Nili. 287
Cathocus. 138
de Centro. 299
Characteres nihil inferunt morbo nec ſanitati. 54
Colore rubeo cur ſanguis mo-

uetur. 408
Coturnicum natura. 290
Coturnicum nocumenta. ibid.
Coturnicum cibus. ibid.
Coturnices hieroglyphicè quid. ibid.
Chaos. 264
Chaldæorũ reprehenſio. 363. 177
Chile. 246
Chimiſta. 238
Chimicus ortus 237
de *Chiromantia.* 154
Chiromantia examen. 183. & *ſequent.*
Chiromantici Aſtrologis vaniores. ibid.
ſine Cibo quouſque vita duret 97
Ciborum differentia. 63. 66
Cicatrix depilis. 111. *rubet.* ibidem.
de *Circulari motu.* 304. & *ſequent.*
Circuncißio. 96
Cynocephalus cur ſacrificij nota. 96
Colochintidos natura. 196. & *ſequent.*
Cogitationis principium. 65
Cognoſcentis & cogniti ſimilitudo. 80
Cometa, 30. *Cometa annis.* 46.
Conceptio qua die perfecta. 97
Concoctio à quo. 24
Concupiſcentia non eſt peccatum. 218
Copernici reprehenſio. 305
Congreſſus matutinus. 82
Conſeruatio rerum. 54
Contagia. 115
Continui diuiſibilitas. 10
Continentis & incontinentis ratio. 432. & *ſeq.*
Cõtinens & incontinens quid. 433
Contagia. 115. & *ſeq.*
Contrariis ſublatis generatio tollitur. 19. & *ſeq.*
Contraria quæ. 393
Contrarietas omnis ad vnum reducitur. 433. & *ſeq.*
Conſeruatio rerum. 54
Cordis motus. 33
Cor vitæ radix. 224.
Cor primo gignitur. 34
Ciriza quid. 328
Corpora cœleſtia quorſum. 19
Corporis partes trinæ. 396
Corporis frigus. 144
Corporis exſiccatio. 65
Corruptibilia non æterna. 9
Corruptibilium cõmunis natura. 94

Coruſcationes. 319
Corui nidificatio, & de eius pullis multa præclara. 281 *& ſeq.*
Creata ſex diebus. 21
Creata an erunt æterna. 321 *& ſeq.*
Creata in ſuis principiis quæ. 21.
Creata duplicia. 397
Creare quid. 16
Creare duplex. ibid.
Cucurbita deſerti. 196
Cultura vis. 197
Cutis vitia. 105
cauſa. 106. *& ſeq.*

D

DÆmones cur dicantur filij Dei. 69. *an mulieres ament & congrediantur.* 70. *& ſeq.*
Dæmones an ſint corporei. 91.
Dæmones an generare poſſint. 71.
Dæmones nulla voluptate corporali fruuntur. 72
Dæmones quos inuadant. 142
quibus illudant. ibid.
Dæmones Dei Simiæ. 156
Dæmonum reſponſa. 157
Dæmones religantur. 224.
includuntur. 208
Dæmones non ſentiunt. 92
Dæmones quas res fugiant. 241.
Dæmones quibus alliciantur. 93.
Dæmones quibus fugentur. 95.
de Dæmonibus. 70. *& ſeq.*
de congreſſu Dæmonum cum mulieribus. 23
quale ſemen Dæmonum. 73
Dare an beatius quàm accipere. 421. *& ſeq.*
Deus principium & finis. 436. *& ſeq.*
Deum eſſe probatur. 291
de Deo opiniones. ibid.
Dei thronus. 40
Deus inalterabilis. ibid. *potentia infinitus.* 14. *quibus delectari dicatur.* 91
Deus liberrimè agens. 324
Deus quid ante mundum faceret. 15
Dei nomina. 86
Deus cauſa libera. 32
Deus indefinibilis. 86. *Omnipotens.* 296
Deus omnia eminenter continet. 295. *& ſeq.*
Dij gentium. 76
Deleteriorum diuerſitas. 406
Dentes cur nobiſcum non naſcantur. 329
Deriuatiua. 54

Dextri

Dextri definitio. 39. perfectio. 217
Diaphanum quid. 266
de Dieta multa. 361. *& ſeq. & 375. & ſeq.*
Diei naturalis partes. 82
Dies decretorij. 69
Dies climacterici. 122
Diſtillandi ratio. 221
Diarrhœa maligna. 202
Dionyſius Areopagita. 160
Diſciplinarũ adiumenta ex ſacris literis. 6
Diſciplinæ quæ principes 391
quæ miniſtræ. ibid.
Diuinantium diſpoſitiones. 167.
Diuinatio non eſt merè naturalis. 155
de Diuinatione opiniones. 148.
Diuinationum genera. ibid.
Diuinatio populo Dei interdicitur. 152
de Diuinatione per ſomnia. 149.
de Diuinatione multa. 148. *& ſeq.*
Dolores cur die tertia grauiſſimi. 85
Draco diruptus. 406
Dualitatis natura. 397. *& ſeq.*

E

Ebrietatis ex antiquis commendatio. 134
Efficiẽs cauſarum prima. 38
Efficiens æternum. 36
Elegiaci qui. 331
Elementorum confuſio. 22
Elemẽta quãdo creata. ibid.
Elementa actu nullibi. 23
Elementorum impuritas. 22 220.
Elementorum nomina. 22. *motus* 23. *diuerſitas.* 222 *forma.* 23
de Elementis. 219. *& ſeq. &* 304.
Elementis ſublatis tollitur mixtio. 19
Elephantia. 105. *& ſeq.*
Elephas cur viſo colore ſanguineo irritetur. 407. *& ſeq.*
Ens & vnũ conuertibilia. 12
Entis analogia. 87
Ente quæ priora. ibid.
Epidimiæ cauſa. 120
Epilepſia 138. *ſigna, manifeſtatio.* 140
Epileptici quando magis afficiantur. 573
Epoches. 316
Equi natura. 284
Eſſe pulchrũ ac perfectũ. 13
Eſſe ex quibus. 40

Eſſentia

Eſsētia rerū indiuidua. 215

Eſt dupliciter dicitur. 86

Eſthiomenum. 224

Eunuchi. 124

Excrementa quando eſſe debeant copioſa. 110. *quid ſint.* 230

Exercitatio poſt ſatietatem mala. 377

Exercitationis vtilitas. 376

Exēplar mundi æternum. 43

Exemplar hominis. 44

Exiſtentia ſine eſſentia nulla. 14

Exorciſta. 50. *eorum vis.* 90. 138.

Expiationum inuentio. 140

Expurgatio à partu. 100. 99

Extaſis. 168. *exempla. ibid.*

F

FAbularum vtilitas. 53

Fabulæ morales. 56

Fabula ſerpentis & incantatoris. 56

Facies platea corporis. 329

Facta ſimul omnia. 20. *valde bona.* 16

Facta neceſſariò in principio. 20. 19

Facultatum ſedes. 79. *ſympathia. ibid.*

Fieri ex nihilo, nihil à finito poteſt. 15

Farina triticea vis. 197

Faſcinatio. 336. *& ſeq.*

Fatum. 167

Fatuorum diuinationes. 167

Febris. 120

Fellis vires. 210

Fel terræ. 196

Fermentum. 94

Ferri natatio. 197

Feſtum Purificationis. 103

Ficuum vires. 200

Finis omnium Deus. 238

Firmamentum quid ſit. 27

de Fluminibus. 308

Flumina aurifera. 238

Fluuialium aquarū vis. 198

Fluxus & refluxus maris conſideratio. 260. *& ſeq.*

Fontium generatio. 309. *& ſequent.*

Fontium æſtus. 313

Formæ nomina. 348

Formæ plures in vno. 61. *earum eſſe. ibid. Animam præcedunt. ibid. Actu aut potentia ſemper.* 20

Forma & finis & efficiens idem. 38

Fœtus variatio. 70. *& ſeq. ſimilitudo.* 80. *exempla, ibidem.*

Fœtus formationis tempus. 99.

Frigore

Frigore ſublato calor tollitur 19
Frigidi metaphoricè qui. 426
Fulmina. 242
Fulgur. 25
de Fundamentis terræ. 256
Furor diuinus. 170 *amatorius.* 344
Fuſilium nulla mentio in creatione. 20
Futura nunquam. 64
Futurorum cognitor ſolus Deus. 156

G

GAgates lapis. 338
Galenus deluſus. 59. *de incarnatione.* *ibid.*
Galli gallinacei natura. 279 *& ſeq.*
Ganges aurifer. 238
Gaudio mortui. 372
Gelu. 244
Gemmarum nulla mentio in creatione. 20
de Gemmis 237
Generatio in quo. 130
Generatio à ſimili, & diſſimili. 17. *quæ ad materiã referantur.* *ibid.*
Generationis animalium triplex modus. 17
Generationis pater & mater. 24
Genita non neceſſe eſt interire. 63
Generationis tempus. 76 *materia efficiens.* 77. *ibid. & 82.*
Generatio ad femora refertur. 85
Generationem antecedit corruptio. 350
Generationes finiendæ. 439
Genealogia Chriſti. 363. *& ſequent.*
Generum per oppoſitum diuiſio. 399
Geomantia. 188
Gigantum ortus. 70
Gigantes cur peſſimi. 74
Glaciei conſideratio. 270. *& ſequent.*
Grandinis generatio. 242
de Grandine. 270. *& ſeq.*
de Grauitate, & leuitate. 233. *& ſeq.*

H

HArmonia cœleſtis. 176. 280.
quædam Herbæ naſcuntur ſine ſemine. 18
de cœleſti Harmonia contra Pythagoram. 286. *& ſeq.*
Habitus & naturæ differentia. 216

Hebraicæ

Hebraicarum vocum vſus in ſacris. 50
Hebdommadarum principium. 122. 31
Hemitritai curatio. 49
Hepatis egeſtio. 203
Herodius. 283
Heroes. 70
Hiene, & ex ea remedia. 210.
Hieroſolymorum excidium. 366.
Hirundinis ſtercus. 209. & *ſeq.*
Homo ex terra. 16
*Homo ex elementis.ibid.cur vltimò creatus.*34.*an ſola anima.* 215. *cur natura iners.* 52
Hominis ortus quid imitetur. 98
*Hominis & Dei cõtrarietas & ſimilitudo.*212.& *ſeq.*
Hominis differẽtia propria. 214.
*Homo ex quo primùm.*222
Hominum communis ortus. ibid.
Homogeneorum forma in homine. 62
*Honoris gradus in Rep.*390
Horologia artificiata. 31
Horus Apollo. 96
Humiditas materialis cauſa. 24
Humores quomodo nutriant. 60.
Humoris cryſtallini agitatio viſum impedit. 140
Hydromantia. 188
Hypericon. 142
Hypocritæ peſſimi. 436

I

IBicum natura. 282
Idea. 42
Idiomatum origo. 52
Iecur cuius rei ſymbolũ. 95
Ieſu nominis efficacia. 58
Ignis an ſit & quando creatus. 22
Ignis an ſit elementum. 145
Ignis motus. 23. 26
Ignis anima mundi. 23. *generationis pater.* 24. *per omnia fuſus. ibid.*
Ignis eſt ſpiritus ille incubans aquis. 24. & *ſeq.*
Ignis vnde alimentum capiat. 25
Ignis neceſſitas 25. *natura inſenſibilis. ibid.*
*Ignis vſus quãdo cœperit.*25
*Ignis nullibi ſeparatus.*26.& *ſeq. Solem ſequitur.* 27. 303. *quomodo nutriat & vrat. ibid.*
*Ignis diuini amoris ſymbolum.*27. *duplex.* 49. 144

in Igne animal non gignitur. 41
Ignis ſemper calidus. 63. *æternus.* 64
Ignis vſus in ſacris. 95. *imputribilis.* 121
Ignobiliora primò creata. 22
Ignorantia. 416. *& ſeq.*
Imaginationis vis ad morbos tollendos 59. *ad formandum fœtum.* 79
Imbres æſtate largiores quàm hyeme. 243
Immortalitatis argumentũ. 67. 277.
Immunditiei vitandæ præcepta. 104
Impij cur proſperentur. 297
Inanimatorum motus. 229
Incantationes. 49. 55. *& ſeq.*
Incubi. 70
Incorruptibilia nõ ab æterno. 10. 11. 12.
Indiuiſibilitatis perfectio. 255.
Indiuiduatio. 351
Infans ſine doctore quo idiomate loquuturus. 52
Infantis nutriendi ratio. 412
Infinitũ in multitudine quomodo. 10. *actu impoſſibile. ibid. in ſucceſſione. ibid.*
Infinito nihil maius. 10
Inflammationum malignitas. 319
Influentiæ cœleſtes. 175
Initia rerum tria. 21
Inſomnia. 162. *& ſeq.*
Inſufflationis vtilitas. 142
Intelligendi modus. 138
Intemperantes 72. *eorum vitia.* 424
Inteſtini ieiuni concretio ex inedia. 97
Inteſtinum cæcum. 396
Ira cur data. 433
Iris ſemen. 19
de Iride multa 74. *& ſeq.* 402.
quomodo Iris generetur. 75
an Iris ante diluuium fuerit. 74.
três Iridis colores quomodo fiant. 75
Iubilæi conſideratio. 121. *& ſequent.*
Iudæorum opinio de ſapientia. 45
Iuriſprudentiæ & Medicinæ comparatio. 389. *& ſequent.*
de Iuſtitia eiuſque partibus. 334.
Iuſtitiæ partes tres. 333
Iuſtus nimis quis. 334

L

LAc ex quo & quomodo generetur. 223. *&* 412

Lac ſugere quandiu puer debeat. 411
Lacrymari quibus lethale ſignum. 397
Lamiarum cum Dæmonibus familiaritas. 72
Lapis Lazuli. 238
Largitio liberalis. 423
Laſeris ortus. 18
Latini dicunt mundũ fuiſſe creatum, non factum. 13
Leguminum noxa. 117
Leonis natura. 281
Lepra 105. *& ſeq. iudicium. ibid. exploratio.* 108. *veſtiendi & viuendi ratio.* 114. *curatio.* 198
Lex naturalis quid. 279
Lex maris 203
Liberalitatis contrariũ. 394
Liberalitas beatiſſima. 424
Liberum arbitrium. 65. 214
Libri plumbei. 241
Ligna cur ſupernatent. 26. 400.
de Ligno vitæ diſputatio. 62
de Ligno à Moſe in aquas miſſo. 88
Linguæ vſus. 51
Localis motus primus. 173
Locorum naturalis ordo. 234
Logos quid. 277
Loquelæ inuentio. 52
Lumen cæleſte an cauſa. 173
Luminis conſideratio. 265. *& ſequent.*
Luminis definitio. 268
Lumen gloriæ. 269
de Luna multa. 368. *& ſeq.*
Lunæ plenitudo. 369
Lunæ lumen. *ibid.*
Lunæ maculæ. 32
Luna hieroglyphicè quid. 371.
Lunaticorum conſideratio. 368. *& ſeq.*
Lux. 467
Lux an omnis à Sole. 33
Lux ante Solem. 31. 33
Lux cauſa vitæ. 33
Lucis creatio. 28
Lucis definitio. 265
Lucis diuiſio. *ibid.*
Lux non eſt ſubſtantia. 266
Lux accidẽs corporale. *ibid.*
Lycanthropia. 138
Lymphatici. 151

M

MAiz. 232
Magi Marſi. 58. 55
Magorum confutatio. 51
Magorum princeps Zoroaſtres. 50
Magi cibos quoſdam cur interdicant. *ibid.*
Mannæ conſideratio. 288 *&*

ſequent.
Mannæ diuerſitas. 289
Manus conſideratio. 188
Mas perfectior fœmina. 37
Mare fœcundiſſimum. 24
Maris æſtus. 260. *& ſeq.*
Mare cur non creſcat. 308 *& ſeq. cur agitetur.* 311 *motus cauſa.*262. *termini.* *ibid.*263
Mare Sodomæ. 193
Marcor. 224
Materia prima. 346
Materia immanentiæ & deſinentiæ. 349
Materia mera potentia. 14
Materia ſine forma nec eſt, nec intelligitur. 14
Materia æterna Platoni & Pythagoræ. 8
Materiæ propter formam. 7.*imperfecta.* *ibid.*
Mathematici Italia pulſi, 176.
Mathematicorum vituperatio. *ibid.*
Maturatio. 217
Medicina pars Ethica. 375.
de Medicina. 378. *& ſeq. &* 202.
Medicina eſt neceſſaria. 381. *variæ de Medicina opiniones.* 379
Medicinæ & Iuriſprudentiæ collatio. 392. *& ſeq.*
Medicorum honor. 379
Medicinæ ſubiectum & finis. 388
Medicorum præmia. 380
Melancholicorum genera. 405.
Melãcholici cur triſtes. 134
Melancholiæ remedia. 135. *vis.* 139. *ad animi morbos tranſlatio.* 217
Mellis vſus, ortus. 94
Meninx. 332
Mens. 60. *cur dicatur oculus.* 414
Menſtrua. 76. *quibus ſiſtantur.*77. *fluant.ibid.& ſequenti. &* 149.*tempus.* 77.*malignitas.* 341
Menſura quid. 353
Mercurius fures facere creditur. 179
Metalla quid. 231
Metallorum generatio. 18
de Metallis. 235.*& ſeq.*
Metallorum genera. *ibid.*
Metallorum mistio. 239
Metallorum ſol cauſa efficiens. *ibid.*
Meteorologicorum vtilitas. 250.
Mictu quandiu cavere contingat. 332

Michaelis Archangeli pictura. 367
Microſcomus. 44
de Mineralibus multa. 235 *& ſeq.*
Mineralium nomina & genera. ibid.
Miraculorum ratio. 192
Miraculoſa curatio. 199
Monarchiæ. 364. *tranſlatio.* 366
Montium & collium inæqualitas. 300
Monſtra. 161
Morborum ætas. 69. *circuitus.* 85. *ſymptomata.* 164. *curandi ratio contagia.* 115. *& ſeq.*
Morborum ſuperſtitioſæ curationes. 48
Morbi patrij. 118
Morbi à dæmonibus quomodo curandi. 135. *& ſequent.*
Morbi diuini. 202
Morbi ex peccatis naſcuntur. 385
Moribundi prophetant. 170
Mortis neceſſitas. 64
Morum differentia vnde. 186
Motus contrarij inter quæ. 19
Motus celeritas non mutat ſpeciem. 21
Motus animalium duplex. 61
Motus difficultas & facilitas.
Mulier propter virum. 35 38. *non ex ſemine.* 39
Mulier quando concipere deſinat. 76. *& ſeq. excrementoſa.* ibid.
Mundi exordium ſcire cur omnes cupiant. 8
de Mundi ortu Philoſophorum ſententiæ. 8. *& ſeq.*
Mundus ex rudi materia. ibidem.
Mundi æterna emanatio. ibidem.
Mundi creatio per reuelationem habita. 9
Mundus ex nihilo. 14. 20. *an totus in inſtāti.* 19. 31 *æternus à parte poſt.* 9
Mundi ortus probationes. 9. *& ſequent.*
Mundum eſſe ab æterno cōtradicit. 11
Mundi partes duplices. 9. 304
Mundi menſura. 257
Mundi neceſſaria dependentia à quo. 12
Mundi partium diuerſitas. 42

Mundi pulchritudo. 257
Mundus iuſſione factus. 14.15.*eius perfectio. ibidem. ætates.*12. *firmitas.* 227. *cur non prius factus.* 16
Mundus intelligibilis. 45
Mundus æternus & factus. 47
Mundus ænigma dicitur. 314. *diſputationi datus.* 321.
*de Mundi fine egregia.*425 *& ſequent.*
Mundus nouus. 430
Munditiei vis. 118
Muſices vis. 135. *eius in ſacris vſus.* 170
Mutationis multiplicis cauſa. 176

N

Nabuchodonoſoris metamorphoſis. 405
Nabuchodonoſoris morbus tunc. 406
Naſcuntur non ſata antiq. opin. 18
Natalitia ex mari orta. 41
Natura nihil fruſtra. 21
*Naturalia in ſcripturis ſacris & miraculis multa.*6 *toto opere.*
Nebulæ. 230.*& ſeq.*
Necromantia. 181
Necromantiæ confutatio. 190.*& ſequent.*
Necromantiæ exemplum in ſacris. 153
Neceſſaria non omnia. 367
*Nerui cuius inſtrumẽta.*332
Nimbi præſagia. 417
Niuis generatio. 242
Nympha virginea. 126
Nomina an effectricia. 48
Nomina ab Adamo impoſita. 60
Nominis octauo die imponendi ratio. 67
de Nominum ſignificatione. 48.*& ſeq.*
Nomina an ſuis rebus reſpondeant. 48
Non ens entis principium. 181.14.
Nubes. 230
Nubium numen. 249
Nubium eleuatarũ ſignum. 419
Nubis & nebulæ differentia. 230
*de Numeris & mẽſuris.*355
*Nutritio quorum ſit.*64.65
Nutritionis neceſſitas. 62 *& ſequent.*
Nutritio quid. 62.63

O

Oculi natura. 174
*Oculis medentia.*210

Oculorum fabrica. 293
de Oculis multa. 413
Oculus metaphoricè quid. 414.
Oculorum vires ad mala inferenda. 343
Oculis medentia. 210
Oiueles ortus. 22
Oliuarum vbertas prædicta. 181.
Oleum quomodo noceat aut proſit vlceribus. 620
Operatio à natura & eſſe. 12.
Ophyaſis. 113
Ophthalmiæ contagium. 343
Orbis regiones. 127
Orbis totus habitabilis. 128
Orchis herba. 339
Ordinis reſolutiui vtilitas. 8
Organorum conſideratio. 180. & ſeq.
Orphei cithara. 58

P

Pallij nigri vſus interdictus. 142
Palyngeneſia. 216
Panis. 132 & ſeq.
Paralyſis obnoxy. 332
Parſimoniæ vtilitas. 375. & ſeq.
Partum inſtantia. 283
Partus multiplicitas. 410. & ſeq.
Paſſiones corporum duplices. 105
Pediculorum generatio. 118
Peccatum. 216. & ſeq.
Peccatorum medela. 436
cognitio. ibid.
Pelei & Thetidis connubium. 223
Perfectum imperfecto prius. 37.
Peſtis prænunciationes. 161
Peſſimi qui. 436
Phantaſmata. 139
Phlegmon. 120
Philoſophiæ naturale deſiderium. 315
Philoſophorum ignorantia de ortu mundi. 13
Philoſophorū de mūdi exordio opiniones. 8. & ſeq.
Philoſophorum ſecta. 315
Philonis de hominis creatione ſententia. 145
Phyſiognomia ars. 185
Phyſiognomiæ conſideratio. 184. & ſeq.
Phyſica cur ignorentur? 319
Phyſicorum vtilitas. ibid.
Phrenitis. 278
Phthyſis duplex. 203
Pilorum temperamentum. 42. *materia.* 406
Piſcium temperamentum. 42.

Piſces

Piſces an ſub terra. 124
Platonis & veritatis de mundi ortu diſcrimen. 9
Platonici à dæmonibus deluſi. 72
Plantarum generationis modus triplex. 17
de *Plantarum ſeminibus quæſtio.* ibid.
Plantis quæ aquæ noceant. 194.
Plumarum temperamentum. 42
Pluuiam quæ prænuncient. 164.
Pluuiarum conſideratio. 228. & ſeq.
Poli mundi. 244
de mundi *Polis.* 127. & ſeq. 244.
Portenta. 159. & ſeq.
Poſſibile quid. 15
Poſſibile & neceſſarium idem in æternis. ibid.
Potentia prior actu. 58
Potentia ſublata tolluntur omnia. 36
Potionum genera multis. 132.
Potu quæ vtantur. 42
Præfica. 331
Præſentionis ratio. 162. & ſeq.
Primum, æternum ſimplex, & vnum à quo mundus. 13.
Principia rerum tria. 17. 360
Principium rerum quod optimum. 36
de libro *Problematum Ariſt. authoris iudicium.* 166
Prodigalitatis contrarium. 394
Prodigalitatis & auaritiæ comparatio. 423
Prophetæ. 169
Prophetarum ad vaticinandum præparationes. 170
de *Prouidentia multa.* 279, & ſequent.
Pruinæ generatio 242
Pſitacorum regio. 246
Pueri faſcinationi obnoxij. 343
Puerperarum vacuatio. 102
Puella quinquemeſtris. 101
Putei. 248
Puteorum æſtus. 313
Putredine orta. 21
Putreſcentiæ Analogæ. 22
Pynites lapis. 240
Pyromantia. 188
Pythagorica ſymbola. 95
Pythagoricorum dogmatum examen. 352. & ſeq.
Pythagoricæ harmoniæ confutatio. 286

Pythoniſſa. 19

Q

QVadragenarij numeri ratio in fœtu. 98. & *ſequent.*
Qualitates elementorũ forma. 23
Qualitates actiuæ & paſſiuæ. 19
Quantitas diſcreta & numerus idem. 10
Quaternarij vis. 70

R

RAbiem quæ animalia patiantur. 275
Ratio an brutis. ibid.
Raymundus Lulus. 349
Recidiuæ malum. 107
Renes minguntur interdum. 203
Repletionis mala. 376
Reſolutio. 220
Reſurrectionis probatio. 429
Reſuſcitatus ab Eliſeo. 194. & *ſequent.*
Roma auis clamore ſeruata. 161
Rubeus color ſanguinem mouet. 408. *feras incitat.* ibid. & *ſequent.*
Ruæ vis. 339. 142

S

SAcri libri cur ſcripti. 5
de Sacris libris antiquorum iudicium. ibid.
eorum vtilitas. 6
Salicis ſemen. 18
Salis vſus in ſacris. 90. & *ſequent.*
Sal cur terris aſpergatur. 192
Sal hieroglyphicè quid. 194
Sal cuius rei ſymbolum. 94
Salis pactum. ibid.
de Sale copioſè. 400. & *ſeq.*
Saliuæ vis contra venenata. 342
Salſugo. 193
Samuel an verè ſuſcitatus. 190
Sanguis non eſt pars viuentis. 59
Sanguis alimentum eſt. ibid.
natura frigidus calorem ſeruat. ibid.
Sanguine abundantia. 76
Sanguinis differentiæ. 61
Sanguinis & animæ ſympathia. 61. *contactus.* ibid.
Sanguinis intuitus quibus noceat. 407
Sapiẽtia ab æterno. 44. *quid* 278. *quis eius capax.* ib.
Saporum contrarietas. 395
Saræ ſterilitas. 76

Sarcoſis vteri. 126
Satyrion orchis. 338
Saulis morbus. 143
de Scientia opiniones. 318
eius appetitus. 319
Scientia naturalium an neceſſaria. 5
Sibile quid. 15
Scire reminiſci Platoni. 9
Scabies. 107. *remedia.* 105
Scripturæ inuentio. 53
Scyphus auguratorius. 158
Semen quodammodo omnia. 80.
Seminis differentia. 85. *vis ibidem ex quo & quomodo.* 223.
de Semine quid Pythagoras. 35
Seminalis vis in lacryma plantis. 18
Senes calefaciendi ratio. 144
Senes cur comprimant labia introſum. 330
Senectutis deſcriptio, & eius excellens declaratio. 327 *& ſeq.*
Senſus an ſine mente. 274. *& ſequent.*
Senſus ad ſtellas accommodatior. 71
Senſus eſt præſentium. 279
Senſus ſenſilis, & organi communio. 326
Senſus cuſtodes corporis. 328
Senſus an ſine motu. 403. *& ſequent.*
Senſus & motus ab eodem. 404.
Septenarij ratio in vita. 97 121
Sermo quomodo naturalis. 52
Sermonis & ſcripturæ comparatio. 53
Serenitatis præſagium. 417
Serpentis aſtutia. 50
Serui peccatores. 216
Seſeli herba. 283
Sodomæ interitus. 366
Socrates. 315
Siccitas. 40
Simultatum contrarietas quomodo ad vnum reuocetur. 395
Somniorum interpretatio 164
Somni vtilitates. 82
Somniabundi. 168
Sol cur nõ primus creatus. 31
Sol an calidus. 129
de Sole multa .129. *& ſeq.* 174
Solis lux quouſque pertingat 33
Solis acceſſus & receſſus. 128

128.*circuitiones.* 306.*& ſequent.*
Sol Beatorum. 33
Solſtitia. 128
Solicitudo vitanda. 373
Sophiſtæ Ægyptij de morte ſententia. 96
*Sortium conſideratio.*161.*& ſequent.*
Spado. 124
*Specilli quando vitandi.*83
Spiritualis ſubſtantiæ creatio. 46
Spiritualium conſideratio. 123.*& ſeq.*
Spirituum natura. 174
Spiritus pro dono. 123
Spiritus duplices. 408
*Sphæra recta& obliqua.*246
Squammarum temperamẽtum. 42
Spinalis medulla. 331
*Stellarũ nomine Angeli.*182
Stella nulla de nouo. 32
Stella anni. ibid.
Stranguria. 332
*Struthiocameli natura.*283
Stulti ſerui 210
*Subſtantia quomodo fiat.*16
Succi quatuor 119.*quomodo nutriant.* 60
Surdi ex vehementi ſonitu. 287
Surdi loqui docti. 53
Sus. 96
Suum differentia. ibid.
Sibillæ. 151
Syluæ ingentis ortus inuſitatus. 18
Syncope. 195

T

Tabularum plumbearum vſus. 241
Tagus aurifer. 238
Thaletis prædictio. 181
Thimi ſemen. 18
Theologiæ & Iuriſprudentiæ comparatio. 391
Theriaca. 395
Thlibæ. 124
Tapſia. 66
Temperantia & intemperãtia circa quæ 433.*& ſeq.*
Temperies quid & quorum cauſa. 187
Temperies multiplex. 317
Tempeſtas. 244
Tempeſtas à meridie oritur. 249.
Tempus quid. 30
Tenarcus lapis. 317
Tepidorum natura. 430.*& ſeq.*
*Tepidi metaphoricè qui.*432
Ternanij profectio. 70
Terræ baſes. 238

Terræ magnitudo. 354
Terræ vacuitas. 27. *globus.* 124.
Terra caua. 30. *ſolidior in centro ibid. cur partim latens, partim detecta.* 232. *ſubmergenda tota* 233. *immobilis.* 298. & *ſeq.*
cur Terra à mari non obruitur. 259
Terræ & aquæ conſideratio. 235. & *ſeq.*
Terræmotus prædictus. 161
Teſtes. 85
Tonitrui conſideratio. 241. & *ſequent.*
de Tonitrui cauſis. ibid
Triſtitia. 372

V

VAcuũ vulgo quod. 226
Vaticinia vnde. 139
de Vaticiniis multa. 147. & *ſequent.*
Vena azygos. 396
Venerei motus vnde. 74
Ventorum materia. 235
de Ventis multa. 245. & *ſeq.*
de Ventorum naturis. 618
de Ventorum temperie. 247
Verbum omnium Idea. 44
Veſica 498. *carentia.* 42. *habentia.* ibid.
Veſtium infectio. 116. *putredo.* 118. *vſus.* 143
Via lactea. 32
Vini ortus. 20
de Vino multa. 132. & *ſeq.*
Vinum cur lætificat. 134
Vini natura. 133
Vini robur. 145
Vinum ſenibus interdicitur. 145
Vinum vlceribus aptũ. 619
Vir ante fœminã quare. 36
Vir eſt gloria Dei. 39
Viragines. 77
Virginis exploranda ratio. 125
Virginis aperiẽda ratio. 126
de Virginitate multa. 125. & *ſequent.*
Virtus infinita incommunicabilis creaturæ. 47
vera Virtus vnde. 416
Vita quomodo in sãguine. 60
Vitæ longitudo. 189. *productio.* 69
Vitalis facultas in primo principio generationis à quo. 34. *vbi.* 61
Viteligo 105. *à lepra differentia.* 112
Vitia duo an vni virtuti contraria. 394. & *ſeq.*
Viuentium conſumptio. 63

Vlcerũ exacerbationis cauſa & tempus. 84. 85. *locus.* 111. *malignitas.* 20. *curatio.* 200
Vlcera quid deſiderent. ibid. *an oleo vngenda.* 620. 627.
Vlmi ſemen. 18
Vmbilici & hepatis prima formatio. 34
Vnguium materia. 406
Vnitatis perfectio. 104. 225
Vocum ſignificatio. 54
Volatilia aquea. 40. *& ſeq.*
Voluntas duplex. 213
Voluntatis libertas. ibid.
Vomitus vtilitas. 378
Vomitum incitantia. 430. *& ſeq.*
Vrbs intelligibilis Philonis. 45. 46. *eius reprobatio.*
Vteri geſtationis exacta conſideratio. 409. *& ſequent.*
Vulnerum dolores tertio die grauiſſimi. 83

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SIMILITVDINVM AC PARABOLARVM QVÆ IN BIBLIIS EX HERBIS ATQVE

Arboribus deſumuntur, dilucida explicatio: In qua narratione ſingula loca explanantur, quibus Prophetæ, obſeruatâ ſtirpium naturâ, conciones ſuas illuſtrant, diuináque oracula fulciunt,

LEVINO LEMNIO, Sacrarum Literarum ſtudioſo, Auctore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Paſchaſij OEnij Heicrucini in Authoris & operis commendationem Carmen.

VEntur o quotquot Medicus clariſſimus æuo
Sacrauit Genium conſtat habere libros.
Hic tamen imprimis docti ſuffragia cœtus
Promeritus, nullo fine ſuperſtes erit.
Res magnas, res difficileis, res denique ſacras
Eruit eximium candide lector opus.
Author enim ſyluas inter reptando ſalubres,
Cœleſtis Sophiæ largiter hauſit aquas.
Quando vel arboribus, vel humi ſerpentibus herbis
Acceſſit priſco tempore tantus honos?
Ecquis crediderit ſacri tot myſtica Verbi,
Clauſa ſub extremo cortice ſenſa tegi?
Si non aſſiduo diuinæ Pallados vſu
Lemnius occultas explicuiſſet opes.
Nullos inuoluet poſthac Labyrinthicus error
Flexibus ambigui, multiplicique via.
Seu per odorato veſtitos gramine colles,
Seu per frondoſum te iuuat ire nemus:
Non ſecus, ac Theſeus Ariadnes fila ſequutus,
Quò te cunque feres, hoc duce tutus eris.
Si iucunda igitur, ſi quæris idonea vitæ,
Hanc propera in ſyluam ferre ſubinde gradum.
Fatidicæ ſtirpes, leno quaſi Copia cornu,
Paſcendis animis pabula læta dabunt.

C. EMANUELE

EXIMIO SVMMÆQVE virtutis ac dignitatis Viro D. Thomæ Thieldio, D. Bernardi in confiniis Antuerpianis ad Schaldam, Antiſtiti cum primis reuerendo, Leuinus Lemnius Medicus Zirizæus ſacrarum literarum ſtudioſis S. P. D.

QVum mihi nuper ampliſſimè deprædicaret virtutis tuæ decus, & mentis præſtantiam, Antiſtes ſpectatiſſime, Iacobus Suſius, vir, præter antiquæ nobilitatis inſignia, omni diſciplinarum genere excultiſſimus, cœpit illico animus noſter in tui nominis amorem ac venerationem incitari. Quis enim erga illum non afficiatur, qui in pacificandis optimatum diſſidiis, in dirimendis ſopiendiſque controuerſiis hæreditariis, de fundis, ac ſuburbanis prædiis ſingulari pollet dexteritate ac prudentia? Quis non vnicè illum diligat, veneretur, ſuſpiciat, qui inſtitutis erectiſque aliquot palæſtris literariis, artes ingenuas ac liberales diſciplinas fouere non deſinat? qui rebus tam exulceratis, tantiſque opinionum diſſidiis diſtractis ac diuulſis ſana conſilia adhibere curat, ac propoſitis præmiis, doctos quoſque ad concionandi munus exſtimulate, quo famelica ac diſſipata multitudo ſalutaris doctrinæ pabulo ſaturetur, mentéſque aridæ ac ſiticuloſæ verbi Dei irrigatione reuiuiſcant ac reficiantur. Nullum profectò excogitari poteſt opus, quod plus ſolidæ laudis promereatur, & quod humano generi ſit vtilius, magiſque frugiferum aut ſalutare. Quocirca excogitatum eſt à me argumentum, vir præſtantiſſime, tuæ dignitati aptum, tuoque tam ſalutari inſtituto accommodum, quo omnibus innoteſcat laudatiſſimus tuus iſte conatus, ac longè latéque propagetur nominis tui honos, tuoque exemplo complures ad illuſtrandam fouendamque

uendamque religionem Chriſtianam, ac ſincerum Dei cultum ſtabiliendum exſtimulentur. Eo autem magis gratum acceptumque Amplitudinis tuæ munuſculum hoc literarium fore confido, quod tale quiddam à nullo hactenus tractatum ſit, ipſaque rei narratio non minus habeat vtilitatis quàm oblectamenti. Tametſi non defuturos ominor, qui vbi conſpexerint Medicum tractare argumentũ Theologicum, confeſtim exclament, Ne ſutor vltra crepidam, tum id, Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.

Quod Medicorum eſt

Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Flor.lib.1 epiſt.1.

Verùm hæ voces non ſunt tanti, vt ab harum rerum tractatione non deterreant, quam par ſit vt omnes qui Chriſto nomen dederunt, ea conſectentur, quæ maximè ſalutaria ſunt, illiúſque doctrinam cumprimis illuſtrent. Quod præter alios ſpectaſſe obſeruo virum illuſtrem Ioachimum Hopperum Iuriſconſultum, Hiſpaniarum Regi Philippo à conſiliis ſecretioribus, in enarrando Decalogo. Quamobrem non decet id mihi fraudi eſſe, quam ſacroſancta religio à Regibus etiam atque magnatibus (quorum plerique non ſemper res prophanas tractant) exculta ſit ac popagata, diuinóque afflatu in commentarios redacta. Documento ſunt Abrahamus, Iſaac, Iacob, Moſes, Dauid, Salomon, Eſdras, à quibus primùm profluxit ac dimanauit cultus & doctrina cœleſtis, ac cùm ſcripto, tùm viua voce poſteris per manus tradita. Eo autem minus vellicari, aut arrodi meretur noſtra hæc lucubratio, quòd pro dimidia parte ſit profeſſionis Medicæ. Siquidem ad Medicum potiſſimè ſpectat herbarum tractatio, etſi quæ ex his ſumitur Metaphora, Similitudo, Exemplum, Comparatio, non alienum eſt ab eius profeſſione dilucidè ea explinare. Quum autem profeſſores ſacri minus fere exercitati eſſe ſoleant in herbarum cognitione, ac vix vulgatas paſſimque obuias herbas cognitas, perſpectaſque habeãt, fieri nequit, vt omnia exactè

atque

atque ad amuſſim perſpiciant aut interpretentur, ſuáque dignitate ſingula exornent, deſtituti notitia ſtirpiũ, aut minus explorata earum natura. Quocirca boni conſulet æquus rerum æſtimator noſtram hanc qualemcunque induſtriam, cum ea tractem quæ magna ex parte ad Medicum ſpectãt, quem naturæ inueſtigatio, cui ſedulo incumbit, ad contemplandas etiam res diuinas erigit, ad Opificis notitiam eiúſque amorem atque admirationem inflammet. Spero autem candidum Lectorem minus alienum futurum erga opuſculi huius autorem, vbi eius guſtu ſe expleuerit, ac nonnihil fructus ac commodi ex illius lectione conceperit. Hac enim commendatione Genium conſequi libri ſolent, ac plauſibiles eſſe, ſummáque auiditate à ſtudioſis expeti, præſertim vbi viri alicuius excellentis patrocinio in lucem prodeunt. Quæ res hoc apud me effecit, Antiſtes cumprimis obſeruande, vt paſſus ſim hoc noſtrum commentariolum tuis auſpiciis tuique nominis fauore in vulgus efferri, multorúmque iudiciis ac cenſuris ſubiici. quod vnum nonnunquam viros quãlibet eruditos ad lucubrationum ſuarum editionem retardare ſolet ac remorari. Quis eſt enim ea dicendi peritia imbutus, eaque rerum cognitione inſtructus, vt cenſores paſſim tam rigidos Ariſtarchos, tam oculatos non pertimeſcat ac reformidet? aut quis ſua ſcripta omnibus approbare, omnique ex parte calumniam abs ſe depellere poſſe confidat? præſertim in argumento quod detegit vitiat erroréſque hominum qui ferè ſalutaria monita reſpuunt, eóſque aut odio proſequuntur, aut vellicant, qui illis ad virtutem, ad decus, ad probitatem, ad ſinceram religionem ſunt incitamento. Quod ipſum nuſquam non deplorãt ſacri vates iis locis quæ illuſtranda ſuſcepi, qui in eo toti ſunt, omnẽque ſuam operam atque induſtriã conferunt, vt cum omnes, cum illos potiſsimè officij ſui commonefaciãt qui Eccleſiaſtico munere funguntur, ac diuinis miniſteriis ſunt addicti, quo ſubditis abſolutum virtutis ac pietatis exẽplar exprimant, ſummoque ſtu-

di

dio enitantur, ac rationem ineant, qua collapſæ atque inclinatæ Religioni medelam adferre queat, eamque erigere atque inſtaurare. Illorum enim intereſt ac munus delegatum expoſcit, vt deuias balanteſque ac diſſipatas oues ad Chriſti ouile dirigant, atque ad ſaluberrima cœleſtis doctrinæ paſcua reducant, vt egenis ac calamitoſis, omnique præſidio deſtitutis ſubueniant, atque illis aliquid ſolatij, nõnihil ſubſidij adferant, vt ingenuos ac bonæ indolis adoleſcẽtes, in quibus elucet ac ſe profert aliquod viuidæ erectæque ac generoſæ mentis indicium, liberalibus diſciplinis inſtitui curent, quo aliquando Patriæ vſui ſint atque ornamento: vt virgũculis maturis ac coniugio aptis dotem conferant, ne qua pudicitiam expugnari contingat, ac publice vt mercenarias proſtitui. Hac enim ratione obtinebimus ne paſſim tot exiſtãt validi errones ac graſſatores nocturni qui aliena inuadant ac deprædentur, nec tot contaminatæ integritatis puellæ, quæ in luſtris ac fornicibus extra legitimam vitæ ſocietatẽ, corporis ſui viſum omnibus promiſcue concedunt. Quod dedecus fœdaque vitæ conſuetudo ne inter Chriſtianos inoleſceret, in fragile illum ſexum in ſua beneficia ac munificentiam liberaliter cõtulerunt veteres illi Eccleſiæ proceres, qui quod cæteris virtute morumque integritate prælucerent, ac ſubditorum vſibus commodiſque ſedulo proſpicerent, Epiſcopi, Præſules, Antiſtites vocabantur, atque à paterno pioque affectu ac propenſione in gregem ſuæ fidei ac tutelæ commiſſum, Abbates ac Cœnobiarchæ; ſic vt dignitati & honori ſollicitudo & cura cõiuncta eſſet. Conſopiebãt illi tumultus ac diſſidia quæ in magnũ Reipublicæ detrimẽtum erant euaſura, refarſerunt laceratam ac diuulſam ciuium ac popularium concordiam, omniaque reddiderũt trãquilla ac pacata: mitigabant Regum ac Principum irritatos animos, qui ſiniſtris parumque auſpicatis nonnullorũ conſiliis inflammati, grauiora quàm pro æquitate, onera ſubditis inferre meditabantur. Quale exemplum editum eſt in Roboam Salomonis filio, qui cum in paternam hæreditatem

ſcitus atque inauguratus imperio, iuuenum potius quàm ſenum conſilio acquieſceret florentiſſimum regnum abs ſe diuulſum alienauit. His ac pleriſque aliis præclaris virtutibus enituere veteris Eccleſiæ miniſtri, atque iis ſe potiſſimum exercuerunt in quibus ſitus eſt præcipuus Charitatis fructus, totiuſque pietatis ac religionis ſumma conſiſtit,

Cap. 1. *vt Iacobus Apoſtolus palam teſtatur. Nam erigere operoſa palatia, magniſque ſumptibus extruere porticus, pauimenta, xyſtos, ambulacra, periſtylia, conuiuari lautius, ac magnifico ſplendidóque ferculorum apparatu, aut denique exquiſito cultu opes profundere, ſubleuãdis tenuioribus deſtinatas, alienum prorſus eſſe decet ab illorum conditione, natura, moribus, quorum profeſſio atque inſtitutum frugalitatem ac moderatum rerum vſum exigit, ab omni luxu, pompa, faſtu, ambitione, ſtrepitu, aliaque mundana oſtentatione remotum. Hæc vir humaniſſime libere quidem, ac amanter ac ſincero affectu à me amplificata ſunt, quò plerique exſtimulentur, vt Spartam ſuam exornent, ſuamque minam aut talentum auctione conduplicent, illi, inquam, qui in clariſſima luce hominum verſantur, ac velut in totius orbis theatro conſtituti omnium ora atque oculos in ſe conuertunt. Sic enim futurum confido, vt qui nunc multorum animos abs ſe habent auerſos atque alienatos, ſibi magna veneratione ac reuerentia deuotos deuinctoſque experiantur. Eſt enim virtus vitæque integritas fauoris ac beneuolentiæ, totiuſque humanæ ſocietatis conciliatrix. Qua de re cum nuper in amœniſſimo tuo ſeceſſu ſerio ſimus philoſophati, præſente clariſſimo ac Senatorij ordinis viro Nicolao de Voocht Iuriſperitiſſimo, ac multa vltrò citróque*

Honor virtutis præmium. *agitata ſint, non viſum eſt operæ pretium diutius huic argumento inhærere. Deus Opt. Max. cui, Chriſti fiducia, vota preceſque noſtras deferimus, te diu nobis ſeruet incolumem, ac tuos conatus promoueat, magnáque incrementa ac progreſſus conferat. Zirizææ ex Muſeo noſtro Nonis Maij, Anno M. D. LXVI.*

Amplisſimos Reges ac ſacratisſimos vates herbarum cognitione exactè fuiſſe imbutas, deſumptæ ab iis tot Metaphoræ ac Parabolæ declarant, quæ hîc ſpectandæ exhibentur.

CAPVT I.

PRæſtātiſſimos Reges ac magnanimos illuſtreſque Heroas in ipſo etiam armorũ ſtrepitu tumultúque bellico, ſtudioſè olim excoluiſſe rem Herbariam, ac ſtirpiũ cognitione cum primis fuiſſe delectatos præter veterũ hiſtorias, Bibiliorum codices abundè teſtantur. Cum enim harum rerum inueſtigatio, amœniſſima varietate exornata ſit, nec minus habeat vtilitatis, quàm oblectamenti, non viſum eſt Regum amplitudini, nec imperatoriæ maieſtati indecorum huiuſmodi occupationibus diſtineri, præſertim vbi ab vrgentiſſimis negotiis, ac functionibus publicis reſpirare, atque aliquid ſibi laxamenti impetrare licuit. Hac enim cùm animi, cùm corporis cultura non minùs celebris facta eſt illorum memoria, non minùs illuſtratus nominis ſplendor & magnificentia quàm rebus aliis præclarè geſtis, aut hoſtibus vel ſubactis, vel ad internecionem deletis. Sic Mithridates Ponti, atque vndeuiginti regnorum Rex propter eximiam herbarum notitiam, & ſingulare antidoton contra venena morboſque omnes contagioſos præſentaneum, illius nomine inſignitum immortale nomen eſt conſequutus. Lyſimachus Eupator, Gentis Illyricorum rex Artemiſia Mauſoli Cariæ regis vxor, multique alij præter belli gloriam, herbarum cognitione illuſtres ſunt. Marcus Curius Imperator Romanus poſt deuictum Pyrrhum Epirotharũ regem, Lucius Cincinnatus, Marcus Valerius Coruinus plantarum amœnitate allecti procul à ſtrepitu & ambitione ciuili ruri conſenuerunt. Salomon verò regum ampliſſimus, qui præter immenſas opes eam conſecutus eſt à Deo Opt. Max. ſapientiam, ac rerum cognitionem, vt nullus regum illi ſit comparandus, in herbarum notitia mirificè excultus, exactéque verſatus legitur, ac diſſeruiſſe non ſolum de piſcibus, alitibus, quadrupedibus, aſtris, ſed de arboribus etiã & ſtirpibus à cedro

Reges herbarum cultores.

Libani vſque ad Hyſſopum qui egreditur è pariete, hoc eſt, à minutiſſima herba ad procerrimas, celſiſſimáſque arbores vſque, omnia habuiſſe cognita & explorata. Sunt præter Salomonem proceres aliquot vateſque Hebræi, qui paſſim vaticiniis ſuis herbarum nomina effectuſque interſerunt, ac comparationes ex iis mutuantur Cum enim ſtirpes aliæ aliis rebus adhiberi ſoleant, ac nonnullæ alimenti vſum præbeant, aliæ medicamenti, pleræque vtrumque, nõnullæ noxiæ ſint ac naturæ infeſtæ, aliæ ſalutares morbiſque expugnandis accommodæ: ex iis Prophetæ appoſitiſſimas ſimilitudines, ſcitaſque & concinnas cõparationes deſumunt, quibus conciones exornant, ac fidem narrationi adſtruunt. Cum autem multa ſint in humanioribus diſciplinis ac politioribus literis, totáque philoſophia humana quæ hominum animos affatim oblectant, illorúmque mentes exemplis ac morum integritate imbuunt, cum nulla ad hæc perficienda maiorem vim atque efficaciam obtinet, quam ea quæ ſacri vates quorum nemo non diuinitus afflatus, concionibus adhibent, adeò vt quiuis vel in naturæ operibus vel diuinis contemplationibus mediocriter exercitatus, facilè perſpexerit, quàm non ſit ſterilis & ieiuna illorum narratio, quàm non prorſus infœcunda illorum doctrina, ſed vtilis, ſalutaris, fructuoſa. Si quidem ſcriptura ſacra à cœleſti parte diuini Spiritus afflatu promanans, mentes hominum ſuauiſſimo pabulo paſtuque ſalutari reficit. Quod ipſum Dauid rex indicat, deſumpta peramœna ſimilitudine à viridante floridoque prato ac ſaluberrimis aquis, quibus armenta maximè pingueſcũt & ſaginantur. *Dominus regit me nihil mihi deerit in loco paſcuæ vbi me conſtituit, ſuper aquas refectionis.* Sic cũ ſibi gratularetur ac plauderet, quod Dei munere in diuidenda hæreditate, vberrima pecora, ſolumque ac fundum maximè fœcundum ſortitus eſſet, *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in præclaris.* Solebant enim olim funibus extentis metiri iugera, ſuoſque limites cuique aſſignare ac partiri prata: quod apud nos nunc decempeda perficitur. Huius generis cùm innumera exempla in veteri nouóque inſtrumento ſe proferant, non ſolùm in vulgato vitæ vſu & conſuetudine, ſed ex natura rerum quæ nihil non ſuppeditat, deprompta: operæ pretium viſum eſt iſta eruere, atque auido lectori ſpectanda exhibere, quo illi innoteſcat, quantus ſcientiæ ac ſapientiæ theſaurus reconditus ſit in arcanis literis quæ non tam dulcia, quàm ſalutaria hominibus proferunt. Nec ſanè quiſquam ex vllis Philoſophorum aut Rhetorum Poetarumque ſcriptis tam vberem & copioſam doctrinæ frugem, tam ſalutare animæ mentiſque pabulum

pabulum eſt percepturus, quam ex vberrimo atque inexhauſto diuinitatis fonte, illorúmque oraculis quæ diuino adflatu ſunt prodita. Quod ſi cui libeat attentè conſiderare atque intimè excutere diuina eloquia, quantáque vſi ſint ſapientia, qui tam ſalutaria documenta nobis prodiderunt, mentémque ac voluntatem Dei mortalibus indicant, dilucide perſpecturus eſt, quid diuina prophanis præſtent, & quàm ſint res æternæ ac ſolidæ caducis ac momentaneis præſtantiores. Sacros verò vates præter exactam diuinitatis cognitionem in naturæ reb. exquiſitæ verſatos, nec vllius diſciplinæ fuiſſe rudes, vel illud argumento eſt, quòd ex intimis atque arcanis naturæ ſimilitudines & comparationes deſumant, denique ab animantibus, herbis, arboribus, elementis, igni, terra, aquis, aëre, fluminibus, riuulis, fontibus, ciſternis, Oceano, aſtris, gemmis, lapidibus, à fulmine, pluuia, rore, æſtu, frigore, flatibus, grandine, niue, gelu, glacie. à ſatis & ſemente, à ſale, à fermento, à ſagena, verticulo, naſſa, retibus, ab humoribus qui corpori humano ſubſunt, vel ab eo promanant, ſanguine, lacte, ſemine, menſtruis, à pariente & partu, à ſcoria, ferro, auro, argento, aliiſque innumeris Tropos ac figuraras eloquutiones, Metaphoras, ſeu tranſlationes, parabolas, collationes, exempla, Schemata, hoc eſt, ornamenta verborum & ſententiarum, & quæ quaſi aliquo geſtu orationem illuſtrant, narrationibus ſuis accommodant, quib. multum lucis atque intelligentiæ, plurimū dignitatis ac ſplendoris concionib. adferunt, menteſque ac animos ſocordes atque oſcitantes, ſuique oblitos ad veritatis cognitionem incitant atque inflammant: improbos adducta ex iis rebus ſimilitudine, à maleficiis deterret, atque ad virtutem, ad ſolidam fœlicitatem, ad Deî metum & fiduciam extimulant, illiſque, omni adhibita induſtria, diuinitatis notitiam inſigunt: probos verò & qui vitæ integritatem conſectantur, ſtabiliunt, vtque perſeuerent atque in ſuſcepto negotio perſiſtant, ſedulò exhotrantur: obiter, quod & Paulus præcipit, inordinatos, intractabiles, incompoſitos officij ſui commonefaciunt, ac ſalubri placidáque monitione increpant: puſillanimos, & mœrētes ſolantur, imbecilles ac labantes fulciunt, collapſos erigunt, lenitate & clementia vtuntur erga omnes, lenti ad iram, ad vindictam ac violentiam tardi, medentur iuxta Eſaiæ ac Chriſti vaticinium contritis fractiſque mentibus atque animis deiectis, mœſtis, afflictis ſalutarem medelam adhibent: prædicant captiuis remiſſionem & indulgentiam, obcæcatis viſum: ita vt diuinæ lucis efficiantur capaces, calamitoſis ſolatium,

Sacra prophanis potiora.

Prophetæ omniū rērū cognitione instructi.

Deus blādimentis allicit

1 Theſſ. 5.

Eſaiæ 61.

Luc. 4.

vinctis ac diaboli tyrannide oppreſſis relaxationem ac libertatemſeaque omnia elegantiſſimis parabolis & collationibus in ſuis paſſim ſcriptis perficiunt. Cùm autem nemo non Prophetarum, inter quos multi regia maieſtate exiſtunt, harum rerum ſpecimen exhibeat, atque etiam Ieſus Chriſtus, quique eius nomine apoſtolicæ legationis munere funguntur, in eodem doctrinæ genere verſentur, operæ pretium me facturum ſum arbitratus, ſi obiter commonſtrem quanta ſit eruditio, quàm recondita ſapientia, quæ rerum cognitio ac naturæ inueſtigatio, quantus ardor propagandæ religionis, atque expulſa omni ſuperſtitione & idololatria proferendi cultus diuini in iis hominibus qui diuino ſpiritu cœleſtique afflatu imbuti tam ſalutaria non prodiderunt, accita ad orationis decus & ornamentum vniuerſa rerum natura: quod ipſum patefacere iam meditor.

De conditione & natura Mandragoræ, quam à Lia ſorore eblandita eſt Rachel.

CAPVT II.

INter herbas virentes ac floridas, quantum innumeras naturæ ac rerum omnium conditor Deus in vſum hominum è terra produxit, Mandragora non infimum locum obtinet, nec prorſus ignobilis eſt. Cuius cùm in ſacris Bibiliis extet mentio atque in deliciis habita ſit in edendique vſum experta: de hac inſtituti argumenti ſumetur exordium. Conſtituuntur huius ſtirpis duæ ſpecies: quarum vna eſt foliis lactucæ æmulis, ſed anguſtioribus, ſaturati vmbroſique viroris. Pomum verò emergit è centro imoque ſtirpis meditullio, quod herbaceo ſtylo incumbit, auellanæ nucis, nonnunquam iuglandis aut caſtaneæ magnitudine. Hæc ſpecies fœminæ nomine inſignitur. Mas verò ſpecioſa magnaque foliorum amplitudine ac pompa luxuriat, lacteo vitore perpolita. Pomum verò quod ex paſſis patuliſque quaquauerſum foliis è media ſtirpe prodit orbiculatum ac circinatæ rotunditatis, oui gallinacei vitello aut luteo prorſus affine eſt, odore, non ſine grauitate quadam ſoporata, iucundo, radice craſſa, piloſaque ac bifida, atque in humanæ coxendicis aut cruris formam bifurcata. Qua occaſione circumforanei quidam impoſtores ex huius

Gen. 1.

Mandragoræ duæ ſpecies.

huius & brioniæ radice imagunculas confingunt humana ſpecie, atque vtrumque ſexum emolliuntur, ac credulæ turbæ perſuadent ea forma ac ſpecie è terra enatas. Nonnulli ſeriò prædicant vitalem fuiſſe ſubterraneum hunc fœtum, atque ex locis quibuſdam funeſtis eruiſſe, quibus ſupplicio affici ſolent ſontes ac facinoroſi, quà perſuaſione rudi atque imperitæ plebi imponunt, atque huiuſmodi impoſtura argento illos emungunt. Belgæ Mandragoræ poma *Declappelen* vocant, quo nomine & radicem deſignant, quod mentem amatorio quodam faſcino in errorem pertrahant, & quodam modo incantent. Huius pomi fuiſſe auidam Rachaelem, ſummóque eius deſiderio occupatam ſacri codices referunt. Cùm enim triticeę meſſis tempore Ruben in rus digreſſus Liæ matri attuliſſet Mandragoras, Rachel ſterilis ac ſororiæ fœcunditatis æmula, eas ſibi concedi offerrique poſtulauit. Lia exaſperata importuna interpellatione, poma illi denegauit: tandem ſopita altercatione hac lege ac conditione res tranſacta eſt, vt Lia ſubſequente nocte mariti concubitu frueretur (nam id alternis vicibus, duabus ſororibus vni marito dedicatis perfici ſolet) Rachel verò potiretur Mandragoris, quas eâ mente atque animi intentione à ſorore eblandita creditur, quo amabili ac gratioſo cum patriarcha Iacobo congreſſu, eſu illius pomi, conceptui effici poſſet idonea. Cùm enim inuidia in ſororem permota ſterilitatis probrũ à ſe depellere atque amoliri cuperet, expoſtulauit cum marito, quod ſterilis degeret, cum ſoror numeroſa prole ferax eſſet & fœcunda. Iacobus indignatus ſe perfunctum maritali munere profitetur, ipſúmque ne culpari poſſe nec ignauiæ argui. cæterum fœcunditatem ac conceptum Dei donum eſſe, illiúſque arbitrio negotium iſtud perfici. Cæterum an Mandragora fœtificandi vim mulieribus conferat, atque vtero retinendi ſeminis efficaciam conciliet, in dubium vocari poſſet. Cùm enim ſoporifero effectu prædita ſit, & impensè frigida, hæc qualitas ad tale quiddam præſtandum prorſus inefficax cenſeri ſolet & inidonea. Quod tamen ita dilui poſſe video, vt in frigidis humidiſque regionibus, atque in vtero humecto & algido tale quiddam perficere nequeat, ſed in torrido æſtuantique & exuſto. Sic in Africa, Hiſpania, Iudæa, Mauritania, Numidia, Ægypto, in quibus ferè regionibus mulieres aduſtos ardenteſque habent vteros ac feruidos, tum ſqualidos ac ſtrigoſos: non incommodè hoc pomum adhiberi poſſe crediderim. Si quidem eius eſu corpus ad temperiem reduci poſſe exiſtimo, cùm poſt am-

Pomum Mandragoræ blandimentum amoris

Gen. 30

plexum & congreſſum maritalem ſoluto in ſomnum corpore, vterus retinendi vim ſeminis aſciſcat, nec id in fumos ac fuliginem euaneſcat, vt in calido atque æſtuante vtero aſſolet, in quo vtriuſque ſemina minùs coaleſcunt aut vniuntur, ſublata omni poſteritatis ſpe. quod multis vſu veniſſe obſeruaui etiam in Belgica, quæ ob plus ſatis calidam vteri intemperiem effœtæ extiterunt, tametſi mariti ſedulo illis ſuam operam præſtarent, ſuóque officio alacriter fungerentur: quin & viri ex frequenti illorum concubitu aliquando pudendarum partiũ vitia contrahunt à ſalſuginoſa atque acri mordacique vligine, quæ genitali virus infert ac contagione inficit. Huiuſmodi mulieribus quæ fere ſunt indomitæ libidinis ob ignitos vrenteſque locos, poma Mandragoræ inoffensè, imò magno commodo exhiberi poſſunt, cum pepones, cucumeres, cucurbitæ, melones, portulaca, lactuca, ſolanum, aliáque refrigerantia, quibus intenſus ille feruor ac vitioſa vteri qualitas retunditur, & quò minus concumbenti deleteria ſit, cohibetur. Scio equidem multa eſſe ſtirpium genera apud Belgas & Septentrioni obuerſas regiones, quibus cum ſubſit noxia vis & pernicioſa, valetudinem deteriorem efficiunt ac depopulantur, niſi illorum effectus in deſtruenda naturæ temperie coerceatur. Sic omnes herbæ quæ frigida qualitate imbutæ ſunt, pipere, zinzibere, & grano paradiſi, quod nonnulli inter ſpecies cardamomi ſtatuunt, conduntur, quibus refrenatur illarum malitia, & obtunditur hebeſcitque ferocia. Sic fungi, boleti, tubera, aliáque excrementa terræ Italis ac Tranſalpinis innoxia ſunt; Ciſalpinis verò ac Belgis nocentiſſima ac venenata, niſi condimentis calorificis mitigetur venenoſa illorum qualitas, adde quòd in calidis regionibus, quæque Sole affatim illuſtrantur, & incaleſcunt, omnia meliùs matureſcunt, quæ vis efficit vt illa fercula vt pote libidinis incitamenta à delicatis ac ganeonibus in deliciis habita, atque in excitandæ tẽtiginis vſum expetita, minus incommodi corporibus inferant. Cæterum Mandragoram odoris fragrãtia ac ſuauitate recreaſſe olim Hebræos, Epithalamium ſiue Canticum Salomonis indicat, ſic vt exiſtimem in Iudæa illam in ratione expetitam, ac manibus contrectari ſolitam, quòd ſuaui quodam odore imbuta ſit non ſine vi ſomnifica & ſoporoſa, quæ laſſos & languidos recreat: vt ferè eſſe ſolent qui amoribus dediti ſunt, aut aliquem depereunt tanquam amatorio philtro incantari. Mihi verò quid de Mandragora accidit, obiter enarrabo. Cum autem æſtiùis menſibus (nam eo tempore poma Mandragoræ ſe proferunt) ſemel at-

De Mandragoræ pomo hiſtoria.

que

quæ iterum in muſeo noſtro amabilem ac ſpecioſum eius ſtirpis fructum negligenter collocaſſem, ita ſomnolentus ſum effectus, vt ægrè ſopor excuti poſſet. Cum autem obnixè oblectarer ſomnolentiæ, illamque excuſſiſſe conarer, ægrè id obtinui, nec rationem tanti veterni inire potui: tandem cum quaquauerſum dimouiſſem oculos, obtulit ſe à tergo pomum Mādragoræ, quo amoto atque in alium locum tranſlato, factus ſum alacrior, atque torporem depuli, omnemque oſcitantiam diſcuſſi. Cæterum ab hoc ſuauiolenti miréque odorato pomo quod gratiam fauoremque geſtanti apud amaſium conciliat, ſponſus captat occaſionem expatiandi. Cum enim vernis æſtiuiſque menſibus omnia frondeant ac niteſcant, ac Mandragora ſtirpeſque aliæ odorem ſuauiter in auras diffundant, Sponſam extra limen & conclaue euocat, quò relicta vrbe ruri atque in ſuburbanis prædiis ſe oblectet, ac tot paſſim florentibus herbis & arboribus, nardo, viola, liliis, malo punica, Mandragoris, ipſaque floreſcente vite ſe reficiat. Cùm autem ſingula quæ è terra emergunt verno tempore frondeſcant, ac florum cum amœnitate, tum fragrantia homini blandiantur, tum ipſa vitis præ cæteris fragrantiſſimum odorem exſpirat, ac naribus ſuaues halitus effundit: profert hæc ſub finem veris floſculum minutum & ſtellarum feſtucis ramentiſque orbiculatis obſitum, vel lichen, vulgo vlnea, colore ſubſpiceo aut flaueſcente, eximiæque ſuauitatis, quo in aſteriſci formam deciduo, confeſtim ſpecimen racemorum exhibetur. Odor huius floſculi cerebrum & cor mirificè recreat, ſic vt mihi gratiſſimum ſit floreſcente vite ſub vinea pergulata ac pampinis concamerata fornice ac teſtudine prandium cœnamque abſoluere, aut cum æqualibus eruditis fabulis temporis tædium fallere. Huius autem floſculi odor, tanti effectus prædicatur, vt venenatas beſtias abigat, adeò vt ſerpentes, colubri, bufones hunc perferre nequeant, ſed remotiſſimè ab eo ſe ſubducant. ergo circa floreſcentem vitem non ſolùm ſalubris eſt & peramœna ambulatio, ſed etiam ſecura & tuta: licet enim in herbido thoro ac viridante gramine decumbere, ac ſub arbore patulis diffuſa ramis opacum frigus captare, atque æſtum propulſare, vel apricatione Solis radiis incaleſcere & illuſtrari, nullo metu aut trepidatione ſerpentū qui aliquando latenter in herba deliteſcunt, atque improuiſè obrepunt, hominíque terrorem incutiunt. Dum autem ſponſus (quo nomine Chriſtus à Ioanne Baptiſta deſignatur, qui erga ſuam Sponſam nempe Eccleſiam, cœtumque illi fidentium

vnicè afficitur) nuſquam non ſpeciem, & venuſtatem decoremque Sponſæ amplificet, atque è diuerſo Sponſa mutua compenſatione illi paria faciat ac vices repẽdat, quidquid præclarum eſt, & admiratione dignum in natura vniuerſi, cælo, ſideribus, montibus, ſyluis, nemoribus, campis, herbis, floſculis, ex quibus ſuauis odor emanat, arboribus quæ non minùs ſalubres quàm ſpectabiles & ſpecioſos fructus proferunt, vino generoſo ac ſaporis eximij quod ex lectiſſima vite exprimitur: huc vterque congerit, ac ſimilitudines appoſitiſſimas pro vtriuſque dignitate producit. Sic nardo Sponſus comparatur, herbæ cum primis odoratæ, faſciculo myrrhæ, botro aut vuæ Cypriæ ex generoſiſſima vite decerptæ. Sponſus verò amicam lilio comparat ob eximium candorem atque odorem ſuauiſſimum, adeo vt ſi pediſſequa & quibus ſtipari ſolet, Sponſæ conferantur, ſpinæ ſint nulla ſpecie, nulla formæ dignitate commendabiles, hoc eſt, & puellæ quæ illam comitantur velut hybridæ parumque ingenuæ, nihil habent amabile aut ſpecioſum, nihil ſpectabile, aut vlla gratioſa venuſtate viſendum. Huiuſmodi metaphoricis ac figuratis elocutionibus ſcatet non ſolum hoc canticum, ſed tota paſſim Scriptura ſacra, ita vt ampliſſimus ſe campus aperiat, quo ſtudioſus lector poſſit oblectari, tota mente ac cogitatione à naturæ præſtantia, in Opificis admirationem erecta. Sumuntur in hoc Cantico elegantiſſimæ ſimilitudines ab iis rebus, quæ ſyncopi atque animi deliquio collapſos erigunt, ac ſpiritus ſopitos labanteſque inſtaurant: vt ſunt vinum odoriferum, faſciculi manuales & olfactoriola ex redolentibus herbis concinnata ac congeſta. Sic ſponſa cum lanqueſcit ac iam defectura videtur immodico ſponſi amore, puellari clientelæ imperat vt aliquid fomẽti adferant, vt odorata quæque naribus admoueant: *Fulcite me*, inquit, *malis*, *ſuſtentate odoribus ne deficiam.* Sic enim noſtrates, defectu animi periclitantibus, cinamonum, cariophyllos, acetum, ſambucinum, poma, citria, & quæ ſub eodem genere comprehenſa limones dicuntur, myrtum, ſaliuncam, aliáque odorifera olfacienda exhibent, quibus paſſim Scriptura vtitur, ac ſalutarem doctrinam deſignat, quæ mentes languidas refocillat ac reficit.

Cant. 2.

DE

De manna cœlitus delapſa, tum ea quæ Medicis in vſu eſt.

CAPVT III.

QVod Hebræi in vaſta illa ac ſiticuloſa ſolitudine Manna paſti ſunt, non prorſus naturali cauſæ adſcribi poteſt, ſed Diuinæ potentiæ, quæ tamen naturæ vſa ſit miniſterio, vt etiã coturnicibus, gregatim in caſtra delatis, aut cum percuſſa petra, refocillando populo aqua profflueret, lignóque aqua amara dulceſceret, tum etiam cum Euri violentiſſimo flatu rubrum mare exiccatum tranſitum Hebræis patefaceret, ad internecionem deletis inſequentibus. Similis eſt ratio de farina multiplicata & adaucto oleo Heliæ & Heliſæi precibus, de coruo illi adferente panem & carnes: quod etiam de Antonio & Paulo Heremita refertur de Angelo miniſtrante Heliæ panem ſubcinericeum & aquæ poculum, quibus corroboratus quadraginta dierum ac noctium iter emenſus peruenit ad montem Dei Horeb, in cuius ſpelunca tutus erat à Ieſabelis tyrannide, quæ omnes prophetas in mortem crudeliter venabatur. Hæc atque alia admiranda quæ paſſim in ſacro codice memorantur, Deus iuſſu nutúque ſuo perficere potuiſſet nulla adhibita materia, ſed tamen vti voluit rerum naturalium (quarum ipſe effector eſt & moderator) adminiculo ac velut inſtrumento, eáque ratione ſuis proſpicere viſum, atque afflictis mentibus ſolatia adferre. Quod etiam in Ezechia moribundo ac Dei ſententia morti deſtinato obſeruari poteſt, cuius apoſtema, admoto cataplaſmate ex ficubus contuſis quæ maturandi facultate pollent, ad ſanitatem perductum eſt: quo argumento declaratur, morbis vrgentibus, non reſpuenda medicamentorum præſidia, ſed ea, implorata Dei ope, alacriter adhibenda, quibus vita in aliquot annos producitur. Eodẽ vſus eſt medendi modo Chriſtus in diſpellenda cæcitate mendici, confecto collyrio ex luto & ſaliua, eáque abluta extérſaque in piſcina Siloë. Similiter in diſcutienda ſurditate, digitos in aures inſeruit, immiſſoque in linguam ſputo, loquelam muto reſtituit. Cuius generis miracula aliâs ſolo tactu, aut verbo peregit, ab iis tantũ ſtipulatus impe-

Exod. 16. Deut. 8. Num. 2. Pſal. 77. Exod. 15. Exod. 17. Num. 20. Exod. 14. 3. Reg. 17. Ezech. 38. Ioan. 9. Marci 7. Matth. 9. Mar. 10. Lucæ 18.

impetrandi fiduciam, quam cum inter alios clamoſus ille cæcus Bartimæus inter turbæ fremitus teſtaretur, confeſtim nullo adhibito viſibili externoque ſigno, viſum recepit. Cùm autem Deus pro immenſa erga genus humanum bonitate ac fauore, multis magniſque rebus munificētiam ſuam declaret, tum præcipuè inauditis ſtupendiſque miraculis mirandam potentiam patefacit: quod inter innumera Manna demonſtrat tam affluenter ex aëre in terram effuſum, vt numeroſiſſimam multitudinem ſatiaret. Dum enim fremeret confuſa multitu-
Num. 2. do ſexcentorum millium, Deoſque ac Moſi obſtreperet, quòd ex Ægypto in tam vaſtam ſolitudinem perducti media conficerentur, Deus veſpere incredibilem conturnicum vim & copiam in caſtra coëgit, manè autem ros vndique diffuſus eſt per caſtra, ſoliq; planiciem, cúmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum quiddam, rotundū, tenue, perinde ac ſi pruina eſſet conſtrata humi, ſimilitudine ſeminis coriandri, ſpecie bdellij, guſtu ſaporeque ſimilaginis, melle confectæ. Cùm autem tam ſubita innouatio, atque inſolita rerum facies admirationi eſſet turbulento populo, ac nonnullis ſtuporem incuteret, pleriſque (vt quidam opinantur) contem-
Heaut. ſcena 5. actu 3. ptum & irriſionem adferret, *Manhu*, inquiunt, quid eſt hoc? Similis eſt illa Chremetis ironia & ſubſannatio in Cliriphonem filium perſonatæ atque ementitæ probitatis. Sed ipſe egreditur quàm ſeuerus: rem cum videas, cenſeas. Cæterùm Manna quæ medicis in vſu eſt, calida & humida abſceſſu primo, huic non prorſus diſſimilis eſt, colligitur enim in calidis regionibus aëreum roſcidúmque mel, quod æſtiuis menſibus, feruescente interdiu Sole, nocturno frigore in grummos coit, atque in ramenta conglobatur ex defluxu roſulenti humoris ac madore aereo omnibuſque paſſim arboribus, herbis, lapidibus incumbit mellita iſta colore flaueſcente, quæ ſingula agitata ſacchari more liqueſcit, ac palatum fauceſque dulcedine imbuit: quo fit vt gulæ & faucium aſperitatem leniat. Verùm eum illi ſubſit medicamentoſa quædam facultas, ſaccharo minus alit: ventrem autem vt caſſia fiſtularis & Cylindracea emollit, ſed paulò clemenrius, quocirca tutò impuberibus ſeniculis, prægnanribus, pueris exhiberi poteſt, vnciæ pondere, obſeruata cuiuſque natura ac corporis conſtitutione. Mannæ autem vel melli aerei nomine inſignitur, quoniam ex halitu ac vapore terræ, calore Solis ſublato, ex aere defluit, atque æſtiuæ noctes frigore concreta plantis inſidet ea propemodum forma ac ſaporis dulcedine, qua in Bibliis Manna deſcribitur, cuius eſu multis annis paſti ſunt Iſraelitæ, ita vt aſſiduo eius

vſu

vſu nauſeam illis pareret, ac Dei donum faſtidirent. Exemi ego aliquando vulgare hoc mannæ genus aut roſcidum mel ex plantarum foliis, cum antelucanis horis Academiæ Louanienſis pomœria egreſſus, perquirendis herbis eſſem occupatus, deſinente potiſſimùm vere, aëre tranquillo ac placido, nulliſque ventis incitato. Diuenditur autem adulterinum mel aëreum ex Sena incruſtata ſaccharo confecta: verùm vbi id ore volutum liqueſcit, proditur dolus. colligunt quidem nonnulli circa aluearia, illáque loca in quibus apes mellificant ac fucum confingunt, excrementa quædam flaueſcente colore, ſapore melleo, quæ nonnulli exiſtimant ex aëreo concretu coaluiſſe: cum nihil aliud ſint, quàm excrementiceus liquor & ſaliua quæ à veſpis fucis & culicibus prodiit. Si quidem inſecta apum laboribus inſidiantur, & mel exſugunt: quod obſeruantes apes in illa inſiliunt, ac turmatim conficiunt: quod indicat Virg. Adulter Manna. Geor.l.4.

Prima fauis ponunt fundamina: deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus, aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas. AEn.l.4.
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

De Lactuca ſyluestri.

CAPVT IV.

CVm Deus pro inexhauſta ſua bonitate erga homines afficiatur, omnibus modis illorum commodis proſpicit ac ſaluti inuigilat, ſuamque munificentiam cumulate illis impendit, non aliud pro tam obuia ac benigna promptaque liberalitate ac gratuitis muneribus exigit, quàm ſummũ amorem ac venerationẽ ſolidamque fiduciam, qua illi innitimur, atque indubitatam certamque ſpem concipimus de eius promiſſis. Commonefacit Deus ſedulo oſcitante, ac ſocordes ſui officij, ſuaque beneficia ſubinde illis in mentẽ reuocat, ne vel excidere contingat, vel obliuione obrui: atque huius rei cauſas certos ritus ac ſtatas ſolenneſque ceremonias inſtituit, non ſolùm in veteri lege, in qua omnia de Chriſto eiuſque regno typis adũbrata ſunt, ſed etiam in Euangelio in quo promiſſa exhibita Exod.12. Num.9.

ſunt, atque omnia ad vnicum vſque apicem, vt Chriſtus expirans teſtatus eſt, conſummata peractaque. Sic ſignis quibuſdã, certiſque ſymbolis ac ſacramentis quæ ſub ſenſum cadunt ac ſunt viſibilia, promiſſiones ſuas, atque erga homines gratiã & reconciliationem teſtificatur. Siquidem Baptiſmus ſignaculum fidei, ac primus in Eccleſiam aditus, Circuncisione, ac maris rubri tranſitu abumbratus nos Deo conſecrat, eoque illi inſerimur. In agni verò Paſchalis eſum ſurrogata eſt Synaxis, hoc eſt, Corporis & ſanguinis Chriſti communio, quam palam exerceri voluit, atque in cœtu Chriſtianorum publicitus peragi, ne vnquam intermoreretur aut exoleſceret mortis & reſurrectionis eius memoria, ſed continenter in mentem reuocetur inſigne illud beneficium, quo genus humanum diaboli mortiſque tyrannide oppreſſum, grauiro ac nullis meritis libertati aſſertum eſt, atque impetrata per IESVM CHRISTVM, pacificatorem omnium ſcelerum remiſſione, ſalutem adeptum. Siquidem *Lex per Moſen promulgata, gratia autem & veritas per ipſum Chriſtum exorta eſt.* Exhibitum eſt olim huius myſterij, quod in Chriſto expreſſum eſt, ſpecimen quoddam atque adumbratio, dum Abrahamus filium vnicum Iſaac victimæ deſtinat, dum Moſes ex Dei præſcripto, agni immaculati ac maſculi eſum inſtituit, eumque veſcendum cùm agreſtibus lactucis quæ inſigni amaritudine ſunt imbutæ, præſcribit, quò aſſiduè in recenti memoria verſaretur miſeranda ſeruitus, quia olim ſub Pharaone oppreſſi ſunt, excuſſoque intolerando iugo, in libertatem reſtituti. Quocirca inſtituta ſunt agni Paſchalis anniuerſaria ſacra, vt memoriã ſibi renouarẽt eius diei qua olim apud Ægyptios agni ſanguine poſtibus illito à periculo Angeli exempti ſunt, quin primogenita Ægyptiorum graſſabatur, atque incolumes mare rubrum tranſierunt: quem diem cùm primis celebrem & ſacroſanctum à tranſitu Angeli qui illos intactos præteriit, denique à mari rubro fœliciter magnoque ſucceſſu emenſo apellabant Phaſe, qui nobis dicitur Paſcha, Gallicè *paſſage*, apto appoſitóque ad huius æui decurſum vocabulo. quia nobis in hac mundi impedita ac vaſta ſolitudine, ad immortalitatem ac cœleſtem patriam ſedéſque beatas ſit tranſitus. Præcipitur autem edendus agnus cum lactucis ſylueſtribus, ſiue herbis amaris. Siquidem in huius ſeculi curriculo omnia amara ſunt, acerba, triſtia calamitoſa, & quæ plus aloës quàm mellis habeant. Sunt qui lactucæ nomine Seridis ſpecies deſignari credunt, & Intyba, hoc eſt, Cichorium & quæ corrupta voce Scariola dicitur, Belgis à candore *vvute*, hoc eſt, Candida *Endiuia*, ceruleo flore, eáque in laſcinias

Marginal notes: Sacramẽta in quẽ vſum exhibita. Baptiſmi effectus. — Ioan. 1. — Phaſe quare inſtitutum.

laſcinias diſſecto ſpectabilis, hanc ſabulo obrutam hybernis menſibus inter acetaria primis menſis inferunt. Hoc ſiquidem artificio tractata, amaritudinem exuit, atque eximium candorem adſciſcit, vt ſunt interna braſſicæ capitatæ folia. Commodè autem magnóque ſucceſſu adhibentur huiuſmodi herbæ hepatis obſtructionibus: habent enim amaritudinis ratione abſtergendi vim, qua meatus recludunt, atque opilationes expediunt. Tertianas quoque febres expugnant, atque icterum ſeu morbum regium, diſcutiunt. fellis enim atque hepatis intemperiem, cui fere Iudæos eſſe obnoxios color muſtellinus indicat, mitigant. Sunt autem iſtæ ſtirpes Virgilio decantatæ in Geor. *nec amaris intyba fibris officiunt.* Cichorium hepati ſalubre. Geor. li. 1.

Rurſus,

Forſitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique roſaria Pæſti:
Quóque modo potis gauderent intyba riuis,
Et virides apio ripæ: totuſque per herbam
Creſceret in ventrem cucumis.

Geor. li. 4.

Commendat hæc quoque Columella in hortulo, eaque excolenda præcipit tanquam alteram ſuccidiam (ſic enim prouentum hortenſem nominat Cicero.) Lib. 10. De Senec.

Spargite quæque viros acuunt, armantque puellas.
Iam breue Cerephilum, & torpenti grata palato
Intyba, iam teneris frondens lactucula fibris.

Congeneres iſtiſque ſunt affines Chondrilla, Sonchos ſiue Cicerbita, & quæ vulgari voce dens leonis, & roſtrum porcinum vocatur, hieracium, quæ omnia lacteo ſucco madeſcunt, ac flaueſcenti floſculo conſpiciuntur, leporibus cuniculiſque gratiſſimum pabulum. Si quidem earum ſtirpium eſu minùs hydrope hæc animacula turgeſcunt, amaritudine exiccãte humiditatem. Quocirca earum nonnullæ quæ non intenſius amareſcunt, ineunte vere ibi folia tenereſcunt, acetariis immiſcentur, in pratis obuiæ equino generi pabulationem ſuppeditant, aliæ lacte turgeſcunt, inuitis hortorum cultoribus erumpunt atque eruncandæ eruendæque ſunt, ne ſalutares herbas ſtrangulent. Cæterùm lactucam illam ſilueſtrem quæ Endiuiæ nomine inſignita eſt, in edendi agni Paſchalis vſum adhibitam, velut condimenti loco, non facile mihi perſuaderi poteſt: Quæ vera lactuca ſilueſtris.

poteſt: cum ob inſignem vrentemque amaritudinem quæ linguam vellicat, non ſit eſculenta, niſi cum primùm emergit, nec adhuc ſpinis in dorſo parteque auerſa armata ſit: vincit enim Endiuia vulgaris quæ germana eſt lactuca ſilueſtris, amaritudine reliquas ſtirpes quę ſucco lacteo madeſcũt. Quocirca medici nouellam ac teneram in vſum medicamenti adhibent, non adultam quæ aculeata eſt ac ſpinulis horret, tum vetuſtate amareſcit: Intybæ verò ſpecies cocto elixoque agniculo condimenti vice adhibitam prorſus crediderim, nempe Cichorium & Seriolam, ex quorum non ſolùm foliis, ſed radicibus etiam acetaria conficere Belgæ didicerunt. Si quidem radix ad ſeſquicubiti ferè longitudinẽ ſe porrigit, quam autumno enatam in taleolas ac teſſelas diſſecant, vt rubram paſtinacam, quam Carotam vocant, eamque ex aceto & oleo, inſperſo piperis polline, eſitant, vt etiam cucumeres, crithmum, rapiſtram, vulgò *Raiponſe*, compluraque alia quæ tempeſtiuè ſuaque anni parte hortus profundit.

De olea, oleaſtro, oliua, oleo.

CAPVT V.

Apoc.7. VT palma quæ põderi non cedit, victoriæ inſigne, ita Olea pacis index: cuius rei ſpecimen columba ex arca Noë
Gen.8. emiſſa edidit cum deſinente diluuio defluxiſque ac ſubſidentibus aquis, oliuæ fruticem attulit, mitigatæ iræ Dei argumentũ. Folio autem eſt hæc arbor ſalicis aut liguſtri, ſupernè viridi, auerſa imáque parte qua terrã ſpectat albeſcente atque incano vt alba populus, flòſculo minuto, ſed folioſo, colore luteo, non ſine grauitate odorato: fructifera verò eſt fœcundáque numeroſis baccis, oblonga forma, atque ouali, quæ vbi matureſcunt, atque nigreſcere incipiunt, oleoſo pinguíque ſucco turgeſcunt, ex quibus oleum exprimitur articulis firmandis, fouendiſque membris, tum mitigandis doloribus accommodum, agilitatem enim vigoremque iis præſtat foris adhibitum potius, quàm in corpus admiſſum; eo ſi quidem corpora perfuſa
Pſal.103. non ſolùm niteſcunt, ſed robur etiam concipiunt atque ad obeundos labores redduntur habiliora, quod indicaſſe Dauidem obſequio atque Deum ob huius aliarúmque rerum munificentiam in immenſum extuliſſe, *Ipſe eſt enim qui germinare facit fœnum & gramina iumentis, herbas in vſum hominum, panem vt vires augeat ac confirmet. vinum vt cor hominis latificet, oleum vt corpus eo niteat ac vires concipiat.* Quo ſpectat illud Plinij: *Duo liquores*

liquores corporibus humanis ſaluberrimi, intus vini, foris olei. Quin & Samaritanus quo Chriſtus deſignatur, duo hæc fomenta vulnerato adhibuit: vinum, quod abſtergit & emundat: oleum, quod lenit, quod dolorem mitigat, quod vulnus ad ſanitatem perducit. quo indicatur Chriſtum ſecus quàm ſacerdotes Leuitáſque officij ſui negligentes, ſalubri doctrina afflictis ac ſauciatis mentib. mederi, animique vulnera obligare, ac cicatrices ita obducere vt nullum veſtigium appareat. Oleum autem intus exhibitum, aluum mollit ac lubricum efficit, aſpera quæque mitigat, venena paulò antè hauſta retundit, atque hebetat, eaque innoxia facit, ac ventriculum ad vomitum incitat, quo ferè noxia ac perniciosa quæque excutit, efficitque lubrica vi, ne venenatæ potiones venas ſubeant, mortemque inferant: qua facultate hoc etiam adfert commodi, vt præſumptum tumulentiæ obſiſtat, & ne quis confeſtim ebrietati ſuccumbat. Præter artis rationem faciunt qui ruptis, laxatis, contuſis, collapſis ruinaque oppreſſis oleum vel butyrum exhibent, vt membra afflicta conſolident atque inſtaurent, niſi omphaceum oleum, hoc eſt, immaturum, quod nondum matureſcente oliua exprimitur. Nam id adſtrictionis eſt particeps qua vi corporis partes hiantes ac diſſolutæ coaleſcunt atque vniuntur. Butyrum verò & oleum maturum inter initia, inciſa primùm vena, ſi ætas patitur, non incommodè exhibentur ad dolorem mitigandum, ac diſſoluendum conglobatum concretúmque ſanguinem, in quem vſum potionem conficio ex ramentis rubiæ internis ac nuce muſcata: poſtmodum conſolidantia propinari curo millefolium, roſas rubras antequam prorſus dehiſcere incipiant, aut folia dilatare, myrti baccas, omnes ſymphiti, hoc eſt, conſolidæ ſpecies, ſuccinum marinum, quod ſperma Ceti, vocatur gneſiam ac german.m mumiam, rhabarbarum ac nucem muſcatam totam, eáque omnia decocta in vino rubro ſtiptico ac aſtringentis naturæ: baccæque omni ferè nationi oliuæ dicuntur, ante maturitatem lectæ, cum adhuc viridescunt in muria aſſeruantur ad pellenda ciborum faſtidia, ac nauſeam, acuunt enim appetentiam, atque vt amygdalæ amaræ ebrietati obſiſtunt. Sumuntur autem ab huius ſtirpis fructu & floribus à ſcriptoribus ſacri ſimilitudines concinnæ cum primis & elegantes. Sic Iob cum improbo cuique & facinoroſæ præmaturum interitum denunciat, *Antequam*, inquit, *dies eius impleatur, peribit, & virtus illius areſcet: lædetur quaſi vua floreſcens botrus eius, & velut olea proiiciens florem ſuum*: hoc eſt, ante diem, ac properata ſubitaque morte conficietur, nec ad ætatem maturam aut ad ſtatutum

Luc. 10. — Qomodo ruina oppreſſi tractandi. — Potio cōſolidans. — Oliuarum vſus. — Cap. 15. & 17. Similitudines ex olea.

legitimúmq;vitę tempus eſt peruenturus ſimilitudine deſūpta ab arborib.ac florentibus herbis, quæ ineunte vere ſpectatiſſimè prodeunt, ac floreſcunt:ſed quarū floſculi vel vredine pereunt, vel ab Aquilone ſeu Borea decutiuntur. Deus enim non ſinit nefarios diuturna proſperitate frui aut optatū ſucceſſum conſequi, adeo vt cū multum viræ ſupereſſe poſſit,atque illud produci longius,præmaturā mortem illis accelerat.Sic legimus
Cap.6. in Geneſi acceleratiùs oppreſſiſſe homines diluuiū quod moniti non reſpicerent, nec ad frugem ſe conuerterent, ſed indies in deteriora prolaberentur. Et cum Deus Sacerdotibus & optimatibus Effraim minitatur atque inopinatum extitium denunciat ob religionis neglectū,in quē propter ebrietatem ac temulentiam etiam deuoluti ſic in illos per Eſaiā iram ſuam exacuit
Cap.28. ac vaticiniū fulminat:*Va coronæ ſuperbæ,flori decidenti & defluo, & erit flos deciduus & quaſi temporarius ante maturitatem.*Quo indicat illos cum omni faſtu & arrogantia, vt flores decuſſum iri,vt ficus primas & præcoces(quæ confeſtim deceptæ deuorari ſolent)& æſtiui fructus qui in hyemem aſſeruari nequeūt. Non diſſimile argumentum amplificat contra Ægyptios,obita
Cap.18. Dei nomine legatione Eſaias: *Ante meſſem totus effloruit Ægypti populus,& præmatura perfectione germinauit,& præſcidentur ramuſculi eius.*Quo deſignat Ægyptiis tale quiddam obuenturum quale præcocibus fructibus ac primitiuis bacois ipſiſque ſegetibus & vitibus quæ feſtinantiùs erumpunt, atque intempeſtiuè ac præter temporis rationem matureſcunt. Citiſſimè enim huiuſmodi fructus corrumpuntur, nec ad conſeruandum vſui ſunt. Quo denunciat illorum fœlicitatem non fore diuturnam. Per Oleam etiam aliáſque arbores indicatur piorum ſucceſſus, rerúmque omnium affluentia, & præter hæc progreſſus & incrementa virtutum: quod ipſum omnibus teſtarum eſſe vult Dauid qui virum pium ac Deo addictum arbori frondoſæ &
Pſal.1. fœcundæ æquiparat,quæ non otioſa eſt & ſterilis,ſed fructuoſa & fertilis, ſuoſque ramos late diffundit, & fructus edit ſalutares, quibus non tam ipſa, quàm alij ſe oblectant ac reficiunt.Hieremias quoque idem argumentum amplificat atque improbis qui nulla habita Dei ratione humanis præſidiis innituntur, ac rebus caducis fidunt,omnia aduerſa pollicetur:*Ma-*
Cap.17. *ledictus*,inquit,*qui cōfidit in homine,& à Domino recedit cor eius, erit enim velut myrica quæ in ſiticuloſa ac ieiuna terra poſita nullū bonum,nihil ſentit commodi ex aëris clemētia.Fœlix & beatus qui confidit in Domino,in eoque omnem ſpem & fiduciam collocat. is arbori ſimilis eſt quæ in irriguis locis conſita eſt,ſuáſque radices ad humorem diffundit,nec æſtum pertimeſcit,quo ferè excreſcere ſolent quæ*

in

in arido ſolo ſita ſunt: & erit folium eius viride, frondoſum, & tēpore ſiccitatis fructum proferre non deſinet. Commendatur huiuſmodi Metaphoris fiducia in Deum, nec aliò deflectendam mentem, aliò dirigendum cor, quam ad illum à quo omne bonum promanat, & qui hominibus nihil non præſtare ſit paratus. Hinc Dauid Deo potius quam rebus fluxis, caducis, momentaneis innixus, ſecus quàm impij, *Ego*, inquit, *ſicut oliua fructifera florebo in domo Dei, quoniam confido in miſericordia eius.* Pſal. 51. Rurſus cū indicat homini minimè otioſo, & qui ſe in Dei eloquiis exercet, vberem rerum prouentū, vxori numeroſa prole fœcunditatem, *Beatus*, inquit, *qui timet Dominnum, & ambulat, in viis eius, proſperabitur manuū ſuarum labore, fœlix & beatus ipſe erit. Vxor tua, ſicut vitis fœcunda, in lateribus domus tuæ: Filij tui, ſicut plātulæ oliuarū, in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic beari ac ditiſcere ſolet homo qui timet Dominum.* Pſal. 128 Similiter apud Hieremiā Deus illum cui vnicè afficitur, quo ſe oblectat ac reficit, oliuam pulchram vocat, vberem, ſpecioſam, fructiferam, hoc eſt, nomen eius apud illum gratioſum eſt amabile. Cap. 11. Huic Oſeas conſonat qui ex eodem fonte oracula ſua hauſit, eodem ſpiritu cōciones ſuas perfecit. Cap. 14. *Et erit quaſi oliua, gloria eius, & odor eius vt Libani.* Quo deſignat illos qui Deo indiuulſe adhærent, illiuſque placitis ſe oblectant, fauorabiles eſſe, illique gratos & acceptos. Simile à rebus odoratis. Vt enim ſuauis halitus & fragrantia, ſpiritus fouet ac recreat: ita Deum reficit & oblectat odor hominis, qui ſalutarem illius doctrinam amplectitur, ac Diuinæ voluntati ſe præbet obſequentem. 2. Cor. 2. Sic Paulus quo oſtendat illos apud Deū gratioſos eſſe & fauorabiles, qui eius Euangelium propagant, ac fide alios inſtruunt, *Chriſti*, inquit, *bonus gratuſq; odor ſumus in omni loco.* Et Patriarcha Iſaac, *Odor filij mei, tanquam odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Gen. 27. Denique in Cantico Sponſa, *Curramus in odorem vnguentorum ſuorum.* hoc eſt id quiſque efficere ſtudeat vt paſci poſſit ac refici ſalutari illius doctrina, quæ laſſos ac labantes fulcit ac recreat, non ſecus quàm ſuauiſſimus odor naribus oblatus collapſos animíque deliquio ſopitos inſtaurat atque erigit.

De Rhamnô aculeato frutice.

CAPVT VI.

Rhamnus vbi adoleuit, validis robuſtiſque quaquauerſum vallata aculeis, homini ſi manum incautius admoueat, infeſta eſt: adhærent illi racematim exiguo minimóque petiolo

numeroſæ baccæ colore croceo orbiculatæ, magnitudine vel myrti vel iuniperi ſapore acidiſſimo, quas qui improuiſo decerpere tentant crebro infixo aculeo ac mucronata cuſpide manũ vulnerat. baccæ vbi dentibus linguaque atteruntur, vel premẽtibus digitis contrectantur, crocco ſucco manus inficiunt: ſunt enim flaccidæ & vliginoſæ. Cùm autem tres ſint Rhamni ſpecies, iſta Zelandicis ſabuletis, dumoſiſve colliculis copioſe innaſcitur. Oceani accolæ *Dunen* vocant, quæ vox corrupta an à Dumo ac dumeto deducta ſit, nõ auſim certò ſtatuere. Sunt tamen arenoſi iſti, maritimique tractus paſſim multis denſiſque virgultis, viminibus, ſpinoſiſque ac ſenticoſis fruticibus, atque aculeatis ſtirpibus fœcũdi, vt ſunt Rhamnus, Rubus, Halimus, paliurus, oxyachanta, carduus ſtellatus, iringium Onomis ſiue reſta bouis, præter inſignes alias herbas, quas affatim ea loca ſuppeditant. Bellonius qui Palæſtinam ac Syriam peragrauit, exiſtimat CHRISTI Seruatoris ſertum, ſeu ſpineam coronam illius capiti implicatam, ex Rhamno fuiſſe confectam, quòd in iis regionibus nulla alterius generis ſpina ſe proferat. Deſumit autem Dauid ex ſpinoſo hoc frutice appoſitiſſimam ſimilitudinem contra faſtum ac tyrannidem, contra factiones & ſæuitiam improborum qui innocentibus inſidiatur atque infeſti ſunt, damnaque inferre meditantur, quorum conatus & molimina irrita fore prædicat & inualida. *Antequam ſpinæ veſtræ*, inquit, *indureſcunt in Rhamnum, vlloſque aculeos infigere poſſint, Dominus velut tempeſtate quadam exorta conteret, & conficiet vos, infringetque vires veſtras, & robur imminuet.* Quibus verbis indicat illos fraudes, impoſturas, technas, ſycophantias, cædes, ómniáque hoſtilia comminiſci ac meditari, ſed antequam vires illi ſuppetant ad perficienda quæ animo conceperint, conficientur ætate immatura, hoc eſt, priuſquam adoleſcant ac vires ad inferenda incommoda ſint conſequuti. quibus verbis hæc quoque ſententia ſubeſt, vt ex hac vitæ ſtatione, in qua in tenuiores tyrannidem exercent, exturbandi ſint, vt ex olla aut lebete eximi ſolent carnes ſemicrudæ, quæ non ſatis elixatæ eſui ſunt inidoneæ, cum vix calorem conceperit ab igne qui ex ſpinoſo atque aculeato ſtridentique rhamno extruitur. Solent enim ſtrues lignorum aut faſciculi ex paliuro, rhamno, iunipero, rubo, vepribus, ac ſentibus confecti non ſolùm manibus tractantium vulnus infligere, ſed foco immiſſi crepitantibus flammis ac ſtridore quodam horrendo aſſidentes territare: ſic vt etiam fauillas ſcintillantes atque ignitas faculas in obuios quóſque eiaculent. Hic itaque ſenſus ex prophetæ verbis erui debet. Quamlibet illi ſæuiant atque innocentes,

Pſal. 57.

Locus Dauidis explicatus.

innocentes opprimere tentent: nihil illis ex voto aut animi ſententia ſucceſſurum,ſed inopinato ac repentino illorum interitu inſontes periculo eximendos. De Rhamno ac deſumpta ex hac ſtirpe ſimilitudine nonnulla tractata ſunt lib.4. cap.9.

De Cucurbita ſylueſtri, vulgò Colloquintida.

CAPVT VII.

COlocynthis ſeu agreſtis cucurbita Medicis vſui eſt in expugnanda pituira,& bile tum flaua tum atra,quos humores violenter & validè extundir non ſine virium detrimento, & reſeratis venarum fibris ſanguinis eductione.quocirca coërcetur illius ferocia maſtiche, & aliis quæ ventriculo robur conciliant. Fructus huius ſtirpis orbiculatus eſt,vbi maturuit, candidus pilæ magnitudine, vel vt malum Medium ſeu citrium,quod ab auri colore *aurangium* vulgò vocāt, ſi extima putaminis pars flaueſcens cultro adimatur, eximiæ nec prorſus ferendæ amaritudinis:quod indicatur in Regum hiſtoria.Cum enim Heliſæi famulus in rus digreſſus herbas colligendo pulmento collegiſſet, inter alias cucurbitā ſiluaticā quam vulgus *Colloquintidam* vocat ignarus quid eſſet, in ollam coquinariā cōiecit,illiſque edendū appoſuit. vbi deguſtaſſent, *Mors in olla*, conclamār,hoc eſt,venenū nobis exhibitum eſt.Heliſæus non imperitus rerū naturæ, confeſtim inita ratione qua amaritudo eximi poſſet,farinā ollæ immiſcuit:quo facto pulmentariū eſculentū perficit,abolito exotico atque alieno ſapore quo erat imbutū.Subeſt huic rei ratio Phyſica,habet enim farina polentaria eam vim, vt extraneum atque amarulentū ſaporē diluat atque aboleat,præſertim ordeacea,ex qua polenta cōficitur tū cremor maſſaque polentaria, zythi aut ceruiſiæ materia, maceratis aqua frugibus, auena,ordeo, ac lupi ſalictarij floribus quæ triuiali voce lupus dicitur,quo fit,vt quoniā ceruiſiæ potus ex iſtis ferè cōficitur,qui ex hoc liquore vuidi ſunt,ac zytho madidi,quod identidē vſuuenit inferioris Germaniæ populis,lupulo & auena perfuſi dicātur. Cæterùm quotidiano experimēto comprobatum habemus ſalsā atque amarā aquā dulceſcere admixta polenta ſiue ex ordeo confecto cremore qui ex hac ſtirpe eſt concretus liquor, vt etiam lomentum ex farina fabacea,adeò vt duarum horarum ſpatio miteſcat ac poculenta efficiatur, citraque offenſam in corpus admitti poſſit.

4.Reg.4.

Farina quare cremorē pulmentis eximat.

De Salice.

CAPVT VIII.

SAlix nota arbor à ſaliendo nomen ſortita quod celeriter aſſiliat ac confeſtim arboreſcat, Belgis à ſimili etymologia *wvigille* dicta, quoniam prõpta eſt ac voluntaria in creſcendo. Cum autem huius ſtirpis plures ſint differentiæ, ea Belgæ æſtiuis caloribus cœnacula adornant: atque etiam virenti hac frõde ac pampinis ægrotãtium lectos velant, quæ Virgilio *glauca* dicitur, quod ad albedinem vergat: hæc ſiquidem gratum odorem in auras diffundit, atque aëris feruorem æſtûmque mitigat. Ex hac Deus per Eſaiam ſimilitudinem cum primis elegantem deſumit, qua pollicetur piis omnibus qui illi fidunt, rerum omnium affluentiã, vberem annonæ ac rei frumentatiæ prouentum, proſperum in omnibus negotiis ſucceſſum, nec ſolùm externa bona & quæ corpori inſeruiunt, ſe exhibuturum confirmat ac pollicetur, ſed ſolida & æterna, quæque mentes quamlibet aridas & ſiticuloſas vberrimo Spiritus diuini pabulo foueant, atque inexhauſto Diuinitatis fonte perfundãt, qua irrigatione mœrentes arenteſque animi in optimam ſpem etiguntur, atque vberrimos fructus amoris & charitatis erga Deũ & proximum proferunt. Sic enim concionem ſuam orditur Vates eximius, atque huius ſeriem proſequitur, *Ne timeas aut metu concutiaris ſerue mi Iacob, quem elegi: nam effundã aquas ſuper ſitientem & fluenta ſuper aridam, perfundã ſpiritu meo ſemen tuũ, & benedictionem ſuper ſtirpem tuã, ita vt graminum more germinent, & quaſi ſalices iuxta profluẽtes aquas.* Vt enim ſtirpes in locis irriguis conſitæ ſpectariſſimè frondeſcunt ac foliorum põpa luxuriant: ita animus humanus ſalutari doctrina perfuſus ac Diuini ſpiritus fonte irrigatus, omniũ virtutũ ſplendore niteſcit, ac ſolida viuidaq; fide fultus fuſiſſimè ramos diffundit, ac ſolidis deoq; acceptis operib exornatur, vt arbor fœcunda fronde & fructibus, quæ alios etiam reficit ac fructibus ſatiat.

Cap. 44. — Simile à fructuantibus arboribus.

Pſal. 136. Iudæi abducti in Babyloniam, omni ſolatio deſtituti, ſuſpẽderunt in ſalicibus citharas ſuas quibus modulari ſolent diuinos hymnos ac cãtilenas gratulatorias Deo viuẽti, omniaque quecunque in tã triſti exilio, lamentoſa, lugubria, funeſta, amara, luctuoſa, ita vt nulla ratione induci potuerint, quò vllum lætitiæ argumentum proferrent, ſcitè tractandis organis. Apposite in ſalicibus ſuſpẽdiſſe deſcribuntur à Pſalmographo inſtrumẽ-

ta

ta Muſica, cùm hæc arbor ſterilis ſit & frugiperda, & quæ vt polluti, ſemen ante maturitatẽ obiiciat. his accedit quòd amara ſit, nec admodum ſpectabilis & amœna vti platanus, palma, cedrus, cupreſſus, terebinthus, quocirca huic arbori accommoda aptaque exilij cõparatio, & quod eius ramis citharæ affixæ ſint. Vt enim ſalix amaritudine imbuta eſt, nec admodum ſpecioſa aut aſpectu grata: ita exiliũ & tranſmigratio in Chaldæam fuit acerba, triſtis, amara, calamitioſa Iudæis, eòque magis quòd identidem recrudeſceret dolor, & acerbitas renouaretur continẽti recordatione Sionis & vrbis Hieroſolymæ, ipſiuſque auguſtiſſimi templi, in quo ſacris carminibus Deũ ſoliti ſunt honorare Tãtus ſiquidem mœror illorum animos occupauit ob conculcatã ſacratiſſimam religionẽ, atque abactos prophetas, vrbemq; dirutam ac ſolo æquatam, vt nulla oblectamẽta, nulla ſolatia admitterent, nec vllis blandimentis perpelli potuerint, vt ſacris Deoque dicatis cantionibus alienas profanaſque aures demulcerent, cum ad irridenda ſacra modulamina eſſent arrecti, qua petulantia victis dolor non ſopiri, ſed recrudeſcere cœpit ac redulcerari. ſiquidem vt habet Prouerbium, *Muſica in luctu, importuna narratio.* ſcitè itaque ab iis reſponſum, Hierem. Threno. Eccleſ. 2.

Quomodo cantabimus canticũ Domini in terra aliena, atque inter illos qui noſtræ miſeriæ & calamitati non indoleſcunt, ſed inſultant ac ſubſannant eum cultum quem exhibere conſueuimus Deo immortali? itaque fruſtra fatigant nos, vt illos oblectemus citharis noſtris. cum & nos, & Deum Hebræorum deſpiciant, ac de tantiis dicteris exagitent.

De Saliunca.

CAPVT IX.

SAliuncá quam nonnulli Celticam Nardum exiſtimant, puſillus eſt frutex non in eam altitudinem aſſurgens, in quam noſtra *Lauendula*. Siquidem ab humo ſe nõ attollit: quod Virgilius annotauit, ducta comparatione à nonnullis ſtirpibus in commendationem eius qui ſcitè calamum tibiamque inflare nouit, atque æmulo peritiorem pronunciauit.

Lenta ſalix quantum pallenti cedit oliuæ, Eclog. 5.
Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis:
Iudicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas.

Digeritur autem Saliuncula in faſciculos manuáles & ol-

factoriola,quæ ſubinde naribus admoueri ſolēt, vel inſtaurandis fouendiſque cordis viribus,vel abigendis tetris odoribus ne ſpiritus contagione aliqua inficiantur. Eſt enim eximiæ ſuauitatis ſic vt veſtibus ac tegeticulis lodicibúſque interpoſita, gratiſſimo illa odore commendet, ac tineas blattaſque abigat: quod etiam Belgæ moliuntur pſeudonardo,ſiue *Lauendula*,qua paſſim ſcatent excultique ſunt apud Belgas horti,ſpicato ceruleoque aut cæſio flore , caloris tam intenſi vt caput grauedine inficiat. Non defuerunt noſtra memoria hoſpites & caupones quidam , qui aquam lauendulæ è turbine aut meta ſtillatoria, quam *Alembicum* vocant,ductam vino immiſcerēt quò generoſius videretur,minuſque dilutū.& facilius inebriaret,qua impoſtura id incommodi conſequuti ſunt conuiuæ vt poſtridie acerrimo capitis dolore ſint affecti,qui vix vllis remediis diſcuti aut mitigari potuit niſi adhibita ſomnifica potione,aut aqua frigida,vel ſero lactis affluēter hauſto. Cæterùm Deus qui ſuis ampliſſima quæque pollicetur & præſtat,ex hoc exili ac minu-
Iſaiæ 55. to frutice cōparationes deſumit: *Montes & colles*,inquit,*cantabunt vobis laudes, & omnes arbores plaudent manu*, hoc eſt, omnes gratulabuntur & applaudent veſtræ fœlicitati, ſinguli vobis honorem deferent,& magnificè laudes veſtras prædicabūt, quod excuſſo iugo,Dei beneficio ſalutem ſitis conſequuti, atque illius munificentia ad ampliſſimam dignitatē euecti, tantiſque donis ac muneribus exornati,finito tā triſti atque acerbo exilio,*pro ſaliunca,aſſurget tibi abies,pro ſpina pinus,& pro vrtica creſcet myrtus.* Quibus verbis deſignat omnia iſtis futura incrementa , atque optatos proſperoſque ſucceſſus habitura, ita , vt pro minutis abiectiſque herbis aut etiam noxiis ſpectatiſſimæ arbores ac fructiferæ ſint emerſuræ. Hæc autem , non ſolum ad externas ac temporalia bona , ſed ad internas dotes , atque animi mentiſque decus & ornamenta referenda ſunt: vt pro ferocia , violentia , ſæuitia , faſtu , arrogantia , ſuperbia atque animi elatione, quæ (vt Paulus teſta-
Galat 5. tur)nō dubia ſint carnis opera,ſuccedat clementia,humanitas, manſuetudo, lenitas,comitas,placabilitas,beneuolentia ,benignitas,ac pleraque alia quæ inter fructus ſpiritus ab Apoſtolo referuntur, ſic vt expulſa iniuſtitia, iniquitate, nequitia,æquitas,iuſtitia,probitas eluceſcant : pro luxuria,libidine, prodigalitate,pudicitia, moderatio, frugalitas, temperantia ſe profe rant : pro ignauia , deſidia , torpore , ſomnolentia , alacritas, fortitudo , magnanimitas , infirmarum rerum contemptus & deſpicientia , præſtantia virtutis ſubſtituantur. Sic inuerſo rerum ordine pro vitioſis ac deprauatis affectibus
vel

vel potius perturbationibus quæ mentem à ratione, à naturæ & Dei legè auertunt: pax & tranquillitas animum placidè ac ſecurè regat ac moderetur.

De herba Borith, quæ Medicis veteribus Struthion vocatur, Mauritanis Arabibuſque ſcriptoribus Condiſi, cui affinis recentioribus vocata Saponaria, & herba fullonia, Belgis zeep cruiidt, *quod vt ſmigma eluendis maculis adhiberi ſoleat.*

CAPVT X.

CVm populus Iudaicus paulò ante vrbis excidium inquinatiſſimis eſſet moribus multiſque horrendis flagitiis ac ſceleribus contaminatus, ſic vt ad ſummã impietatis nihil eſſet reliqui, Deus eleganti ſimilitudine illos perditos ac profligatos pronunciat, nec vllis quãlibet præſentaneis remediis ad ſaniorem mentem, ad integritatem vitæ, ad decus virtutis poſſe perduci. Cũ enim à ſacratiſſima religione, Deique cultu ad idololatriã defeciſſent, aliunde à Deo viuẽti ſalutis præſidia conquirere cœperent, aliundé reſponſa petere atque oracula ſciſcitari, cum etiam hoc accederet ad impietatis cumulum, vt inſontes non clancularijs inſidiis conficerent, ſed apertè ac paſſim in triuiis, nulla iuſtitiæ reuerentia, nullo legum metu, adeo vt nihil ſe commiſiſſe haberẽt perſuaſum, ac ne tantillum mali perpetraſſe, aut ſiquid patratum eſt, ac ſcelus admiſſum, perſuadent ſibi à veritate deuij atque errore impediti, facilè abſtergi atque elui poſſe maculas & ſordes contractas cultu quodam alieno ac ſuperuacaneo, qui Deo ingratus eſt & deteſtabilis. Quocirca cum Deus videret illos contempto ſuo præcepto, inanes ſpes fouere, ac fallaces rationes ac modo comminiſci, quò ſe puros præſtare conentur, iiſque ſibi plaudant ac ſedulo perſuadeant omnia ſalutaria conſequutos: Deus, ne illi pereat ſuus honor & magnificentia, expoſtulat cum populo ſuo, quod aliò ſe cõferat, alias ciſternas ac ſcrobes eruat, quòd aliò properet quàm ad fontem aquæ viuæ, quæ non cœnoſa eſt, non fæculenta, non exitioſa, ſed ſuauis & ſalubris. Sic autem inſtituit cum defectoribus expoſtulationem, ita vt ſingulatim quemque illorum appellet: *Ego*, inquit, *te plantaui vitem electam & generoſam, neque lectiſſimo ſemine; præſtantiſſimis malleolis ac ſarmentis conſeui: qui fit vt in prauam*, hoc eſt, *alienam ac degenerem ſpuriamque vitem conuerſa ſis?* Et quò oſtendat nõ facilè elui poſſe maculam aut næuum aſperſamq;

Caput ſecundum Hieremiæ explicatũ.

Hier.2.

animo labem. *Si laueris te*, inquit, *nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata tamen eris coram me inquitate tua.* Quo indicat tametſi in ſpeciem primaque fronte excuſſiſſe ſordes atque eluiſſe maculas videaris ſuperſtitioſo quodam cultu quẽ tu ipſe tibi fingis, & obſcuras Dei gloriam, fictâque religionis vmbra nunquam tibi perſuadeas Deum tali ratione poſſe placari, aut pl̃cari, aut te priſtinum nitorem conſequi, alia ineunda ratio, alius excogitandus modus, quo poſſes niteſcere, & factori tuo recõciliari, excutiẽda prorſus ex animo idololatria, hoc eſt, adulterinus ac fictitius cultus, alteri quam Deo attributus, amplectenda vitæ integritas, extirpanda è mente omnis nequitia, vni Deo firmiter inhærendum, illique omni fiducia ſtabiliter innitendum, alioqui externis rebus cultúque cõmentitio ac ſuperſtitioſo quẽ Deus non exigit nec præſcripſit ſibi ſalutem atque animi puritatem polliceri, non ſolum inane eſt & ſuperuacaneum, ſed etiam damnoſum & Dei maieſtati iniurium, abſtergit quidem atque emaculat ſordes Struthion ſiue lanaria quæ laneis veſtibus candorem adfert, cutem expoliunt ac lentigines næuoſque abolent ſmegmata, verùm nihil excogitari poteſt tanta abſtergendi vi ac facultate præditum, quod animæ tuæ ſordes poſſet eximere, quod plus ſatis inolitam penituſque infixam labem poſſit eluere. Qui enim morbum ſuum non agnoſcit, ac ſalutarem doctrinam à fido medico oblatam reſpuit, inſanabilis eſt & deſperatus, cui me-
Cap.3. dicinam adhiberi Hippocrates vetat, illóque dignior Chriſtus deſerẽdos præcipit, vbi omnem operam ſtudiumque illis conſeruandis impenſum eſt. Cæterum Deus apud Malachiam ſe
Matt.11. Angelum miſſurũ pollicetur qui viam præparet, quo vaticinio
Marc.1. Ioannem Baptiſtam deſignari Euangelium teſtatur, ac ſtatim
Luc.7. venturum Dominatorem, hoc eſt, Chriſtum qui multa innouabit, multamque operam inſumet corrigendis illorum vitiis formandiſque moribus, quorum intereſt populum ſalubri ſanáque doctrina imbuere. *Ipſe eſt enim quaſi ignis conflans, & quaſi*
Ma.40. *herba fullonum, & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit illos quaſi aurum & argentum*, hoc eſt, puros reddet, nitidos, terſos, expolitos adempta omni rubigine & ſcoria vitiorum, vt in fornace aut officina argentaria expoliri metalla ſolent. Itaque primum viſum eſt miniſterio, abſterſis ſordibus, ornatum ac nitorem adferre, neque culpari poſſent tanquam contaminati ſceleribus qui Dei munia obeũt ſacriſ. quæ functionibus deſtinantur, quocirca ſimilitudinem deſumit à rebus externis eámque ad animum transfert. Siquidem fullonia herba ſiue Struthion incredibilem vim obtinet in eluendis

dis maculis, atque imbuendis candore lanis: pollet enim vi abſterſoria adeo vt etiam pituitam è capite eliciat, ac ſternutamentum moueat tanta violentia, vt partum emortuum excutiat.

De Cocco vermiculo, Conchylio, Murice, Oſtro.

CAPVT XI.

FRutex eſt puſillus exilibus ramis, foliò aculeato, cui annaſcitur coccus ſeu granum tinctorium, quod colorem rubrũ ac rutilantem exhibet aſpectu gratiſſimum, oculiſque amabilẽ. Cuius tinctura aut ſucco imbuta lana aut byſſus, exuberantiſſimè miréque ſplendido rubore illum inficit Inuenitur etiam in aquifolio vel acrifolio potiùs, qualis eſt arbor Belgis vulgaris, folio læuiore perpolito, quaquauerſum aculeato perenni virore, vt cui nunquam folia decidat. Ex hoc grano Coccinea veſtis nomen obtinet, cuius in Bibliis ſæpe fit mentio, vermicula, muricata, qualis eſt roſis rubore perfuſus, oſtrina, quiſquiliata quæ purpureo colore flagrat, atque amabili rubore collucet, oculiſque blanditur, qui color Imperatorum ac regum paludamentis dicatus eſt, ac purpuratorum apud Romanos pallis ac galeris. Cap.4.
Sic in Cantico ſponſæ rubicunda labra, vittæ coccineæ comparantur. Sic puellæ Belgicæ venuſtatis ſtudioſæ labella coralli- Cap.2.
na & coccinea moliuntur. Ioſue defuncto Moſe, dux Iudæo- & 7.
rum conſtitutus, pallium coccineum geſtaſſe legitur. Sic Chri- Matt.27.
ſtus in ludibriũ affectati regni chlamyde purpurea indutus de- Cap.17.
ſcribitur. In Apocalypſi verò mulier illa ſcortatrix quæ domũ & 18.
ſuam patefacit omnium cupiditati, inſediſſe deſcribitur beſtiæ coccineæ, eáque mulier induta erat purpura, coccino, auróque deaurata, & gemmis & margaritis, habens poculum in manu ſua plenum abominationibus, & immunditia libidinis ſuæ. Et fronti inſcriptum erat myſterium Babylon, Romanæ vrbis typus & figura, vt Hieronymus interpretatur: quibus inſignibus faſtum indicat, ſuperbiam, arrogantiam, mentem ſanguinariam atque innocenti cæde cruentam. Diuitem verò illum Luc.16.
epulonem præter ſumptuoſas menſas atque apparatum ferculorum, indutum fuiſſe purpura & byſſo hiſtoria Euangelica teſtatur, nulla humanitate, nullo pietatis in egenos & miſeros affectu. Ex huius ſucci rubicũdo colore deſumitur apud Eſaiã Cap.1.
comparatio, atque inſtituitur concio contra illos qui innocen-

tum

tum ſanguini inhiant, atque innoxios opprimere meditantur, eoſque Deus ad ſaniorem mentem reuocare, atque vt reſipiſcant, vt à ſceleribus reſiliant, amanter extimulat. quod ſi obtineri poſſit, pollicetur amniſtiam, hoc eſt, omnium ſcelerum obliuionem, quamlibet horrenda fuerint enormia, adeò vt culpari ſuſtineat, ac violatæ fidei, ruptique fœderis crimen ſubire non recuſet, niſi ſtet promiſſis, ac præſtet quod ſit pollicitus. Sic enim cum illis concionem inſtituit, *Abluite manus veſtras ſanguinolentas, mundos vos præſtate, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, deſinite agere peruerſè, ſtudete æquitati, ſubuenite oppreſſo, pupillos ſubleuate, viduis patrocinamini. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, fient niue candidiora, & ſi rubra vt vermiculus*, hoc eſt, purpureus & conchyliatus color, qui ex marina concha eximitur, *velut lana alba erunt.* Quò indicat quamlibet ſcelera veſtra cruenta ſint cæde & ſanguine innocentum, facilè expiari poſſe atque elui pœnitentia ac fiducia in Deum, conceptoque emendatoris vitæ propoſito. Cæterùm veſtes coccineas ſeu muricatas ac purpureas, deinde & bombircinas quas Belgæ ob exquiſitiſſimam lini lanæque texturam *Keſpen* vocant & *bombaziin*, & præter hæc ſericas & holoſericeas, quæ in Aſiatica Scythia olim confici ſolent, in vſu fuiſſe Hebræis, eaſque ad decus & ornamentum corporis, ad honeſtatem, nonnunquam ad luxum & pompam inanemque oſtentationem adhibitas Bibliorum codices paſſim teſtantur. Vnde apud Ieremiam Iſraël inſultat ac dira minatur, quòd deſerto Deo à quo omnis ſalus dependet, ſe idolis proſtituat tanquam adultera, alienis ſe oculis exponit, ornatúque exotico ſe comit ac pollit, vt illos in ſui amorem alliciat. *Cum* (inquit Dominus *magna ſit vbique ſtrages ac vaſtitas, omneſque fontes in fugam verſi, ad loca ardua atque hoſtibus inacceſſa ſe conferant: Tu verò perdita & vaſtata quid facie? Etiamſi veſtieris te coccino, & ornata ſis monili aureo, & pinxeris ſtibio ſeu fuco oculos tuos, fruſtra componeris, deſpiciunt enim te deſpuunt te amatores tui*, nihil prorſus afficiuntur ornamentis politiſque tuis veſtibus, ſed in animam vitamque tuam ſunt intenti. Ezechiel quoque Dei nomine non minus acerba denunciat Samariæ & Ieruſalē, quos adulterij inſimulat, quo nomine Idololatriam atque à Deo defectionem deſignat. Vt enim inexpiabile ſcelus eſt & deteſtandum violatum coniugiū, hoc eſt, legitima & indiſſolubilis vitæ ſocietas contaminata adulterio: ita etiam execranda res eſt idololatria, qua Deo viuenti ſuus honor, ſpū decus & gloria adimitur, atque in alium transfertur, eo autem in illos incandeſcit acerbius, quòd non ſolum in lucis vmbroſiſque

Idololatria adulterio cōparata.

ſiſque vallibus gentilium more ſuas aras, ſtatuas, delubra adornarent, maguaque pompa & vitulorum apparatus ſacra ſua peragerent. ita vt legitimus cultus videri poſſit, in eoque ſalutis columen conſiſtere; ſed quòd accitis ac conuocatis etiam exteris in æde Deo dicata nefaria ſacra perficerentur. *Et quo* (inquit) *ſpectatoribus omnia magis auguſta ſanctáque viderentur, in illorum gratiam lauiſti te & depinxiſti ſtibio ſeu fuco oculos tuos, ornataque mundo muliebri ſediſti in lecto pulcherrimo, inſtructa menſa ante te, ſuper quam thymiama ſiue ſuffimen vnguentumque meum poſuiſti, adhibito tanquam in ſolenni feſto exultantium ſtrepitu.* Itaque is cultus qui mihi offerri debuit, exhibitus eſt idolis ac dæmonibus aſtante confuſa multitudine ex gentibus conflata, qui eadem qua tu, fruuntur inſania.

De Paliuro aculeata ſtirpe, cui ſanguinarij comparantur atque inſidioſi, quique ad inferenda damna prompti ſunt.

CAPVT XII.

CVm nuſquam non prophetæ vitia inſectentur, illorumque rabiem ac ferociã reprimant, qui hominibus infeſti ſunt, atque ad iniuriam damnáque inferenda prompti: horũ nonnullos lupis, leonibus, pantheris, colubris, aliiſque infeſtis belluis, denique vulpibus & muſtelis inſidioſis animalculis cõponunt: nonnullos aculeatis ac ſenticoſis ſtirpibus aſſimulant. Sic Micheas vates deplorat extinctam religioné, pietatem proculcatã, cultumque diuinum prophanatũ, omnes ab integritate collapſos, nec aliud, quàm fraudes, ſycophãtias, technas, impoſturas, inſidias omniáque hoſtilia meditari. In hunc itaque modũ ſcelera illorũ amplificat, ac ſingulorum improbitaté exaggerat in immenſum, à ſpinoſis aculeatiſque ſtirpibus deſumpta ſimilitudine: *Periit ex terra ſanctitas*, exultat improbitas, *& rectus* atque integer, *inter homines non eſt, omnes ſanguine inhiãt, & vir fratrem ſuum ad mortem venatur, & malum manuum ſuarũ dicunt bonum*, hoc eſt, ſuis erroribus blandiuntur. *Princeps poſtulat, & iudex in reddendo eſt*, hoc eſt, in omnibus acquieſcit & obſequitur illius poſtulatis, nulláque habita aut obſeruata iuris æquitate, ſinit illum omnia pro arbitrio ac voluntatis imperio agere, vel tenuem plebeculam arrodere atq; exactionib. opprimere, vel tyrãnidem in tenuiores exercere. *Qui optimus ex eorum numero, eſt quaſi Paliurus, & qui probus & integer* Cap. 7.

tanquam

tanquam ſpina in ſepimentis. Quocirca huiuſmodi hominib. in imperio conſtitutis, eum rerum ſtatum futurum indicat, vt delatoribus paſſim inquirentib. in ciuium vitam, mores ac ſtudia, non ſatis tutum ſit cuiquam fidere, aut ſua arcana committere, ne familiari quidem atque intimè noto. Ingruente enim huiuſmodi tumultu, atque habita de ciuium opinionibus quæſtione, exploratiſque illorum ſententiis, labaſcũt multorũ animi, atque amicos non ſolum deſerunt, ſed nonnunquã pro-

Matt.10. Marc.3. dunt. quod euenturum Chriſtus etiã vaticinatus eſt. Itaque in tam dubia ac vacillante multorum fide. *Ab ea*, inquit Propheta, *qua cubat in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui*, hoc eſt, ne vxori quidem mentem tuam patefacias, *quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurget aduerſus matrem, durus aduerſus ſocrum ſuam. Et inimici hominis domeſtici eius.*

Nuſquam tuta fides. In tanto rerum humanarum æſtu, ac tam turbulento Reipublicæ ſtatu, quo præſidio quiſque ſe fulcire debeat, obiter commonſtrat, *Ego autem Dominum reſpiciam, expectabo Deum ſeruatorẽ meum. Exaudiet me Deus meus*, ſummã propter fiduciam erga Deum, & quòd totus in illo conquieſcit, ab eo pendet, ſalutem ſibi pollicetur ac præſentaneum auxilium contra potentiam, faſtum ac ſuperbiã, cõtra ſæuitiã ac nocendi rabiem. Cum enim Deus manſuetus ſit, placidus ac mitis, illi rabidi ſunt, feroces, crudeles, inhumani atque vt ſentes, tribuli, ſpinæ, atque arbores aculeis armatæ, quibus innocentibus damna atque detrimenta inferunt. Quãobrem deſumitur in hac Concione ab arboribus validis firmiſque aculeis vallatis ſimilitudo, quò hominum improborum naturam & conditionem ad amuſſim exprimat. Siquidem paliurus, ſpina alba quæ menſe Maio, candido ac ſuauiter olente floſculo paſſim in dumoſis locis ac ſepibus conſpicitur, ſentes, rubeta, Creſpinus quæ pharmacopolis *Berbiris* dicitur, foliis, floribus, baccinis vel acinis racemiſq; oculis blãdiuntur, atque aliquem in eduliis vel medicamẽtis vſum habent, ſed manibus tractantium noxiæ ſunt, ſi incautius ac parum conſideratè prehendas: ita fucati homines & fallaces in ſpeciem blandi ſunt, amabiles, ſed qui arrepta vel obſeruata leuiſſima occaſione pungant ac vulnus infligant. Eſt autem Paliurus Theophraſto, Virgilio, Plinio, Dioſcoridi, Columellæ decantata, ſed non omnibus eadem facies exprimitur tametſi omnes fateantur ſepibus muniendis accommodam, quòd minacibus aculeis pecus atque homines qui hortorum fructibus inſidiantur, arceat, non prorſus diſſimilis oxyachantæ, ſiue acutæ ſpinæ, quòd menſe Maio ſpectatiſſimè floreat, exiguo quidem & minuto floſculo, cui in medio rubicundæ quædam feſtucæ inſident, ſed

quæ

quæ candore & ſuauitate eximia commendabilis ſit, adeò vt nemo non apud noſtrates hac fronde ædium veſtibula exornet ramis in vrceis aſſeruatis, atque aqua indentidem irrigatis: vbi verò arbos hæc defloreſcere incipit, baccas exhibet, primùm virides, oblongas, maturitate rubentes, oſſiculo intus lapidoſo quod ambit membrana, intus pingui vnctóque ſapore imbuta, quo vtimur in atterendis calculis, ac leniendo veſicæ meatu.

De Gith, quæ Græcè Melanthion, vulgò à nigrore Nigella dicitur, Belgicè Svvarte, *Nardus ob odoris ſuauitatem, tum aliis ſtirpibus deſumpta comparatio.*

CAPVT XIII.

ESaias quem aliàs teſtati ſumus rerum naturæ peritiſſimũ, in illuſtranda ſua concione ac vaticinio, quaſdam ſtirpes, earumque & flores & ſemina narrationi accommodat, nempe Gith ſiue Melanthion, Cuminum, Triticum, Hordeum, Miliũ, viceam, ſpeltam vel zeam, quæ vulgo notiſſima ſunt, & cum armentis pabulum, tum hominibus alimentum ſuppeditant. Gith vulgò, Nigella paſſim in hortis obuia eſt, frutex cubitali altitudine, aliquando maiore pro ſoli vbertate, vt Zelandicis agris aſſolet, foliis fœniculareis, tenuiter diſſectis, flore cęruleo, quo euaneſcente capitulum ſe exhibet in ſummitate papaueraceum corniculare, ablongum membranarum ſeptis ac loculis diſtinctũ, cui ſemina includuntur nigerrima, porri ſeminis non abſimilia, ſed odoris fragrantiſſimi, quod olim panis cruſtæ inſperſum, antequam is furno immitteretur, grato ſapore illum commendabat, verùm is vſus nunc apud Ciſalpinas nationes in diſſuetudinem venit atque exoleuit, ipſoque ſemine Medici ad catarrhos diſcutiendos vtuntur, ad enecandos lumbricos ventri admodum infeſtos, ad dentium dolores leniendos, ad menſtrua vrinaſque ciendas, ad abolendas lentigines, næuos, maculas, tum fœda vitia quæ extimam cutem deformant. Cuminum Belgis nomen retinet *Comiin*, vulgo ſemen, vulgatiſſimum, quo plebeij in diſcutiendis flatibus, in ſopiendis inteſtinorum doloribus ac torminibus, in hernia flatuoſa reprimenda vtuntur, cui ego nigellam & lauri baccas commiſcere ſoleo, & milij farinam, cuius etiam in hoc capite propheta meminit. Hordeum, fruges nota, quinto generi gratiſſimum pabulum,

Cap. 28.

Cuminũ.

Hordeũ.

pabulum,quo etiam in annonæ penuria ac tritici raritate,plebecula vtitur. Medici huius decocti cremore & ptiſana vtuntur in æſtuoſis febribus,ac pulmonis atque vocalis arteriæ vitiis, præſertim cum ex ſalſa pituita, aut flaua bile illæ partes vel exaſperatæ vel exulceratæ ſunt,admixtis violarum aut bugloſſæ floſculis. Ex huius quoque frugis polēta aut maza Belgæ ſapidiſſimum liquorem eliciunt,qui iis Ceruiſia dicitur,colore vt Coctori viſum eſt fuluo,croceo, luteo, flaueſcente,rubicundo,ſpiceo,præſertim vbi fæx & ſpumoſum excrementum quo Belgæ in pinſendo pane vtuntur, ſubſederit. Tunc enim gratiſſimum colorem adſciſcit, vt vinum Creticum, vel illud exoticum quod *Baſtardum*, vocant, ac ſaporem vinoſum, qui non ſecus quàm vinum, tamulentiam excitat.

Triticum. Triticum, inter frumentacea præcipuæ nobilitatis,ex cuius farina, ſimila, ſimilagine multiplicis differentiæ panis conficitur, ſyneetus,ſecundarius, nauticus, furfutaceus & aliquot adhuc genera quæ recenſere ſuperuacuum. Milium frumenti genus, cuius cum plures ſint differentiæ, Sarmaticum, Indicum, Hiſpanicum, omnes apud Zelandos ſpectatiſſimè creſcunt,Saracenicum vel Indicum, grano vel rubro vel flaueſcente. Ex

Vicia. his noſtrates & pultes & panem conficere didicerunt. Vicia leguminis genus iumentorum pabulum eſt,vt lens,piſum,faba. Hæc obiter indicare viſum eſt, quòd prophetæ mens exactè ac dilucidè poſſit explicari, quæ in hoc verſatur, vt declaret Deum nihil temerè aut fortuitò, nihil inordinatè aut confusè, ſed omnia diſtinctè aut diſtributè, certáque ratione ac lege perficere,nunc pœnas infligere coërcendis hominũ ſceleribus, nunc plagis & vulneribus mederi, afflictiſque mentibus ſolatium adferre, quod aliquando matutiùs nonnunquam ſeriùs peregit, ſic vt vltionem differat,ac lentè ad vindictam progrediatur, quod etiam in præſtanda ſalute euenit: aliquando ſubitò potentiam ſuam vtrobique exerit,vt expedire illi videtur, atque occaſio ſe offert. Quocirca commonefacit vates illos qui Dei iudicia non ſatis pro æquitate interpretantur, vt modeſtè ac reuerenter de illius Maieſtate & prouidentia ſentiant, vt magnificè & ſyncere de illo loquantur,ne quid culpent,aut calumnientur in eius factis, cum vident, ſceleratos rerum omnium proſperitate frui, pios calamitatibus atque ærumnis eſſe expoſitos, cum pro incredibili ſua ſapientia, atque inſcrutabili conſilio res mortalium rectè legitimè regat ac moderetur. Deſumitur autem in illuſtranda hac concione appoſitiſſima ſimilitudo de agricolarum ſtudio & occupatione, ipſaque arandi ac ſerendi triturandique ratione. Siquidem

quidem colonus tempeſtiua anni parte, ſubacta terra, atque æquata ſoli planicie, certo modo & menſura ſuum ſuis quæque locis, atque agrorum dimenſionibus humo committit, obſeruatóque ordine atque adhibita ratione telluris, aliam agri partem tritico & hordeo deputat, aliam pro frumenti aut leguminũ natura nigellę, lupiuo, ſpeltæ, milio deſignat, neque enim indiſcretè & permixtè grana ſolo mandat ac ſulcis committit, ſed ſingulis diſcriminata iugera agroſque peculiares accommodat. Peracta autem ſatione arator non ceſſat nec conquieſcit aut otioſus eſt, ſed poſt ſementem meſſi inhiat. quocirca antequã ad maturitatem deueniant ſegetes, frugeſque cereales flaueſcere incipiant, aut maturitatem conſequi, loliũ, zizania inutileſque herbas eruunt extirpantque famuli, curat, ne ſata ſtrangulent, illiſque alimentum depopulentur, quò tempeſtiuè metat atque annonæ prouentum matuiè in horrea cõuehat demeſſa ſegete, eaque recondita, iam alius illi labor, alia opera peragenda oboritur, Siquidem trituræ atque excutiendis granis è loculis, illáque ex gluma, acere, paleis eximere ac purgatiora efficere meditantur: in quo opere delectum habet, vt ſingulatim cum iudicio quæque aggrediatur, nec vlla ratione confundi ſemina ſuſtineat. Itaque alia cura adhibetur minutis puſilliſq; ſeminibus, alia robuſtis, alia tritico, hordeo, ſiligini, auenæ, farri, lupinis, phaſeolis, viciæ, lenti, cumino, Gith. Sic cum agricola induſtrius omnibus laborem impendat, omniáque certa ratione & modo pro rei natura exequitur, ſedulo operi inſiſtit ac rerum ſuarum ſatagit, quo emolumentum vberémque fructum ex iuſtificatione percipiat. Ita Deus in hoc mundi theatro tantaque ac tam confuſa hominum multitudine omnes ad frugem perducere tentat. Et quemadmodũ agricola proſciſſa vomere terra occationi intentus eſt & confringendis glebis, vt ſerit, vt metit. vt triturat ac fuſtibus ſemina excutit, vt paleas vanni flabello ventilatas à granis ſecernit, vt arbores truncat ferróque coërcet ne luxurient, ac latiùs, quam par eſt ramos diffundant: vt denique inſerit atque aliena arbore germen includit, ſolidóque docet molleſcere libro. Ita Deus homines tractat ac ſuo arbitratu nonnullis damna ac detrimenta infert, ſeuerúmque iudicium in illos exercet, alios calamitatibus exercet & explorat conſtantiam: nonnunquam malos tolerat ac manum à feriendo ſuſpendit in ſpem emendationis vitæ. Nec eſt quod quiſquam illi obloquatur aut obmurmuret cum ſingulari ſua prouidentia omnia moderetur, illique conſtet conſilij ſui ratio. Quocirca ſi quid aduerſi inciderit, aut infligatur, ſi morbi ingruant, ſi clades, calamitates, pe-

ſtes, aliaque vitæ incommoda infeſtent, omnia hæc à Deo inferri cogitemus, quò caſtigati ad illum confugiamus, illius opem ac ſubſidium imploremus, in illo omnem ſpem ac fiduciā conſequendæ ſalutis collocemus. Quòd ſi proſpera obueniant omniaque ex voto atque animi ſententia decurrant, ſi affluant opes, ſi accreſcant latifundia, ſi offerantur honores ac dignitates ſi res domeſtica bene aucta ſit & ſtabilita, ſi corpus validum ſit & inculpatè conſtitutum, ad eundem omnes ſucceſſum rerum noſtrarum referamus, atque res proſperas & aduerſas ab illo adminiſtrari habeamus perſuaſum, illiúſque ductu & auſpiciis omnia perfici. Quod non ſolum apud Eſaiam Cyro Perſarum regi in mentem reuocat, cui Dei virtute, idque in gratiam ac fauorem gentis Iudaicæ, res feliciter geſtæ, ſubactæque nationes, ſed nulli non mortalium teſtatum eſſe vult, Deum omnium rerum autorem eſſe vult, illique omnia attribuenda, quam vim & potentiam cum aliàs, tum potiſſimè apud
Eſaiæ 45. hunc prophetam ipſe aſſerit, cum inquit, *Ego Dominus & nullus præter me, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus ſapiens omnia hac.* Quo indicat proſperos ſucceſſu illius eſſe muneris: damna verò, detrimenta, aduerſitates, vaſtitatem, peſtem, famen, bellum, in vindictam ſcelerum ab illo inferri. Ipſe enim efficit, vt qui ab illo dependēt, illi fidunt atque innituntur, pacatè viuāt è diuerſo vt ij qui ſceleribus ſe contaminant, omni calamitatum genere diuexentur. Cæterùm Dominus Hieremiæ quoque agricolæ officium aſſignat admotaque manu ori illius, *Ecce ego*, inquit, *dedi verba mea in ore tuo, Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, vt euellas, deſtruas, perdas & diſſipes, vt plantes & ædifices.* Quo indicat illum munitum & vallatum potentia verbi ſui virtutem habiturum ad extirpanda vitia, ad eximendos errores, ad euellendas ex animo enormes cupiditates atque inſerenda ſemina pietatis, ad inſtillandam ſalutarem mentemque inflammandam
Ioan. 15. ſolida fide in amorem ac venerationem Dei viuentis. Simile argumentum tractat Chriſtus, cum deſumpta à vite & palmi-
Rom. 11. te ſimilitudine, *Ego ſum*, inquit, *vitis vera, pater meus agricola eſt, omnem palmitem in me non ferentem fructum*, hoc eſt qui fidem ſuam non declarat per opera Charitatis, *amputat*, atque vt inutile ſarmentum agni deſtinat, *omnem verò ſurculum ferentem fructum purgat*, amputatis reſectiſque cupiditatibus *quo plus fructus proferat.* Ab hac non eſt aliena Pauli ſimilitudo de oleaſtri in oleam inſitione auulſis ramis ex natiuo oleæ trunco. Quo indicat alios à felici ſtatu delapſos, atque à ſalute exci diſſe, alios aſcitos eſſe & cooptatos in numerum fidelium,

Pauli locus explicatus.

lium, nullo ipſorum merito, ſed ſingulari Dei fauore & gratuita bonitate, quam niſi agnoſcant impenſique beneficii ſint memores, ac conſtanter in fide perſiſtant, rurſus excidendos pronunciat, atque ob ingratitudinem à Dei conſortio alienandos, aſſumptis inſertiſque poſtliminio iis qui mutata vitæ conſuetudine, excuſſaque mentis cæcitate & caligine, ad frugem, ad morum integritatem, ad veritatis cognitionem ſe conferunt, ac Chriſtum à quo deſciuerunt, amplectuntur. Hac autem ratione Deus partim reprimit ferociam faſtúmque hominum atque inſolentiam compeſcit, ne quis inani ſanctimoniæ perſuaſione intumeſcat, ſuique fiducia ſibi blandiatur, aut calamitoſis & abiectis inſultet: partim fouet atque alit aliorum ſpem qui abalienati à Deo, per fidem rurſus ſunt in natiuam oleam inſerendi, atque in conſortium cœtúmque fidelium aſſumendi.

De Lentiſco quæ Græcè Schinos dicitur, & Ilice.

CAPVT XIV.

CVm habita eſſet quæſtio in Senatu adſtante confertiſſima populi multitudine, de proſtituta Suſannæ pudicitia, ac commiſſo adulterio, in quo illam deprehenſam criminati ſunt veteratores duo fraudulenti & mendaces, Daniel prudenti ac diuinitus immiſſo conſilio explorata rei veritate, excuſſaque facti cauſa, inſontem mortis periculo eximit, ac patefacta calumnia, ſuſcipione criminis illam liberat. Dan. 13. Cum enim ad ſupplicium raperetur pudica matrona, nullius ſibi criminis cõſcia, & quæ ad Deum ſuã cauſam referret, Daniel Dei ſpiritu impulſus elata voce cõclamat, nullo ſuo merito illã morti adiudicatam, ac rei cauſam accuratiùs excuriendã. Itaque conuocato ſeniorum conſeſſu & populi frequentia, calumniatores ſemotos aſſeruari iuſſit, ac ſeparatim cõſtitui, deinde accito altero eorum, ſciſcitatur ſub qua arbore mœchus cum illa ſit congreſſus: *Sub lentiſco*, inquit, Daniel dira illi comminatus ablegat, atque alterum produci iubet, cui cum ſimilis interrogatio proponitur de inito congreſſu ac perpetrato illegitimo concubitu, *Sub Ilice*, inquit: itaque vterque & mendacij & illatæ calumniæ conuictus ex lege Moſi morte ſunt mulctati. Cæterùm vt Deut. 9. lentiſci natura obiter explicetur, arbor eſt patula, & ſic ſatis procera, acinis rubentibus, maturitate nigris,

quæ vt Terebinthus reſinarum ac gummoſum liquorem fundit, quem Medici *maſtichem* vocant, Belgis eodem nomine cognitam, quæ vetuſtate coit in globulos candidos ac ſpiſſatur, catharros autem exſiccat ac fluxiones ſiſtit, ſuffitu ſyncipiti admotum, vel ramentis aliquot ore conuolutis, dentes mobiles ac vacillantes, atque vligine viriatos firmat, ac gratum oris habitum efficit. Ex hac arbore cuſpides conficiuntur ab Italis, vt apud Belgas ex Iuniperi & lauri ſarmentis, extergendis poliendiſque dentibus accommodæ. Sic vt prouerbiali figura dicantur *Lentiſcum mandere*, qui eius rei curioſi ſunt, ac plus nimiam operam dentibus poliendis adhibent. Noſtrates nunc ardeæ ſtellaris ex auro, argento, ebore, vngue, quam alitem *Putoir* Belgæ vocant, ex paſtinaca marina vulgo *Piilſteert*, ab aculeato telo ſic dicta, à Galeo piſce Zelandis *Haye*, conficiunt verò ex lentiſco confecta dentiſcalpia, minus gingiuas vulnerant, ſed condenſant potius aſtrictionis ratione. Hunc veteribus in vſu fuiſſe Martialis indicat,

In Apophoretis. *Lentiſco melius, ſed ſi tibi frondea cuſpis*
Defuerit, dentes penna leuare poteſt.

Cæterùm alter qui mendacij calore calumniam adornare atque obtegere meditatur, ſub pruno, hoc eſt, ilice patratum ſcelus impudenter confingit. Ilex. Hæc inter glandiferas arbores refertur, foliis perenni virore, nec deciduis, cui fruticulo viſcum innaſcitur, quo medici vtuntur in expurganda epilepſia, morbiſque aliis qui ex turgidis ſpumoſiſque humoribus excitantur. Eſt vna ilicis ſpecies quæ coccum granum præbet, vulgò *Vermilion, Crameziin, Scaerlaken*, quo infectores vtuntur illuſtranda lana, byſſo, ac bombice exuberantiſſimi ruboris calore. Acrifolium. Eximitur non diſſimile granum ex acrifolio arbore filiis quaquauerſum aculeatis, læuore perpolitis, quæ cum apud Brabentos circa ſepes & compita proueniat, raro in iuſtam magnitudinem aſſurgit. Vidi tamen in municipio quodam Zirizeæ contermino magnitudine pruni arboris, eamque cultoris induſtria & crebra ſtolonum amputatione in ſummam proceritatem faſtigiatam, profert autem eunte autumno baccas orbiculatas piſi magnitudine, inſigni rubore perfuſas, quales etiam exhibet ruſcus quæ noſtratibus *buxus* aculeata vocatur: tum taxus arbor quæ folio eſt laricis aut piceæ vel abietis, vt ſuperiorib. annis Londini mihi conſpecta eſt, cuius vmbra apud Britannos non eſt mortifera, nec baccæ lethiferæ: in Hiſpania enim illis venenati quiddam ſubeſſe prædicant, nec temere in alimenti vſum aſſumunt indigenæ, tametſi gallinas illis ſaginari

ac

ac pingueſcere nonnulli experiantur, exuta opinor natiua, inſitáque ferocitate.

De Hyacintho veſteque hyacinthina, vel à viola colore Ianthina.

CAPVT XV.

VIttas, tegmina, fimbrias, chlamydes, pallas, velamina, operimenta, ſtragula Hyacinthino, vel Ianthino, hoc eſt, violaceo colore imbuta, ad decus & ornatū adhibita, ad oblectandos paſcendoſque oculos olim, vt etiam noſtro ſeculo in deliciis habita Bibliorum codices paſſim demonſtrāt. Sic Pontifici Iudaico eius coloris indumenta regali ſplendore præſcripta ſunt ex auro, Hyacintho, purpura, cocco iterato, hoc eſt, bis tincto, byſſo, atque opere Phrygio, quo cultu ac nitore populus rudis olim officio continebatur quò eſſet in religionem propenſior. Deſumitur autem coloris huius appellatio partim ex Hyacintho ſpectabili gemma, aut Ianthina, hoc eſt, violacea tinctura: partim ex amabili eius nominis floſculo qui exuberanti ceruleo purpuraſcit, qualis conſpicitur in Amethiſto gemma, in Cirſio, ſeu vulgari bugloſſo, aliiſque herbis paſſim obuiis, quarum flores purpureo colore collucent, atque oculis ſuauiter blandiuntur. Inſectatur autem nonnunquam Deus illorum luxum faſtúmque ac ſuperbiam, qui operoſis ſumptuoſiſque huiuſmodi tegumentis magnificentiam ſuam aliis inani oſtentatione venditant, atque Ianthino purpureoque amictu clari, infimos quoſque deſpicatos habent & faſtidiunt. Nonnunquam ex his deſumit cōcinnas Metaphoras ac ſimilitudines, eaſque ad internas dotes transfert, ad animi decus mētiſque ornamēta accommodat. Talibus enim exemplis homines ſocordes commonefacit ſui officij, & quid Deo præſtare, qualem illi cultū exhibere, & quàm ſolicitè expulſa omni ſuperſtitione & idololatria, in ipſius religione conſiſtere debeant accuratè demonſtrat. Quod ipſum cum aliàs tum disertè apud Ezechielem in hoc capite exprimitur. Primum enim in mētem illis reuocat quanta quámque immenſa beneficia in hos contulit, qua vſus ſit erga illos bonitate, quibus illuſtrauit tum animi tum corporis muneribus, quàm ſalutaria præcepta tradidit, quàm ſacra religione mentes illorum cognitione Diuinitatis imbutas, inſtruxit. Deinde expoſtulat cum deſertoribus atque ingratis, quòd omnibus iſtis in probrum ac dedecus

Hier. 10. Exod. 28.

Hyacinthus gemma.

Cap. 16.

abuſi ſunt,atque in profanum vſum,cultúmque alienum ac nefarium tranſtulerunt, ſic vt mentem, rationem,intelligentiam, animi præſtantiam,acumen ingenij omnéſque vires non in illuſtranda illius maieſtate,non in obſeruanda tuẽdáque ſacratiſſima ipſius religione: ſed in erigenda ſtabiliendáque idololatria, in ſuperſtitioſis & commentitiis cultibus inducendis conferrent. Sic enim proſequitur concionem obiurgatoriam ad Hieroſolymã conuerſo ſermone: *Cùm*, inquit,*nuda eſſes,inops, egena,omnique ſubſidio ac ſolatio deſtituta, velut infans recens in lucem editus,ſordibus & ſanguinolenta illuuie inuolutus,cui nondum vmbilicus præciſus eſt,nec materni vteri inquinamenta abluta, ego præteriens, te conſpicatus in ſanguine tuo volutatam, multiplici incremento, tanquam ſtirpem & germen terreſtre te auxi*: adeò vt ſenſim tacitique auctibus adoleſcere cœperis atque progredi, vt comi & poliri, mũdóque muliebri exornari poſſis, id eſſe tempeſtiuum vbera indicant iam prætumida, & germinantes denſi vndique capilli. Et quanquam in hac ætate eſſes conſtituta, nuda tamen eras & deiecta, oculiſque ſpectantium (contra quàm illius ſexus pudor aut decus patiebatur) expoſita, quod ego dum hac iter ingredior conſpicatus, obſeruaui te pubeſcere, atque in ea ætate conſtitutam, quæ eſſet amoribus idonea, & à procis atque amaſiis ambiri poſſet,tanquam nubilis maturaque viro,& cui ſponſus deſignari debet. *Ego verò expandi amictum meum ſuper te*, & velaui quæ parum pudenter & verecundè oculis ſpectantium exhibentur,ac decẽtiùs obteguntur,ac data fide initóque fœdere te mihi deſponſaui,atque vnitam aſſumptamque in legitimam vitæ ſocietatem ablui à ſordibus,ita vt nulla labes, nihil inquinamenti tibi inhæreret: deinde vnguento delibutam ornaui veſte variegata, calceaui hyacintho, torque, armillis,corona capitis illuſtraui. Tu verò tam inſigniter compta,tam operoſè culta proſtituiſti te alienis, omniaque ornamenta noſtra nulli quàm mihi conſecrata in profanos vſus conuertiſti. Quo indicat, vt mulierem impudicam adulterio, ita illam idololatria contaminatam, eumque honorem,& cultum, quem Deo impendi par erat, dæmonibus exhibitũ,cum omnes cogitationes,vota,deſideria, ſpes & fiducia in Deũ eſſent referenda à quo vno dependet hominũ ſalus. Tunc autem maximè Maieſtas & amplitudo ſupremi numinis imminuitur, ac contumelia ignominiaque afficitur, cum illi adimitur, atque in alium transfertur, quod nulli præterquam ipſi attribui debet,hac enim ratione debita illum laude,iuſtoque honore fraudamus, & nos defectu ſincero eius cultu ad perniciosũm rapimur magno ſalutis noſtræ detrimento.

Cap. Ezechi. 16. paraphraſticè enarratum.

De Carice, Scirpo, Iunco, Paluſtri, Papyro.

CAPVT XVI.

CArex Scirpi modo fruticat locis paluſtribus & vliginoſis, forma triangulari, vtroque latere ſecandi vi prædita, qua virenti fronde Belgæ & Britanni triclinia ac cœnacula ædéſque ſacras æſtiuis menſibus conſternunt, quò æſtum propulſent, ac ſuaui gratóque halitu reficiantur. Scirpus iunco paluſtri affinis frutex eſt læuore perpolitus, orbiculatus, ſtilo enodi, nulliſque geniculis aut internodiis diſtincto: fungoſa intus candidáque medulla, quam noſtrates in amenti aut craſſioris fili modum exemptam in multos vſus accommodant. Siquidem in nuptiali Pompa ex hac ornamenta & ſupellectilem fictam & commentitiam confingunt, nempe calathos, vrceos, diſcos, pectines, ſcopas, ſedilia, crumenas amētatas, quales mulieribus vſui, ceſtus, ſeu cingula, zonáſque virgineas: multáque alia miro artificio ac concinno contextu elaborata conficiunt, quibus in gratiam ſponſæ laqueatia adornant, peractiſque nuptiis pro apophoretis ac ſtrenis ſingulis diſtribuunt. Quoniam autem huic ſtirpi culmus eſt leuis ac minimè geniculatus aut nodoſus, prouerbio locum fecit, *In ſcirpo nodum quærere.* Quod in hoc quadrat qui plus nimio anxij ſunt & ſcrupuloſi, quique fruſtra ac nullo fructu ſe fatigant. Belgæ fruticē hunc qui aliquando in mediocrem altitudinē aſſurgit, *Bieſen* vocant, ex quo ſtoreas noſtrates contexunt, ſtragula, naſſas, quallos, fiſcellas, quoniam viminoſus eſt flexilis, naturáque tam ſequaci, vt quiduis ex hoc elaborari poſſit. Sunt paſſim obuij in ſabuletis Zelandicis ac colliculis arenoſis, iunci non admodum proceri, cacumine aculeato, ita vt in ambulantium ſuris infeſti ſint, ac puncturas infigant, cuius fruticis frequens eſt apud nos plantatio in eum vſum excogitata, vt arenam & puluerulenta queque æſtu quodam ventoſo agitata remoretur, ne agros & noualia ſementi deſtinata obruant, quocirca noſtrates *Helm* vocant, quòd vt galea caput, ita iſte fruticulus agros muniat ac tueatur ab arenæ impulſu. Ex iunci forma ac ſpecie adoleſcentulæ quę gratioſæ videri affectāt ac teneritate cōmendari, iunceæ apud Terētiū dicūtur, quod etiā noſtratibus vſu venit, quę vt gracili corpore ſpectabiles ſint, ſe arctius preſſiúſq; aſtringūt ac ſalē liguriunt. Hac enim ratione ſe reddūt iunceas, ne ſi qua

Carex.

Scirpus.

Prouerbium.

Iunci maritimi.

paulò ſit habilior, magiſque opima aut obeſa, athleta cenſeatur. Sic Chærea Terentianus cum miro affectu eſſet erga amicam, cui erat decora oris figura, color verus nec aſcititius, corpus ſolidum ac ſucci plenum, in ipſóque flore ætatis conſtitutum, illud aliis quæ ſtudēt operoſa cura gracileſcere. itaque Parmenoni mentem ſuam aperit, atque indicat in quam oculos coniecerit, & qua potiri cupiat, cum præ hac omnes quotidianæ formæ illi vileſcant ac ſint deſpicatæ. Siquidem, vt is ait,

Eunuch. *Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum quas matres ſtudent*
Act. 2. *Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, vt graciles ſint.*
Scen. 3. *Si qua habilior paulò, pugilem eſſe aiunt: deducunt cibum.*
Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura iunceas.
——— *Itaque ergo amantur.*

Papyrus frutex. Vt autem apud nos Scirpus, iuncus, arundo, typha paluſtris, ita in paludoſis Nili aquis papyrus naſcitur, ex hac olim in tenuiſſimas membranas diſſecta chartæ confici ſolent, vt nunc in Europa ex linteolis minutatim contuſis, atque aqua maceratis, quæ cum eundem cum veterum papyro vſum & commoditatem obtineant, vetus nomen reſeruant. Aſſurgit autem papyri frutex nonnunquam in octo aut decem cubitorū altitudinem, vt arundo in Hiſpania, internodiis diſtincta, forma triangulari eā craſſitudine quæ manum complicatam im-

Scipiones ex papyro. pleat, ex quibus vbi inareſcunt, ſcipiones conficiunt læuore perpolitos, colore ſpadicio, qualis eſt caſtanearū extimus cortex. iis enim Patricij ingraueſcēte atque inclinata ætate ſe fulciūnt ac greſſum labātem firmant. Exhibet ſe hac ſtirpe eſculēti quiddā, vt in noſtræ arundinis radice candida & geniculata, ſapore mellito, ſed expreſſo tantū ſuccedentibus, reiecto cortice.

Lib. 13. c. 11. Ex papyro olim lembos, ſcaphas, cymbas, aliáque nauigia pice oblita conſtruxiſſe Ægyptios, præter Plinium Eſaias vates

Cap. 18. indicat, qui minatur terræ quæ trans flumina Æthiopiæ ſita eſt, hoc eſt, Nili accolis qui per mare legatos mittunt in vaſis papyri, hoc eſt, iunceis ac ſcirpeis nauib. vt inito fœdere ac cōiunctis copiis cū aliis nationib. Iſraëlitas opprimant. Cæterùm vt argumentum ſuſceptum proſequar, deſumuntur in Bibliis à iam commemoratis ſtirpibus concinnæ ſimilitudines & Metaphoræ. Sic cum Iob diſceptaret cum Sarrapis aliquot, quibus viſum eſt officij cauſa, atque humanitatis impulſu illum adire, quò tam afflicti hominis calamitati condoleſcerent, tantamque cladem commiſeratione dignam deplorarent, multa inter hos vltro citróque agitata, atque in controuerſiam vo-

Iob 8. cata, de humanæ vitæ curſu, de Dei erga homines prouidentia, de afflictione hominum, quæ bonis non minus quàm malis

malis impendet, de proſperitate & ſucceſſu rerũ,quibus æquè mali ac boni fruuntur, vnus adſtantium, nempe Bildad|Suites qui ſolitis rationibus ex natura rerum petitis argumenta ſua fulcire nititur,conuincere tentat impios, infames,nefarios,facinoroſos, improbos calumniatores,hypocritas,quique ficta & ſimulata religionis ſpecie hominibus imponunt,ac Deo fucum faciũt,non diu ſubſiſtere, illos quidem ad tempus ſpectatiſſimè florere,verùm qui ingruente Dei iudicio citiſſimè exareſcant & conterantur,vt Carices,vt ſcirpi, vt iunci,vt gramina virenteſque herbæ aquarum irrigatione diſtitutæ. Impij enim in afflictionibus, periculis, calamitatibus,imminente morte,deſtituti fiducia ac ſolatio Dei labaſcunt, nec habent quo ſe fulciant, ſed in deſperationem ac diffidentiam deuoluuntur. Non difficile eſt Eſaiæ vaticinium contra Ægyptios, quos ad egeſtatem redigendos pronunciat, ac primùm mentem atque animum, deinde omnia illis adimenda,quorum vſu & cõmoditate negotiatio,piſcatura, aliáque opificia ſubſiſtebant, atque vberrimũ quæſtum præbere conſueuerunt. *Areſcent*,inquit,*aqua à mari, & fluuius exſiccabitur,exhaurientur & ſiccabuntur riui, calamus ſiue arundo,papyrus & iuncus inareſcent,& omnes virentes herba circa fluuios,ac riui ripam peribunt.* Quo maximam ſterilitatem fore denunciat,ac nullam piſcatorum frequentiam, nullos cõmeatus, nullum ementium concurſum. Nonnunquam Deus ſucceſſum piorum hominum, progreſſus & incrementa pietatis, omnem rerum ſalutarium affluentiam ſalientibus aquis & fluminibus, denique virentibus herbis, floridiſque pratis & viridariis comparat. Atque Eſaias fœcunditatẽ pollicetur, ſqualidis,incultis,ſiticuloſis agris,eoſque irrigãdos ſaluberrimis ac ſcaturiendis aquis pronunciat,multiſque ſpecioſis herbis decorandos. Quo indicat aridas atque ieiunas mentes irrigandas verbo Dei,ac ſalutari eius doctrina,eiuſque ſpiritu prófundendas. Sic autem eius rei vaticinium proſequitur. *Lætabitur deſerta & inuia,& exultabit ſolitudo,& florebit quaſi lilium, vertetur locus aridus in ſtagnum,& ſcaturient ſiticuloſa aquis, in cubilibus in quibus prius dracones habitãt,orietur viror calami & iunci.* Hoc eſt,Expulſis profligatiſque vitiorum monſtris,proferent ſe virtutes ac pietatis ſemina,emerget Amor & Charitas erga Deum & homines,erigetur in animis hominum Spes & Fiducia conſequendæ ſalutis,ſic vt mentes ante ſteriles fotæ atque irrigatæ verbi Dei ſcaturigine, ac fidei robore fultæ vberrimos fructus proferre incipiant non ſecus,quàm ager benè cultus lætas ſegetes ac ſpectabiles herbas profundit.

Iobi locus explicatus.

Cap.19.

Eſaiæ locus explicatus.

Cap.35.

Metaphora Eſaiæ explicata.

De Abſynthio.

CAPVT XVII.

TRes ſpectantur apud Belgas maritimos Abſynthij ſpecies Pontificum, vulgò Romanum, quod in his colitur, non inſuaui odore: Marinum in Oceani crepedine paſſim obuium. Vulgare inſigni amaritudine, expugnandis vermibus cum primis efficax & præſentaneum, quod ramen in hortos tranſlatum miteſcit adeo, vt non ſolùm ſapor, ſed foliis etiam color immutetur. Ex incanis enim & cinericeis virorem adſciſcunt, nec odorem protſus ingratum aut faſtidioſum. Ex hoc amariſſimo frutice Scriptores ſacri paſſim ſimilitudines deſumunt,

Cap.9. eaſque impiis accommodant. Sic cum Deus apud Hieremiam improbis triſtia, acerba, amarulenta minitarur, ac calamitates denunciat, *Ecce ego*, inquit. *cibabo populũ iſtum abſynthio, & propinabo aquam fellis, & diſpergam eos in gentes ignotas, & gladio*

Ieremiæ loca explicata. *illos proſequar.* Rurſus ad prophetas mendaces qui Dei verbo abutuntur, & adulterant verbum eius, *Ecce ego*, inquit, *ſaturabo illos abſynthio, & potabo eos felle, quoniam à Prophetis Ieruſalem*

Cap.23. *progreſſa eſt impietas, & pollutio diffuſa eſt in totã regionem.* Amos

Cap.5. & 6. autem vates cum inuehitur in pſeudoprophetas qui in ſpeciẽ blanda magis, quam ſalutaria proferũnt, ac prætextu religionis, ſyncerum Dei cultum ſuperſtitionibus cõtaminant, deinde quòd proceres & optimates, quorum intereſt æquitati ſtudere, atque adminiſtrare iuſtitiam, *Conuertam*, inquit, *iudicium in amaritudinem, & fructum iuſtitiæ in abſynthium*, hoc eſt, deflectent ſe ab æquitate, nec rectè perfunguntur iudicis officio, quod prorſus amarulentum eſt & acerbum homini innocenti, qui ab iniuria vindicari cupit, ac ſubleuari, in æqua cauſa non

Cap.5. opprimi. Inſectatur autem Eſaias pluribus locis huiuſcemodi iudices corruptos, qui dicunt bonum malum, & malum bonũ, qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Rurſus alio loco illos exagitat qui muneribus obcæcati opprimunt innocentes, quorum

Cap.10. cauſam tueri deberent, illiſque ſuum ius eripiunt. Sic enim in-

Ezech.22. ſurgit aduerſus huiuſmodi nomophylaces, hoc eſt, legum conditores, *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentis iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ illis prædæ, & pupillos*

Cap.5. *diriperent.* Apud Ieremiam non minus acerbè in illos incandeſcit,

deſcit, *Inueniuntur*, inquit, *in populo meo impij inſidiantes quaſi* Cap 5.
aucupes ponentes laqueos ac pedicas ad capiendos homines ſicuti decipula & cauea plena auibus, ſic domus eorum referta dolô & fraudibus, cauſam viduæ non iudicant, pupillis non patrocinantur, & iudicium pauperibus eripiunt. Cæterùm vbicumque in Scriptura Abſynthij fit mentio, maximam atque acerbiſſimam calamitatem, animique tormentum ſubeſſe indicat. Sic in clade illa funeſtoque ac luctuoſo Hieroſolymæ excidio Ieremias ciuium ſuorum perſonam ſuſtinens quæritur ſe felle circumfuſum, & oppletum amaritudine, & Abſynthio inebriatum. Quo indicat ad ſummum luctum atque angorem animi nihil eſſe reliqui, nec quid amplius poſſe adiici. Non diſſimilis eſt deploratio ac querimonia Dauidis cum in dubio belli euentu conſtitutus eſſet, ac illi ab hoſtibus periculum immineret. Sic enim ad Deum ſua vota dirigit, *Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti* Pſal.49.
nos, & miſertus es nobis: commouiſti terram, & conturbaſti eam, Dauidis locus il-
obieciſti populo tuo dira, potaſti nos vino compunctionis, hoc eſt, luſtratus.
ſpectacula oculis noſtris obieciſti, quibus non ſumus exhilarati, ſed in mœrorem & mœſtitiam, in anxietatem & mortis horrorem deiecti, vt ij quibus mortifero aliquo poculo, aut venenata lethalique potione vitalia perfuſa obſtupeſcunt. Eadem vſi ſunt Metaphora Eſaias, Ieremias, Ezechiel, qui pro- Cap.51.
pinatum vini furioſi calicem deſcribunt cùm regibus, tum pro- Cap.21.
miſcuæ plebi, quo guſtato in rabiem atque inſaniam ſtupo- Cap.25.
remque acti ſunt, prorſuſque orbati mente, ratione, iudicio, rerumque gerendarum prudentia & conſilio. Nec prorſus clementiùs tractatur qui meretricum conſortio aſſueſcit, illarumque blanditiis, fallaciis, illecebris, lenociniis capi ſe ac deliniri patitur. Quod cum à Salomone ſit obſeruatum, ſtudioſè commonefacit filium ineuntis ætatis inſcitiæ, vt longè ab alienis ſe ſubducat, nec vlla ratione earum blanditiis mentem incantari ſuſtineat. *Fauus enim* (vt inquit) *diſtillans labia meretricis*, hoc Prou.7.
eſt, ſermo blandus & mellitus, eiuſque fauces & guttur nitidius & 8.
molliuſque oleo: *nouiſſima verò ac rei exitus amarus vt Abſynthium, & lingua eius acuta vt gladius anceps.* Siquidem omnia agit inſidioſè, ſimulatè, fraudulenter, atque incredibili aſtutia, venationi & aucupio intenta, omnes ingenij vires ad emungendum confert. Cæterum cum fellis & Abſynthij nomine triſtia quæque, noxia, amara, tetra, calamitoſa denunciari ſoleāt, tum tale quiddam etiam in Apocalypſi deſignatur. Si quidem clan- Cap.8.
gente tuba Angelo, cecidit de cœlo magna ſtella, facis in morem ardens, quâ ira Dei acceſſa in impios denotatur (erat autem ſtellæ nomen Abſynthium) eáque delapſa in terram, fluuiorū

partem,

partem, & aquarum fontes: conuerſa eſt tertia pars in abſynthium, multique hominum in aquis interierunt, quòd amaritudine imbutæ eſſent. Vt autem naturalis ſyderum concurſus, aſpectuſque, & (vt vocant) conſtellatio aſtrorum ferialis aliquando eſt & noxia, magnamque ſtragem hominibus & brutis animantibus, ſatiſque ac ſementi infert: ita vis iſta cœleſtis exitialis fuit humano generi, magnáque detrimenta intulit, vindicta Dei in reprobos inflammata.

De Carduis, Spinis, Vepribus, Tribulis, Rubis, Lappis, Sentibus, & quibus hæ ſtirpes in Scriptura accommodari ſolent, & quid deſignent.

CAPVT XVIII.

STirpes iſtæ quæ ſponte ferè atque inuitis colonis nuſquam non erumpunt, nihil propemodum commodi hominibus adferunt, ſed aculeis infeſtæ ſunt, ac ſementi officiunt. Quocirca cùm Deus maledictionem Adamo träſgreſſori atque ærumnas vitamque laborioſam impendere denunciat, *Maledicta terra*, inquit, *in opere tuo*, in labotibus comedes ex ea, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo. ſpinas & tribulos, ſentes & carduos germinabit tibi, & comedes herbas terræ.* Sic Deus accenſus furore in populum Iſraëliticum, qui nulla grati animi argumenta erga ipſum proferebat ſub vineæ nomine dira illi minatur, quòd poſt tantam culturam, pro ſapidis vuis labruſcas produxerit: *Oſtendam*, inquit, *vobis quid facturus ſim vineæ meæ, auferam ſepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriem eius, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam, non putabitur, nec fodietur, & aſcendent opprimentque eam ſentes, vepres, & ſpinæ.*

(Margin: Geneſ. 3. — Cap. 5. — Oſeæ 10. — Eſaiæ & Oſeæ locus explicatus.)

Qua figurata loquutione indicat ſe extremam impendiſſe operam fouendis erudiendiſque Iſraëlitis ſalubri doctrina, mentéſque illorum verbo ſuo continenter irrigaſſe, nec quidquam prætermiſiſſe eorum quæ ad animorum cultum ſpectăt, ſed fruſtra inſumpſiſſe laborem, nec quidquam ſe profeciſſe deplorat: quaproter illos pro deſertis habet, ac patitur ruere in omne probrum ac dedecus, in cupiditates ignominioſas, & fœdas, in mores improbos & vitioſos, ſic vt mens illorum inculta, nulliſque ornata virtutibus vitiis vndique ſcateat, vt ſolum neglectum & cultura deſtitutum, herbis noxiis. Rurſus alio loco ſterilitatem illis denunciat, ac rerum penuriam, nul-

laſque

laſque futuras fruges aut annuos prouentus,ſic vt terra maledictioni obnoxia, humus ſitu & ſqualore obſita non aliud quàm ſpinas,vepres,ac tribulos profundat. Sic quocunque loco fuerint, mille vites æſtimatæ, mille argenteis ibi in vepres & ſpinas locáque ſenticoſa vertentur,adeo vt in vniuerſa terra nullus ager victum ſuppeditet, ſed tota regio in ſolitudinem eamque vaſtitatem ſit redigenda, vt fruges vel alimenta, vt cibaria defutura ſint, omniáque in agris horrida ſe proferant, ſqualida, ſiticuloſa,inculta, omni nitore atque amabili viriditate diſtituta. Paulo autem inferius atrociora magiſque horrenda impiis obuentura denuntiat. Sic enim contra Idumæos, hoc eſt,Dei & Eccleſiæ hoſtes vaticinium inſtituit: *Conuertentur eius flumina & torrētes in picem,& humus eius in ſulphur,& erit terra in picem ardentem, nec extinguetur in ſempiternum, & ſolabitur in perpetuum,nullo per eam tranſeunte, vlula,ericius,noctua,ibi & coruus,* quæ alites & animantia hominum conſortia fugiunt. *Nobiles eius erant abſque regno , & principes ad nihilum redigentur*, hoc eſt , nullus erit Reipublicæ ſtatus, nulla politia,nullus principi honor aut dignitas,nulla imperij maieſtas, nullus ordo vel conſularis vel ſenatorius, ſed mera inter plebem & optimates confuſio oppreſſis legibus , ac iuris æquitate ſublata : cum hoc etiam accedat ad malorum cumulum , ac miſerandam rerum faciem,vt Regum palatia ſolo ſint æquāda, omneſque ædes ſplendidæ atque operoſius ædificatæ diruendæ ſint, atque ad nihilum redigendæ,ſic vt hominum frequentia vacuæ feris & alitibus luſtra & latibula præbeant.Sic enim hæc cum iſto,tum aliis locis amplificat,ac regionis vaſtitatem exaggerat in immenſum: *Et orientur in domibus eius ſpinæ, vrtica , ſentes, cardui, vepres , & paliurus in domibus eius* , vt ferè conſpici ſolet in ruinoſis palatiis , bellóque dirutis arcibus. Et erit inibi latibulum draconum , & ſtruthionum ſtatio , & occurrent in deſertis iis locis inter ſe dæmonia, onocētaurus, Syluani, piloſique Fauni & Satyri, nocturnæque Striges ac Lemures , in iis etiam habitaculis reſidebit Lamia , nidulabitur bubo , vultures & rapaces milui. Quarum rerum commemoratione horrendam vaſtitatem ac ſolitudinem, ruinaſque celebrium locorum oculis obiicit,eóque funeſto ſpectaculo acriùs percellit hominum animos, quòd nulla in florentiſſima regione ſpectabitur negotiatorum frequentia , nullus populi concurſus;nulla commeantium turba , nulla nundinatio aut mercatura,ſed tantùm monſtra.harpyiæ & Chimæræ ſe oculis ſpectantium offerent, immaneſque belluæ & nocentes feræ, quarum aſpectus vel fortiſſimo cuique terrorem ac trepidationem incutit,

Eſa.5. Cap.32. Eſa.34. Eſaiæ locus interpretatus. Eſaiæ 13. Sopho.2.

Dæmon ſe in mõſtra transformat. incutit. In has deformes horrendaſque beſtias ſe nonnunquam dæmones & mali Genij transformant, variiſque aſpectis ac præſtigiis pauidas mentes territant, præſertim illas quæ cognitione Dei non admodum imbutæ ſunt, illiuſque verbo fultæ Huiuſmodi etiam imagines monſtruoſas ac ſimulachra inaudita animo menteque concipiunt melancholici, maniaci, phrenetici, deliri, ebrij, febricitantes, aut conſcientia ſcelerum furiis agitantur. Iſtis enim variæ rerum ſpecies, & abſurda phantaſmata animo obuerſantur affecto cerebro, ac ſpiritu animali tetris denſiſque vaporibus offuſcato: ſic vt illis ex vitioſa capitis affectione mentem, rationem, iudicium, memoriam eripi contingat ac perturbata imaginatione confusè de rebus obuiis iudicare.

De Ficu, Carica, Groſſo.

CAPVT XIX.

Ficus apud Belgarum etiã extremos atque Ocean i accolas aliquando bifera, hoc eſt, bis in anno fructifera, quæ æſtate feruida fructus prorſus maturos profert. Sic annos redempti orbis 1540. definente menſe Iulio cum Imperator Carolus eius nominis quintus peragrata Belgica Selandiam, tractuſque maritimos perluſtraret, ac Zitizeam iuuiſeret, oblatæ ſunt illi melones inuſitatæ magnitudinis, miréque ſapidi & ſucculenti, ac ficus turgidæ adeò maturæ, vt Cæſar rei nouitate delectatus (quod tale quiddam in frigida regione non ſperaret) aſſereret ne in Hiſpania quidem meliùs potuiſſe matureſcere, verùm id nobis non eſt perpetuũ, quòd aliquando æſtiuis menſibus calor languidus ſit, & remiſſior, quàm vt poſſit huiuſmodi fructus ad maturitatem perducere. Fici arboris fructus duplicis eſt differentiæ. Nam Caricæ ficus ſunt tempeſtiuæ, quæ ab arbore eximuntur antequã prorſus ſicceſcant, deinde exiccatæ in fiſcellas ab Hiſpanis reconduntur. Groſſi primitiuæ ficus ſiccoſæ, præcoces, & intempeſtiuæ quæ non matureſcunt, vel ſetiùs maturitatẽ aſſequuntur, vnde ſerotinæ dictæ. Cùm autẽ ficus flore deſtituta ſit cæteris floreſcẽtibus arboribus, iſta groſſos producit. Sumuntur autem ex hac ſtirpe eiuſque fructu ſimilitudines & exẽpla in arcanis litteris cum primis elegantia. Sic cùm Chriſtus vaticinatur Iudæis obuẽturas calamitates, & deuaſtandam Hieroſolymã ne quem dies Domini inopinato opprimat multis exemplis ad excubias ac vigilantiam omnes extimulat, ſumptáque ſimilitudine à germinante ficu, quibus indiciis aduẽtus Domini

Marginalia: Ficus fructus duplices profert. — Caricæ. — Groſſi. — Matth. 24. Marc. 13.

Domini obſeruari poſſit,commonſtrat. Vt enim cum huius arboris rami tenereſcunt ac frondeſcere incipiunt,ſuoſque groſſos partuciunt,inſtare æſtatem indicant:ita proditiones,peſtes, bella,fames,terræ motus initia ſunt dolorum atque in foribus eſſe iudicij diem teſtantur. Cæterùm ficus maturandi ac leniendi facultate pollere Eſaias etiam commõſtrauit.Siquidem cataplaſma illum confeciſſe legimus ex contuſis ficubus,atque Ezechiæ regis apoſtemati admouiſſe eoque præſidio illum ſanitati reſtitutum,ſic vt Deus ſingulari ſuo beneficio,quo Regi vita in quindecim annos prorogata eſt externam medicinam adhibuit, quæ illius munere corporibus humanis efficax eſt & præſentanea. Nahum propheta cum omnia humana præſidia inualida pronunciat atque infirma,nec vllas muniriones, turres, propugnacula contra Dei vim ſubſiſtere, ficubus maturis illa cõparat, quæ leuiſſimo motu atque agitatione arboris decidunt. Itaque Aſſyriorum genti ſic inſultat,*Omnes munitiones tua ſunt ficus cum groſſis ſuu,ſi concuſſa fuerint,cadunt in os comedentis.* Quo indicat omnes illorũ vires,robur,potentiam corruere atque ad nihilum redigi extenta exporrectáque manu ſua.Deus autem per Oſeam ex ſuauiſſimis huiuſmodi fructibus ſumpta ſimilitudine expoſtulat cum populo Iſraëlitico,quod à tam amabili propẽſoque Domino deſciuerit,atque Idololatria ſe cõtaminauerit.Sic enim fauorem erga ipſum,animique propenſionem exprimit.*Tãquã vuas in deſerto inueni Iſrael & quaſi prima ficulnea poma.*Quo deſignat non ſecus ſe affici erga Iſraëlem,quàm viator laſſus ac ſiticuloſus afficitur erga ſapidam & ſucculentam vuam quæ ex inſperato ſe obtulit in vaſta aliqua ſolitudine ac loco ſterili,an præmaturo ac præcoci ficus fructu, quo nihil illi ad reficiendas vires obtingere potuit gratius magiſque acceptum. Atqui cum tanto illum amore complectatur,eoque ſe oblectet vt fructu aliquo delectabili , ipſe non reſpondet amore mutuo,ſed ad *Beelphegor*,hoc eſt, Priati idolum rapitur,illiuſque abominando cultu ſe contaminat.Sumuntur autem ex ficu eiuſque foliis & fructu innumeræ paſſim apud Prophetas ſimilitudines,quibus nonnunquam vbertatem rerumque omnium affluentiam deſignant ; priorumque ſucceſſum & incrementa : nonnunquam ſterilitatem, rerumque neceſſatiarum inopiam atque improborum interitum. Sic Chriſtus execratus eſt ficum frõdoſam quidem, ſed minimè fructiferam , qua denotauit fucatam quandam ſpeciem & oſtentationem religionis opetibus ſolidis fructúque fidei deſtitutam. Similiter Michæas vates ſumpta metaphora à terra horrida & inculta atque ab arboribus ſpoliatis ſuis fructibus , vt

finita

Cap.38.

Simile à natura ficu.

Nahum 3.

Cap.9.

Oſeæ locus explicatus.

Matt.21.
Marc.11.

finita meſſe, peractaque vindemia aſſolet, in hunc modum deplorat præſentis ſæculi ſtatum, in eaque ſe incidiſſe tempora queritur, quæ nullos probos aut integros exhibeant: *Væ mihi qui factus ſũ ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum: pracoquas & maturas ficus deſiderauit anima mea, periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.* Quo deſignat profligatam eſſe iuſtitiam & æquitatem, exulare pietatem, extinctam religionem cultúmque Dei, inundaſſe impietatem, omnia paſſim plena eſſe crudelitatis & nequitię Sunt autem huius generis multa in ſacris literis obuia, quæ hic congeri poſſent, ſed non viſum eſt lectorem iis excutiendis defatigare.

Ioëlis 1. Eſai. 34. Hier. 5. & 8. Amos 4.

De Palma arbore eiuſque fructu, & quid in Scriptura ſacra illis deſignetur.

CAPVT XX.

PAlma arbor eſt trunco valido ac procero, folio arundinaceo, gladiolo affini; fructus fert ſapore dulci, Græci *dactylos* vocant à digiti forma, Latini *palmulas*, quibus medici vires inſtaurant exhauſtis & extenuatis. Humorem enim nutricium quem *radicalem* vulgo vocant, fouent, ac corpori arido alimentum conferunt. Cæterùm cùm hæc arbor oneri renitatur, nec prementibus vrgentibúſque cedat, hoc inſigne in certaminibus victori decerni ſolet, quod inuictum animi robur palmæ naturam referat, ac ſit rei fortiter atque animosè geſtum ſymbolum ac trophæum. Sic martyres qui inuicto infiactóque animo aduerſus Tyrannorum ſæuitiam ſubſtiterunt, amicti ſtolis albis, palmis, manibus geſtaſſe leguntur in victoriæ argumentum. Similiter qui iuſtitiam colunt & æquitatem, qui Dei hoſtibus ſe intrepidè opponunt, palmæ aliiſque ſpecioſiſſimis arboribus ſunt ſimiles. Vnde Dauid, *Iuſtus vt palma florebit, vt cedrus in Libano, multiplicabitur.* Cùm enim impij, vt herba, confeſtim areſcant, tum pietatis cultores, vt palma, diutiſſimè vigent & ſubſiſtunt, ac fructus ſuaues proferunt: denique vt Cedrus celſa arbor & odorata, nullóque æuo putredini aut cariei obnoxia, gratiſſimam vmbram miniſtrat. Hoc ipſum deſignat Iob, cùm rectè admiſtratæ iuſtitiæ ſibi conſcius, confidenter pronunciat, *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies:* quibus verbis pollicetur ſibi vitæ diuturnitatem, annóſque florentes ac ſenectam viridem magna cum animi tranquillitate. In Cantico verò Sponſi comæ & cæſaries palmæ

Palma victoriæ index. Apoc. 7. Pſalm. 91. Cap. 29. Cap. 5. Palma electa quid.

palmæ elatæ aſſimilantur, quæ comparatio deſumitur à tenello termite ac cauliculo, ipſoque germine quod è palma producit, vel ab ipſo inuolucro atque integumento ex quo fructus emergit, qui *Phœnicobalanus, Coriota, palmula* vel *dactylus*, dicitur, qui color phœnicus, hoc eſt, ſpadicus ſubeſt, ſic vt deſignet illum rutilanti eſſe capillo, eoque firmo nec deciduo, cum palmæ folia non defluant. Huiuſmodi autẽ coloris crines ſpectantur in Pannoniis, hoc eſt, Hungaris & Auſtriacis, quorum capillitium ferè fulueſcit atque aureo colore perfuſum eſt. Cæterùm cùm Deus indignanter ferat populum ſuum vitiis occæcatum & obſtupefactum obſurdeſcere ad omnia ſalutaria monita, ac nullis afflictionibus, nullis calamitatibus expergiſci ac reſipiſcere, nec vllis plagis induci poſſe, vt à Deo inferri has plagas agnoſcat, ſed in res fortuitas eas reiiciat, atque in ordinarium naturæ curſum referat longè acerbiora magiſque atrocia illis obuentura denunciat, ita vt præter bruchum & locuſtam, erucam, rubiginem (quæ fruges vitiant ac depopulantur, vineas per Iohelem excindendas pronunciet, Cap.1. omneſque ſpectabiles ac fructiferas arbores extirpandas, ita vt nuſquam alimenta ſuppetant, nuſquam vlla frugum ſpes affulgeat, quibus fames poſſet ſedari. Sic enim prodigioſam ſterilitatem terræque vaſtitatem adeſſe indicat, atque ingruente præſentanea clade, ſomno vinóque ſopitos excitat, *Expergiſcimini ebrij, flete & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quia periit in ore veſtro. Poſuit vineam in deſolationem, ficum decorticauit* (ablato enim cortice arbores emoriuntur) *vitis exaruit, & ficus elanguit malegranatum, palma, & malus omneſque arbores exaruerunt.*

De Hebeno, & aliis quibuſdam exoticis, quorum in Scriptura fit mentio

CAPVT XXI.

QVanta olim fuerit in Tyro totius Aſiæ emporio celeberrimo negotiatio, quæ hominum frequentia, qui mercium apparatus, præter illuſtres Hiſtoricos, Ezechiel vates ampliſſime deſcribit: recenſet enim ſingulatim multorum regnorum ac prouinciarum mercimonia rara & exquiſita, quibus explere ſolent negotiatores hanc vrbem, quòd omnibus facilem aditum, acceſſumque commodum præberet, nulla natio hunc locum non frequentabat, eratque commeantium incredibilis Cap.27.

concurſus, antequam ab Alexandro Macedonum rege in ruinam eſſet redacta, quod futurum hoc capite Ezechiel vaticinatus eſt. Inter innumeras autem merces quas hic recenſet vates, Hebenum, ebur, reſinam, ſtactem, calamum, balſamum, corallũ, cryſtallum, & præter pretioſiſſima aromata, aurum, variaſque

Hebenus. gemmas commemorat. Hebenus lignum eſt nigerrimi coloris adeò ponderoſum, vt etiam in tenuiſſimas laminas diſſectum in aqua demergatur nec fluitet. Quia autem duæ ſint huius arboris ſpecies, vna Indica, altera Æthiopica: ex poſtrema elaboratam vidi fiſtulam incuruam ſeſquicubiti longitudine, elegãte nitore expoliatam, vt ferè conſpici ſolet Gagates, duritie lapidoſa ac pluſquam buxea: vbi contrectaui, non ſatis diſcernere potui, an in lignum aut ſaxum, an etiam duriſſimum cornu referri deberet. Eſt huic affine exoticum lignum gentili nomine *Gaiacum* appellatum, quòd in ſcobem ac ramenta limæ attritu redactum, atque in aqua ad tertias decoctum ſalubriter exhibetur morbidis ficoſiſque corporibus, & qui labe venerea ſunt contaminati. Vſus ſunt autem magno ſucceſſu aqua fœniculi in qua huius tritura macerata eſt, ad diſcutiendas oculorum caligines ac glucomata ſiue ſuffuſiones. Ad ſudores verò pronocandos huius decoctum exhibeo cum fumaria, Calthæ floribus, melyſſa, ficubus atque ad exigendos variolos, ac puerorum exanthemata in extimam cutem euocanda.

Eboris natura. Ebur adſtringendi ſpiſſandique eſt natura: quocirca pectines qui ex hoc conficiuntur capillorum defluuium prohibent & caput confortant. Quoniam autem eximij ſit candoris, præſertim vbi dentes primùm ex elephantis mandibulis eximuntur, ideo Sponſa in deſcribendo Sponſi corpore, ventrem illi

Cant. 5. eburneum attribuit, propter candorem & puritatem, ſapphiris diſtinctum, quo caſtitatem deſignat: ea enim gemma caſtos commendat. Sponſæ verò collum turri eburneæ aſſimilatur, quòd candidum ſit, firmum, & erectum, nec obſtipo capite progrediatur. Hieremias autem Nazaræos Deo conſecratos ebori componit, quod vetuſtate rubeſcit. Sic enim deplorat illos ita

Thren. 4. deformatos, vt agnoſci nequirent: *Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicũdiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores, denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Ex quo coniice in

Myrrha. quã calamitatem erant deiecti. Myrrha quæ ex arbore deſtillat Terebintho altiſſimi, corpora à putredine aſſeruat. Stacte liquor reſinoſus & ſtillicidium myrrhæ eiuſque pinguedo quæ vulgo

Styrax. Styrax liquida creditur, cùm Medicis etiam in vſu ſtyrax cala-

Thus. mita Thus Deo dicatum ſuffimen à fumanti vapore vbi igni

Gutta. iniicitur. Gutta thymiama ammoniacum ex arbore in arenam defluit,

defluit, vnde nomen ſortitum Cyrenaicus vel Syriacus, hoc eſt,concretus ſuccus, quem *Benzoi* vocant, ad ſuffitus & odoramenta præcipui effectus & olfactoriola in peſte, vt zibetum, ambra,ſeu ſuccinum Orientale,muſcus, Caſia cinamomo affinis effectuque par, quæ cor recreat,animique deliquio oppreſnis affectúque par,quæ cor recreat,animique deliquio oppreſſos erigit,vulgo *Caneel*.

Aloë concretus liquor ex arbore ſmaragdini coloris, quam nostrates ex Hiſpaniis allatam laquearibus affigunt, ac biennio amabili virore abſque vlla aquæ irrigatione conſeruant. Expreſſus ab hoc frutice ſuccus putredini obſiſtit, ac vermes enecat, morboſque contagioſos impugnat. Lignum quoque aloës quod *Agalochum* vocat,aſphaleto non diſſimile Hebræis etiam in vſu fuiſſe conſtat, quoniam halitus ſuauitatem commendat, vt lignum Rhodium. His omnibus iam memoratis, vt etiam balſami nobili lachryma, ſcriptura decus & virtutis præſtantiam deſignat ac ſuauem gratumque halitum ſalutaris doctrinæ, qua mens hominis affatim perfunditur. Sic cùm Dauid Salomonis nomine Chriſti ſplendorem, amplitudinem, magnificentiam,maieſtatem amplificat, *Myrrha*, inquit,*gutta, & Caſia in veſtimentis tuis à domibus eburneis*.Quo indicat gratiſſimum eſſe odorem & fragrantiam quæ ab ipſo promanat,ac longè latéque ſe diffundere, ita vt omnes mortales reficiat ac recreet. Tale quiddam obuium eſt in Cantico. Sic Sponſa mirificè delectata ſuauiſſimo Sponſi colloquio. *Labia eius*,inquit, *lilia diſtillantia myrrham primam & electam*. Quo deſignat ſermones eius & eloquia plena eſſe gratia & veritate, quæque pios fulciant atque ab omni vitiorum corruptela conſeruent, impios verò amaritudine imbuant, atque illos vel conficiant, vel ad pœnitentiam impellant, metaphora ſumpta à myrrha, quæ tametſi mirè odorata ſit, inſigniter tamen eſt amara.

Aloë. Lignum aloës. Pſal.44. Can.5.3.4. Ioan.1.

De Terebintho.

CAPVT XXII.

Terebinthus arbor in Syria ac Palæſtina ſpectabilis & amœna, folio ferè lauri, flore oleæ coloris punicei, baccis primum herbaceis, mox rubris, maturitate nigris,fundit hæc arbor æſtiuis caloribus Terebinthinam reſinarũ præſtantiſſimam, mirè odoratam, adeo pellucidam vt fundum poculi in quo aſſeruatur,conſpici queat.medetur hæc vulneribus

Terebinthi natura.

ac dolores mitigat, intus verò humorum collectiones diſcutit, ac calculos atterit, meatuſque vrinarios peruios præſtat, ac ſaniem omneſque purulentas concretiones in ſtillicidio vlceroſo, cui ferè ficoſi obnoxij ſunt, expurgat, atque expeditum facilemque decurſum perficit. ſumuntur ex hac arbore ac pleriſque aliis inſignes comparationes & ſimilia. Sic Eſaias poſt illatam cladem Iſraelitis aliquid conſolationis afflictis mentibus adfert, illoſque in ſpem emergendi erigit, qui à calamitate ſunt reſidui, *Multiplicabitur*, inquit, *quæ derelicta erat in medio terræ, & adhuc in ea decimatio, & cõuertetur, & erit in oſtentationem, vt Terebinthus & quercus quæ expandit ramos ſuos, ſemẽ ſanctum erit, id quod ſteterit in ea.* Quo indicat tale quiddam obuẽturum populo Iudaico, quale arboribus quibus Aquilonio hibernóque frigore folia decidunt, aut ictæ fulmine, vel turbine conuulſæ extinctioni videntur proximæ, tanquam omni vitali ſucco deſtitutæ, cum tamen aliquis vigor non nihil inſiti humoris illis ſubſit, quò ineunte verè ac recurrentis anni amœnitate reuiueſcunt ac poſtliminio frondeſcere incipiunt. Itaque denunciat Iſraelitis excidium ac vaſtitatem, qua vix decimus quiſque ſuperfuturus ſit, ſic tamen vt non omnia penitus in nihil ſint redigenda aut extirpanda funditus, ſed futuræ ſint aliquæ reliquiæ, atque homines aliquot à clade reſidui, qui tametſi viſi ſunt internecioni dari, ſublata omni emergendi ſpe, reuiuiſcunt tamen, ac verbi Dei ſemine fulti in priſtinum ſtatum ac dignitatem reducentur, non ſecus quàm ſtirpes aliquot ſpecioſæ vt tilia & terebinthus, quæ brumali frigore concuſſæ exaruiſſe viſæ ſunt, rurſus nouo vere repubeſcunt ac pullulare incipiunt, fœcundâque ſtirpe ſpectatiſſimæ ſe propagant. Cæterùm æterni patris ſapientia Chriſtus Terebintho multiſque aliis ſpecioſiſſimis ſtirpibus ſe comparat, & quam auide quiſque illius doctrinam amplecti debeat, obiter commonſtrat. Sic enim Sapientia ſui cõmendatrix omnibus quibus propria ſalus curæ eſt, ſe approbat. *Ego ex ore altiſſimi prodij primogenita ante omnẽ creaturam, ego feci vt in cœlo oriretur lumen indeficiens, quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & vt Cupreſſus in Sion, quaſi palma in Cades, vt plantatio roſæ in Hiericho, vt platanus expandi ramos iuxta aquas, in plateis vt cinamomũ & balſamũ odorem diffundi, quaſi myrrha electa, quaſi ſtorax, galbanum, onyx,* hoc eſt, blatræ Bizantinæ, ſeu onyx & ſtacte, *ſuauem odorem expiraui, Ego quaſi Terebinthus expandi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.* His omnibus & ſi quid ampliùs huc congeri poſſet, ampliſſimè cõmendatur Dei patris Sapientia Chriſtus, quò certatim omnes cò ſe conferant, atque ab hoc vberrimo fonte

Eſa. 6. Eſaiæ locus explicatus.

Eccleſ. 24.

fonte aquam viuam, hoc eſt, ſalutarem doctrinam depromant, nec aliò diuertant, aut ad ciſternas diſſipatas ſe conferant, hoc eſt, aquas turbidas & cœnoſas quæ arida corda non refocillant aut reficiunt, ſed potiùs veneno imbuunt, vt teſtatur apud Ieremiam Dominus. Cæterùm de Cedri & Cupreſſi natura & viribus ſuperuacuum eſt multa hic referre, cùm apud Dioſcoridem, & Plinium, compluresque alios copiosè earum natura & vires explicentur, hoc tantùm indicaſſe ſufficiat multiplices deſumi ſimilitudines in arcanis literis ex harum arborum radicibus, trunco, ramis, foliis, floribus, ſemine, ab earum ſpecie & decoro aſpectu, ab odore & fragrantia, à durabili æternaque ligni materia, ab vmbra ſalubri quā viatoribus laſſis præbent, à ſuauiſſimis fructibus quos in hominum vſus proferunt, quibus paſſim deſignatur decus & virtutis præſtantia, dignitas & excellentia piorum hominum mentiſque integritas & mores inculpati, qui proſunt omnibus, nocent nemini. Nonnunquam indicant faſtum improborum & ſuperbiam, animi elationem, arrogantiam, timorem, ferociam. Sunt enim celſiſſimæ arbores, ſummæque proceritatis, atque in immenſum faſtigiatæ, quarum pleræque humilibus infirmiſque arbuſtis detrimenta inferunt, vt opulenti tenuioribus. Vt autem Deus cōcitata aeris intemperie altiſſimos montes & proceriſſimas arbores fulmine deiicit, vt iuxta Dauid, *confringit cedros, quercus, ilices, robora*, ita ſuperbos & elatos, faſtuſque turgidos qui ſe aduerſus Deum erigunt, atque hominibus ſunt infeſti conuellit, deiicit, cōminuit. Quò ſpectat illud Eſaiæ. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum & arrogantem, quem humiliabit ſuper omnes cedros Libani ſublimes & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan*: quo declarat Deum minimo negotio fortiſſimas quaſque munitiones & propugnacula deiicere, opes & potentiam elatorum hominum comminuere, nec quidquam tam validum eſſe ac firmum quod contra illius vim poſſit ſubſiſtere. Quod ipſum etiam Zacharias populo ſuo inculcatum eſſe voluit, ne temere fidant humanis præſidiis, cùm nullæ munitiones quantumuis vallatæ illi poſſint obſiſtere, ſed confeſtim exporrecta eius manu cedant ac collabantur. Quocirca in hunc modum tanquam per fecialem (*Arault* noſtri vocant, qui Principis ſui nomine vel pacem vel bellum denunciat) figuratè Iſraelem alloquitur: illique dira minatur. *Aperi Libano portas tuas, & abſumet ignis cedros tuas, vlula abies* (quo deſignat potentiæ inferioris proceres,) *quia cecidit cedrus*, quoniam magnifici vaſtati ſunt. *Vlulate quercus Baſan* (quo denotat duros & intractabiles) *quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus.* Simili cladi

Cap. 2.

Cap. 11.

Cap. 34.

ſubiicit paſtores qui ſuperbia elati imperabant plebeculæ cùm auſteritate & potentia, quod Ezechiel aliàs deplorat, deniq́ue perfectos & optimates populi, qui tanquam leones ſæuitiam ac tyrannidem exercuerunt in ſubditos.

De Myrica, ſiue Tamarice & erica, quæ vulgo à ſolitudine & loco arido Heyde *vocatur, ex qua Belgæ extergendis pauimentis ſcopas conficiunt.*

CAPVT XXIII.

Bucol. Eclog 4. MYrica quæ Tamarice, humilis eſt puſill uſque, apud nos frutex, quod Vigilius etiam obſeruauit, folio ſcabro ſcabinæ non abſimili, flore purpureo, concretu muſcoſo, quo

Erica. apes impenſe delectantur. Huic affinis Erica, ſed improcerior, floſculo ex candore purpuraſcente, quo paſſim ſcatent ſolitudines Brabanticæ, à quibus, quoniam nihil precioſi profunduut, herba hæc nomen ſortita eſt. Belgæ ſiquidem loca ſqualida ſtrigoſa ſenta, atque ſitu horrentia, nulla conſita arboribus, nullis frequentata hominibus, raris ac prope nullis

Heyde. culta ædificiis, aut exornata villis, *Heyde* vocant, quaſi dicas ſolitudinem & deſertum ſoliqúe vaſtitatē, ingruente enim aëris tempeſtate, exortaque pluuia, tonitru, fulmine, coruſcatione, ne minima quidem domicilia aut gurguſtia ſe offerunt, in quibus poſſis diuerti ac deliteſcere, nihil autem in iis locis ſpectatu viſuque dignum quaquauerſum dirigis oculos, niſi humiles abiectique frutices & ſqualore obducti à quibus Prophetæ paſſim ſimilitudines deſumunt, ſi quando hominibus calamitates & triſtia quæque obuentura denunciant. Sic Hiere-

Cap. 17. Hier. locus explicatus. mias, *Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Quibus verbis deteſtatur illum qui in re corporea ac fragili ſpem & fiduciam ſuam collocat, & in periculis aliunde potius, quàm à Deo ſubſidium ac ſalutis præſidia conquirit, *hic enim myrica erit ſimilis in deſerto,* quæ ex aëris temperie & clementia nihil boni aut cōmodi conſequitur, ſed in terra horrida, ieiuna, ſiticuloſa, falſa conſtituta, non diu ſubſiſtit, *Benedictus verò & felix qui confidit in Domino,*

Pſal. 1. erit enim vt arbor circa riuos aquarum plantata, quæ continenter humore irrigata, radices & ramos longè latéque diffundit, ſic vt folium eius ſemper exiſtat viride, & tempore ſiccitatis fructum ferre non deſinat. Rurſus cùm Deus excidium im-

Hier 47. minere denunciat Moabitis qui ex Iudæis oriundi, nempe Loth

Abraham

Abraham fratre, infeſtiſſimi illis hoſtes erant *Fugite*, inquit, *& ſaluate animas veſtras, eritis enim quaſi myrica in deſerto.* Quo illos commonefacit, vt matute ſe ex ſuis ſtationibus ſubducãt; vt ſaluti ſuæ proſpiciant, vt celeri fuga vitæ ſuæ cõſulant, quoniam eorũ ciuitates deuaſtandæ ſint, ac futuræ deſertæ, nulloſque habituræ incolas, tum ciues ſpoliandos omni honore ac dignitate, nulliuſque futuros exiſtimationis aut nominationis, ſic vt non pluris æſtimandi ſint, quàm Myricæ in vaſta ſolitudine.

De Reſina, *Belgicè* Hers.

CAPVT XXIV.

Reſina eſt omnis illa Oleagina pinguedo & gummoſa concretio, quæ incaleſcente Sole, ex pino, picea, abiete, larice, lentiſco, Terebintho profluit, apud noſtrates etiam Ceraſus & prunus mellei coloris reſinam profundunt atterendis calculis idoneam, populus quoque alba, quæ vulgò *Abeel boom* vocatur, ſuccini modo gummoſum liquorem ex hiante cortice exhibet. Terebinthina ex omnibus principatũ obtinet, proximum locũ ſortitur Lentiſtina, hoc eſt, *maſtiche*, cui ſuccedit pinea & abiegna, picea, ſtroblina verò & Colophonia poſtremũ locũ occupant. Eſt autem Reſina duplicis differentiæ, vt & pix, liquida & ſicca quæ ad nos ex Noruegia aduehitur: illam *Hers* noſtri vocant, Hiſpani *Herpens*, alteram nempe concretam à ſpeculi nitore, quoniã pellucida eſt & ſplendeſcit, *Spieghelaere*. Harũ vis effectuſque eſt dolores mitigare, vulnera aſtringendi glutinandique vi cicatrices obducere, præſertim reſina Terebinthina, cuius vires & effectus Ieremias Metaphoticos ad animi vulnera transfert, quæ verbi Dei lenimento ſaneſcunt ac ſanitatẽ conſequuntur. Itaque in hunc modũ expoſtulat cum Iſraëlitis: *Nũquid Dominus non eſt in Sion, aut rex eius non eſt in ea? Nunquid reſina nõ eſt in Galaad, autem dicus nõ eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix populi mei? & cur valetudo eius tam ſegniter procedit?* quaſi diceret, Obuia eſt hæc parataque medela quæ mentem animumque lacerum ſanet, ſed filia populi mei, ſalutis ſuæ oblita, non adhibet remedia vulneribus ſuis ſordidis & purulẽtis, non admittit ſalutaria verbi Dei fomẽta & cataplaſmata, ſed putreſcit in vitiorũ ſuorũ ſordibus, nec vomicas ſuas exercitato expertóque Medico, nempe Deo deregit, aut curãdas offert, penes quẽ præſentanea ſunt remedia medendis exulceratis mentibus adhibito vino & oleo conſolationis & miſericordiæ, vt

Reſina quid.

Reſinæ multæ ſpecies.

Hier. loc. expli- catus.

Luc. 10.

Chriſti parabola indicat de Samaritano, cuius ipſe typum gerebat & viatore ſaucio ac vulneribus confecto quo deſignatur genus humanum aſtu & malitia Satanæ, integritatis & innocentiæ integumentis ſpoliatum omni vitiorum afflictum & deſperationi proximum. Cùm autem Deus in ſcelerum vindictã vulnera nobis infligat, hoc eſt, inedias, calamitates, clades, infortunia nobis immittat, vult vt ab eodem inſtaurãdæ valedinis præſidia petamus. Qua de re extat ſuauis cum primis & conſolatoria apud Hieremiam concio, in qua Deus indignè ac dolenter fert quòd homines aliunde quàm ab ipſo ſalutis ac ſanitatis præſidia cõquirant & venentur, quod idololatriæ, ſuperſtitioni, ac ridiculis vaniſque cultibus dediti, deſerto tam liberali ac munifico Domino, tyranno fallaci, inſidioſo, noxio ſe dedant.

Cap. 2.

Quocirca non ſine cauſa ad hunc modum cum ſuo populo expoſtulat, *Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli, aut terra ſerotina, quæ vel nihil prorſus vel malignè aliquid profundit? Cur ergo populus meus à me deficit, & ſe reuerſurum negat?* Similitudine deſumpta à ſolò ſterili & infœcundo, ab agris ieiunis, aridis, ſiticuloſis, ſqualidis, qui ſementi inidonei ſunt, nec vllas fruges aut fructus in vſum aliquem effundunt, cùm longè abſit hæc ſterilitas a cœleſti patre rerum opifice, apud quem eſt omnium quæ excogitari aut mente concipi poſſunt, copia & abundantia, ſumma vbertas, & affluentia, nulli non obnia & expoſita ſic vt liceat ſi viſum eſt amplè & inculpatè illius munificentia frui, illius exornari muneribus, ita vt omnibus modis culpandi ſint, qui à tam munifico Domino deſciſcunt, cùm nulla ſubſit legitima defectionis cauſa, nec quidquam in eo poſſit deſiderari. Quocirca rei indignitate permotus, adducto alio exemplo, ſcelus exaggerare pergit *Nunquid*, inquit, *obliuiſcitur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ?* qua redditur oculis ſpectantium commendatior? nulla certè ratione tam erit ſui negligens, vt tale quiddam in animum induxerit, *At populus meus*, nulla habita dignitatis ſuæque ſalutis ratione, *oblitus eſt mei diebus innumeris.* Cæterùm cùm Deus ſaluberrima ac maximè ſalutaria remedia afflictis mentibus adhiberi velit, inſultat Ægypti populo, quod ſiniſtra parumque appoſita medicamenta vulneribus applicat, quibus exaſperatur potius malum, quàm miteſcit. Proinde commonſtrat vnde petenda: *Aſcende*, inquit, *in Galaad, tolle reſinam virgo filia Ægypti, fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi.* Erat autem Galaad vna ex ſex oppidis, in quam vt in aſylum & perfugium ſe recipiunt qui fortuitò atque impru

Hier. locus explicatus.

Galaad Leuitarũ ſtatio, & homicidarum aſylum.

imprudenter, nulla deſtinata malitia alicui vitam eripuerant, eaque ciuitas Leuitis & Sacerdotibus aſſignata erat, apud quos vigebat lex & verbi Dei miniſterium. Siquidem vt Malachias ait, *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore illius requirent, quoniam ſit Angelus Domini exercituum*, hoc eſt, Dei legatus & interpres, cui incumbit docendi munus & doctrinæ ſtudium. Quocirca propheta huc afflictum conuocat, atque à Deo eiuſque miniſtris petendum auxilium demonſtrat, alioqui non ſolùm irrita fore remedia aliunde conquiſita, ſed etiam damnoſa, quod iis vſuuenit qui in alium, quàm in Deum defigunt oculos, aut conualeſcendi ſpem collocant. Sic idem Vates contritæ & conquaſſatæ conuulſæque Babyloni, quæ eſt velut ſcelerum quædam officinà, reſinam adhibendam conclamat, ſi forte ſanetur. Sed cum ſalutaria monita reſpuat atque auerſetur, cum ad Dei verbum eiuſque monita & vellicationes obſurdeſcat, vt inſanabilem ac morbo deploratо implicitum omnes certatim deſerunt, atque aliò ſe conferunt. Qua metaphora indicat Hieremias Concionatores ſacros ad Dei miniſtros nulla non remedia adhibuiſſe ſanandis eius vulneribus, medendis animi vitiis, atque extremam impendiſſe operam eximendis mentis erroribus: ſed non ſucceſſiſſe curationem, omnémque medendi operam fruſtra inſumptam. Quocirca viſum eſt illam relinquere ſuæ cæcitati, & ſubiicere Dei iudicio, à quo illi miſeranda clades & acerba calamitas, concitatis in illam hoſtibus ferociſſimis, imminet, quod Chriſtus etiam Iudæis euenturum denunciat, qui tot prouocati beneficiis, in Prophetas ac Seruatorem, eiuſque aſſectatores immaniter ſæuierunt.

Num. 35. Deut. 19. Ioſ. 20. Cap. 2. Hier. 50. Matt. 19.

De vite, ſeu vinea, cuius partes atque appendices, ſarmenta, palmites, malleoli, pampini, clauiculi, vel capreoli, vua, racemus, botrus, acinus vinaceus, ſeu acinorum granum: & quàm appoſitè horum pleraque Concionibus ac vaticiniis adhibentur.

CAPVT XXV.

CVm multæ paſſim in ſacris Bibliis ad ſtabiliendam veritatem, ac rei dubiæ vel obſcuræ faciendam fidem Parabolæ, hoc eſt rerum notiſſimarum ſimilitudines narrationibus adhibentur, tum nullæ magis vel vaticinia, vel conciones illu-

ſtrant, quàm quæ ex vite eiúſque ſobole deſumuntur. Primùm enim ſe offert inſigne illud vaticinium Iacob Patriarchæ de Meſſia, qui ex Iudæ ſemine oriundus ſalutem & reconciliationem, reditúmque in Dei fauorem & gratiam mor-
Gen.49. talibus attulit. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius*, hoc eſt, non deſinet nec abolebitur imperium, *donec veniat qui mittendus eſt*, nempe Soſpitator ac ſalutis auctor
Prophetia de Christo. Ieſus Chriſtus, *Et ipſe erit expectatio gentium*, hoc eſt, ad illum gentes ſe conferent, illius doctrinam amplectentur, illi fident atque innitentur, illius imitabuntur vitam, mores, & ſtudia, *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad palmitem vitis aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſeu indumentum ſuum, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Quo crucis & effuſi ſanguinis myſterium exprimitur, cuius virtute expiati ſumus, atque à diaboli mortiſque tyrannide per reſurrectionis efficaciam in li-
Cap.11. bertatem aſſerti. Tale quid deſignat Eſaias, cum inquit, *Erit in illa die radix Ieſſe, Qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes con-*
Simile à vexillo erecto. *quirent & deprecabuntur.* Alluſit ad erectũ vexillum aut ſignum aliquod, quod eminus cõſpici poſſit, quale nautæ *Baken* vocãt, id quod velificantes interdiu continenter oculos defigunt, vt noctu in Cynoſuram aut polum arcticum, quo curſum inoffenſè dirigant, nec vſpiam impingant, aut diuerſi rapiantur. Cæterùm cùm vitis aſpectu ſit amœna, pampinorum ac foliorum pompa, clauiculorum amplexu, vuarum turgeſcentium vbertate, in ſtatu connubiali vxor numeroſa prole fœcun-
Pſal.127. da huic ſtirpi comparatur, cùm Dauid inquit, *Vxor tua ſicut vitis abundans*, quæ longè latéque palmites diffundit, *in lateribus domus tuæ.* Sapientia verò ſui commendatrix, *Ego*, in-
Eccle.24. quit, *quaſi vitis fructifera, gratiſſimum vndique odorem diffundo*, hoc eſt, ſuauiſſima eloquia & ſalutarem doctrinam omnibus profero, quo refici poſſint, tanquam ſucculenta ac ſapida vua. Quiſquis enim huius ſermones amplectitur, proſperos ſucceſſus eſt habiturus, magnáque in virtute progreſſus & in-
Oſeæ 14. crementa. Quam fœlicitatem Deus per Oſeam præclaris aliquot metaphoris Iſraëli & quiſquis in gratiam cum Deo redierit, pollicetur: *Sanabo*, inquiens, *contritiones eorum, & diligam illos ſpontaneè*, quo indicat libertatem, & ſpontaneam gratuitámque peccatorum veniam, *Quia auerſus eſt furor meus ab eis. Ero quaſi ros Iſraëli, & germinabit quaſi lilium aut roſa, & erumpet radix eius vt arbores Libani, & propagabunt ſe rami eius, & erit quaſi oliua gloria & decor eius, & odor vt Libani. Et germinabunt quaſi vinea, & augeſcent vt triticum*, quo etiam affluenter fruentur. Horam commemoratione omnium rerum affluen

affluentiam ac proſperitatem indicat, ac floreſcentiam fore Reipublicæ ſtatum, nec quidquam etiam defuturum eorum, quæ ad internum animi decus, mentiſque ornamẽtum ſpectãt, iis verò qui munificentiæ diuinæ immemores, deliciis ac voluptatibus dediti ſunt, ac luxutia diffluunt, contraria omnia euentura Eſaias denunciat, nempe vineas extirpandas, nullam fore vindemiam, defuturum vinum iis qui ſe inter pocula cantilenis, ac Muſicis inſtrumentis oblectare ſolent, ac plus nimio laſciuire atque inſoleſcere, illam denique ſubſequuturam cladem & vaſtitatem, vt populus quo ciuitates maximè illuſtrari ſolent, ad nihilum ferè redigendus, ſic vt pauci futuri ſint reſidui. Nam tale quid illi euenturum prædicit, quale decuſſis oliuis aſſolet ex olea, & racemis peracta vindemia. Vt enim in huiuſmodi ſtirpibus non ita omnia decerpuntur, quin aliquid reſtet: ita ex ingenti clade quam perpeſſi ſunt, exiguus aliquis numerus erit reliquus. In eodem argumento verſatur per Hieremiam Dominus qui improbos non ſolum vaſtandos pronunciat, ſed etiam fame ac rerum omnium inopia opprimendos: adeò, vt deſint vuæ vitibus, & non ſint ficus in ficulnea, ſic, vt decidentibus foliis nihil ex his ſperari poſſit. Quo deſignat nulla fore ſedandæ famis ſolatia, quibus corpus poſſit ſubſiſtere, nulla afflictæ mentis fomenta quibus poſſit fulciri: denique illos ad vnum omnes, ſicut ficus, & vuas & colligendos vt nullæ reſtent reliqui: quemadmodum ſi finita meſſe aut peracta vindemia nihil ſuperſit ſpicilegij, nulla racematio. Vt autem matureſcentes vuæ ſapidæ ſunt & ſucculentæ, palatúmque & fauces ſapore grato reficiunt: ſic doctrina ſana & ſalubris, ſermo gratioſus & ſuauis mẽtes hominum fouet ac refocillat. Quocirca Moſes doctrinam pernicioſam & noxiam improborum hominum commercia eorúmque vitam, mores & ſtudia vuis venenatis comparat quæ animos hominum noxio ac prauo ſucco imbuunt, mentéſque bene inſtitutas à Dei cultu & religione auertunt: *De vite*, inquit, *Sodomorum vinea eorum, & ſuburbanis Gomorrha: vua eorũ vua fellis, & botrus amariſſimus, Fel & virus draconum vinum eorum, & venenum Aſpidum inſanabile*: hoc eſt, ſermo illorum tam peſtilens & venenatus eſt, vt confeſtim inficiat & perimat. Quò ſpectat illa apud Oſeam ſubſannatio, in hos ſuperſtitioſa doctrina imbuti, ac cultu pernicioſo dementati, reſpectant ad Deos alienos, vt ebrioſi ad vini pocula & lagenas, *ipſi*, inquit, *reſpiciunt ad Deos extraneos, & diligunt vinacea vuarum*. Cõparat enim illorum veſaniam qua rapiuntur ad idololatriam, temulentorum conditioni, quia ſemper ad calices & pateras vinique nidorem

Cap. 24.

Hier. 8. Cap. 48.

Hieremiæ locus explicatus.

Deut. 32.

Moſi locus explicatus.

Cap. 3.

Oſeæ locus explicatus.

nidorem oculos ac nares habent intentas, ac conſpectis poculis, vel temulentorum ſodalitio exultant ac geſtiunt. Cæterum cum in vineæ mentionem incidimus, illud obiter indicandum, Prophetas vitis vuarúmque & aliarum ſtirpium nomine nunc rerum abundantiam ac fertilitatem, nunc inopiam & penuriam, nonnunquam populi raritatem vel interitum, aliquando frequentiam, & qui ex paucis in numeroſam ſtirpem ſunt propagandi. Sic Deus apud Hieremiam eleganti Metaphora Idumæos ita ſpoliandos pronunciat, vt nihil ex illis ſit reliqui, adeò, vt hoſtes futuri ſint illis paulò clementiores, quàm ipſe: *Si te*, inquit, *vindemiatores aggreſſi fuiſſent, reliquiſſent forte racemum*, hoc eſt, non prorſus te expoliaſſent, aut omnibus tuis bonis exuiſſent. *Et ſi fures*, nocturnique oppreſſores, *ades tuas inuaſiſſent, rapuiſſent quod viſum illis fuiſſet ſatu*, non tamen omnia fortè conuaſtaſſent, ſed paſſi fuiſſent aliquid ſupereſſe. *At ego*, ait Dominus, *ita ſpoliaui Eſau*, ita abdita quæque detexi, *vt excuſſis omnibus angulis, nihil celari potuerit*, nec vlla ſupellex ſit relicta. Cùm autem prorſus otioſa ſit & deteſtabilis Deo ſuperbia & faſtus ex rerum affluentiâ ac proſperitate ortus, qua dulci fortuna ebrij inſoleſcunt ac ferociunt, illam tamen acriter contundit ac reprimit, & tales quamlibet multos proſternendos pronunciat, vt ſegetes quas meſſores pleni vlnis expotrectiſque brachiis vellunt, atque in manipulos complicant, ſic vt etiam ij qui ex paucis futuri ſunt reliqui, colligendi ſint, vt ſpicæ finita meſſe. interim pleroſque ſuperfuturos pollicetur, allata alia ſimilitudine, vt vuæ in viribus, & oliuæ in olea. Quemadmodum enim nuſquam tam exactè perficitur vindemia, quin aliqua ſuperſit racematio, nec tam diligens oliuarum excuſſio, quin vel ſub foliis aliquid deliteſcat, vel in cacumine aliquid ſe proferat: à clade & vaſtitate aliqui ſuperfuturi ſunt qui in ſpem miſericordiæ ſunt reſeruandi, *In die illa*, inquit, *attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis eius emarceſcit. Et erit ſicut congregans in meſſe quod reſtiterit*, (vt in ſpicilegio aſſolet omnibus manipulis ſublatis) *& brachium eius ſpicas leget*, interim, *relinquetur in eo velut racematio, & ſicut excuſſio olea, vel duarum, vel trium oliuarum in ſummitate rami, & ſicut quatuor aut quinque in cacumine arboris*. Quo indicat opulentos atque optimates faſtu & arrogantia turgidos deiiciendos: ex tenui verò plebecula nonnullos ſuperfuturos, quemadmodum exacta vindemia aliquot botri aut acini, quibus tenuiores ſe fouent ac recreant.

Eſai. 17.

Cap. 49.

Hiere. locus explicatus.

Iſaiæ 7.

Eſaiæ metaphora expl.

De Hyſſopo.
CAPVT XXVI.

HYſſopus hortenſis herba eodem etiam nomine Belgis cognita condimenti vice iuri innatat, quod eximij ſit odoris, ac ſapore non ingrato, ſicut elixa quæque non minus ſalubria efficiat, quàm ſapida, nam pectus & pulmonem expurgat, capitiſque pituitam extergit, quocirca in expugnando pleureſi ac morbo quouis laterali ſingularem effectum obtinet. Qua ratione viſum eſt Deo herbam hanc ſolemni ſacrificio adhibere, cum vel leproſi luſtrandi ſunt, aut ſcelus aliquod piaculare expiandum intincto Hyſſopi faſciculo in ſanguine paſſerculorum vel vitulorum. Quocirca Dauid adulterij atque homicidij ſcelere contaminatus, aſpergi expiarique Hyſſopo cupit, quò abſterſa omni macula animi mētiſque puritate niteſcat, reſpexit is ad veteris teſtamenti ritus & ſacrificia, quæcunque enim purificabantur iuxta præſcriptum legis Moſaicæ, ſanguine cum lana coccina & Hyſſopo aſperſa, puritatem ſunt conſequuta. Quæ omnia vmbram quandam & figuram exhibebant, vt Paulus ad Hebræos teſtatur, Chriſti cuius ſanguine omnia noſtra ſcelera expiata ſunt. Cæterum cùm Hyſſopi mentio incidat in libris Regum, ac Salomon diſſeruiſſe memoretur de arboribus à Cedro Libani vſque ad Hyſſopum quæ erumpit à pariete, non videtur mihi noſtra deſignari quæ non eſt exilis & minuta herba, ſed aliquando ſpicato purpureóque floſculo in ſeſquipedalem magnitudinem aſſurgit. Quocirca Adiantum ſiue capillum veneris illum intellexiſſe interpretor, cirratis criſpiſque foliis, quæ niſi murorum aſpergines perſequitur, & quoniam rutæ foliis affinis eſt, hanc Belgæ *Steenruyte* vocant, hoc eſt, murariam rutam. Hunc *Trichomanes* affinis iiſdem ſemper locis prouenięns quæ recto ſtylo eoque iunceo aſſurgit medij digiti longitudine, foliis minutis, vtroque latere diſtincta ſerie, concinnoque ordine digeſtis, virore perenne, vtraque herba eoſdem habet effectus, atque vt Hyſſopus tuſſiculoſis & anhelantibus pulmoniſque vitiis medetur. Vocantur autem nunc polytrichi nomine, nunc callitrichi, ab effectu quo capillum confirmant, & nigredine imbuunt, illúmque criſpum & denſum perficiunt. Quoniam itaque exiguus eſt humiliſque fruticulus, vix palmari altitudine, atque è parietinis erumpit, hunc pro Hyſſopo deſignari arbitror. Nam hic illius dicti ſenſus. A celſiſſima

Hyſſopi effectus.

Leuit. 14. Num. 19.

Pſal. 50.

Exod. 24.

Cap. 9.

3. Reg. 4.

quauis

quauis arbore ad minutiſſimam herbam quæ parietinis innaſcitur, omnia illum exactiſſimè habuiſſe explorata.

De arundine quæ Græcis Calamus, Belgicè Riet *vocatur, eiúſque differentiis, de lino, ſtipula, quiſquiliis & pleriſque aliis, ex quibus ſimilitudines deſumuntur.*

CAPVT XXVII.

ARundinis plures ſunt differentiæ, vna ſpecies eſt læuore perpolita, enodis, nulliſque diſtincta geniculis aut internodiis, quæ Typha paluſtris vocatur, qualis Chriſto pro ſceptro regali in manum tradita, in affectati regni ludibrium. Eſt huic ſtirpi ſceptri regalis aut imperatorij forma, cuius cacumen duarum ferè palmarum altitudine, ac craſſitudine pollicari, denſa compactáque lanugine ſtipatur, quam ſi manu aut digitis demulceas, holoſericum aut villoſam quádam congeriem contrectare te credas, quæ tamen poſt dies aliquot diſſoluuntur in pappos, atque in diffuſam lanuginem euaneſcit. Alia in locis humectis atque irriguis paſſim conſpicitur, quæ *Canna paluſtris* aut *Donax* vocatur, culmo geniculato, terete, fiſtuloſo, lanuginoſa in cacumine congerie, eaque diffuſa non compacta. Scatent hæc paſſim vrbanæ foſſæ quæ mœnia ambitu muniunt, & in pomœriis paludoſa loca ac ſtagnantia. Plebecula apud nos æſtiuis menſibus radicem huius ſtirpis certatim eruit, quòd habeat eſculenti quiddam non ſine nauſeoſa quadam dulcedine, quæ qualitas efficit vt apoſtemata ad ſuppurationem perducat, ac ſpicula ſpinaſque atque aculeos corpori infixos extrahat. Quoniam autem arundo nutáti eſt cacumine, auráque leuiſſima hinc inde impellitur, ob id illi aſſimulantur inconſtantes, mobiles, lubrici, vacillantes, volubiles, & qui in dictis factiſque, atque in omni vitæ actione non ſatis ſibi conſtant, aut in ſententia firmiter perſiſtunt, nempe arundine magis volubiles. A quo vitio cum Ioannes Baptiſta eſſet alieniſſimus, Chriſtus in laudem eius conſtantiæ, & quòd illius doctrina ac de Meſſia teſtimonium veritati forent conſentanea, prolixam concionem habuit, qua perſuaſum eſſe voluit promiſcuæ multitudini, illum arundini vento agitatæ prorſus diſſimilem, vt qui nuſquam vacillet, aut aliud ſtans, aliud ſedens loquatur, vel leui momento à paulò ante probata ſententia dimoueatur, ſed conſtantem eſſe ſtabilem, veracem, & cuius verbis nulla ſubſit vel leuitatis vel inconſtantiæ ſuſpicio,

Marginalia: Matt. 27. Typha paluſtris quid. — Canna paluſtris. — Arundinis radix eſculenta. — Luc. 7. Chriſti de Ioanne præconiũ.

ſuſpicio, quocirca æquum eſſe, vt quiuis magnificè de tanto præcone ſentiat ac loquatur, illúdque non ex vulgata hominum opinione, ſed ex rei veritate æſtimet. Cæterùm vt reliqua perſequar, ex Arundinis conditione deſumitur Prouerbium, *Scipioni vel baculo arundineo inniti*, de eo qui ſpem ſuam ac fiduciam collocat in illo qui non ſolum non fulcit aut præſidio eſt, ſed etiam nocet, ac detrimenta infert. Eadem vtitur Metaphora Eſaia teſte Rapſaces in obſidione Hieroſolymæ, Cap.36.
qua inuictum Deóque fidentem Ezechiæ regis animum labefactare nititur, omnibúſque machinis ac minis ad deditionem 4.Reg.18.
ſollicitare. Apud Ezechielem quoque Dominus eadem vſus ſimilitudine inſultat regi Ægypti, illique internecionem minatur. Cap.29.
Cùm enim Iſraëlitas illius præſidio innixos fulcire ſtuduit, *ipſe velut baculus arundineus confractus*, & ſibi vulnus inflixit, & illos fœde lacerauit, lateribus humeriſque vndique diſſolutis ac perforatis. Quo indicat omnes illorum vires attritas & collapſas eſſe, omnéque belli robur conuulſum & diſſipatum. Sic enim Deus, vt Dauid teſtatur, increpat feras arundines, hoc eſt, haſtatos ac lanceis armatos milites conuellit, labefactat, proſternit ac deiicit, Metaphora deſumpta à longis Pſal.67.
firmiſque arundinibus, quales etiam brachij craſſitudine ſpectamus, quas in acie vibrari ſolent, atque eminus cuſpidem hoſti obiicere: quod nunc Turcas in Palæſtina factitare audió ab iis qui ea loca religionis ergo frequentant. Similem cladem Deus ſtirpi Hieroboam intulit, atque Iſraëlitas idolorum cultui deditos concuſſit more nutantis in aqua arundinis, eóſque euulſit è terra vbere & fœcunda quam a progenitoribus Dei munere erant conſequuti. Quo deſignat illos ad nihilum redactos, atque opibus, potentia, honore, dignitate ſpoliatos. 3.Reg.14.
Vt autem Deus deſumpta ab arundine ſimilitudine, inani fiducia inflatos, & qui rebus caducis momentaneis innituntur, nonnunquam conuellit & deiicit: ſic è diuerſo fragiles, imbecilles, puſillanimos, vacillantes, mœſtos erigit, conſolatur, fulcit, animumque ægrotum ac labantem ſalubri doctrina fouet, inſtaurat, reficit. Quo referri debet inſigne illud vaticinium apud Eſaiam de Chriſti lenitate & manſuetudine, quæ afflictas quaſque mētes in ſpem ſalutis erigit. *Ecce ſeruus meus* Eſa.42.
quem elegi, dilectus meus in quo ſibi complacuit anima mea. Ponā Luc.4.
ſpiritū meum ſuper illum, & iudicium gentibus annunciabit, nō cō- Cap.42.
tendet neque clamabit, neque audiet quiſquam in plateis vocē eius, Matth.12
arundinē comminutā nō confringet, & linum fumigans non extinguet, nō erit triſtis nec turbulētus, & in nomine illius gētes ſperabūt. Duabus hiſce metaphoris, nempe arundinis cónquaſſatæ ſeu

confracti calami, & lini fumigantis declarat, quanta Chriſtus erga contritas afflictáſque mentes manſuetudine & clementia, quam ſalubri doctrina in ruinam inclinatos erigat, labentes fulciat, mœrentes ſoletur, imbecilles & vacillantes in fide inſtauret, & ſi quid aliunde acceſſerit damni atque incommodi, reſarciat, adeo vt plagas menti illatas leniter tractet & placidè, nihil agat vi, minis, terrore, ſæuitia, vt nonnulli feroci & turbulento ingenio, qui lapſos ſublata omni reſipiſcentiæ ſpe, ſæuiùs tractant, quàm manſuetudo Chriſtiana exigat. Similiter nec linum fumigans extinguet.

Eſa. 61.

Eſaiæ locus explicatus.

Quæ ſimilitudo deſumitur è lychno penſili, ſiue ellychnio, vel ſtupa, vulgo *Lement* quod oleo imbutum, flammam alit nonnunquam ſubobſcuram & fumidam minúſque luminoſam, vbi vel pinguedo deſit, vel parciùs illa fouetur: itaque hac comparatione deſignat fidem modicam, debilem, vacillantem, inclinatam, quæ tamen non prorſus extincta ſopitáque eſt, licet aliquando ſit extinctioni proxima, quam Chriſtus, & quiſquis eius miniſterio fungitur, nec extinguit, nec opprimit, ſed tantiſper dum aliqua pietatis ſcintilla emicet, & ſubſit menti vel exiguus igniculus, nutrit, fouet, exſuſcitat, atque animum Spiritus ſancti flabello accendit & illuſtrat, vt diſcuſſa omni caligine lumen fidei & pietatis perſpicuè eluceat, ac longe latéque in vſum proximi ſe diffundat. Ita autem Deus doctrinam ſuam quæ eſt velut fomẽtum animæ, mentiſque pabulum, tempetat & moderatur, ne quis nimia ſeueritate poſſit ab inſtituta profeſſione reſilire, atque ab Eccleſia alienari, nec etiam lenitate & manſuetudine nimia, tanquam molli educatione corrumpi, ac ſeueritate quadam oſcitante ac ſupina ad omnem virtutem obtorpeſcere. Siquidem iudicij ſeueritate in officio continentur impij, imbecilles lenitate & manſuetudine. Sic in Euangelio quo cuique ſalus denunciatur. *Dulcia permixta amaris*, hoc eſt, conſolationes minis & amara dulcibus, hoc eſt, minæ conſolatione mitigatæ. Per fumum, & vapotem nebulas, per fœnum feſtucas, paleas, ſtipulas, fauillas, pulueres, quiſquilias aliáque reiectamẽta deſignatur in Bibliis cum homines, tum res viles, leues, inanes, futiles minutæ, nihili, nauci, nulliúſque momenti vel preti j, & quæ plus detrimenti, quàm commodi adferunt. Ex his variæ & multiplices ſimilitudines à ſacris ſcriptoribus ſumuntur, quibus narrationes ſuas exornant. Sic Deus impios vt paleas diſſipandos pronunciat, exurendos vt ſtipulas, vt puluerulenta quæque diſcutiẽdos, vt quiſquilias aliáque venti ludibria diſpellẽdos. Quò ſpectat illa apud Iob ſententia. *Lucerna impiorum*

Doctrina Chriſti quid mẽti præſtet.

Quiſquiliæ quid deſignẽt.

Pſal. 1. Cap. 21. Eſa. 17. Iob 21.

rum extinguetur, hoc eſt ſplendor eorum gloria, honor, decus, magnificentia obſcurabitur & exoleſcet. *Et erunt improbi velut palea ante faciem venti, & ſicut fauilla quam turbo diſpergit*, hoc eſt, repentino funditus comminuentur. Sic Iſaias triturandos pronunciant Moabitas, & quicunque Dei verbo obſiſtunt, vt teri ſolent paleæ in paluſtro, & non minore negotio abſumentur, quam ignis deürit ſtipulam aridam. Non minus atrocia minatur iis quibus conſuetudo peccandi in naturam abiit, & vitiis ſuis iam domeſticis atque aſſuetis occaluerunt *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas*, hoc eſt, tegmen maculoſum illi natiuum, *& vos poteritis benefacere cum malis eſtis aſſueti. Quocirca ego vos diſſipabo tanquam ſtipulã quæ vento rapitur in deſerto.* Simili clade perituros denunciat apud Eſaiam illos qui cultus adulterinos ſtabiliunt, & omne præſidium ac fiduciam in idolis conſtituunt: *Eritis*, inquit, *ſicut quercus defluentibus folijs, & ſicut hortus abſque aqua. Et erit fortitudo veſtra*, hoc eſt, Deus ille ficulneus, cum innixi eſtis, *vt fauilla ſtupa, & opus veſtrum quaſi ſcintilla & ſuccendetur vtrũque ſimul, nec erit qui extinguat*, hoc eſt, Omnis illa pompa ac ſpectaculum fictæ religionis abolebitur incendio, vt purgamenta lini & ſtupea congeries accenſa face deflagrant. Cæterùm vt reliqua perſequar, Amos propheta acriter inſectatur negotiatores frumentarios, quòd cum granaria habent onuſta frugibus, in annonæ penuria famelicam turbam deglubunt, ac præter ſtateras doloſas, trutinámque acciſam ac parum æquã qua populares defraudant, tenui plebeculæ pro ſincero tritico quiſquilias, paleas, glumam, acus, hoc eſt, peripſemata ſeu purgamenta furfuribus deteriora obtrudunt, ac cariùs diuendunt ac fallaci aſtu, inopia reddunt ſibi obæratos atque obnoxios, vt non diuerti, etiam ſi merces viliùs proſtent. Quoniam nemo debitorum Græca fide, hoc eſt, prompta numerataque pecunia emptionem cum creditoribus tranſigit Quod ſi cui libeat hanc prophetæ Satyram excutere, quam contra hos inſtruit, qui plus nimio quæſtui inhiant, magnóque inopum detrimento pretia rerum intendunt, dilucidè perſpecturus eſt, quàm graphicè atque ad viuum noſtræ ętatis homines ſuis coloribus depingat, & quid Deus illis minetur, qui pauperes abſorbent, atque egeſtate oppreſſis, victum vitæque ſubſidia ſubtrahunt. Verùm iis miſſis, ſermonem referamus ad Metaphoras, quæ ex inutili ac volatili hac congerie deſumuntur ad illuſtrandas res veras ac ſolidas. Deus cũ apud Hieremiam verbum ac doctrinam ſuam cum primis ſalutarem, efficaciſſimam in erigendis paſcẽdiſque famelicis mentibus prædicens tritico

Cap. 25. Cap. 5. Hier. 13. Cap. 1. Cap. 8.

Cap.6 illam comparat, quod ſolidum alimentum corpori præſtat, vt illa animæ, doctrinam verò inanem, ſuperſtitioſam, adulterinam, fucatam, inſtabilem, fallacem, noxiam, infrugiferam ſomno ac paleis, *Quid tritico*, inquit, *cum ſacramentis & paleis*, hoc eſt, quid vanitati cum veritate? quid ſomno inani ac fallaci cum re vera, certa & indubitata? quid denſiſſimis tenebris

Mat.3. cum clariſſima Euangelij luce? Paleæ etiam metaphora Ioan-

Simile à tritico & paleis. nes Chriſti præco vtitur cum acriter inſtigat ſocordes ad amplectendam ſalutem: adeſſe enim Meſſiam *qui* accepto in manu ventilabro, *expurgabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuũ in horreum: paleas verò exuret igni extinguibili.* Quibus verbis indicat pios recipiendos in æterna tabernacula poſt exactos huius æui labores: impios verò æternis incendiis deſtinandos. Vt autem Ioannes magna ſeueritate commonefacit populum

Matt.7 officij ſui, & hortatur ad reſipiſcentiam adhibitis parabolis de ſecuri arbori admota mox excindendæ, de ſecernendo tritico à paleis: ita Chriſtus cui ſemper fuit odioſa ac deteſtabilis hypocriſis, hoc eſt ſimulata ſanctimoniæ ſpecies, fictaque pietatis vmbra, adducta trabis & feſtucæ ſimilitudine, acriter caſtigat illos qui plus nimio ſunt oculati in alienis vitiis ac minutiſſimos errores curioſius obſeruant, eoſque exaggerant in immenſum, cum vitiis ſuis maximè blandiantur, eáque ita extenuent, vt in nihilum recidere patiantur. Quò autem huiuſmodi vitioſi affectus & complures alij, nempe philantia, hoc eſt cæcus amor, ſuique fiducia & faſtus, arrogantia animi elatio, proximi deſpectus, odium, ira, vindictæ cupiditas hominum animis exinnantur, ſacri vates ac ſapientiæ profeſſores mentes illorum ad modeſtiam ſuique cognitionem ac naturæ notitiam reuocant, vt obſeruare condiſcant æui huius breuitatem, & quam ſit inanis, fugax, fragilis, caduca, euanida vita mortalium: & cum innumeris malis expoſita, tum anguſtis arctiſque finibus terminata, breuiſſimis ſpaciis circumſcripta, ſic vt ab iis appoſitè ſpiritus ipſaque vita qua homo ſubſiſtit, ſomnium

Iacob.4. cenſeatur, fumus, vapor, halitus qui confeſtim euaneſcit,

Pſal.36. 67.101. 103. atque in aëra diffunditur, vmbra, bulla, fœnum & herba cito areſcens, flos & folium mox deciduum & vt Iob ait, ven-

Iob 8.14. 13.7. tus qui per aëra voluitur. Quibus metaphoris deſignant ſacri vates gloriam, decus, magnificentiam, & quidquid

Eſa.9.45. Oſeæ,13. Eſa.40. eſt humanæ ſapientiæ, quidquid fortitudinis & prudentiæ, vanum eſſe, fluxum, caducum, ruinoſum, niſi ſtabili atque æterno

Iacob.1. Dei verbo fulciatur, niſi cœleſti virtute ſuſtentetur. Hæc

1.Pet.1. omnia ſcripturæ teſtimoniis abunde ſtabiliri poſſent, ſed opus

Eccl.14. in immenſum creſceret. Quocirca quædam in margine deſignaſſe

gnaſſe ſufficiat, quæ ſtudioſo auidóque lectori, ſi perquirere velit, omnium ſpecimen ſunt exhibitura.

De Cucumere, & pleriſque aliis herbis, quarum in Bibliis ſit mentio.

CAPVT XXVIII.

CVcumis vel cucumer notior eſt quàm vt deſcribi debeat. Exod.11.
Hunc autem & pleraſque alias herbas Hebræis atque Ægyptiis fuiſſe vſui Bibliorum hiſtoria commonſtrat. Cum enim Moſes vexaretur à populo Iſraëlitico, vulgus promiſcuum flagraret deſiderio carnium: *Quis*, inquiunt, *dabit nobis carnes ad edendum*? recordamur piſcium quos in Ægypto comedimus. In mentem venerunt cucumeres, pepones, porri, cepæ, & allia. Iſtis autem non ſolùm plebeij vtuntur, ſed etiam patritij partim in obſoniis & condimentis, partim in acetariis cum oleo, aceto & pipere ad acuendam cibi auiditatem. Erexerunt olim in vineis & cucumerariis caſas & tuguriola, quod etiam hodie Galli & Belgæ factitant, in quibus cuſtodes excubabant, ne quis alienos prouentus inuaderet, peracta autem vindemia, ac ſublatis cucumerum aceruis, ſubducebant ſe excubitores, ac gurguſtia deſeruerunt, nulláque amplius conſpecta hominum frequentia Ab hac ſolitudine deſumit ſimilitudinem Eſaias contra Ieruſalem, quam pronunciāt deſolandam ac redigendam in vaſtitatem, vt vix tenue veſtigium ſuperſit, futura ſit velut in deſerto vineto & cucumerario tugurium. *Et erit*, inquit, *filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario & ſicut ciuitas obſeſſa quæ vaſtatur*. Cap.1.
Baruch autē ſtatuas, delubra & ſimulacra idolorum non plus terroris incurere ait, quàm tugurium in cucumerario. *Nam quale eſt*, inquit, *formido aut terriculamentum in cucumerario nihil cuſtodiens. Tales ſunt iſtorum Dij lignei, aures & argentei, aut qualis eſt in horto Rhamus aut ſpina alba cui auicula inſident*. Alludit ad Priapi ſtatuam quæ in hortis collocari ſolet ad abigendos terrendoſque nocturnos fures. Quod huiuſmodi verſibus indicat Horatius qui Baruch verbis prorſus conſonat, ac pari irriſione vulgi ſuperſtitionem exagitat.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus, ſcamnum faceret, ne Priapum
Maluit eſſe Deum: Deus inde ego furum auiumque
Maxima formido, nam fures dextra coërcet,
Obſcœnóque rubes porrectus ab inguine palus,

Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque nouis conſidere in hortis.

De Iunipero.

CAPVT XXIX.

Cap.4. 3.Reg.19. VT Cucurbita vmbraculum & velut opus topiarium Ionæ præbuit, atque à Solis æſtu liberauit: ſic iuniperus Heliæ ex itinere laſſo ac defatigato vmbram exhibuit. Cùm enim vates hic profugus ceſſiſſet furori Ieſabelis, ac loca deſerta peragraret, ſub quadam Iunipero reſedit. Hoc ſiquidem arbuſtum cum denſius fruticetur, ad arcendum Solis calorem non eſt incommodum. Quocirca mœſto & delaſſato fuit is ſeceſſus moleſti itineris ſolatium, cum autem is paululum reſpirat Helias profugus. inædia tædióque confectus, finem vitæ ſibi imponi cupit. Cæterùm cum ſomnus (vt ſic conſtitutis aſſolet) obreperet, ac ille paululum obdormiſceret, ecce aderat genius, & illum ad cibum capiendum inuitauit, oblato pane cinericeo, & aquæ poculo, quo refocillatus rurſus iter ingreſſus prouenit ad montem Oreb, in cuius ſpelunca noctem illam ſecurè peregit tutus ab inſidiis illorum qui furibundæ mulieris mandato Dei prophetas ad mortem rapiebant. Quæ documento cuique eſſe debent, Deum in vitæ huius ſtadio miris modis ſuos exercere, verùm non prorſus deſtituere, quos tametſi calamitatibus premi patiatur, nonnunquam tamen illos opprimi ſuſtinet. Iob cũ ex tanto opulentiæ & felicitatis gradu in extremas calamitates eſſet deiectus, deplorat ſe irrideri ac ſubſannari à ſordidis Cap.30. infimæque ſortis homuncionibus, qui præ egeſtate atque alimenti inopia victum in ſyluis venabantur, ac Iuniperi rubique baccis, atque herbarum radicibus famem ſedabant, vt conſpicimus hodie validos vagóſque nebulones quos noſtri à liguriendis ollis (nam encenia feſtáque Genialia paſſim conſectantur) *Pot boeuen* vocant, radices Iringiorum, dauci, paſtinacæ ſylueſtris eruere, atque acinos rubique mora ex ſentubus & virgultis decerpere.

De Labruſca.

CAPVT XXX.

LAbruſca vitis eſt ſylueſtris, vuam proferens guſtatu peracerbam, quæ non matureſcit. Hunc fructum quoniam

niam nihil gratum palato proferat, Deus motibus & naturæ hominum deprauatæ apud Eſaiam accommodat. Cum enim formandis colendiſque Iudæorum mentibus nihil non operæ, nihil non laboris impendiſſet, omnis labor & induſtria fruſtra inſumpta eſt. Quantumuis enim ſtudioſè atque accuratè vineam ſuam excoluerit, nihil effectum eſt, nec vuas vllas ſapidas produxit, ſed labruſcas, hoc eſt, acerbas & immaturas vuas. expectauit ex tam diligenti cultura iudicium, æquitatem, mores inculpatos, vitæ integritatem, gratitudinem erga tam ſedulum atque induſtrium cultorem: ſed vice verſa, prolata ſunt acerbiſſima quæque, iniquitas, iniuſtitia, virtutum neglectus, odium, ita, indignatio, ingratitudo erga tam munificum animi mentiſque cultorem. Eandem vocem accommodat impiis quibus Deus in obliuionem & contemptum deuenit, quorum irritum fore conatum iudicat, ac fruſtra illos laborem inſumpturos excolendis vineis. Sic in die, inquit, plantationis tuæ labruſca proueniet. plantabis plantationem amœnam, ſed germē alienum conſeres, hoc eſt, tametſi amœna plantaria humo cōmiſerit ex geneſoſa vite deſumpta, ſic vt omnia tibi ſpem optimam polliceantur opimæ vindemiæ, vbi aduentare incipiet maturitatis tempus, pro ſuauiſſimo fructu labruſcas percipies. Similiter in ſegete quæ maturius ad meſſem deueniſſe tibi videbitur, peribit tibi ſpetatæ annonæ prouentus. eo ſiquidem die quo demetendæ erunt fruges, ac meſſi inſiſtendum, alieni ſubito irruent ac depopulabuntur ſegetem, nec quidquam in horrea conuehes eorum quibus tam ſedulam curam impendetis. De his paulò fuſiùs ſuperius quædam enarrata ſunt.

Cap. 5. Eſa. 17.

De Mentha, Ruta, Anetho, Cumino, quæ Chriſtus parabolis adhibet in inſectanda Phariſæorum auaritia, & fucata Religionis ſanctimonia.

CAPVT XXXI.

HErbæ iſtæ in crebro vſu ſunt apud omnes cum plebeios tum patricios, ac paſſim in compitis & triuiis proſtant venales. Quoniam autem olitores viſi ſunt aliquem quæſtum ex iis conſequi, Phariſæi decimarum exactionibus etiam hæc grauare cœperunt, atque aliquid lucri ex iis cotradere. Quocirca cum CHRISTO inuiſa eſſet ſimulata Reli-

Matt. 23. Luca 11.

gionis ſpecies,atque auaritia Scribarum deteſtabilis&odioſa, & inſectatur illos acriter & ſeuerè qui omnia ad compendium ſuum rapiunt, ac minutiſſima quæquē conſectantur, cùm illa quæ multum habent momēti ad ſummam pietatem & in quibus conſiſtit columen Religionis,negligant,nec ad ea magnopere ſint intenti.Sic in extorquendis decimis adeo ſunt ſuperſtitioſi, vt è vulgaribus oleribus mentha & anetho quæ Belgæ *Du* vocatur,decimas exigant, cum pro nihilo dicant iudicium, miſericordiam, fidem, quæ virtutes illos commonefaciant ne quem afficiant iniuria;vt egenis ſubueniant,ne quem fallant periurio, ſed cuique fidem ſeruent. Itaque iis neglectis quæ ſunt in Religione præcipua,ſuum negotium agunt,ſuumque quæſtum ac commodum plus ſatis ſpectant in maximis cæcutientes, in minimis mirè oculati.

De Sinapis vi & natura, cui fides ac Dei verbum comparantur.

CAPVT XXXII.

QVo omnibus innoteſcat ac perſuaſum ſit, quàm ſalutaris ſit doctrina Euangelica,quæ mentes hominum in Deum eiuſque notitiam erigit,ac fide ſolida, imbuit Chriſtus multis variiſque parabolis ex rebus paſſim obuiis deſumptis, nulli nū mortalium ad hanc amplectendam autor eſt & inſtigator.Cōparat autem regnum cœlorum, hoc eſt,doctrinam Euangelicā quæ fidem alit ac fouet ſemini,margaritis,fermento,ſagenæ ſiue ferticulo, grano Sinapis minuto quidem illi & exili, ſed quod vi efficaci & adurente torpētem linguam vellicet ac palato langueſcenti ſaporem gratum excitet.Sic omnes nationes huius ſemine comminuto, attritoque manaria vel truſatili mola affuſo acero vel omphacio condimēti vice vtūtur. Quēadmodum autem Sinapis minitiſſimum ſemen ſolo commiſſum vbi adoleuit,in ſtupendam proceritatem aſſurgit,ac longè lateque ramos diffundit adeò vt alitibus & vmbraculum & nidulandi commoditatem præbeat: ita verbum Dei & fides minimè otioſa,tametſi in ſpeciem humilis videtur & exilis, ſe tamen ſenſim propagat, atque vt fructifera frondoſaque arbor, vires, incrementa ſuſcipit. Rurſus vt Sinapiſmus,hoc eſt,cataplaſma ex cōtuſo ſinapis ſemine,membris ſtupidis vel letargo, vertigine,apoplexia,paralyſi,epilepſia oppreſſis motum ſenſūque excitat,atque inulceratam nonnihil cute,ſanitati reſtituit. Quocirca ardor & acrimonia Sinapis, ſaporque feruidus & ignitus,

Matt.13. Luc.13. & 17. Marc.4.

Par effectus verbi Dei & ſinápi.

ſgnitus,qui non ſine narium vellicatione lachrymas elicit, ac caput ſternutamento à pituita expurgat,appoſitè verbo Dei aſſimilatur,quod etiam mentes concutit, vrit & inflammat. atque animos languidos & oſcitantes ad pietatis ſtudia incitat atque accendit,& nonnunquam pœnitentiæ lachrymas extundit. Cum ſollicitudinem ac curam rerum terrenarum, qua ferè diſcruciari ſolent anxiæ mentes, Chriſtus animis hominum eximit,lilia nos contemplari vult non hortenſia,quibus cultus adhiberi ſolet,ſed agreſtia ac ſponte nata. Itaque horum exemplo in munifici patris fiduciam nos excitat, qui nobis de pabulo & commeatu affluenter proſpicit vt alitibus: de victu, de nitore cultuque veſtium, vt liliis agri,quæ tam nitidè tamque operosè exculta ſunt,vt ne Salomon quidem Regum ampliſſimus conſpici potuerit vel cultior vel ornatior, etiam cum in ſummo ſplendore eſſet conſtitutus. Quamobrem Chriſtus ſummo ſtudio inhiare nos vult doctrinę Euangelicæ,ac rerum cœleſtium contemplationi inſiſtere, adeo vt nihil nobis defuturum polliceatur earum rerum quæ in hac fragili vita & caduca neceſſariæ ſunt,vt etiam vltro ac ſpontanea Dei liberalitate ſint acceſſuræ. Matth.6.

De hedera quæ arboribus ac parietibus tenaci amplexa adhæret.

CAPVT XXXIII.

HEdera quæ Ionæ Prophetæ aduerſus Solis æſtum vmbraculum præbuit (quamquam alij Cucurbitam ſatis appoſitè verterunt) ab hærendo nomen ſortita eſt, quòd natura ſit ſequaci, omnibuſque ſe affigat. Hinc Perſius, Cap.4. In proœmio.

Heliconidaſque & pallidam Pirenden
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces.

Cum autem hæc arbor Baccho poëtarum præſidi ſit conſecrata vt olea Mineruæ,ob id poëtæ hac coronati ſolent,quemadmodum lauro victores. Hedera Baccho ſacra.

Sic Virgilius,

Paſtores hedera creſcentem ornate poëtam.

Et cum Auguſtum orbis domitorem ſuo poëmate celebraret, allegoricos petit, ſuo quoque carmini locum eſſe inter eius triumphos, ac patiatur hederam qua poëtæ exornari Eclog.7. Laurus victoriæ ſacra.

 ſolent,

ſolent, inter lauros Imperatoribus victorioſis dicatas, nonnullum locum obtinere.

Eclog. 8. *A te principium, tibi deſinet. accipe iuſſis*
Carmina cœpta tuis, atque hanc ſine tempora circum
Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.

Lib. 2. Cap. 9. Cum autem ſuperſtitioſa gentilitas Bacchi orgia, hoc eſt, ſacra Liberi patris tertio quoque anno (vnde *Trieterica* dicta) ſolenni ritu celebraret, ex hac viuente fronde ſerta & coronas confecit. Sic in libris Machabæorum Antiochus Iudæos coëgiſſe legitur, vt deteſtatis patris legibus, contemptiſque diuinis inſtitutis bacchantium more hedera redimiti orgia celebrarent, & qui id facere recuſaret, morte plecteretur. Quòd autem hæc arbor quæ perpetuo frondet, nec vnquam foliis deſtituta eſt, Baccho ſacra ſit, hinc ortum puto, quòd ebrietati obſiſtat, ac diſcutiendis capitis doloribus ex temulentia contractis ſit accommoda, foliis etiam aut ramuſculis foris capiti admotis, ſic, vt videri poſſit huius arboris vmbra Ionæ vati non incommoda, vt quæ capitis grauedinem ex æſtu & laſſitudine contractam diſcutiat. Mira autem deſcribitur à Catone vis & natura Hederæ. Si enim poculum ex ligno eius conficiatur & vino impleatur, ſi id dilutum ſit atque aquæ miſtum, continuo vinum effluit, atque internè per lignum diffunditur. Tanta eſt enim inter hac *antipathia*, hoc eſt, diſcordia, vt alterum alteri admiſceri non ſuſtineat, ſed vaſculum hederaceum vinum reſpuat. Cæterùm an hedera fuerit quæ Ionam ab ardore Solis tutata ſit, & quam indignanter tulit exareſcere, radice à verme eroſa nonnulli interpretes, tum etiam Auguſtinus ambigit: cum Cucurbita in eum vſum ſit accommodatior, quam vox Hebræa deſignare videtur, quod ampliſſima folia proferat, atque clauiculorum amplexu in ſublime nitatur, opuſque topiriarium citiſſimè perficiat, ſub quo captare opacum frigus atque æſtum, ſoliſque ardorem propulſare liceat. cum enim infrigidantis ſit naturæ, feruido cœli ſtatu foris corpus à calore tuetur: intus etiam atque in corpus admiſſa intemperiem ex æſtu contractam mitigat, vt acetaria ex cucumere, melone, pepone, citrullo, lactucis, atriplice, portulaca confecta, quæ primis menſis inferri ſolent, atque etiam eorum nonnulla naribus admoueri, quo ſpiritus collapſi recreentur.

Hedera cur Baccho ſacra.

De re ruſtica.

Hedera vino obſiſtit.

Cucurbita.

De Moro arbore, & fructu eius.

CAPVT XXXIV.

MOrus arbor Belgicæ nationi notiſſima æſtiuis menſibus in vſum refrigerandi expetita caudice eſt vel trunco valido, cortice vbi adoleuit, ſcabro, nec vllo læuore perpolito, ligno intus colore buxeo & ſubflauo, foliis in expanſæ manus modum diſſectis, ficui non abſimilibus, fructu oblongo, ouali granoſo, primum candido, cum pubeſcit, rubro, maturitate nigricante arborum omnium poſtremò floret, nec in folia floreſque ſe expandit niſi ver ſtabile ſit, quaſi nolit vllam hyemis iniuriam aut aëris inclementiam perpeti, ac quæ omnium primò fructum maturum & eſculentum edat. Inficit Morum manus ſanguinolento colore vbi maturit: eluit extergetque maculas ac næuos immaturum, hoc eſt, album ac nondum rubicundo colore perfuſum, ſic vt nihil neceſſe ſit aquam aut quid aliud extergendis manibus adhibere, ſed ſuccum tantùm mororum quæ adhuc vireſcunt. Fructus huius arboris ſalubriter experitur in refrigerandi vſum, æſtiuis præſertim menſibus, quibus potiſſimum viget, idque in prima menſa atque ante cibum aſſumptus, nam peracto prandio aut cœna in corpus admiſſus putreſcit, ac morbis ex corruptione excitatis ſeminaria miniſtrat, vt Ceraſia, pruna, corna, perſica, vuæ recentes, &c. quæ ante cibum refrigerant, ſitimque ſedant, ac calidam hepatis intemperiem mitigant ac reprimunt: nec verò grauatè poſt cibum admittere ſoleo, modò horum fructuum ſuccus degluriatur non admiſſo in corpus cartilagineo illo ſtamine quod à pediculo cui fructus adhæreſcit per morum ſe porrigit: ſic enim vino exhilaratis fumos reprimit, vt poma ſucculenta, punica, arengia, limones, & mala citrea quæ abſoluto prandio hoc efficiunt, vt quis minus ebrietati ſuccumbat, & mens illi minus fumo ac vapore vini obnubiletur. Sic enim naturali ratione non videri poſſit alienum, nec valetudini contrarium quod Horatius cecinit, Mora quando edenda.

—— *Ille ſalubres*
Ætates peragit, qui nigris prandia moris
Finiet.

Alioqui ſi affluentiùs deuorantur mora, vt à laſciuis ac petulcis puellis aſſolent, ſubſtituendum eſt, *Incipiet.* Conficitur ex mori arboris fructu, tum ex eo qui ex Rubo colligitur

medicamentum aut ἔκλειγμα quod *Diamoron* vocatur, reprimendis vuluæ ac tonſillarum fauciúmque tumoribus aptum.
Adimi autem aliquando hæc ſolatia ac naturæ formenta improbis qui vel Dei munificentiam non agnoſcunt, aut eius donis abutuntur, Dauid paſſim teſtatur, inter hæc alias quoque vitæ delicias complexus. *Conſumpſit*, inquit, *bruchus & locuſta fruges illorum, grando vites, & pruina moros eorum* Sæpius enim contingit aëris inclementia atque intempeſtiuo gelicidio floreſcentes vineas, moros, ſegetem, oleas ita confici, vt nullus prouentus ex illis percipiatur. Cæterùm cùm in Mori mentionem incidimus, obiter enarrandum quod in Machabæorum hiſtoria ſcriptum eſt. Cùm enim Antiochus Syriæ rex Iudæis eſſet infeſtus, atque omni armorum genere illos oppugnaret, duos & triginta Elephantos, in illorum dorſo turribus ligneis erectis, armatóque milite inſtructis, in aciem produxit, & quò belluæ efferatæ in pugna eſſent ferociores, obiecerũt illis rubicunda velamina mororum atque vuarum rubentium ſucco perfuſa. nam ſanguinolento colore exaſperátur elephantes, atque in hoſtem ſunt atrociores maiorique impetu feruntur.

Pſalm. 77. 2. Mach. 6. Hiſtoria ex libro Machab. Elephanti rubro colore effe-rantur.

De Sycomoro, & Caprifico.

CAPVT XXXV.

Sycomorus vtriuſque partis nomen exprimit adſcito à ficu & moro nomine, cuius fructus eſt Sycaminos. Arbor adſcribitur à Dioſcoride & Plinio ampliſſima, ficus ſimilitudine, foliis moro proximis, quæ fructus edit ignaui guſtus, inſipidos & immaturos, quos non ramis vt ficus, ſed caudice ipſe gerit, caprificis ſimiles, & qui non matureſcunt, dulciores tamen præmaturis ficubus quas *Croſſulos*, vocant, nulla intus granorum congerie Præbuit hæc arbor Zachæo qui Chriſti viuendi erat auidus, ſuggeſtum. cùm enim ſtatura puſillus eſſet, in Sycomorum ſe ſubduxit, velut procul à ſordidis ac caducis rebus, vt illi Ieſus eſſe conſpicuus, ſic, vt in Zachæo typus ſit expreſſus gentium, quibus factus eſt aditus in cœtum conceſſumque fidelium per fidem in Chriſtum, cuius quanta ſit vis & efficacitas, ficus arefactæ portentoſum oſtentum declarat, cuius exemplo Chriſtus exſtimulat Apoſtolos, vt illam in mentibus ſuis foueant, eaque pollicetur tantùm acceſſurum roboris & potentiæ, vt ſi Sycomoro im-

Sycomori deſcriptio. Luc. 19. Math. 21. Luc. 17.

pêrent vt eradicetur,& in mare ſe transferat, illorum iuſſis obſequuturam,tum etiam, ſi viſum ſit, montem loco dimouere, atque id exigat profectus Euangelij, confeſtim atque abſque mora perficiet quod facere iuſſus eſt, modo adſit in Deum fides minimè vacillans, eamque vim habeat quam granum Sinapis:quod tametſi minutum ſit,tamen attritum exerit acrimoniam ſuam, ac nares vellicat, totúmque corpus excitato ſternamento concutit: itaque appoſite fides & doctrina Euangelica huic grano comparatur, quòd mentem hominis inflammet, atque in Dei amorem ac venerationem rapiat, qua de re ſuperiùs. Cæterùm vt ad Sicomorum oratio recurrat, Eſaias acriter inſurgit in populum Ephraim & Samariæ incolas, quòd ſuperbo atque elato animo Deo inſultarent atque illuderent. Cùm enim illos cladibus ac calamitatibus afficeret quò ad reſipiſcentiam reuocaret, contemptui illis fuit Dei manus, & pro ludibrio habita: ſic vt nihilo facti ſint emendatiores,vt pueri inſolentiores qui à parente flagris cæſi,obſtinatè perſiſtunt,ac ſe deteriora facturos pollicentur.Cùm autem plagæ illos ad ſaniorem mentem reuocare debeiēt,facti ſunt obſtinatiores,magiſque præfracti,calcitroſi, refractarij. Sic enim allegoricôs ac figurata locutione ludibrio habent illatas clades,incēdia,ruinas ædibus ſuis immiſſas:*Lateres ceciderūt & collapſi ſunt quadrato lapide eoque expolito ædificabimus.Sycomori ſucciſæ ſunt.Cedros ſubſtituemus*,quaſi diceret. Exiguum eſt, nullúſque momenti damnum ac detrimentum quod perpeſſi ſumus minimo negotio paruíſque ſumptibus reſarcietur,imo omnia magnificentiùs inſtaurabuntur ac ſpectabiliùs,pro lateritiis marmoreas ædes erigemus,pro Sycomoro, hoc eſt,vulgari paſſimq; obuio ligno,Cedrina laquearia erigemus,omniaque operioſiùs perfici curabimus. Quamobrē cùm obſurdeſcerēt ad Dei vellicationem ac monita, omniaque illis eſſent non ſine irriſione deſpicata, Deus irritatus ſcelerum continuatione,extenta manu atrociora illis inferre meditatur, quod moniti atque acerbe caſtigati non referrent pedem atque ad percuſſorē confugerent.Huius arboris mentio etiā fit apud prophetā Amos qui cùm neque propheta eſſet nec ex propheta oriundus, nulliſque artibus liberalibus inſtitutus,ſed ruſticanis negotiis ac paſtorali vitæ aſſuetus,adſcitus eſt à Deo in prophetici muneris functionem, illique mandatum eſt vt contra Hieroboam Regem & Amaſiam Sacerdotem horrendum vaticinium fulminaret, cuius conatibus cùm obſiſteret Amaſias, Amos primùm excuſatione ſe purgat, quò cogatur hanc functionem obire,tametſi nec propheta ſit,nec propheticis inſtitutis ab Incunabulis imbutus.Quocirca cùm hoc onus illi à

Matth.17. Marc.11.

Cap.6.

Eſaiæ locus explicatus.

Cap.7.

Amos locus explicatus.

Deo ſit impoſitum, illi potiùs quàm Regi & Sacerdoti obſequendum. Amaſias inſtat & ſuadet, ne pergat vaticinium in Regem proferre, ſed in Iudæam ſe ſubducat extra Iſraeliticos limites, ſuæque vitæ fuga conſulat, ne illum ad vincula, mox ad ſupplicium rapi contingat. Amos exertè ac palam vocationem ſuam tuetur, nec in animo ſibi eſſe teſtatur, vt eam deſerat, aut ab imperata legatione ſit diſceſſurus. Itaque Amos ingenuè fatetur ſe non eſſe Prophetam, nec Prophetæ filium, ſed armentarium, ſed bubulcum, aut pecuarium qui Sycomoros

Pſal.77. vellicet, hoc eſt, Caprificos decerpat & colligat. *Verùm abduxit me* (inquit) *Dominus Deus*, quemadmodum etiam Dauid de poſtfœtante ad regni ſolium euectus *cùm ſequerer gregem, & dixit ad me: Vade Propheta ad populum meum Iſraeliticum.* Itaque neglecto Regis & Amaſiæ Sacerdotis mandato vaticinium ſuum liberè exequitur, atque vtrique internecionem denunciat. Qua fiducia etiam vſi ſunt Apoſtoli, cùm interdictum illis eſſet à Phariſæis, additis minis ne omnino loquerentur, neque docerent de nomine I E S V. Petrus enim & Ioannes confidenter, ſed citra contumeliam reſponderunt. An iuſtum ſit in conſpectu Dei veſtris potius iuſſis obtemperare, quàm Dei, vos qui legis præcepta tenetis, iudicate, non enim poſſumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui.

De Malo Punico, vulgo Granaet appelen.

CAPVT XXXVI.

Malum Punicũ à Punica Carthaginenſi regione, & à corticis colore nomen obtinet *Granata*, quòd mala tubentibus granis ſcateant. In illa Hiſpaniæ parte quæ *Bætica* dicitur, nunc *Granata*, à Mauritanis auorum noſtrorum memoria occupata, (nam illos Ferdinandus Arragonum rex expulit) frequentiſſima. Arbor eſt non admodum procera, folio anguſto, nitidi, leuioris, expolitique viroris, flore qui Citinus puniceo, ſilueſtri qui Balauſtium dicitur, rubicundo, pomo quod duro cortice ſeu tegmine aut putamine coriaceo integitur, *Sydion*, Græci, *malicorium*, Latini vocant, perficiendis coriis idonea aſtrictionis ratione, & quod atro colore illa inficiat, granis intus exuberantiſſimi ruboris, ſucculentis, & anguloſis numeroſa congerie arctiſſimè in ſe compactis, aut velut ſeptis aut loculis, tenuique ac flaueſcenti intus membrana

Arboris mali punici deſcriptio.

diſtin

diſtinctis, ſapore aliquando dulci, mitigandæ ſiti idoneo, aliquando acido ac vinoſo hepati refrigerando accommodo, & cùm aſtrictionis ſit particeps, cohibendis, cruentis ac dyſentericis fluxionibus. Siſtunt enim acida poma omnium profluuia, ac partem affectam corroborant. Mali Punici in ſacris Bibliis frequens mentio, eoque deſignatur decus & ornamentum virtutis, vitæque integritas, tum etiam dulcia, puráque ac caſta eloquia. Sic Sponſus conuocans ſponſam ſuam ac blandimentis verborumque lenociniis alliciens, *Dabo tibi*, inquit, *poculum ex vino condito*, hoc eſt, aromatibus cõfecto, quale noſtrũ *Hypocraticum muſtum*, hoc eſt, ſuccum ſuauem mali Punici recenter expreſſum quo nihil palato gratius, hoc eſt, refocillabo te ſuauiſſimo meo colloquio, reficiam te ſalubri doctrina, & ſpiritali comparatione te exhilarabo. Ruiſus alio capite. Cùm Sponſus incredibili amore ſponſam amplectatur, hoc eſt, mirè afficiatur erga Eccleſiam ſuam Chriſtus, cui ſponſæ aſpectus, oculi, genæ, palpebræ ſint viſu gratiſſimæ, *Vt fragmen*, inquit, *mali punici, ita & gena tua*, hoc eſt, Sicut dimidiatus cortex mali granati confracti aut diſſecti, qui fragrantiſſimi ruboris grana ſpectanda exhibet, ſic malæ tuæ quæ non enormiter extumeſcunt, aut ſunt inflatæ aut indecoræ protuberant, ſed decenter conſtitutæ, amabili ac gratioſo rubore perfuſæ. Quo caſtitas deſignatur, modeſtia, pudor, probitas, quibus rubicundus color attribuitur. Deinde paulò inferius, *Emiſſiones tuæ*, ſiue propagines, *aut plantaria tua, paradiſus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus*, aliiſque fragrantiſſimis herbis quæ quòd proximè aſſiſtant, omnia efficiunt ſuauiora, magiſque odorata. Quibus deſignat gratiſſima quæque, omniaque mentis ſolatia, ac fomenta quæ nunquam ſatiant, & quibus animus maximè reficitur. Cùm autem in hoc Cantico Sponſus & Sponſa ſingulis ferè momentis vltro citroque ſuauiſſimo colloquio ſe reficiant, quo languorem qui amori ineſſe ſolet, excutiant, alter alteram idemtidem ad inuiſendos hortos inuitat, quò ſpectent an vineæ floreſcant, an mala Punica germinare incipiant, an aliqua ex floribus oblectamenta poſſint concipere, non enim patitur alter ab alterius amplexu ſe diuelli, ſed indiuulsè ſibi mutuò adhærere cupiunt, atque alter alterius ſuauiſſimo colloquio ac conſuetudine frui. Quoniam autem mala Punica ſeu *granata*, miris modis oculis blandiuntur, ac guſtum ſaporemque ſuauiſſimum ſalubris ſucci exhibent, ideo Deus præcipit ad horum ſimilitudinem confici orbiculata poma, ac tintinabula foraminoſa in formam mali Punici, in quibus ſe ſpectandum exhibet rubicundum

Granata acida & ſenteriæ apta.

Cant. 8.

Cap. 4.

Cap. 6. 7.

Exod. 18. 39.
3. Reg. 7.
4. Reg. 25.
2. Par. 3.
Hier. 52.
Agg. 2.
Ioelis 1.

dum illud granorum blandimentum, quò in mentem reuocaret obliuioſis Iudæis durum legis corticem, ſed poſtmodum coruſcante Euangelij luce ſubſequuturum ſuauiſſimum Euangelicæ doctrinæ ſuccum.

De Citreo, ac Malo Medico, Limonibus & Aurangiis, vulgo, Araeiin appelen.

CAPVT XXXVII.

Malum Medicum. NOn defuit etiam genti Hebrææ cùm in oblectamentum, tum condimenti vſum malum Medicum, ſeu pomum citreum, cuius generis ſunt vocati, *limones & aurangia*, aureo croceóque colore, quorum pleraque orbiculata ſunt, nonnulla oblonga atque ouali forma, præſertim citrea, Citrea mala. & quæ *limonis* nomine paſſim innoteſcunt, eximij odoris, & quæ cor mirè recreant ex horum corticibus in laminas, aut etiam ſaccharo incruſtatis conficiuntur tragemata ac bellaria, quæ non ſolum palato grata ſunt, ſed cor etiam reficiunt ac vires inſtaurant. in quem vſum etiam huius arboris flores melle condiuntur, antequam prorſus dehiſcunt, aut ſe in folliculos expandunt. Spiritus enim extenuatos erigunt, ac tabidis aridiſque corporibus fomenta miniſtrant. Eſt alia ab hac arbore *Citrus*, etiam vocata, ſed quæ huiuſmodi mala aurea non proferat, ſilueſtri Cupreſſo aut Cedro non abſimilis, ſic vt nonnulli exiſtiment ipſiſſimam eſſe arborem quam lignum *Setbim* Biblia vocant, ex quo confici præcipit Deus trabes, menſas, cõtignationes, tabulata, laquearia, tigna. Eſt enim Citrus lignum Sethim. Exod 35. lignum à carie ac teredine vermiculiſque alienum, nec vllo æuo corruptioni obnoxium. Vbi autem aſcia perpolitum eſt ac dedolatum, criſpanti venarum diſcurſu picturatum conſpicitur, vt apud nos veſtes polianthicæ ac variegatæ, ſiue polimiticæ, hoc eſt, vario & verſicolore filo contextæ, quod in vulgari cameloto, atque etiam in byſſina, ſericáque textura perſpicimus, quæ *Damaſcena* vulgo appellantur. Spectantur apud nos ex hoc ligno elaboratæ menſæ ductiles ac verſatiles, tum vt nunc paſſim conficiuntur in hoſpitum inopinatum aduentū emiſſitiæ & extractabiles, quo plures accumbant, ſpectabili ac peramœna colorum varietate, læuore perpolitæ, quorum nihil non natiuum eſt & genuinum, nec vllo pi-

floris pigmento fucatum. Quocirca exiſtimo Deum ex hoc ſplendido atque incorruptibili ligno voluiſſe conſtrui ea quæ vſui erant Sacerdoribus in templo, ſic vt arca fœderis & quidquid in ſacris Hebræorum ſpectabile erat, ex Cedro & Citreo ligno confectum fuerit. Cùm enim rebus externis afficerentur Iudæi, omnia in illorum ſacris ſplendida eſſe voluit, ſumptuoſa, magnifica, atque operoſius elaborata, quò omnia eſſent anguſtiora, maiórque religionis cultúſque diuini veneratio, ac populus meliùs in officio contineretur. Exod.35. 37.& 38.

De Croco.

CAPVT XXXVIII.

CRocus radice buboſa ac cepicea in capillamenti exilitatem ſpargit folia iuncis multò tenuiora, è quibus floſculus emergit, tametſi is aliquando ante folia conſpiciatur, cerulei coloris, in cuius medio velut crocea ſtamina ac filamenta ſe proferunt fragrantiſſimi odoris, adeóque intenſi, vt cerebro vi ſoporoſa officiat. Cor verò Crocus ita recreat, vt digito annulari ſiniſtræ manus aſtrictus confeſtim ad Cor penetret. tanta eſt illi cum corde ſocietas, vt vel foris vel intus adhibitis abſque mora per arterias illuc perferatur, quo fit vt corporis venuſtatem adferat, & colorem floridum concilier, modò ne ſit immodicus eius vſus. nam immoderatus riſum perpetuum homini excitat, & (vt tradūt medici) nimio gaudio hominem conficit, ſi trium drachmatum pondere exhibeatur. Cùm itaque tantopere Croco hominis cor afficiatur, non ſine ratione Sponſæ hortulo ac viridariis Crocus odoratiſſimis aliis herbis interſeritur, vt ſic fragrantiam ſuam tanquam in vnum faſciculum coactæ inter ſe conferant Cyprus, nardus, crudus, calamus, & cynamonum cum præſtantiſſimis *Libani* arboribus herbiſque cum primis odoratis. Quibus deſignatur decus atque omnium virtutum ornatus. oratio quoque Eccleſiæ & piorum hominum, qui ſuauiſſimum odorem Dei auribus effundunt, ſic vt oratio ad Deum feratur, iuxta Dauidem, *Tanquam incenſum & ſacrificium in odorem ſuauitatis*. Cæterùm cùm Crocus ſuccos, liquores, lintea, veſtes, lanam, colore vel luteo vel flauo vel fuluo imbuat, aut ſi exuberantius affuſus eſt, rutilanti, rubentique ac rubicundo, fit vt iſti colores rebus in quibus apparent, atque ſe proferunt, ex Croco nomen ſortiantur Sic Medici in æſtuoſis febribus & feruida hepatis intēperie lotium obſeruant croceum, vel luteum, vel flauum, vel crocatū: quòd feſtucas

Dioſcor. lib. 1.

Cant. 4.

Pſal. 40. Eccl. 45.

Ex Croceo colorũ nomina. feſtucas & filamenta Croci referant quæ ad rubedinem deuergunt, ac rubenti colore perfuſa ſunt, ita intenſior eſt color crocatus & croceus qui crocum ipſum æmulatur, quàm flauus aut luteus, aut quem a Citreo pomo Citreum vocant, nam

Caltha flos luteus. iſti colores dilutiores ſunt. Sic Caltha vulgo *Calendula*, ab auri fulgore luteo & ſubcroceo colore ſpectatur, ſic viola lutea & muraria quæ Mauris *Chieri*, dicitur. Sic vnguentum quod Croci colorem æmulatur & eum recipit, Crocomagina vocatur & Crocinum. Sic Oxycroceum à croco & aceto nomen obtinet. Quod verò ad veſtes attinet croceo colore, tum coccineo ac purpureo imbutas, multa eius generis in ſacris litteris obuia ſunt, quemadmodum etiam apud alios Scriptores paludamentum Imperatorium coccineum legitur, Hyathinum & veſtis Crocatula crocei coloris, Belgæ *Rovvaens*, vocant à Rothomago Galliæ ciuitate, vbi lana eo colore inficitur. Sic etiam Ieremias lamentatur redactam eſſe in nihilum Ieruſalem, omne decus & ornamentum ciuitatis ſublatum, nec in ea quidquam eſſe ſpectabile, aut viſenda ſpecie, ſed omnia deformata: inductam extremam calamitatem, ſordes, miſeriam, ino-

Thren.4. piam. *Qui*, inquit, *delicatè ac voluptuosè veſcebantur, atque deliciis affluebant, in via conculcati ſunt. Qui nutriebantur in croceis*, hoc eſt, crocei coloris velamentis, vel rubenti coccino, *amplexati ſunt ſtercora.*

De Myrto quæ apud omnes nationes nomen retinet, & de Myrto ſylueſtri.

CAPVT XXXIX.

Myrti deſcriptio. MYrtus arbuſcula, aut potius apud nos frutex, & virgultum perpetuò virens, Veneri dicata eſt, ac ſacrata coniugio in quo exigitur caſtitas & concordia. folia profert oleæ aut liguſtro anguſtiora ſaturati viroris, baccas nigras Iunipero affines ſapore vinoſo, ex quibus etiam ex molliſſimis

Cap.2. Eſther oleo myrtino vſa. eius foliis oleum exprimitur: quo Eſther delibuta Regi Aſſuero in matrimonium aſſumpta eſt. Conficitur etiam ex baccis vinum myrtites quod pollet vi aſtrictoria, ac ſtomachum diſſolutum confortat. id etiam ruptis atque ex alto delapſis commode exhibetur. Huius arbuſti ramis Hebræos

3. Eſdr.4. 2. Mach. 10. adornaſſe ædes ſuas ac veſtibula in Enceniis, hoc eſt, ſolennitate feſtorum quæ celebrari ſolent ob templum poſt Perſarum exilium inſtauratum: in *Scenopegia*, hoc eſt tabernaculo-

rum

rum feſto à fingẽdis tabernaculis nomen ſortito Scriptura paſſim teſtatur. Sic Neemias vrbis ac templi legiſque inſtaurator præcepit populo reduci ex captiuitate atque exilio in Hieruſalem, vt velut in publica lætitia ac triumpho conferant ſe in montes ac ſyluas, atque ex nemoribus adferant Oliuæ, Cupreſſi, Citri, palmarum ac Myrti ramos, quo conficerent ex virenti fronde vmbracula, paſſimque inter ſe exhilareſcerent atque eſſent Geniales. Hic mos etiam Belgis vulgaris eſt, ſi quando ſolennis aliqua annuáque pompa exhibetur, aut Regem vel Principem inaugurari cõtingit, aut parta ex hoſtibus victoria, longáque obſidione liberata Ciuitate triumphus per vicos ac compita agitur. Id etiam Troianos factitaſſe abſoluta longa vrbis obſidione, pulſiſque (vt iis perſuaſim erat) Græcis Virgilius teſtatur.

Nos delubra Deum miſeri, quibus vltimus eſſet Aenei.2.
Ille dies, feſta velamus fronde per vrbem.

Cæterùm Eſaias (quem aliâs teſtati ſumus in illuſtrandis vaticiniis ſtirpes, herbáſque ſuis narrationibus accommodaſſe) illos pronunciat felices fore, omniáque illis ad proſperitatem ac ſucceſſum optabilem futura adiumẽto, qui Deo fidunt, eiúſque bonitati & clementiæ inuituntur, ita vt nihil incommodi ſit acceſſurum, adeò vt quæ nocitura videbantur, rebus mutatis, fructum non exiguum ſint allatura, quod ſic indicat, *Pro ſaliunca aſſurget abies* à proceritate dicta, & quod in ſublime abeat. *pro vrtica* mordaci & cõtempta herba, vulgo *Netel*, *Myrtus*, ſuauis, ſpecioſus & odoratus frutex Quo deſignat pro noxiis infeſtiſque fruticibus fœcundos, amabiles, ſalutares, frugiferos ſubſtituendos, hoc eſt, pro vitiis virtutes, pro ſeruitute libertatem, pro exilio reditum regreſſúmque in cœleſtem patriam. Rurſus cùm oſtendit ſe non defuturum afflictis ac deſperationi proximis, ſed in extrema calamitate, clade, anguſtiis ſubuẽturum, *Irrigabo*, inquit, *ſcaturiginẽ aquarum terram aridã* ac ſitieuloſam, *ponam in deſerto abietem, vlmum, cedrum, myrtũ, cupreſſum ponam in locis incultis* ac ſqualidis *pinum & buxũ*, arbores quæ perenni ſunt virore, & quibus folia non defluunt. Quo Deus indicat, ſe præter naturæ ordinem, præter ſpem atque hominum opinionem, rebuſque deploratis adfuturum populo ſuo, ſic vt in regione deſerta ſpecioſiſſimæ arbores ſe proferant, hoc eſt, hominum mentes ieiunæ ac ſiticuloſæ florentiſſima virtutum germina ſint allaturæ. Paulò inferiùs idem argumentum proſequitur, ac pollicetur conſolationem ac mentis tranquilitatem, futurum enim eſſe vt inſtauretur Eccleſia, ac cœtus diſperſus ſit colligendus, ac priſtino cultu ac

Cap.55. Eſai.41. Eſai. 60.

nitore poſtliminio illuſtrandos, quod hoc tropo confirmat: *Gloria Libani ad te veniet, abies, pinus, buxus ſimul ad decus & ornatum ſanctificationis tuæ.* Quibus verbis indicat non ſolùm Eccleſiam ædificandam eximiis arboribus, quas ſylua Libani ſuppeditat, ſed quidquid in hominum ſocietate excellens, magnificum, heroicum eſt, huc allatum iri, non ſolùm plebeios atque infimæ ſortis homines, quos minùs deſpicit Chriſtus, quàm ſublimes, ſed Reges & principes, ſatrapas atque heroas in hanc ſocietatem conuocandos. Cæterùm cùm myrteti apud Zachariam Prophetam mentio incidat oblataque inter hæc Prophetæ viſio, de illo pauca diſſeram: nam omnia ad amuſſim exequi nimis quam operoſum, & ingenij noſtri captum ſuperat. Sortiuntur ab herbis atque arboribus nomina ſyluæ ac nemora quòd huiuſmodi ſtirpibus conſita ſint, ab arundine Arundinetum. Vnde in libro Sapientiæ, *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*: hoc eſt, Sanctorum fulgor & claritas impios, vt ſtipulas crepirantibus flammis deüret. Palmeta quæ palmis ſcatent, Myrteta loca myrto & vrbano & ſilueſtri fœcundiſſima. In hoc autem vireto exhibita eſt Zachariæ viſio quam populo indicat, quò prophetia viſioni coniuncta maioris apud illos ſit auctoritatis ac ponderis, atque acrius oſcitantes ſocordéſque mentes ſtimulet. *Vidi,* inquit, *noctu, & ecce vir inſidens equo rufo*, hoc eſt, ſpadiceo colore, vulgò (*Caſtaenne brijn*) *& ipſe ſtabat inter myrteta in profundo & poſt eum equi rubri, varij, & albi: & dixi, Qui ſunt hi? & reſpondit vir qui ſtabat inter myrteta* (quo Chriſtum deſignari puto, qui Eccleſiam obſcuratam ac deformatam vitiis emendatam cupit) *iſti ſunt quos miſit Dominus vt perambulent terram.* Quibus verbis commonſtrat in valle huius mundi vmbroſa atque opaca, in qua mali bonis permiſti ſunt Deum ſingulari ſua prouidentia curare res humanas, atque hominum commodis conſulere ac proſpicere, ipſamque Eccleſiam per Chriſtum & Apoſtolos alióſque verbi Dei miniſtros, qui in tanta ac tam confuſa hominum multitudine ac diuerſitate, ſuis quique officiis funguntur, vt illis partitus eſt Deus, erigere, demandata illis prouincia vt tacitè explorent quid rerum geratur in terris, in quo ſtatu conſiſtat res mortalium, ſic vt ea cura paſtoribus incumbat, ac munus delegatum ſit vt ſalubri exhortatione, (quod Paulus Timotheo præcipit) additis minis extimulent homines quò reſipiſcant atque ad Deum, vnde profugerunt, ſe conferant, quod ipſum ſi obtineri poſſit, deſituras afflictiones, nec futuras diuturnas nec perpetuas. itaque Propheta obiecta populo ſua hac viſione ad reſipiſcentiam ipſum prouocat

Cap. 1. Myrtetum & ex eo Allegoria.

Cap. 3.

Zachariæ viſio quid deſignet.

prouocat, ſic enim futurum vt Deus illi factus placatior, pœnas atque vindictas remittat, omniáque in priſtinum ſtatum reſtituat. Hæc de myrto amabili atque odorato arbuſto ſufficiant. Eſt huic affinis myrtus nemoralis, cuius baccis turdi, *lijſters* vulgo, & merulæ *meerlen* impenſè delectantur, ita vt earum caro ſaporem baccarum referat odoratum, ſit ficedulæ vnde nomen adeptæ vulgo *Sneppe* ficubus ſaginantur. Huic ſyluestri myrto affinis eſt frutex aut virgultum Pſeudomyrtus odore non ſine grauitate iucundo, cuius folia, & frutices exiccatos veſtibus interſerunt, quo grato odore perfundantur. Refertur etiam inter ſylueſtres myrtos. Ruſcus foliis quidem myrti, ſed latioribus mucronata cuſpide munitis, ſic vt incautiùs attrectata digitis aculeum infigat, vt veſpæ inhærent foliis nullo petioli appendice baccæ piſi magnitudine, myrteis minores, corallino rubentique colore perfuſæ, cuius radice vtimur in ciendo locio, & atterendis calculis. Myrt. ſylueſtris. Pſeudomyrtus. Ruſcus.

De Pino.

CAPVT XL.

Pinus arbor etiam Belgico ſolo aſſueſcit, ſed non aſſurgit in vllam proceritaem, folio exiſtit tenui, rotundo, aculeato. Fructum ſeu nucem nihil neceſſe eſt deſcribere, cùm paſſim obuia ſit, ac nucleus in alimenti & medicamenti vſum omni nationi veniat, *Pomum* Belgæ vocãt, cùm nux ſit, ſed quę in hoſtem emiſſa ac capiti illiſa illum proſternat. Vnde extat apud Macrobium iocus vrbanus Caſellij Iuriſconſulti, Lapidatus à populo Romano Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuit vt Ædiles edicerent ac proclamari per præconem iuberent, ne quis in arenam niſi pomum mitteret: forte iis diebus Caſellius conſultus à quodam an nux pinea pomum eſſet, reſpondit, *ſi in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.* Tanto ac tam acerbo odio flagrabat populus in pernicioſum ciuem, vt illum extinctum potiùs quàm ſaluum cuperet. Cæterùm Prophetas pinum atque aliàs memorabiles herbas cõcionibus accommodare, aliàs demonſtraui. Eſaias enim in deteſtandis ſtatuis Ethicorum atque idolorũ ſimulachris miro artificio pleraſque arbores narrationi accommodat, ac cõmonſtrat quanta cura ac ſolicitudine ea ſtudeant effingere atque elaborare, fabrique nulli vſui ſunt, nec vllam ſalutem conferunt, adeo intenti illi rei, vt lima, malleo, calenti foco iis efformandis Li. Satur. Cap. 6. Eſa. 44.

 ad

ad laſſitudinem ſe exerceant, ac ſiticuloſi efficiantur antequam opus perficiant Artifices verò lignarios (vt concionem proſequitur,) normam & perpēdiculum, amuſſim adhibere, ſecurim, ſerram ſeu runcinam, circinum & ſi qua alia ſunt inſtrumenta tornandis poliendiſque lignis idonea, ſic vt pars eorum ſuccidat Cedros, ilicem, quercum, pinum, ex quarum aſſulis ſegmētiſque ac ſcandalis ſerra diſſectis ignem exciter coquēdis panibus atque eduliis, aut vt iis incaleſcat: ex reliqua arboris parte ſculpit Deum, & incuruatus adorat illum. Hæc Propheta Eſaias toto hoc capite prolixè enarrat, ac ſemel atque iterum repetit, quo homines meminerint, vnde petenda auxilia, cui incuruanda genua, ad quem manus, oculi, corda erigenda, nempe ad Deum, cui ſoli honor & gloria, & qui per Chriſtum Seruatorem noſtrum Spiritu ſuo abundè nos imbuit, & contra omnia aduerſa reddit inuictos.

De Buxo, errore vulgari Palma dicta.

CAPVT XLI.

Matt. 13. MIris modis hallucinati contingit pleroſque in herbarum & arborum cognitione. Si ſunt qui Anethum vulgo *Dille*, quam Chriſtus concioni adhibet, *Anijs* credant, cùm *Aniſum* ſui generis ſit, & Belgis nomen retinear, ſemperque proferat diſcutiendis flatibus aptiſſimum, ſic vt Anethi foliis vtamur in condimentis, in oleraceis, in carnium elixarum liquamine, verùm non illius ſemine: at Aniſi ſemen & fœniculi in condiendo inſtaurandóque liquore Ceruiſario, in placentis, in bellariis, in pomis aſſis ſalubrem vſum obtinet. Sic Abies arbos celſa ac procera, ita vt hinc nomen ſortiatur, quòd abeat atque aſſurgat in immenſum, non eſt populus alba vulgo *Abeel* dicta, vt nigra populus *popelier*, ſed arbor Prophetis ſæpiùs in concionibus ad populum erudiendum adhibita, ſi quando faſtum deprimunt, ac ſuperbiam elatoſque ac ſublimes deprimendos prædicant, ac etiam deiectos erigendos. Abies perpetuò vireſcit, foliis pinnatis pectinum modo reſectis, flore croceo, ſpecioſo atque amabili. Huic picea, vt larix, pino, prorſus aſſimilis, ex qua mali nauium & antennæ eriguntur. Conſpicitur huius generis arbor in immenſum faſtigata in Cœnobio Anachoretarū quos *Carthuſianos* vocant, Ziricez contermino

Abietis deſcriptio.

quæ

quæ fructum profert pino non abſimilem turbinâta ſpecie,ſed qui nucleum exhibeat non eſculentum. Cæterùm vt ad Buxũ deueniam, in magno errore verſantur qui buxum palmam eſſe exiſtimant,cum ab hac per omnia diſſideat,niſi quòd vtraque perpetuò viret, nec foliis ſpoliatur. Hunc errorem ex eo exortum opinor quòd noſtrates hac fronde vtantur die ante Paſchæ ſolemnitatem octauo, qui Dominica Palmarum dicitur:nam eo tempore apud Belgas reliquæ frondoſę arbores deſiderantur. Spectatur hæc arbor in ſingulis ferè apud nos hortis folio myrti exiguo,concauo,ſubrotundo,læuore perpolito, perenni virore, flore herbaceo, odore graui, & quem non ſolum animantes,ſed etiam homines auertentur,ligno autem duro ac ponderoſo, ità vt in aqua demergatur, colore pallido ad flauum inclinato, ſic vt ij qui colore muſtellino ſunt ac giluo, minúſque amabili, buxeo vultu eſſe dicantur. Non deſunt qui huius arboris ſcobem ramenta lima attrita morbidis corporibus exhibeant, & luem veneream, ſeu morbum Gallicum iis expugnare tentent,eáque pari effectu cenſeant cum ebeno,ſeu Guaiaco ac ligno Indico, qui mihi toto cœlo errare videntur. Lignum enim Indicum odoratum eſt, ſucco oleoſo ac reſinato imbutum, ſapore non ingrato:at Buxus arida eſt, exſucca,tetro viroſoque odore, ſapore inſuaui, & qui venenoſæ qualitatis ſit particeps, ſi modo guſtare libeat. Conficiuntur autem ex tornatili hoc ligno ac raſili materia pectines,pugillares,manubria,foratiles fiſtulæ, capuli,pyxides,trochi:in quem vſum quã in medicamenti accommodatior. Noui enim ſacrificium quendam apud nos,ſed non admodum firmi cerebri,aut mẽtis ſanæ, qui cineres buxi deuſtæ atque in palmarum conſecreatæ quem ritu Romana Eccleſia dominica Palmarum obſeruat, cuidam adoleſcentulo ebibendos propinaret aqua luſtrali immerſos adhibito inani ac ridiculo quodam exorciſmo, ad diſpellendas, vt adſtantibus perſuaſit febres, & vermes exigendos non multò poſt febris quidem depulſa. ſed adoleſcens morte ſopitus eſt, ſic vt autor fuerim meis ciuibus, ne quis tale quiddam iterum attentaret.cùm buxeæ frondes deleteriæ ſint & exitiales corporique humano noxiæ ac pernicioſæ quod odor grauis etiam & viroſus indicat, & ſapor abominabilis atque amarulentus, quem palatum reſpuit atque auerſatur.

Color buxeus.

Buxi natura.

Rei geſtæ narratio.

Iam verò vt ſuſceptum argumentum proſequar,hoc eſt,deſumptas à Prophetis ſimilitudines explicem, commonſtrabo obiter Buxum etiam adhibitam concionibus,eámque arborem ſcitè atque appoſitè ſuis narrationibus Propheta accõmodaſſe. Cum enim huius arboris lignũ cornea ſit ferreáque duritie,

ſic vt ſi quid illi inſculpatur, non facile oblireretur aut exoleſcat. Dominus præcipit Eſaiæ vt peccatum Iudæorum qui
Cap. 3. Ægyptiis fidebant, amplificet atque exaggeret in immenſum, omnibuſque palam faciat, quam fœde a Deo deſciuerint, & aliunde potius, quàm ab ipſo ſalutem ſint venati: obiter hoc illi dat in mandatis vt ita deſcribantur eorū ſcelera atque aſſeruentur in monumentis publicis, vt ne vnquam in obliuionem poſſint deuenire. Sic enim velut irritatus ſceleris indignatione, *Nunc ergo*, inquit, *vade & ſcribe hanc Propheriam ſuper buxum*, vel in tabula aut pugillari buxeo diligenter & accuratè exaratam, *vt ſit in diem vſque nouiſſimum in teſtimoniū & vſque in æternum*, hoc eſt, iſtud effice vt tam accuratè hoc ſcelus obſignetur, vt ſit indelebile nec vlla vetuſtate contingat oblitcrari aut exoleſcere, ſic vt illorum oculis poſſit continenter obiici,
Eſaiæ locus explicatus. & aliis in memoriam reuocari elapſis iam aliquot ſeculis, omnibuſque teſtatum eſſe illos deteſtabiles eſſe ob patratum ſcelus, edito exemplo atque exhibito ſpecimine, ne alios quoque eo impietatis deuolui contingat. Ieremias quoque ſimili vti-
Cap. 17. tur Metaphora, & proclamat: *Peccatum Iudæ ſcriptum eſſe ſtylo ferreo, vngue adamātino, exaratum in tabula cordis eorū, & in cor-*
Hier. locus explicatus. *nibus ararum ſeu altarium eorum, quibus continenter aſtant, & in quibus ipſi & filij eorū ſacrificia peragunt.* Stylo ferreo & cuſpide adamantina ſcribitur, (nihil enim adamante durius, ſic vt acutiſſima inſtrumenta exigat, quo perpoliri poſſit) quod indelebile eſſe vult; nec annorum decurſu interire, ſed perpetuò ſubſiſtere, nec vllo æuo obſcurari. In Cornibus ararum, tanquam in veſtibulo primóque aditu & ingreſſu templi, vt ſemper habeant in recenti memoria, vt continenter verſetur ob o-
Pſal. 50. culos. Sic Dauid: *Et peccatum meum cōtra me eſt ſemper* hoc eſt, oculis iugiter obſeruatur, mentíque aſſiduè incumbit, ſic vt nunquam has furias & ærumnas, has animi carnificinas excutere poſſim, niſi ſcelus pœnitentia expiatum ſit, ac Dei miſericordia expunctum ac deletum. Iob etiam tot calamitatibus preſſus, tantáque mole ærumnarum obrutus, concepta emergendi fiducia, ab huiuſmodi rebus deſumpta ſimilitudine, cupit id quod dicturus eſt in omne æuum perdurare, eſſe enim indubitatum certumque ac fixum, nec ſi quidquam ambigere aut deſperare, quin felicem atque optatum ſucceſſum res ſit habitura. *Quis*, inquit, *mihi tribuit, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel certe ſculpantur in* ſaxo vel *ſilice*: quo perpetuò extent, omniúmque animis poſſint infigi, omniúmque oculis obiici. *Scio enim quod Redemptor meus viuit*, certóque perſuaſum habeo

beo *me in nouiſſimo die de terra ſurrecturum, & in carne mea viſurum Deum Seruatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, repoſita eſt hac Spes* & fiducia *in ſinu meo.*

Quibus verbis præter veram corporis reſurrectionem (quæ vt in Chriſto peracta, ita in nobis, hoc eſt, eius membris perficienda eſt) hoc agit apud amicos qui illi plus attulerunt moleſtiæ quàm ſolatij, vt omnibus teſtatum ſit ſe aliquando ex iis malis ac miſeriis emerſurum, tametſi enim à Deo afflictus ſit atque in nihilum redactus, tamen certam ſe habere ſpem, eam concipere fiduciam, vt vindex & inſtaurator ſuus Deus hanc cladem ac calamitatem in quam deiectus eſt, à ſe auferat, & erecturus ſit ex ſterquilinio in quo voluitur in priſtinam dignitatem, ſic vt res ex luctuoſo ac funeſto initio lætam Cataſtrophem ſeu exitum ſit habitura non ſine numeroſæ prolis acceſſu, ac rei familiaris ampliſſimo prouentu. Quæ res indicat Iobi hiſtoriam non eſſe commentitiam aut fabuloſam, ſed veracem & cui fides derogari non debeat, ſic vt ex re geſta proponatur nobis patientia ac malorum tolerantia, vt teſtantur Iacobus Apoſtolus & illo prior Ezechiel.

Iobi locus explicatus.

Iob 42.

Cap. 5.

Cap. 14.

De Nuce.

CAPVT XLII.

CVm Sponſa (quo nomine Eccleſia & pij cuiuſque anima quæ Chriſto inſita eſt, deſignatur) omnes conſectetur & captet odorum ſuauitates quæ è ſpecioſiſſimis fructibus emanant, hoc eſt, nulla non requirat oblectamenta virtutum quibus reficiat: *deſcendit in hortum nucum, vt longè latéque proſpectet* atque *inſpiciat, an vineæ floreſcant, an mala Punica germinent, an ſe poma proferant in conuallibus.* quibus Metaphoris indicatur, omnium virtutum chorus. Intelligi autem hic debet non nux auellana vulgo *Haeze note*, ex Corylo, ſed iuglans, quæ eſt arbor procera & ramoſa, foliis non ſine grauitate quadam odoratis latis & oblongis, fructu multis inuolucris ac tegumentis munito, calloſo foris atque herbaceo cortice vt Plinius eleganter deſcribit, intus cõpactili carũ loculo. Sunt enim huic nuci bifidæ putamini carinæ, nucleis verò quadripartita diſtinctio lignea interuireſcente membrana. Nux autẽ hæc *Baſilica* vocatur, hoc eſt, regalis, quòd à Regibus è Perſide in Europam tranſlata ſit, cõmuni nomine *Iuglans*, quaſi Iouis glandẽ dixeris, quòd eam primus hominibus Iupiter commonſtrarit.

Cant. 6.

Nucis arboris, deſcriptio.

Eduntur hæ nuces ſalubriùs,minorique incommodo recentes & ſucculentæ, quam aridæ. Nam ranceſcunt vetuſtate,& capiti grauedinem inferunt, vnde Græcis nux κάρυον dicitur, quòd capiti noxam inferat. Ex hac Medicamen Diacaryon Medicis in vſu eſt, quòd è nucibus confectum faucium vitiis adminiculatur reprimentis ratione. Virides autem decerptæ antequam putamina obdureſcant, melle & ſaccharo condiuntur, diúque aſſeruari poſſunt, roborando ſtomacho vtiles, atque ori palatóque non ingratæ, ſic vt menſis inferri poſſint, etiam inter bellaria vt cortices Citri aliáque tragemata, hoc eſt, delicata quæque edulia quæ ſecundis menſis atque alio cibo ſaturatis apponi ſolent. Elicitur etiam ex nucibus virentibus needum interno cortice induratis in turbine ac mera diſtillatoria aqua ad multos vſus efficax, nempe ad peſtis contagia, ad faucium ac palati vlcera ac puſtularum eruptiones ad eluendas maculas,næuos lentigines in facie: quod etiam præſtat aqua quæ ex vitis ſarmentis verno menſe inciſis profluit, qua de re nullum veterum mentionem feciſſe memini. Cæterùm cùm nux Regis foris ligneo ſit duróque cortice,atque intus ſuauem ſapidumque nucleum contineat, appoſitè nec incommodè illi accõmodari vita humana, vel pótius Chriſtiana poteſt, atque Eccleſiæ decurſus. In hac enim nubila ſerenis, dura mollibus, aſpera lenibus, acerba mitibus, dulcia amaris, ſolatia caſtigationibus immiſta ſunt. Durum aliquando eſt & operoſum. Nucem frangere quod ipſum ſi dentibus tenres, periculum imminet ne ſi imbecilles ſint illos frangas. Quò ſpectat illud Plauti, *Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem.* Quo denotat. illi qui dulcia deguſtare velit,amara deguſtanda, qui aliquid commodi ſectetur aut aliquod malorum ſolamen conquirat, ne laborem fugiat, nihil non faciat ac patiatur, non ſalubria aſſequi poſſet.

Virtus aquæ nucum. — *Nux aduerſitatis & proſperitatis ſymbolum.* — *Gurgul.*

De Pomis in genere,quibus Sacri vates ſimilitudines deſumunt.

CAPVT XLIII.

Præcocia poma quæ. Serotina poma quæ.

POmorum differentiæ & ſpecies apud Belgas innumeratæ ſunt, ſic vt ſuperiorem noſtra ætas vincat. nam inſitio & inoculatio

inoculatio plurima genera peperit. Inter hæc ſunt præcocia quæ præmaturè matureſcunt, ſed fugacia, vt omnes fructus verni & æſtiui qui aſſeruari nequeunt. Hiberna verò & Autumnalia in multam hyemem, imo in ver inſequens illæſa intactáque ſeruantur. Horum alia dulcia, alia acida, acerba, auſtera, vinoſa, mitia, diluta, aquoſa, alia varij miſtique ſaporis. Præbent autem hi fructus amabiles nulli non hominum oblectamenta, atque oculis, palato, naribus blandiuntur, vt etiam pyrorum infinitæ differentiæ, ſic vt ſi quis vllius generis mala conſpiciat, contrectet, odoretur, deguſtet, mitè hoc blandimento afficiatur, ſic vt etiam eo conſpecto in mentem veniat Dei munificentia, qui tanta rerum varietate nos cumulatiſſimè inſtruxit. Inter poma referuntur quæ orbiculata ſunt, nám pyra ferè oblonga ſunt & turbinata forma. Horum differentias enumerare non eſt huius inſtituti, cùm omiſſis Cotoneis, meſpilis, citriis, aurangiis, perſicis, & volemis, ſic dictis quòd manus volam impleant, Punicis, Armeniis, &c. Hoc tantùm admonere viſum eſt, Deum his deliciis homini indulgere partim in alimenti vſum, partim in ſanitatis conſeruandæ tutelam, eumque nonnunquam adimere hæc vitæ ſolatia, ſi quando erga illius munificentiam ſunt ingrati. Deſumitur apud Amos prophetam elegans Metaphora ex pomis æſtiuis quæ citò quidem matureſcunt, & vt res nouæ, homines afficiunt, ſed quæ confeſtim putreſcunt, nec aſſeruari poſſunt. *Oſtendit*, inquit, *mihi Dominus Deus vicinũ*, hoc eſt, corbem ſeu caniſtrum, *pomorum æſtiuorum, & dixit, Quid tu vides Amos, & dixi, caniſtrum pomorum*, (quibus deſignat fructus præcoces & primitiuos.) *Et dixit Dominus ad me, Finis ſuper populum meum.* Metaphora pomorum quæ non poſſunt diu ſubſiſtere, indicat imminere populum interitum, inſtare corruptionem vt pomis maturis, quæ ſi diu aſſeruantur, putreſcunt, vt ſunt pruna, ceraſa, perſica, corna quæ perennare non poſſunt, aut in hyemem perdurare, ſic vt appoſitiſſima ſimilitudine pronunciet, maturos eſſe vt conſumantur, atque intereant, aut proximos eſſe internecioni: eò enim perueniſſe illorum nequitiam, atque vt æſtiuos fructus maturuiſſe, vel deſituri ſint, nec ampliùs poſſint ſubſiſtere. Idipſum vrget Apocalypſis, ac Babyloniæ hoc eſt, qui Eccleſiam contaminant, extrema minatur, atque auferendas pronunciat omnes eius delicias, decus, magnificentiam, ſplendorem. Inter alia autem, *Receſſerunt*, inquit, *animo tuo deſiderata poma, & præclara quæque & omnia pinguia perierunt à te, nec ampliùs illa inuenies.* Quo indicat omnia quibus oblectare ſe ſolet, & palatum reficere, ablata eſſe, pom-

Cap. 8.

Amoſi locus explicatus.

Cap. 8.

Apocal. locus explicatus.

pam, ſtrepitum, ferculorum apparatus, bellaria, ac mellita repotia, in quibus ſuauiſſimi fructus menſis inferri ſolent, vt poma ſapida ac ſucculenta, pruna, Perſica, aliæque ſecundæ menſæ deliciæ.

De Quercu, & aliis Glandiferis arboribus.

CAPVT XLIV.

MVlta ſunt in ſacro Codice ſtirpium genera quæ ſeriatim recenſere immenſi eſſet operis atque infiniti laboris. Quocirca boni conſulet æquus lector, ſi non omnia ad amuſſim ſum exequutus. Cùm autem Prophetæ arbores concionibus adhibent, non modò ſatiuas quibus hortus excolitur, ſed etiam ſylueſtres quæ ferè vrbanis ſunt proceriores, earum nonnullas obiter attingam. Sunt etiam noſtris regionibus cognitæ fagus vulgus vlmus. Quercus, Robur, Ilex, Acer, Suber, cuius cortice ſuffulta ſandalia & calceamenta frigus & aquam arcent, aliæque glandiferæ arbores quæ olim ante inuentas fruges alimentum hominibus ſuppeditabant.
1. Par.4. Vnde prouerbium, *Stultum eſt inuentis fru gibus glande veſci.* Prophetæ per has arbores, validos & robuſtos deſignant, qui inopes opprimunt, ac tenuioribus ſunt infeſti, quos tamen
Pſal.103. Deus minimo negotio conuellit ac deiicit. *Ipſe* enim *tangit*
Pſal.28. *montes, & fumigant, ipſe Cedros*, in immenſum faſtigiatas, *proſternit*, & cõfringit, ſic vt vix tenue veſtigium tanti faſtus appareat. Sic Deus apud Amos, *Ego extermınaui à facie eorum Amor-*
Cap.2. *rhæum, cuius altitudo vt altitudo ac ſublimitas Cedrorũ.* Quod deſignat & denotat faſtum, ſuperbiam, arrogantiam ac Dei contẽptum. Similiter Zacharias mentem eripit faſtuoſis; & tanquam
Cap.11. rebus deſperatis ad lamenta, eiulatus ac fletus prouocans, *Vlulate*, inquit, *quercus Baſan, quia ſuccìſus eſt ſaltus munitus, ac magnificentia vaſtata eſt*, hoc eſt, ablatum eſt omne robur, omnis vis & potentia, omnis munitio qua ſubſtiterunt, appoſitè illis quernis arboribus comparat. Vt enim maxima duritia robori & quercui eſt, ita vt eorum nonnulla vix findi queant, vel cuneis vel ſecuri, vel ſerra diſſecari: ita vt iſti muniti ac vallati opibus ac numeroſa clientela, ad eas opes ac dignitates honoreſque, vt ſublimes arbores, euecti ſunt, vt nunquam deprimi potuiſſe viderentur; verùm Dei potentiæ nihil obſtat. Superius fuſius de iis tractauimus.

Di

De Roſa, & ex illa deſumptis Metaphoris.

CAPVT XLV.

ROſa apud omnes nationes flos ſpectantiſſimus, mirèque odoratus Cor, Cerebrum odoris ſuauitate recreat. Intus verò adhibita, affectatum partium dolores mitigat, & confortat aſtrictionis ratione. Succus tamen aut earum delutum clementer ac placidè aluum proluit, flauam bilem expurgat, iecoris obſtructioni auxiliatur, in quem vſum conficitur apud nos *Rhodopharmacum*, hoc eſt, Syrupus roſaceus ſolutiuus quo citra noxam aluum deiicit, & biliosa excrementa quæ febres tertianas excitant, expurgat. Huius amabilis floris multæ ſpectantur differentiæ. Vulgatiſſimæ ſunt quæ albeſcunt, quibus ſuccedunt rubentes & muricatæ, hoc eſt, quæ purpureo colore collucent, inter quas flagrantiſſimi ruboris, *Mileſia*. Sunt etiam, vulgo *Prouinciales*, colore qui Belgis. *incarnat*, dicitur, quòd viuæ carnis colorem referant, ac ſubfloridum aut rutilantem. Sunt etiam Damaſcenæ, ſunt muſculatæ minutiore floſculo candido, odoris eximij, vt Cynorhodus vrbanus & ſatiuus vulgò *Negeltenter*, quæ Plinio videtur Roſa Græca & *Lychnus*, alia à Coronaria, flore roſeo vel ſubrutilo, minuto, odorato, quæ dos etiam foliis aculeatis ineſt, ſecus quàm vulgaribus roſis, quarũ folia inodorata ſunt. Cùm autem Roſa nihil ſit fugacius, nec quod citius marceſcat, aptiſſimè huic vitæ humana fragilis, caduca, & momentanea comparari poteſt, tum omnis ſplendor eius, gloria, decus, magnificentia, faſtus, ſuperbia, quæ omnia vt floſculi citiſſimè euaneſcunt. Notantur autem in ſcriptura ſacra qui luſum fouent & odoratis rebus abutuntur. Sic enim compellant ſe laſciui homines ac delicioſi, qui à morte nihil hominis ſupereſſe ſibi perſuadent. *Cùm ætas noſtra imbecilla ſit aut breuis, & vt fumus & vmbra euaneſcat, agite, fruamur bonis præſentibus, & vtamur rebus natura: dum iuuentus adeſt. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamur, & non ſinamus elabi florem temporis*, hoc eſt, non fruſtra patiamur præterire amœniſſimam æui partem, nempe adoleſcentiam, quæ Genialiter nullóque nubilo eſt tranſigenda. *Coronemus roſis antequam marceſcant, nullum pratum aut viridarium ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra*, vbique relinquamus ſigna lætitiæ, nemo veſtrûm exors ſit inſolentiæ noſtræ, *quoniam hæc eſt pars, hæc eſt ſors & conditio noſtra*,

Roſæ vires.

Rhodopharmacum.

Roſarum differentia.

Lib. 2. Cap. 4.

Cynorhodus odoratus.

Sap. 2.

Sapientiæ locus explicatus.

Hac,

Hæc, inquit Sapiens, *cogitauerunt & errauerunt, excæcauit enim illos malitia ſua, nec Dei arcana cognouerunt*, itaque illorum cõceptum improbat, quòd non vſum rei ſpectent, ſed luxum & prodigalitatem rerum naturæ, nulla habita Opificis ratione.

Eccleſiaſt. locus explicatio. Cæterùm apud Eccleſiaſticũ comparatur animæ puritas, candor, integritas, decus, & virtutis præſtantia Roſis aliiſque

Eccleſ. 29. odoratis ſtirpibus. Sic Sapientia æterni patris ſui commendatrix, *Ego*, inquit, *quaſi Cedrus exaltata ſum, quaſi palma in Cades, & quaſi plantatio Roſæ in Hiericho.* In iis enim locis erant

Eccleſ. 39. præſtantiſſimæ. Rurſum cum ad amplexandam Sapientiam exhortatur, *Audite me diuini fructus*, hoc eſt, Pij filij, *& quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificare, fructificate, vt lilium flores emittite.* Paulò inferiùs cum Simeonis Pontificis laudes proſequitur, eaſque amplificat in immenſum comparatione deſumpta à naturæ rebus, *Ipſe eſt*, inquit, *quaſi ſtella*

Eccleſ. 50. *matutina in medio nebulæ, quaſi Luna plena cum ſuis diebus lucet*, hoc eſt, vel tota, vel media ſui parte à Sole illuſtrata: *quaſi flos roſarum vernis diebus, & quaſi lilia apud aquæ riuos, &c.* Ex iis coniicito ſtudioſè lector, quàm illi frigeant Metaphoræ, aut collationes qui ignorat herbæ aut fruticis naturam, ex qua ſimilitudo deſumitur, atque ad ornandam concionem adhibetur. Cæterùm cum inter ſcribendum id Horatij in mentem mihi veniſſet,

In ar. Poet. *Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.*

Lectorem delectando, pariterque docendo, viſum eſt vulgare quiddam de roſa adiicere, quò iucunda ſeriis miſta minus ſatient. Inoleuit apud Belgas ac pleraſque alias nationes conſuetudo, vt ſi quando lepidi ſodales inter ſe conuiuia agitant aſcitis inter hæc præſtantioris formæ aliquot puellis ſti-

Horat. lib. 1. Epiſtol. roſa cur mẽſæ affigatur. pulentur peracto ſympoſio ſilentij fidem, *ne fidos inter amicos ſit qui dicta foras eliminet*, eaque de cauſa, vt id ratum habeatur, *ſub roſa hæc peracta*, dictitant. Vnde paſſim in cœnaculis roſa lacunaribus ſupra menſæ verticem affixa conſpicitur, quo quiſque ſit ſecreti tenax, ne quid temerè effutiat, ſed omnia reticenda meminerit. Ita ſi quid licentiùs, parumque verecundè aut reuerenter dictum vel actum ſit, aut ſi in Geniali accubitu inter ſe cãtillent, luſitent ac figant oſcula, laſciuient,

Prouerbiũ in futiles. titillent, inſoleſcant, ante digreſſum, *omnia ſub roſa tranſacta*, conteſtantur interpoſita ſtipulatione ſilentij ac pactione reticentiæ impetrata, ne quis diſſeminare audeat vel minimum eorum quæ in hoc ſodalitio peracta. Quò ſpectat Prouerbium, *Odi memorem compotorem*, in eos qui liberiùs dicta poſtridiè in mentem reuocant atque effutiunt, cùm vino ſint inſcribenda,

atque

atque obliuioni danda quæ in conuiuiis incautiùs exciderunt. Ita Lacedæmonij ex Lycurgi præſcripto in foribus primóque aditu atque ædium veſtibulo inſcripſerunt, *HAC NON EGREDITVR SERMO*. Vnde autem hic mos receptus ſit, vt Roſa in cœnaculis erecta ſilenda imperaret, quæ inibi agitari ſolent, Carmen iſtud graphicè exprimit. Lacedæmoniorū inſtitutū.

Eſt roſa flos Veneris, cuius quo furta laterent,
Harpocrati matris dona dicauit Amor.
Inde roſam menſis hoſpes ſuſpendit amicis,
Conuiua vt ſub ea dicta tacenda ſciant.

Eſt autem myrtus & roſa Veneri dicata, his enim herbis odoratis exornari debet. Coniugium ac totus Genialis, in quo, excluſo tumultu ac diſſidio, omnia decet eſſe placida, quieta, ſedata, & ſi quid inciderit, ſilentio, inuoluendum. ob id Cupido Veneris filius Roſam Harpocrati ſilentij Deo qui digito labellum compeſcit, conſecratam eſſe voluit, eoque munere illum decorauit, quo exhiberetur hominibus loquacibus Roſa velut ſilentij ſymbolum. Vt autem Harpocrates apud Græcos ita Angerona Deo apud Romanos ſilentio præfecta eſt. Roſę ſilētij ſymbolum.

De Zizania, & Lolio, aliiſque herbis frugibus inimicis.

CAPVT XLVI.

Zizaniorum nomine deſignatur omnis inutilis, vitioſa, noxia fruticatio, quæ ſementi ac frugum incremento officit quæque ſata ſtrangulat ac necat, ſuccúmque quo nutriuntur depopulatur, ſic vt ſegetes aliæque herbæ ſalutares aut malignæ emergant, aut prorſus ſuffocentur. Quid Zizaniorum nomine deſignetur. Cùm autem loliū tritico infeſtum ſit, ac noxā inferat inter Zizania, hoc eſt, ea quæ extirpanda ſunt, principatum obtinet Conſpicitur autem in ſegetibus folio anguſto. pingui, oleoſo, hiſpido, ſemine in ſpica exili, floſculo purpuraſcente vt phœnix cuius meminit Dioſcorides, huic prorſus affinis, quæ lolium ſylueſtre vel murinum vocatur, quod à muribus erodatur, eſt autem ſpuria atque adulterina tritici ſpecies, quæ aliquando à puro diſcerni nequit. Lolium frugibus noxium. Phœnix herba. Lib 4. Huic ferè ſociari ſolet inter ſegetes Githago vel pſeudomelanthium, ſiue nigellaſtrum, foliis porri prælongo culmo, flore purpureo, ſemine in loculo papaueraceo, nigro, ſubrotundo, inodoro, farina intus candida ſi dentibus atteratur. Melanthū adulterinum. Lolium autem Theophraſtus prouenire teſtatur ex tritici ac hordei correptis vligine ſeminibus, aut iis gelido imbre

bre dilutis. Semen eius panibus admiſtum, capiti dolorem, oculis caliginem adfert quòd vaporoſos humores in cerebrum deferat. Vnde manauit Prouerbium in cæcutientes, quique ſunt caligantibus oculis, *Lolio victitare.* Sic Plautus

Lolio victare. Plaut. In Milite.

Mirum eſt lolio te victitare tam vili tritico.
Quidnam? quia luſcioſus. Verbero Ædipol, tu quidem cæcus, non luſcioſus.

Cæterùm cùm zizaniorum nomine nullæ peculiares herbæ deſignentur, ſed omnes illæ frugum & herbarum peſtes quæ extirpandæ ſunt, ne frugiferas herbas opprimant, Belgæ communi nomine hanc inutilium herbarum congeriem *vviet*, vocant, & *vvien*, eruncare atque eruere, fundúmque à noxiis fruticibus purgatum reddere. Quocirca ineunte vere antequam ſata adoleſcant, maturè ac tempeſtiuè euellenda curant omnia frugum detrimenta. Virgilius autem obiter complectitur quæcumque Zizaniorum nomine comprehenſa ſint & ſatis noceant.

Geor. li. I.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit, cùm iam glandes atque arbuta ſacræ
Deficerent ſyluæ, & victum Dodona negaret.
Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos
Eſſet rubigo, ſegniſque horreret in aruis
Carduus, intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylua,
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta
Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

Ouidius quoque agros & noualia culta præſtari vult,

Li. I. Faſt.

Vt careant loliis oculos vitiantibus, agri,
Nec ſterilis culto ſugat auena ſolo.

Matth. 13. Hinc appoſitè Chriſtus per Zizania, id eſt, agrorum peſtes & vitia, doctrinam noxiam, pernicioſam, in ſinceram deſignat, denique improbos & pernicioſos doctores qui hæreſi peſtifera mentes hominum imbuunt, ac peruerſa ſubdoláque interpretatione, inſtigante diabolo, cœleſtem ad ſalutarem Euangelij doctrinam deprimunt, ac falſa veris, vitioſa ſinceris dubia certis immiſcentes Verbum Dei ac pabulum animæ inficere ſtudent & contaminare, quos tolerari quidem vult Deus in ſpem emendationis, & quò moniti reſipiſcant, non tamen prohibet, vt Chryſoſtomus ait, hæreticorum conciliabula diſſipare, ora obſtruere loquendi, audaciam concidere. Quò ſpectat illud Pauli ad Titum, *Hereticum hominem*, hoc eſt, qui pertinaciter inhæret prauæ opinioni ac deſtinatâ malitia pergit tueri falſa, *poſt vnam aut alteram monitionem, velut inſanabilem deplorato, fugito*; ſciens quòd euerſus eſt, quoniam ipſe ſuo

Cap. 13. in Matth. Cap. 3.

iudicio damnatus eſt ſuaque culpa perit, quod minus in errore perſiſtat. Et quamquam Zizania extirpanda nolit Chriſtus, factioſos tamen & qui Reipublicæ tranquillitatem excitatis tumultibus perturbant, Magiſtratus imperio ſubiicit. Rom. 13.

De Libanotide Coronaria, qua vulgo Roſmarinus dicitur.

CAPVT XLVII.

CVm Bibliorum interpretes non ſemper exacta herbarum cognitione ſint imbuti, viri alioqui linguarum peritia ad miraculum inſtructi, fit nonnunquam vt ſtirpium aliam pro alia ſubſtituant, ambiguitate vocis Hebrææ decepti. Sic non deſunt (inter quos eſt Franciſcus Georgius Venetus reconditæ eruditionis vir) qui Libanotida, hoc eſt, noſtratem Roſmarinum Coronariam pro Hyſſopo vertendam cenſeant, quæ vox à thuris odore nomen ſortita eſt, quem fructicum aut virgultum Iudæi in faſciculos manuales coactum ac complicatum, ſcoparum more, conſpergendis luſtrandiſque hoſtiis immolaticiis accommodabant. Nominis autem vicinitate decepti (nam Latinam vocem refert Eſop) Hyſſopum tranſtulerunt, cum vt iſti cenſent, Roſmarinum fuerit interpretandum. Cùm etiam Iudæi noſtra hac ætate (vt audio) fructici huius faſciculo vtuntur, vbi ſacrificia ſua peragunt, ac cæſi hoſtiis peccata expianda ſunt, imbuto intinctoque hoc fructiculo animantium ſanguini, quo adſtantes conſpergunt. Quod ipſum olim Ethnici factitabant (mutuato à Iudæis expiandi ritu) vt Iuuen. Perſius, Horatius paſſim teſtantur ramuſculo Oliuæ, cuius rei exſtat luculentiſſimum exemplum apud Virgilium qui pompam funebrem deſcribit, qua Miſenus Aolides, generoſi hominis more effertur. Sic enim rem proſequitur. Lib. 7. c. 27. de Har. mundi.

Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit, Æneid. 6.
Reliquias vino, & bibulam lauare fauillam,
Oſſaque lecta cado, texit Chorinæus aheno.
Idem ter ſocios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, dixitque nouiſſima verba,

Hoc eſt manibus eius optimaquæ que precatus eſt, quo officio etiam noſtrates mortuos proſequantur, vbi ſepulchro inferri contingit. Noſtri autẽ ſacrifici ex veteri inſtituto in hunc vſum manipulo vtuntur eo ceris confecto, atque aqua ſacrata adſtantes conſpergunt. Cæterùm vt ad Roſmarinum referatur oratio, ſcatent paſſim omnium horti viuaci hac fronde, folio Aquæ cõſecratæ aut luſtralis origo. Aquæ Roſmarini vis.

tenui

tenui, crebro, oblongo,craſſiuſculo,colore intus candido, ſupernè viridi, ſuauiter odorato flore ceruleo,oleoſo,ita vt ſi in vaſculo diſtillatorio ex hoc aqua eliciatur, oleum innatare videas. Quod ego paralyticis & apoplecticis ſalubriter admouere ſoleo, ceruice ac nuca illo inuncto. Odor fructicis animum reficit: præſentaneam autem vim obtinet in expurgando morbo Regio, qui vulgo Icterus apellatur, perfuſa extima cute flauo felleoque colore, ſic vt hæc vis etiam ad animum transferatur vitiorum næuis ac maculis deformatum. Rurſum morbum comitialem qui menti vim infert, impugnat, ſic omnibus auctor ſum vt in elixatum carnium liquamine cerebro eius vſum admittant. Odor accenſi fructicis peſtis contagia fugat, atque ædes ſuauis odoris fumigio à vitioſo halitu tutas præſtat. Conficitur ex eius floribus medicamentum, quod quoniam diu ſubſiſtit, *Conſeruam*, triuiales Pharmacopolæ vocant, cuius vis cerebrum mirè confortat, ſi nimio humore oppreſſum eſt, memoriam collapſam erigit, & ne quis morbo caduco, apoplexia, paralyſi, ſpaſmo corripiatur, aut caligantibus oculis efficiatur, ſingulari vi ac efficacia inſtructa eſt. Cùm autem thuris odor ac ſuffimentum Deo offerri ſolet, eoque homines illi litare, non alienum à ratione eſt Iudæos thurificis fructicum odoribus eſſe vſos, ac Roſmarini miniſterio (quæ ſingulari vi pollet in expugnandis cerebri morbis, vbi mentis ſedes eſt, & herba grato odore imbuta eſt) ſua ſacra peregiſſe.

Morbi Regij remedium.

De Amygdalo arbore, cuius paſſim in ſacris Bibiliis fit mentio, & de qua deſumitur inſignis Metaphora, ſeu collatio à Salomone Eccleſ. Cap.12.

CAPVT XLVIII.

AMygdalus arbor caudice procero aſſurgit multis ramis quaquauerſum, vt noſtras perſica, brachiata, foliis ſalici proximis aut luguſtro, aut vt ea quæ Belgis *Perſica*, & volema profert, floſculo candido, foliis diſtincto, quæ tametſi menſe Ianuario aut paulò ſerius ſtatu cœli adhuc frigido floreſcat, apud Ziriziæos tamen fructus qui nobis ***Amandel***, dicitur, præcoci partu matureſcit. Vidi enim ante ſeſquiannum in nuptiali pompa generoſi viri ***Brunonis vviingaerds***, in quem

A mygdala Zelandis nō denegata.

Socer

Socer *Hieronymus à Seroskerka* Zelandiæ Orientalis eis Scaldem Quæſtoriam dignitatem tranſtulit, Amygdala ex arbore recens decerpta ea maturitate vt cum Italicis, vel Hiſpanicis certare poſſent, ſic vt effracto lignoſo putamine, nucleum intus exhiberent candidiſſimum, denique ſucculentum, mireque ſapidum, adeo vt Proceres aliquot Batavi qui illuc acciti erant, obſtupeſcerent atque incredibili admiratione afficerentur, cum ſpectarent in tã deſpicata maritimi tractus regione tam ſpecioſos fructus enaſci. Muniti autem erant fructus amygdalini gemini tegumento atque inuolucro puluinari, primum cabycis, mox lignei putaminis, cui ſuberat nucleus membrana obductus, qui in aqua egelida aut tepeſcenti maceratus, membranam totam exuit, & ſe edendum zaccharo inſperſo exhibuit. Amygdalus non prorſus noſtrati Perſicæ abſimilis, niſi quòd huic folia maiuſcula ſint & flos puniceus, illi candidus, fructus Perſicæ orbiculatus, carnoſus, ſucculentus, ſapidus, vinoſus, foris lanuginoſus, dura intus ac ſcabra nuce, amygdalis prorſus affinis, niſi quòd maiori læuore ſit nux amygdalina, nec ita fotaminoſa: fructus amygdalini cortex nihil habet quod edi poſſit, ſed tantùm nucem ambit membranoſum tegmen puluini forma, intus verò exhibet nucleum nunc amarum, nunc dulcem, quorum prior ebrietatem arcet præſumpta, exſiccandi ratione, nam humiditatem vini ac vaporem conſumit, cumque prohibet ad cerebrum efferri. cæterum amaritudinis ratione, & quòd incidendi extenuandique vi pollet, viſcerum internorum obſtructiones amolitur, hoc eſt, hepar, lienem, renes à craſſis humoribus expurgat, vrinam prouocat, calculum atterit, vt etiam nuclei Perſicorum, næuos, lentigines, maculas in facie cuteque extima eruit abſtergendi efficacia. Cum autem vulpes calidis & ſiccis tabeſcant, vſu amygdalorum amarorum emoriuntur, niſi aquam confeſtim lambant, atque amaritudinem quæ vitalem ſuccum illis depopulatur, mitigent ac diluãt. Dulcia amygdala (quo commeatu Iacob patriarcha filio inſtruxit, cum famis tempore in Ægypto illos amandaret) corpus alunt ac ſaginant, pectus expurgant, tabidis conferunt, ſomnum placidum conciliant, delatis ad cerebrum ſuauibus ac ſoporiferis vaporibus: gummi verò eaque reſinoſa concretio, quam fiſſo per æſtatem, hianteque cortice arbor exudat, aſtringit atque inſpiſſat humores tenues, ac ſanguinolentas excretiones cohibet. Ex hac ſpecioſa atque fructifera arbore quæ præmaturè floret, atque albeſcente floſculo ſpectabilis eſt, deſumit Salomon inſignem Metaphoram in Eccleſiaſte capite vltimo, adiectis aliis quibuſdam verbis tranſlatitiis tam obſcuris

Amara Amygdala quid præſtent.

Amara amygdala vulpi noxia.

Gen. 43.

Gummi amygdalinum.

Cap. 12.

obſcuris & intricatis, vt non cuiuis ſint explicabilia, & quæ Oedipo opus habeant coniectore, quibus tamen pro virili atque ingenij noſtri tenuitate aliquid lucis adferre conabor. Toto autē hoc capite deſumpta ex rebus nouiſſimis paſſimque obuiis collatione commonefacit hominem officij ſui, vtque in ætate iuuenili ſaluti ſuæ inuigilet, cohortatur, antequam ætas ingraueſcat, & corpus ſenectutis incōmodis opprimatur. Itaque Deus ante oculos conſtitui vult atque in eum mentem continenter defixam, nec vllo modo committendum, vt in vireſcēte illa in obliuionē deueniat, ſed dū viget ætas atque adhuc in flore æui conſiſtit omniaque mēbra ſuis officiis funguntur, Deum vitæ integritate ac moribus inculpatis demereri ſtudeat. Eleganti autem periphraſi indicat, quo modo homo in ætate florida conſtitutus ſenſim defloreſcat, atque vt Iob teſtatur, conteratur, & velut vmbra aut fumus euaneſcat, ſic vt ſingulis momentis detrimenta concipiat, atque in deterius rapiatur, omniúmque membrorū vſu & functione priuetur. Acceſſu
Cap. 14. enim annorum (nam ſingula membra Salomō perſequitur) caligant oculi, aures obſurdeſcunt, lingua titubat & efficitur impedita, nares odorandi facultate deſtituuntur, tremunt manus, labaſcūt pedes, deorſum incurueſcit, totaque corporis compages pedetentim diſſoluitur. In hunc autem modum (vt auctoris verba ennarrem) concionem ſuam proſequitur. *Memēto Creatoris tui in diebus iuuētutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis*, hoc eſt, antequam te circumuallēt ſenij incommoda & morbi, de quibus dices, *non mihi placent, antequam tenebreſcant Sol & lumen & ſtella, & reuertantur nubes poſt pluuiam*, hoc eſt, caligo & nebecula oculorum cum lachrymoſa lippitudine, *quando commorabuntur cuſtodes domus*, hoc eſt, coſtarum propugnaculum, quod interna viſcera munit ac tuetur, *& nutabunt*, ſeu vacillabunt, *viri fortiſſimi*, hoc eſt, pedes qui corpus librant ac fulciunt, *& otioſi erunt, molentes in minuto numero*, hoc eſt, cùm edentulus eris, cibumque ægrè conficies mandibula: *& tenebreſcent videntes*, hoc eſt, oculi, *& claudentur oſtia in platea*, hoc eſt, via & meatus quo cibus in ſtomachum defertur in humilitate vocis molentes, *& conſurgent ad vocem volucris. Et obſurdeſcēt omnes filiæ carminis*, hoc eſt, aures quæ ſonorū modulatione affici ſolent. *Excelſa quoque timebunt & formidabunt.* hoc eſt, cùm pedes labant editiora loca non conſcendent, vel aliquid ex alto delapſurum metuant. *In via florebit Amygdalus & impinguabitur locuſta*, hoc eſt, pedes intumeſcent ob debilem concoctionem: nam locuſtæ exporrectis pedibus ſaliunt, quod ſenibus eſt denegatum. *Et diſſipabitur Capparis, antequam rumpatur*

Locus Salomonis Allegoricus.

rumpatur funiculus argẽteus, & vita aurea recurrat, & conteratur hydria ſuper fontem, & cõfringatur rota ſuper ciſternam & reuertetur puluis in terrã vnde venit, & Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Hæc partim Allegoria qua Salomon aliud dicit, aliud intelligit, partim Metaphora qua verba commoditatis gratia transfert per ſimilitudinem à propria ſignificatione ad aliena extimulat hominem oſcitãtem ſuæque ſalutis negligentem, vt Opificis ac Creatoris ſui memor ſit, illumque identidem ob oculos conſtituat, nec vnquam in obliuionem deuenire patiatur: atque id præcipuè in adoleſcentia atque ætate iuuenili quæ minùs prouida, ſegniter ſaluti propriæ inuigilat, ſuiſque cõmodis proſpicit, quod ipſum eò magis amplificat, quod ſucceſſura ſint deteriora, quibus id perfici non poſſit. Quocirca acriter ſtimulat mẽtes ignauas & ſocordes, vt ab ineunte ætate in Deum mentem habeant erectam, antequam ſenium ingraueſcat, & accelerari contingat dies malos ac tempora, annoſque plenos incommoditatis, moleſtiæ, afflictionis. Nam ſilicernio ac capulari ſeni omnia ſordeſcunt vitæ oblectamenta, voluptates, deliciæ, tripudia, cantilenæ, riſus, ioci, lepores, omniaque faſtidiuntur edulia, cupediæ, condimenta, bellaria, nec vllis rebus quamlibet ſuauibus afficiuntur, quibus fere iuuentus occupari ac detineri ſolet. Hanc autem occaſionem redimendæ ſalutis eò magis arripiendum prædicat, quòd in ætate decrepita & inclinata animus vnà cum corpore flacceſcat, mens obnubiletur, memoria, ratio, intellectus omneſque animæ facultates extinguantur extincta luce, inſitoque naturæ lumine ſopito. Etenim (vt ordine ac continuata ſerie Salomonis caput illuſtrem) ſenio confectis oculi caecutiunt ac præter caliginem lippitudine vitiantur, vt Sol & Luna illis vix conſpici poſſint. Tunc manus quarum in perficiendo opere vtimur agilitate ac miniſterio tremulæ efficiuntur, atque ad opera manuaria inutiles. Tunc pectus anheloſum eſt, ac ſpiritus propter coſtas ſubſidentes ægrè ducitur. Tam pedes qui corpus vt baſis ac colũnæ fulciunt, labãt ac incurueſcunt ſic vt in ingreſſu ſcipionis adminiculo indigeant. Tunc dentes qui cibum molunt ac conficiunt, operaque mãdibularum alimenta conterunt, imminutè officio ſuo perfunguntur, vt edentulis aſſolet. Tunc viſus imminuitur, atque oculi qui velut ex cauernulis atque animi feneſtris proſpectant, deficiunt & obſcurãtur, aut conniuentibus ac collapſis palpebris earũque muſculis minutim ac velut per nebulam vident, vt ij qui vix in platea obuium diſcernunt. Tunc fauces ægrè cibum deglutiunt occluſo ob ſiccitatem gulæ meatu ac tramite, per quem alimenta in ſto-

Caput Eccleſiaſtæ 12. explicatur.

machum deferuntur, dentibus etiam inualidis, exeſis, infirmis qui cibo elaborando atterendoque non gnauiter inſiſtit. Tunc ſomnus tenuis eſt & exilis ob cerebri ſiccitatem, vt ſenex ad auiculæ ſonitum expergiſcatur. Tunc offuſcatur vox, & ſtridet ariditate exaſperante vocalem arteriam, prorſuſque ad cantillandum eſt inidonea. Tunc ad leuiſſimum ſtrepitum expaueſcit, toruſque meticuloſus ac pauidus ſemper aliquid ſibi imminere, ac è ſublimi delapſutum metuit, ſic vt nō temere per compita, & plateas ingrediatur, niſi ſubinde reſpectet. Tum floreſcit *AMYGDALVS*, hoc eſt, Caput albeſcit canicie ſic, vt eminus conſpici queat, quemadmodum Amygdalus arbor quæ candidos in ſummitate flores producit, vt longiſſimè ſe ſpectandam exhibet. Tunc vox exilis erit, imminuta, ac ſtridula. Tunc leuiſſima, quæque illi erunt oneri, ita, vt ne muſcam quidem perferat. Tunc peribit appetitus qui ferè Capparis condimento irritari ſolet, totumque rerum carnalium deſiderium abolebitur. Hæc aliaque incommoda homini obuenrura commemorat Salomon ingraueſcente ætate ac deuexa, antequā mutua animi concordia ac confœderatio, qua hæc conglutinata ſunt, diſſoluetur, & priuſquā ex hoc corpore animum emigrare contingat in ſedes illi deſtinatas. Quocirca homini has ærumnas in mentem reuocat, quod in ætate florida ac virenti in Deum defixos habeat oculos, illique ſuā vitam, mores, ac ſtudia approbare ſtudeat. *Antequam* (vt concionem proſequitur) *rumpatur funiculus argenteus*: quod deſignat ſpinalis dorſi medullam, quæ ex Cerebri ſubſtantia argenteo ſplendidoque colore producta (vt etiam in brutis animantibus conſpicitur (à baſi occipitis, hoc eſt, capitis parte poſtica vno productu per quatuor & triginta vertebras (qui & ſpondyli dicuntur) ad os caudæ quod ad anum deſinit, porrigitur. Cùm autem iſtæ ſpinæ ſeu dorſi contextus cui coſtæ velut curuatæ trabes adhæreſcunt, atque affixæ ſunt, ſic velut Catina, (nantæ *kiel* vocant) cui totius nauigij moles incumbit, tota vis, robur, fortitudo, munimentum humani opificij ac ſtructuræ in *ſpina* eiuſque medulla conſiſtit, ſic vt ſcitè Salomon homini imminere interitum pronuncier, quando illam conuelli, vel rumpi, vel diſſolui contingat, ſub confracti argentei funiculi Metaphora, quod inſtante morte euenit. Cæterùm quod ſequitur, *Frangitur aut quaſſatur fons aureus*, ea figurata loquutione Cor vitæ fontem deſignat, à quo arteriarum riui (vt ab hepate venarum propagines) producuntur, qui & ſpiritus virales, & rubicundum ſanguinem ſecum deuehunt, membraque fouent & irrigant. Per Hydriam autem vel quæ conteritur iuxta fontem

Amygdali Metaphora.

Spinæ dorſi carinæ nauis aſſimilis.

vel ſcaturiginem Renes intelligit & veſicã meatúſque vrinarios, qui ferè in ſenibus collapſi & in anguſtum contracti non præſtant officium ſuum, ſic vt accelerati interitus cauſam præbeant. Sequitur, *Et confringatur rota ſuper ciſternam, vel conquaſſatur, & corruet currus fractis rotis in foueam.* Quibus verbis denotat Caput quod ferè moribundis inclinari ſolet, & in humeros deuolui. Eſt autem caput rotundum & globoſum, quod vt rota verſatilis quaquauerſum mouetur dextrorſum, ſiniſtrorſum, nunc in pronam, nunc in ſupinam partem, cui mouendi & ſentiendi facultas attributa, ex eoque ſpiritus animales orti per corpus diffunduntur, ac motum ſenſumque neruis impertiunt: imminente autem morte caput primùm ferè labeſcit ac corruit (vt in oculis perſpici poteſt, qui omnium primò moriuntur, aut mortis indicia proferunt) ac totum corpus in præceps rapit, fractiſque omnibus membris, vt axe currus aut vehiculi, omnem corporis ſtructuram in foueam deiicit. Hunc itaque ſubeſſe ſenſum Salomonis verbis, teſtantur ſubſequentia. *Nam tunc,* inquit, *puluis in terram ex qua deſumptus eſt, & Spiritus ad Deum qui dedit illum, reuertetur.* Cæterùm vt ad Amygdalum regrediar, Iacob Patriarcha, cui poſt à videndo Deo Iſraeli nomen inditum eſt, à ſocero Laban parum ciuiliter aut pro æquitate rei tractatus, miro vſus eſt aſtu ac ſtratagemate, ſubdolo quidem ac fraudulento, niſi induſtriam interpreteris atque ingenij dexteritatem, qua mercedem auaritiæ prætextu denegatam, atque hæreditatem fraude retentam ad ſe deriuaret, ratione Phyſica ad id perficiendũ vſus: accepit enim virgas ex Amygdalo, Corylo, populo, caſtanea, eaſque decorticatas in alueo ac canali poſuit ante ouium oculos, vt cùm potum venirent, in earum conſpectu conciperent, cum autem omnibus animantibus atque etiam fœminis formæ ac ſpecies rerum imaginatarum concipiuntur ex rebus obiectis, illæque fœtibus imprimuntur, factum eſt vt pedes fœtus ederent verſicolores ac variegatos, maculiſque diſtinctos, ſic vt Iacobus non pœnitendam ſortem ſit conſequuturus. Cæterum extat in Bibliis inſigne miraculum de virga Aaronis Amygdali in morem ſpectabili florũ ac fructuum amœnitate germinante, qua Deus perfracto populo voluntatem ſuam teſtatam eſſe voluit, palam facere omnibus, quem præfici velit diuinis miniſteriis ac ſacerdotis munere fungi. Abſorptis itaque terræ hiatu, ſoloque dehiſcente Dathan & Abiron vna cum primariis aliquot conſpirationi contra Moſem & Aaronem conſociatis, qui ſe diuinis rebus ingerere tentabant nullo Dei mandato aut vocatione, cæſis interim ex promiſcua ple-

Gen. 30.

Imaginatio cõceptũ fugit.

Num. 16. & 17.

be ac gregaria multitudine quatuordecim millibus & ſeptingentis, demandauit Deus Moſi vt acciperet duodecim virgas inſcriptis ſingulis virgis Principum nominibus inter quas erat Aaronis Leuiticæ tribus. Et poſuit ſingulas Moſes in tabernaculo teſtimonij: poſtridie ingreſſus Moſes tabernaculum oraculi, vnde à Deo reſponſa peti ſolebant., inuenit germinaſſe fruticis in morem virgam Aaronis Leuiticæ familiæ, ac turgẽtibus gemmis flores emerſiſſe, qui foliis dilatatis Amygdala protulerunt, profetens autem Moſes virgas omnes de conſpectu Domini, ſpectandas illas exhibuit vniuerſis filiis Iſraël, qua re viſa, accepetunt ſuam quiſque virgam, Aaronis autem in ſignum rebellionis in tabernaculum relata eſt: quo ſedato ſopitoque murmure ac fremitu inconditæ multitudinis, ea virga exemplo ſit, ne amplius contra Deum eiuſque miniſtros inſurgant. Hiſtoria hæc illuſtre documentum omnibus exhibet, nempe vt nemo ſibi vſurpet aut vendicet vllam functionem, aut vltro ſe illi ingerat, niſi Dei iuſſu & vocatione accitus vel etiam communi conſenſu (ac ſuffragio) eorum quibus ea res per Dei Spiritum demandata eſt. quemamodum Paulus ad Hebræos teſtatur Chriſtum non ſibi arrogaſſe eum honorem ac dignitatẽ, vt conſtitueretur Pontifex qui peccata aboleret effuſo ſuo ſanguine, ſed hac perfunctum legatione iuſſu Patris qui illum conſtituit perpetuum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. Cui itaque virga, hoc eſt, regendi docendique munus commiſſum eſt, ac delegata functio propagandi Euangelij, ille ſe acriter operi deſtinato accingat, ſuæque vocationi grauiter inſiſtat. Atqui vt Aaronis virga priùs arida, virtute diuina vireſcere incepit, ac præterea fructũ ſalubrẽ proferre: ita quoque par eſt vt miniſtri verbi Dei germina virtutum proferant, ac ſalutari doctrina illos, quorum cura iis demandata eſt, imbuant, vt fructus bonorum operum per fidem in ipſis conſpiciantur. Quod Chriſtus ſedulò inculcauit Petro ter ab illo ſtipulatus amoris confeſſionem, & paſcendi gregis diligentiam. Videtur autem mihi admodum appoſitè ac conuenienter Nux amygdalina poſſe ſtatui vitæ Chriſtianæ ſymbolum, in qua vt ſuperiùs de Iuglande diximus, aſpera mitibus, amara dulcibus, dura mollibus ac ſuauibus miſta ſunt, nam per ligneum durúmque putamen aduerſitates, labores, ærumnæ, incommoda deſignantur, per nucleum dulcedine imbutum ſuauitas & ſolatium, dolorúmque fomentum & mitigatio.

Documẽtũ ex hiſtoria Aaronis.

Cap. 5.

Amydalina nux vitæ Chriſtianæ ſymbolũ.

De Platano eiuſque natura, à qua ſimilitudinem deſumunt ſacri ſcriptores.

CAPVT XLIX.

PLatanus arbor eſt externa atque aduentitia, vmbrarum gratia ex Aſia in Europam aducta, ſic vt Plinius teſtatur Li. 12. c. 1. ad Morinos vſque Belgarum olim extremos Romani imperij tributarios eſſe delatam. Diffundit hæc arbor ampliſſimè ramos, cortice craſſo, folio vitis aut Ricimi, hoc eſt, eius ſtirpis quæ vulgò *Palma Chriſti* dicitur, ob folia in expanſæ manus effigiem articulata. Catapotiæ maioris etiam nomine cognita, quòd ſemen cui ineſt vis purgatrix, pillulis quæ Græcis *Catapotia* dicũtur, ab orbiculari forma, ſit incluſũ. Palma Chriſti ſiue Ricinus herba. verùm Platano, quàm huic frutici folia paulò minora ſunt, longo pendiculo, hoc eſt, petioſo quo folium aut fructus dependet, rubicundo, floſculo paruo ac pallido, baccis rotundis atque orbicularis, ſcabris ac lanuginoſis. Præbet hæc arbos, quòd patulis ſit diffuſa ramis, ac quaquauerſum exporrectis, Fagus ſcenas & vmbracula, vt apud Belgas fagus, vulgo *Buecken*, laxatis ac deflexis expanſiſque in omnem partem cultoris induſtria ramis, eaque elegantius Tilia ſeu Philyra Belgis *Linden*, Tilia cuius apud Brabantos ramoſa illa arboris propago, & natura & arte exculta vmbram exhibet, & excluſio Solis æſtu opacum frigus adfert, ſic vt ſubſidentes mirè afficiat frondoſa cõcameratio, ac laſſos languidoſque ſuauiter reficiat. Non deſunt qui cum Tiliam hæc præbere commoda videant, ac ſalubri vmbra aſtantes recreare, Platanum exiſtiment. Alij fagum, quòd Virgilius cecinerit,

Tytire tu patula recubens ſub tegmine fagi Eclog. 1.
Syluestrem tenui Muſam meditaris auena.

Verùm magno errori inuoluti ſunt, cùm illis nulla in folijs cũ Platano ſit affinitas. Arcẽt quidem illæ arbores, vt Platanus, Solis ardorem, ac caput ob denſam foliorum pompam ab æſtu tuentur, ſed non conſpicitur ea ſpecies & forma foliorum in noſtratibus arboribus non emanat ex frõde ea ſuauitas & exſpiratio quæ ſalubri halitu proximos afficiat. Eſt enim Platanus Platani vis & natura. ea vi imbuta, vt venenata quæque arceat, ac Serpentes longè abigat, adeo vt veſpertilionibus hæc arbor aduerſetur, nec facile ſub ea nidulentur, eiúſque vmbram ferre ſuſtineant.

Quocirca ſacri ſcriptores hanc etiam narrationibus ſuis accommodant; ex eaque ſimilitudines deſumunt. Sic Sapientia ſui commendatrix, atque in enarrandis propriis encomiis occupata, commemoratione excellentium arborum, indicat ſe omni virtutum genere exornatum, ita, vt ſibi adſit decus, honor, dignitas, amplitudo, ſublimitas, fauor, gratia, venuſtas, quibus dotibus ſuos ſectatores etiam illuſtrat, fatetur ſe frondeſcere ac fruticare, vt Platanum arborem ſpecioſam, quæ irrigata aquarum affluentia augeſcit, atque incrementa ſuſcipit. Arbor enim hæc impensè humore delectatur, ac ſitibunda eſt adeò, vt vini irrigationem non reſpuat, quod ipſum factitaſſe Hortenſium Macrobius refert, quò viuacior eſſet ac magis ſpectabilis. Vt autem Platanus ramos ac propagines longè lateque diffundit, ac tam gratam vmbram exhibet, vt Xerxes Perſarum rex totos dies illa ſe oblectaret: ita ſapientia quæ ab Altiſſimo promanat, omnes qui eò confluunt, ac ſub eius vmbra ſe recōdunt, ſuauiſſimo Diuinitatis afflatu fouet ac recreat, illorum curā ac tutelā ſuſcipit, illoſque ab omni iniuria atque incōmodo defendit. Sic orat Dauid, *Sub vmbra alarū tuarum protege me.* Et Hieremias plorabundus queritur ſe hoc ſolatio deſtitutum populi Iudaici perſonā ſuſtinens. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris, qui diximus, In vmbra tua viuemus in gentibus,* hoc eſt, illius præſidio fulti, ſubſiſtemus & tuti erimus ab omni inſultu. Cæterùm cum ſint in Palæſtina ac Syria totoque illo fœlicis Arabiæ tractu amœniſſimæ ſummæque proceritatis arbores ob ſoli vbertatem atque aëris temperiem, Propheta ex rebus obuiis ducta ſimilitudine, Regum atque Imperatorum magnatumque ſplendorem, magnificentiam, ſublimitatem, potentiam, maieſtatem celſiſſimis arboribus vt Cedris comparant. Et ſi qui aliis ſunt paulò inferioris notæ Principes vel Satrapæ, quorum non tanta eſt potentia, vt cum ſummis certare poſſint, aut cum illis paria facere: ſed tamen aliquo numero cenſeri poſſint, & quibus obtigit non pœnitenda dominatio, non Cedro ſublimi atque immenſæ altitudinis arbori, ſed Abieti vel Platano aliiſque minus proceris aut ſpecioſis arboribus comparantur. Itaque Deus apud Ezechielem amœniſſima vtitur Metaphora in deſcribenda amplitudine ac ſublimitate Pharaonis quantoque vtatur ſucceſſu ac proſperitate quid incrementi florentiſſimo Regno acceſſerit, quos progreſſus acceperit, ſic vt pronunciet nullum Regem illi parem, nec quemquam illius magnificentiam adæquare: illum tamen ex tanto faſtigio ac gloria minimo negotio detectum iri, quemadmodum celſiſſimæ arbores ſecari deiici ſolent

Eclo8.24. Li. Sat.l3. Xerxes platani vmbra delectatus. Pſal.16. Thren.4. Magnates celſis arboribus comparantur.

lent ac conuelli. Sic enim Propheta narrationem proſequitur, qua Deus ſuperbo elatoque Regi, cui vt nunquam Deus in mentem venit, ita eius populo fuit infeſtus, exitium minatur: *Factum eſt*, inquit Ezechiel, *verbum Domini ad me. Fili hominis, dic Pharaoni Ægyptiorũ Regi & populo eius. Cui nam aſſimilatus es in magnificentia tua? Ecce Aſſyrius Cedro ſimilis eſt in Libano, pulcher ramis, frondibus vmbroſus*, tanta proceritate & altitudine vt inter condenſas frondes ſit cacumen eius, *aqua nutrinerunt eam*. Abyſſus ſeu terræ profunditas qua radices aluntur, in altum illam euexerunt, quumque extendiſſet ramos ſuos, hoc eſt, vires & potentiam aſſequutus eſſet Pharaonis dominatus, in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia cœli & ſub frondibus eius genuerunt, omnes beſtiæ ſaltuum, & ſub vmbraculo illius habitabant plurimarum gentium cœtus. Qua Metaphora indicat Pharaonis imperio multas nationes eſſe ſubditas, illique tributarias ac vectigales. Eratque pulcherrimus in magnitudine ſua in dilatione arbuſtorum ſuorum, hoc eſt, propagando imperio, ac dilatandis proferendiſque finibus. Erat autem eius radix iuxta aquas multas, quæ affluenter illam irrigabant. Quibus verbis deſignat opes illi accreuiſſe in immenſum ob negotiatorum frequentiam, atque vltrò citroque commeantium turbam. Cedri non fuerunt altiores in paradiſo Dei, Abietes non adæquauerunt ſummitates eius, & Platani non ſunt æquatæ illius frondibus. Qui indicat nullam prouinciam ei parem, nec Iudæam quæ ſanctiſſima religione exornata eſt, nec vllas alias nationes quæ Dei cultum amplectuntur, illiſ conferri poſſe. Ob tantam autem, inquit, pulchritudinem, & eminentiam æmulata ſunt eam omnia ligna voluptatis quæ ſunt in paradiſo Dei, hoc eſt, inuidia quadam, & æmulatione moti ſunt finitimi qui Deum colunt & venerantur. Vrit enim aliquando pios felicitas & ſucceſſus impiorum, ita vt improborum proſperitas illos propemodum vacillare faciat, atque à ſtudio recti dimoueri. Quod ipſum teſtatur Dauid, cum inquit, *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, qui zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns*. Huius quoque rei indignatione motus Hieremias cum Deo diſceptat, & quodammodo cum illo expoſtulat, quòd via impiorum proſperetur, & benè ſit omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt. In eodẽ argumẽto verſatur Abacuc, & cum Deo propemodum rixatur, *Quare reſpicis contemptores & taces, conculcante impio iuſtiorem ſe?* quaſi diceret, Cur conniues? cur diſſimulas, & quodammodo muſſas ad ſcelera & iniquitates improborum?

Ezech. 12

Locus Ezechielis explicatus.

Seceſſus impiorũ pius aliquando vrit.

Cap. 12.

Cap. 1.

Cap.32. Iob quoque indignatur impios in tãtam fœlicitatem euectos, vt reliquos habeant contemptui. *Quare*, inquit, *viuunt impij, ſubleuati ſunt & confortati diuitiis? Domus eorũ ſecuræ & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos*, &c. Hæc autem tametſi in ſpeciem inter fœlicitates referẽda videntur adeo vt piorum animos fatigent, & velut in lubrico conſtitutos ad ruinam propemodum impellant, exitus tamen declarat, quàm ſint fallacia, incerta, momentanea, caduca, fluxa, temporaria, quibus illi fruuntur, cum Deus ſubito & repentè omnia euertat, ac in nihilum redigat, vt ne veſtigium quidem tanti faſtus & poten-

Pſal 61. tiæ appareat, quod etiam alio loco indicat Dauid, *Adhùc puſillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies*. Et paulò inferius, *Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut Cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat, quæſiui & nõ eſt inuentus*. Quo denotat improbos in maximam ſublimitatem attolli, ſed ex florenti rerum ſtatu, ex quieta poſſeſſione deturbari, illorumquè pompam ac ſtrepitum euaneſcere vt fumum, ſic, vt ne poſteritas quidem in vllam regni partem aut hæreditariam poſſeſſionem admittatur, ſed euertatur floretiſſima familia & aboleantur ædes & palatia ſplendida, à quibus ferè Reges & magnates nomen ſortiuntur. Exempla quotidie ſuppeditant Belgarum aliquot proceres geſtamine Regio decorati, quorum opes, decus, magnificentia defluxerunt, & nominis celebritas extincta eſt, quòd in tanto ſplendore in quo erant conſtituti, nulla habita ſit Dei ratio, nec ſuam fœlicitatem Supremo numini acceptam referre ſtuduerint. Quò ſpectat hæc Ezechielis Metaphora, qua Deus Regi ampliſſimo interitum minatur, eò quod cor eius elatum eſſet contra Deum ſic vt aliis prædæ ſit futurus, atque ad internecionem delendus, ipſis etiam confœderatis in eandem calamitatis ſortem deiectis, quibus accedunt multa alia detrimenta quæ Ezechiel hoc capite multis Metaphoris amplificat. Huic prorſus affinis eſt illa apud Iſaiam Dei comminatio contra faſtum, ſuperbiam, tyrannidem, crudelitatem, ſæuitiam Regis Babylonis, ſuper cuius interitu etiam læratæ ſunt Abietes & Cedri Libani, vt propheta diſſerit. Qua Metaphora indicat Duces ac Satrapas, omneſque illius iugo oppreſſos exultare atque exhilareſcere ruina atque interitu Tyranni ſæuiſſimi. Comparatur ille ob magnificentiam ac ſplendorem Regni, Lucifero ſideri argentei ac clariſſimi ſplendoris, qui Planeta nocturnis horis atque inclinata iam die, Solem ſubſequutus, Veſperugo & Heſperus dicitur, Belgis, *Auont ſierre*, de quo Virg. *ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ*. Matutinis autem atque antelucanis horis, primoque dilu-

Dauidis locus explicatus.

Iſaiæ locus explicatus.

Eclog.1.

culo Solem præcedens Lucifer vocatur Phoſphorus, denique ab amabili venuſtate ac ſplendore, lucidóque colore Venus, à qua & dies nomen ſortitur. Cui rei hæc ſubeſt ratio, quòd Veneris ſtella ratione epicycli moram ac retardationem faciat in ſignorum ſpatiis, quo fit vt tardius progreſſa, poſt occaſum Solis appareat, velut itineris eius comes, mox tamen maturans iter, ocyore ambitu vtitur, ac tranſiliendo ſe eripit à neceſſitate moræ, iuſtumque curſum perficit, ac Solem matutino tempore præcedens radianti ſplendore cœlum illuſtrat. Huic ſyderi cum Rex Babylonius memoratur aſſimilis, ſucceſſu rerũ magnarum elatus, ſuæque fragilitatis oblitus diuinos honores ſibi deferri paſſus eſt, oppreſſaque Dei religione, ac profligatis eius cultoribus pro numine coli voluit, cuius inſolentiam ac ſuperbiam, læſæque Maieſtatis crimen indignè ferens Deus, illum ex ſublimi imperij ſolio deturbauit, omníque gloria ac decore ſpoliauit (quemadmodũ Angelũ Satanæ qui Diuinitatem affectabat, Deóque primas ſedes ambiebat) & ea ignominia affecit, vt etiam ſepulturæ honor illi ſit denegatus, illata etiamnũ memorabili clade regno Babylonico, eiuſque incolis, atque indigenis vndique proſtratis, quę ruina ac tam magnifici Regis interitus paſſim prouocauit populares & finitimos, qui eius pompam ac ſtrepitum vel inuiti ſpectare ac venerari ſoliti ſint, ad dicacitates, ſcommata, dicteria ſic, vt mortuo cadaueri inſultarent, quòd opulentiſſimus Rex qui ſolo nutu omnes territabat, ex tanta ſublimitate ac faſtu in tam acerbam ac ſeruilem conditionem ſit præcipitatus adeò, vt non ſit inferendus ſepulchro more Regio, ſed (vt Hieremias Ioachimo Regi Iudaico minatur) ſepultura aſini ſit humandus. Quo indicat corpus, vt aſini & equi, fetis & alitibus palam obiiciendum. Quò ſpectat illa Eſaiæ Ironia & inſultatio. *Omnes principes nationum dicent, Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*, hoc eſt, faſtus, ſtrepitus, magnificentia, voluptates, deliciæ deſierunt: *concidit cadauer tuum. Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*, hoc eſt, corpus demortui nullo erit oblitũ vnguẽto aut aromate, vt Regibus aſſolet, quò à putredine corpus conſeruetur: ſed à lumbricis ac vermiculis arrodetur, vt infimo cuique cerdonum contingit. *Quomodo de cœlo cecidiſti Lucifer qui oriebaris manè ante coruſcantem Auroram? Corruiſti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſedem meam, & ſedebo in monte teſtimonij in lateribus Aquilonis. Tu verò in ſepulchrum detractus es in perfundum lacus.*

Cap. 22. Eſai. 19. Eſaiæ locus explicatus.

Ambitio ruinæ obnoxia.

Quo denotat eum vita, opibus, potentia exutum, & morte abſor

abſorptum, qui humanæ conditionis oblitus ſe efferre ſupra humanam conditionem ſtuduit, Deíque honorem ſibi vindicare. Quæ rerum vices documento ſunt Regibus ac mortalium cuique, vt ſe contineant intra limites, ac meminerint eas eſſe vices rerum humanarum, vt minimo momento ſumma in imum aliquando deuolnantur, eóque magis ſi homo faſtu ac ſuperbia intumeſcat contra homines, & criſtas erigat
2.Theſſ.2. aduerſus Deum. Sic Paulus infelicem ac funeſtum exitum denunciat homini illi ſceleroſo ac perdito qui effertur ſupra ſolium Dei, & ſe extollit ſupra omne quod dicitur Deus, aut numen religioſè colendum,& à quo cuiuſque ſalus & incolumitas dependet, adeo vt in templo Dei ſedeat oſtentans ſeipſum pro Deo, & exercens palam ſæuitiam ac tyrannidem in Chriſto Ieſu: quem Deus ſuo tempore conficiet potenti ſpiritu oris ſui, atque ementita falſaque diuinitatis ſpecie lactantem abolebit claritate aduentus ſui, quo detegetur omnis impoſtura, & euaneſcet (multis obſtupeſcentibus, qui eius fraudulentis prodigiis & portentis dementati erant) vt fumus eius doctrina, & fucata fictáque religionis ac pietatis ſpecies.

Ex frutice, virgulto, ſurculo, termite, malleolo, palmite, germine, gemma qui & oculus in arboribus ac pleriſque aliis, deſumptæ ſimilitudines, quibus Prophetæ vaticinia illuſtrant.

CAPVT L.

Frutex. FRutex appellatur quidquid ab radice multiplici caudice ac ramoſo ſe profert, ſed quod ad iuſtam arboris proceritatem non aſſurgit. Virgultum eſt è terra emergens fruticoſa virgularum cõgeries, quæ compluribus ramulis ac limoſis ſurculis conſtat, nec vt herba emoritur. Hæc aliquando excollitur vt arboreſcat. Surculus eſt germen quod ex ramis ſimplex & indiuiduum oritur, qualis nobis in ramuſculorum ſummitate ad inſitionis vſum accommodatur, *Inte* Belgæ vocant, quo efficitur, vt

Virgultũ. Surculus.

——— *Aliena ex arbore germen*
Includas: vdoque doces inoleſcere libro.

Virgil. Georg. 2. Eſt autem Surculus in arbore, velut ſucceſcens ſoboles & propago, vt in familia nepotum & agnatorum ſucceſſio.

Vnde, *Surculare*, hoc eſt, adnaſcentes arboribus ſurculos adimere. Malleoli & palmites à ſarmentis, hoc eſt, prælongis vitis virgulis porriguntur, nouellæ ſunt vineæ germinationes, inter quas ſunt pampinarij, qui nihil aliud quàm pampinis ac foliorum pompis luxuriat quibus nihil ſperes quàm oſtentamenta ſtirpis: vt ficus Euangelica Chriſto deteſtata. Sunt enim ſtolones & inutilis fructicatio reſecanda ferreo, ignique deſtinanda. Qua Metaphora Chriſtus impios atque improbos deſignat. Alij palmites fructuarij ſunt, à quibus inſequente æſtate fructus ſperatur, nam ineunte vere palmites concepto humore, velut animati, protuberare incipiunt, ac velut parituri extumeſcere, ſic vt gemmæ in iis ſe proferre incipiant. Quod Cicero indicat. In vitibus primo vere exiſtit tanquam ad articulos ſarmentorum ea quæ gemma dicitur, vel oculos, quod extumeſcat. Vnde *Gemmare* vites dicuntur ac turgeſcere in ſpem futuri fructus. Indicauit id etiam Virgilius, Malleoli Palmites. Ioan. 8. Gēma in vite quid.

——— *Iam venit æſtas*
Torrida, iam lato turgent in palmite gemmæ. Eclog. 7.

Germen eſt id quod ex ipſis arborum ſurculis primo vere exit, ex quo mox folium producitur. Sic vere nouo germinare dicuntur arbores & pubeſcere. Ex qua te poſt ver aduentare æſtatem coniicimus: vt etiam indicat Chriſtus ſumpta ſimilitudine à ficu germinante ac proferente groſſos ſuos, quæ Metaphora ſuperiùs explicata eſt de ficu. Termes auulſus eſt ex arbore, ramus foliis veſtitus & fructibus onuſtus, præ ſertim ex Palma & Olea, de qua Paulus Apoſtolus ſimilitudinem deſumit contra illos qui faſtu tumidi ac ſanctimoniæ ſpecie inflati alios deſpiciunt, ac concipiunt de ſe opinionem quàm pro humana fragilitate maiorem. Hæc præfari viſum eſt Lector candide, quò plus lucis adferrer plantarum cognitio, ex quibus concinnæ ſimilitudines & Metaphoræ deſumuntur, neque enim ſolùm ex arboribus, herbis & fruticibus ſacra hiſtoria ſimilitudines mutuatur, ſed etiam ex earum partibus & appendicibus, radice qua alimentum allieiunt, trunco per quem diffundunt, cortice quo muniuntur, ramis, fronde, foliis, flore quibus exornantur: fructu, ſemine quibus propagantur. Sic Eſaias, vt rem aggrediar, cum de Chriſto, eiuſque miniſterio vaticinatur, atque illum oculis hominum ſpectandum exhibet, deſcribit tam ſalutarem ſummi patris legatum nulla ſpecie, nulla formæ dignitate fuiſſe, ſed abiectum, deſpicatum, ita, vt nullus propemodum illo afficiatur, aut illum vt gratioſum hominem ac fauorabilem complectatur. Similem Germen. Matt. 24. Termes. Rom. 11. Cap. 53. Ioan. 16. Rom. 10.

dicit Chriſtum virgulto aut ſurculo qui emergit ex terra arida, ieiuna, ſquallentique ac ſiticuloſa ſic, vt nullam ſpem polliceri poſſe videatur hominibus (nam coram Deo nihil illo ſublimius) vt in vllam ſublimitatem poſſit euehi, ſuamque propagare doctrinam, aut vlla ratione efficere vt aliquam ſpem de eo quiſquam concipiat inſtaurandæ ſalutis, vel aliquid magni ab illo ſperare, adeo vt cum multi abiecti hominis ſpecie offenderentur eò res deuentura videatur, vt vix decimus quiſque fidem ſit habiturus tam magnificis promiſſis eorum qui illum prædicant, ac teſtatum orbi volunt Chriſtum eſſe Seruatorem, ſalutiſque humanæ vindicem, & aſſertorem. Cùm enim in eo nihil fuerit ſpectabile aut viſenda ſpecie (niſi deuicta morte, adhibito reſurrectionis triumpho, ac conſummato ſalutis humanæ myſterio) profectò non mirum cuiquam aut abſurdum videbitur tam paucos amplecti eius profeſſionẽ eiuſque doctrinam arripere, cum vix dignum deputent in quem defigant oculos, ac ſpectare ſuſtineant, & abiectior ſit quàm vt eius conſuetudine ac familiaritate vti cupiant. Longum autem eſſet omnia perſequi quæ in hoc capite Eſaias commemorat de propagatione regni Chriſti, propterea lectorem ad huius Prophetæ interpretes relego Hieronymum, Rupertum Tuicẽſem, Adamum Saſboudum recentiorem, & ſi qui alij in illuſtrandis Eſaiæ vaticiniis fuerunt occupati. Omnium autem Chriſtianorum intereſt locum eius Prophetæ accuratè eruere, in eoque idemtidem immorari, ac ſingula meditando excutere: quoniam in eo nobis proponuntur quibus maximè illuſtrator Chriſti & humilitas & gloria, & quid nobis contulerit, quantáque paſſus ſit, vt excuſſa ſeruitute ac tyrannide diaboli, in libertatem damnatos aſſereret. Reuocat nos ad Chriſti exemplum Paulus Apoſtolus rigidus Chriſtianæ religionis aſſertor & propugnator, atque hortatur, vt ita ſimus affecti, ſic animati, vt Chriſtus Ieſus, *qui cum eſſet in forma Dei, non ſe rapinam arbitratus eſt, vt eſſet æqualis Deo, ſed ſeipſum exinaniuit, vt aſſumpta ſerui forma, factus ſit homini ſimilis, & in forma repertus vt homo, factus obediens vſque ad mortem Crucis*, ignominioſam, *quapropter Deus illum extulit in ſummam ſublimitatem, & donauit illi nomen quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine Ieſu ſe flectat omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*, hoc eſt, nulla vis, nulla poteſtas tanta ſit quæ non ſubmittat ſe illius imperio. Sic Paulus vt etiam Eſaias duplicem Chriſti naturam complexus eſt, humanam qua obnoxius fuit & expoſitus calamitatibus & miſeriis hominum, & diuinam ob conſequutum imperium, quo deuicta morte & diaboli tyrannide,

Eſaiæ locus explicatus.

Philip. 2.

Pauli locus illuſtratus.

Matt. vlt.

nide, extinctoque peccato, mortales omnes in libertatem aſſeruit, ſic vt nemo non illi aſſurgat, nemo non caput inclinet, nemo non genua incuruet, vbi tam ſacroſanctum Ieſu nomen vel proferri vel inclamari audit. Cæterùm vt in argumento ſuſcepto progrediar, cum Eſaias nuſquam non Chriſti gloriam illuſtret, atque illius regnum, hoc eſt, Euangelicam profeſſionem propagandam prædicet. Conſolatur afflictos & mœrentes qui ſe deſtitutos omni præſidio exiſtimant, vt concepta ſpe & fiducia in Deum mentem erigant. Futurum enim indicat (aſſumpta Metaphora ſurculi vel fruticis) inſtauratum iri ſpiritale Dauidis regnum per Chriſtum, omneſque pios qui ſe deſertos credunt, propugnatorem habituros & vindicem, excuſſoque tyranni iugo, libertatem aſſequuturos, quod hoc vaticinio confirmat: *Egredietur*, inquit, *virga*, ſeu virgultum vel ſurculus. *ex radice Ieſſe & flos ſubſequente fructu ex caudice eius. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Quo indicat Chriſtum omnibus donis cumulatiſſimum, quibus ſuos inſtruit ac locupletat. Eandem ſimilitudinem paulò pòſt repetit. *In die illa radix Ieſſe*, quæ inclinatis rebus Iudaicis propemodum extincta videatur, vt aridus truncus, *inſtaurabitur & erigetur*, ita vt omnes nationes tamquam in ſcopum oculos habituræ ſint defixos in Chriſtum, qui ſtat erectuſque eſt in ſignum ac velut vexillum populi, atque illum requirent, eò ſe conferent, illum certatim gentes deprecabuntur. Cæterùm ex radice quæ humorem è terra elicit, ac vitalem ſuccum per ramos vndique diffundit, ſumuntur in Bibliis ſimilitudines perelegantes, quas partim rebus proſperis ac ſecundis prophetæ accommodant, atque vbi ſucceſſum pollicetur Deus, vel etiam incrementa virtutum, partim rebus deploratis applicant, cum ſcilicet improbis extinctionem atque interitum denunciant. Sic Iob cum floreret opibus & potentia, ac frueretur rerum omnium affluentia, omneſque proceres illum paſſim honore proſequerentur, *Radix mea*, inquit, *erat humore perfuſa*. Metaphora ſumpta ab arboribus aqua ſalubri irrigatis, quæ non areſcunt, ſed florum & frondium pompa ſpectabiles ſunt. *Et ros morabitur in meſſione mea.* Quo denotat omnia feliciſſimè ſucceſſiſſe, nec quid detrimenti aut iacturæ acceſſiſſe rebus ſuis. Cùm autem radix fundamentum ſit quo arbores fulciuntur & alimentum percipiunt, Deus apud Oſeam pollicetur reſipiſcentibus, atque iis qui illi fidunt, vberrima quæque, opeſque ſtabiles & diuturnas,

Cap. 11. *Eſaiæ locus illuſtratus.* *Ex radice ſtirpium deſumptæ ſimilitudines.* *Cap. 29.* *Cap. 14.*

Ero, inquit, *quaſi ros Iſraëli, & germinabit ſicut roſa aut lilium, & rumpet*, hoc eſt, dilatabit, diffunderque ſe *radix eius, & propagabunt ſe rami illius.* Quo deſignat non facilè morituram illorum fœlicitatem, ſed vt validas arbores, ſtabilem fore & diuturnam. Salomon autem cum inanem atque euanidam impiorum ſpem indicat, qua fruſtrandi ſunt votis ſuis, nec ſunt
Prou.12. conſequuti ea quæ animo conceperunt, *Deſiderium*, inquit, *impÿ, nocumentum eſt peſſimorum*, hoc eſt, ea cogitant ac meditantur, quæ interitum adferunt: *Radix autem iuſtorum proficiet*,
Eccle.24. hoc eſt, pullulabit fructumque ſalutarem proferet. Vnde Sapientia radicatam ſe dicit, ſeu firmas defixiſſe radices, ac propagatam in populo honorifico, ſic vt aſſurgat in immenſum, vt Cedrus & Cupreſſus, hoc eſt, longè lateque diffundat virtutes ſuas, quibus ſui ſtudios obumbrat, ac ſaluberrimo halitu fouet ac recreat. E diuerſo cum Deus interitum minatur improbis, ac confirmat, non fore ſtabilem aut diuturnam illorum potentiam, quantumuis illa vallata ſit & munita, Radicem illorum eruendam pronunciat. Quò ſpectat illud Iobi,
Cap.5. Iob 15. *Ego vidi ſtultum firma radice, & maledixi ac deteſtatus ſum pulchritudinem eius.* Cui & illud conſonat, *Cunctis diebus ſuis ſuperbit impius, & numerus annorum & tyrannidis illius incertus eſt. Non ditabitur nec perſeuerabit ſubſtantia eius, nec mittet in terram radicem ſuam*, hoc eſt, non erit diuturnus: *ramos eius areſaciet flamma, & auferetur ſpiritus oris eius ab eo.* Hæc omnia indicant omnem faſtum, ſtrepitum, ſuperbiam ad nihilum redigenda. Non mitiora denunciat Dauid homini ſcelerato ac nefario qui rebus fluxis ac caducis fiſus, innocentes opprimit.
Pſal.51. *Deſtruet te*, inquit, *Deus in æternum, & euellet de tabernaculo, & radicem de terra viuentium.* Quo indicat illum radicitus extirpandum, ac funditus eruendum, ſublata omni ſpe propagandæ familiæ, nam extincta radice nulla amplius eſt poſteri-
Matth.15. tatis ſpes. Eadem Metaphora Chriſtus vſus eſt, cum os obturat Phariſæis, & diſcipulos libertate diſcendi offenſos placat,
Ioan.15. *Omnis plantatio quam non plātauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Quo indicat, omnē doctrinā aut inſtitutionem vitæ quæ innituntur Chriſti ſolido fundamento, & quæ plus habet ſu-
1.Cor.3. perſtitionis, quàm veræ pietatis, extirpandam. Solent ferè in nihilum redigi & aboleri quæ humanis conſiliis, nec adhibito Deo ſtatuuntur, omniaque diſſipari atque obоleſcere, quæ non Scripturæ immobili auctoritate fulciuntur, vel ad oſtentationem & quæſtum excogitata ſunt. De Germine, hoc eſt, rudimento vireſcentis plantulæ ineunte vere, par eſt ratio. nam ex eo deſumuntur ſimilitudines vel in bonam, vel in deterio-

rem

rē partem. *Sic vinea Domini exercituum Iſraël eſt*, vt Eſaias teſta- Eſa.5.
tur, *Et viri Iudæ germen eius delectabile*. Rurſus eodem capite in deteriorem partem, *Radix impiorum ſicut fauilla erit, & germen eorum vt puluis aſcendet*, hoc eſt, improbi perdentur, nec Cap.4.
in vllam magnitudinem aſſurgent. Rurſus cum idem Propheta conſolatur populum & pollicetur gratiam Senatoris non defuturam, *In illa die*, inquit, *erit germen Domini magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis* ſeu honorificus. Quo oſtendit plurimum ornatus ac dignitatis acceſſurum iis qui in fide perſiſtunt, ac ſalutem Chriſti fauore & munificentia conſequuturos. Quò ſpectat illa exultatio qua ſibi tacitè ac velut in ſinu plaudit ac gratulatur homo pius, quod tot tantiſque donis ſit cumulatus. Sic enim omnia ſua dona ac munera quibus affatim ornatus eſt, ad Deum cum gratiarum actione Eſa.61.
referens, *Gaudens*, inquit, *gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me, quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis*. Sicut enim terra profert germen ſuum, & ſicut ortus ſemen ſuum germinat: ſic Dominus Deus germinare facit iuſtitiam & laudem coram vniuerſis gentibus. Quibus verbis indicat ſe omni virtutum genere excultum, at- Hier.5.
que id Dei beneficio, cui vni debetur laus & gloria. Vt enim terra fertilis & fœcunda virentibus herbis exornata teſtatur Dei erga inferiora hæc magnificentiam: ita iuſtitia, pax, tranquillitas, ac cæteræ virtutes quibus mentes humanæ exornatæ ſunt, declarant ſummam Dei erga homines beneficentiam & amorem, ſic vt merito hæc Dei munera nos ad gratitudinem prouocare debeant.

Palmites vitis qui ſe longè lateque diffundunt, explicant, Palmites quid deſignent.
dilatant, atque vmbracula contra Solis æſtum præbent, fœlicitatem, honorem, dignitatem, magnificentiam, decus, amplitudinem, ſucceſſum in Scriptura deſignant. Sic Dauid eleganti allegoria vitis & palmitis, Hebræorum res ſecundas Pſal.97.
commemorat, quas calamitates poſtmodum ſunt ſubſequutæ. Sic enim cum Deo ſermocinatur, *Vineam de Ægypto tranſtuliſti*, quo deſignat populum Iudaicum, *eieciſti gentes, & plantaſti eam*, hoc eſt, curam adhibuiſti illis excolendis & inſtituendis. *Quæ vitis extēdit palmites vſque ad mare, vſque ad flumina propagines ſuas*, hoc eſt, exporrexit imperij terminos. *Vt quid deripuiſti ſepem eius, & vindemiant eam omnes qui hac iter faciunt?* hoc eſt, diripiunt, conuellunt, lacerāt, dilaniant potētiā

populi Iudaici, quòd deſtituti ſint protectione tua, tuoque præ-
Cap. 5. ſidio orbati. Idem argumentum tractat Eſaias, à vinea ac pal-
mitibus deſumpta ſimilitudine. Extat autẽ inſignis locus apud
Cap. 17. Ezechielem exhibita parabola Ænigmatica, qua declarat Deus
producta in concionem Aquila prægrandi ac rapaci, qua Re-
gem Babyloniæ regno Iſraëlitico inhiantem deſignat, cui ta-
lia inſignia attribui ſolent, ac vinea frondoſa, multiſque pal-
mitibus exporrecta, nihil ſtabile eſſe aut diuturnum, nec te-
mere hominum potentiæ fidendum, eſſe enim Regum ac Prin-
cipum fœderā, amicitias, pacta, ſocietates infidas, florentiſ-
ſima regna ruinæ obnoxia, illa enim Deum diſſipare & exſcin-
dere, vt vineam foliorũm ac frondium pompa luxurientem:
exigere autem humilia, abiecta, deſpicata. Quod ipſum in
poſtrema capitis parte his verbis indicat, *Et ſcient omnia ligna*
vel arbores *regionu*, hoc eſt, ſuperbi, elati, ſublimes Reges, *quia
ego Dominus humilio lignum ſublime, & exalto lignum humile, &
ſiccaui fecique exareſcere lignum viride* & ſucculentũ, *ac frondere*
vt virērem arborem, *lignum aridum. Ego Dominus loquutus ſum
& faciã.* Quo indicat erigere ſe humiles & deſpicabiles, atque
è ſublimi deturbare arrogantes. Quod ipſum agnouit Diua
Luc. 1. Virgo, & cantico illuſtri teſtatum voluit omnibus, Deum cle-
mentia vti erga illos qui eum reuerentur: deiicere autem illos
& profligare qui animi faſtu contra Deum & homines inſo-
leſcunt, diuites famelicos pati, eſurientes autem affatim ſatu-
rare & implere bonis. Paulò poſt idem argumentum proſe-
Cap. 19. quitur Ezechiel vaticinio fulminato cõtra Ioatham, Eliachim,
Ezech. 21. & Sedechiam periurium & fœdifragum. Sic enim primò illos
ſuis depingit coloribus, & indolem illorum exprimit, *mali* ſci-
Prouerb. in improbos. licet, *corui*, vt habet prouerbium, *malum ouum. Quare mater
tua leæna inter leones cubauit? in medio leunculorum nutriuit catu-
los ſuos, & eduxit vnum de leunculis, leo factus eſt, didicit prædam
capere, homines deuorare, eo capto è gentibus non abſque vulneri-
bus, nec ſine ſanguine, ita vt victoria non fuerit incruenta. Mater
fruſtrata ſua expectatione & ſpe ſumpſit alterum è leunculis ſuis,*
Ioachimum ſcilicet, *& leonem*, hoc eſt tyrannum, *conſtituit
eum, qui incedebat inter leones, & factus eſt leo, ac didicit prædam
capere, atque homines deuorare, didicit viduas facere, ciuitates de-
Tyranni deſcriptio. populari, atque in deſertum redigere, qui etiam vinctus catenis ab-
ductus eſt ad Regem Babylonis.* Quò autem magis exaggeret rei
atrocitatem, atque amplificet Regis crudelitatem, quæ etiam
illi ab vtero materno adfuit, repetit capitis initium, vſus Me-
taphora Phyſica in hunc modum, *Mater tua, quaſi vinea in ſan-*

guine

guine tuo ſuper aquas plantata eſt. Quam Metaphoram & quæ ſubſequuntur, nemo niſi Phyſicus & qui in re Medica ſit exercitatus rectè interpretari poterit. Alludit enim ad infantis geſtationem in vtero. nam rubicundo ac ſanguinolento ſanguine fœtus alitur, ac ſenſim incrementa capeſſit, itaque indicat matrem à qua credulitatem ſuxit, mirè fœcundam eſſe, & ſanguine in quo fœtus voluitur, redundantem, vt vineam fertilem in locis irriguis: cóque euenit vt materno ſanguine affluenter paſtus & ſaginatus vires validas & robuſtas conceperit. Quod indicat, cum inquit: *Fructus eius & frondes eius creuerunt in aquis multis,*hoc eſt,humorũ in vtero abundantia. *Et facta ſunt illi virga ſolida in ſceptro dominantium.* Quo deſignat imperatoriam dignitatem regalem pompam ac ſtrepitũ. *Et vidit altitudinem ſuam in multitudine palmitũ ſuorum.* Quo indicat illius potentiam ac magnitudinem longè exporrectam & exaltatam ſtaturam eius inter comantes frondes. Quo deſignat illum longè ſuperaſſe magnificẽtia ſua vicinos reges & Satrapas, ac latiùs propagaſſe ditionis terminos. *Cum autem in tanto regni faſtu* ac ſtrepitu *conſtitutus cœpiſſet alienari à Domino Deo ſuo,ipſe vt ſpecioſa ac diffuſa vitis,auulſus eſt,& emarcuerunt atque* arefactæ ſunt *virgæ arboris illius,eáque vinea tranſplantata eſt in deſertum loco arido* & ſiticuloſo. Quo deſignat exilium & captiuitatem,in quam abductus eſt,ac priuatus honore,dignitate, dominatione, magnificentia Regia. Quod iis verbis indicat, *Non eſt in ea* (nam perſiſtit in vineæ Metaphora) *virga fortis, nec ſceptrum dominantium*, hoc eſt, nulla eſt imperij maieſtas, nulla magnificentia, nulla autoritas quæ illum extra contemptum poſſint vindicare. Hactenus de palmitibus ac vitis propagine, à quibus Christus etiam ſimilitudinem deſumit atque homines qui illi per fidem inſiti ſunt, ac bonorum operam fructum proferunt fructuoſis palmitibus aſſimilat. Improbos verò omni ornatu deſtitutos,nullóque fidei ac Charitatis ſucco imbutos, aridis & infrugiferis, qui vt inutiles frutices & ſarmenta igni deſtinantur Qua de re vberiùs in capite de Vinea, vbi Ioannis Euangeliſtæ locus explicatur. Cæterùm Rami qui multiplices ex caudice atque arboris trunco, velut erectis brachiis ſe diffundunt, ſimili Metaphora vt palmites concionibus adhibentur. Deſignantur autem hac voce robur,potentia,firmitas,incolumitas,decor,& ornatus familiæ,totiuſquę poſteritatis propagatio,ac ſoboles, denique conſanguineorum affinium cognatorum, nepotumque ſeries. Hic Sapiens cum illi feli citatem ac florentes annos pollicetur

Locus Ezechielis Phyſicus.

4 Reg. 23 Hier. 3[?]. & 59.

Sedecias in Babylonem abductus.

Cap. 4 Ex Ramis Metaphora.

Eccl. 4

Rom.11. pollicetur qui Sapientiam amplectitur, *Radix ſapientiæ*,inquit, *timere Deum, & rami eius longæui*, hoc eſt,in multos annos illi vita prorogabitur,& longũ habiturus eſt æui decurſum. Extat autem inſignis apud Paulum Concio Metaphorica de ramis auulſis ex olea, & in illorum locum aliis inſitis in qua ſolidis argumentis ac demonſtrationibus Iudæos non ita excifos ac diffractos oſtendit ac conuincit, vt ſublata ſit omnis recuperandæ ſalutis ſpes: ſed illos denuò inferendos, ſi fidem amplectantur. *Si enim primitiæ*,inquit,*ſanctæ, & conſperſio ſancta eſt. Si fermentum ſanctum, oportet & totam meſſem ſtatui ſanctam, vndique imbuta eſt Si radix ſancta,& rami ſancti erunt*.Si Abraham primus credentium pater fidem amplexus eſt, & illi imputatum eſt ad iuſtitiam: quid vetat & nepotes ac poſteros ſtirpis ſuæ authorem exprimere, ac fidem eandem amplecti, vt ſuperius fuſius à nobis explicatum? Cæterùm,vt comantes ac longiùs exporrecti rami aliquando fœlicitatem denotant, ac rebus lætis ac ſecundis adhiberi ſolent: ita nonunquam illos rebus aduerſis ſacri Scriptores accommodant, eóque nomine calamitates obuenturas denunciant, nec improbos diuturna proſperitate vſuros, quod huiuſmodi verbis indicatur apud Iob, *Cunctis diebus ſuis ſuperbit impius, ſed nec ditabitur, nec perſeuerabit ſubſtantia eius,nec mittet in terra radicem ſuam, ramos eius arefaciet flamma*, hoc eſt, omnia cedent in deterius, & abolebuntur, etſi videantur ad tempus florere improbi, ſuoſque ramos diffundere, omnia tamen ſublapſa confeſtim dilabeatur. Idipſum Sapiens obuenturum pronunciat generationi peruerſæ, cum inquit, *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas,nec ſtabile fundamentum collocabũt.* Et ſi rami tempeſtiuè ſuóque tempore germinauerint infirmiter poſiti, à vento concutientur, ſuiſque ſedibus commouebuntur. *Confringentur enim rami inconſummati*,hoc eſt,imperfecti & qui nondum iuſtum robur ac firmitatem ſunt conſequuti, *& fructus illorum inutiles,acerbi ad manducãdum*,nec ad vllum vſum idonei Quo indicat,vt ex orationis ſerie intelligi poteſt,nec progenitores, nec filios, nec nepotes vſui eſſe Reipublicæ, nec aliquid cõmoditatis aut ſubſidij adferre rebus humanis: quandoquidem vt concionem proſequitur, *Ex iniquis*, & nefariis, *progenitoribus pregnati filij,teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes.* In Eccleſiaſtico ſeu concionatore prorſus idem argumentum tractatur, quod inſtituitur contra adulteram quæ alteri quàm viro legitimo corporis ſui vſu conceſſit, ſeſeque mœcho ſubiecit,ac præbuit (vt Plautus ait) vſurariam. Quod crimen ita exaggerat vt primùm declaret illam publicitùs infamia notandam,& proles quas putat hæredes poſſe conſtitui,patri pu-

Marginal notes: Pauli locus ex cuſſus. Rom 4. Gal. 3. Iacob.2. Cap.15. Cap.4. Eccleſ.23. Ex adulterio progniti in fauſti.

catiuo, nullo honore, nulláque dignitate habẽdas, quibus etiam hoc incommodi atque infelicitatis acceſſurum pronunciat, vt huiuſmodi proles non figant radices, nec rami earum fructum proferant, hoc eſt, non propagabitur vlla poſteritas, nec erit Eccle.40. illis vlla ſobolis ſpes. Cui ſententiæ iſta eius authoris cõſonet, Matth.13. Matth.5. *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ ſuper cacumen petræ*, ſiue in ſumma rupe, *ſe extendent*. Quibus verbis indicat (vt Chriſtus de ſemine concionatur quod incidit in loca aſpera ac petricoſa) illos impuros non poſſe radices figere nec in vllam ſpem poſteritatis emergere, ſed mox vbi quid ex eorũ ſtirpe exortum ſit, emarceſcere atque in nihilum Cap.8. redigi. Tale quiddam etiam Eſaias exprimit, cum inquit, *Ante meſſẽ totus effloruit, & immatura perfectio germinauit. Et præſcindentur ramuſculi eius falcibus, & quæ relicta fuerint, abſcindentur.* Qua Metaphora declarat impiis omnia proſperè ſuccedere ad tempus aliquod, accelerari iis annonam, meſſem præmaturè adeſſe, fructus properè matureſcere: verùm cum iam omnia maturuiſſe viſa ſunt, ac fructu fruituri videntur, ſegetes, rami, ſarmenta, palmites, propagines exſcinduntur, hoc eſt, tota felicitas, ſucceſſus, proſperitas corruit, ac vana ſpe illuſi ſperata Metaphora ex flore. vindemia, meſsíſque deſiderio, atque auidè expectata iam flaueſcente ſegete fruſtrantur. Flos ex quo fructus ſperatur, gaudium eſt & amœnitas ſeu blandimentum arborum, quod vernis menſibus oculos hominum & oblectat, ac ſuaui odore nares reficit. Herbæ autem aliæ aliis temporibus floreſcunt, nunc vere, nunc æſtate, nunc autũno: nõnullæ etiam hyeme, vbi cœlum clementius eſt, nec omnia gelu rigeſcunt. Indicatur nõ ſolùm in ſacris literis, ſed etiã apud alios ſcriptores floris nomine quidquid præſtanti excellẽtique ſpecie eſt. Sic prima indoles, adoleſcentia, iuuentus ætas florida & pubeſcens, floris nomine deſignatur, tum etiam decor, & ſpecies, venuſtas, pulchritudo, blandities, ac pleraque alia fugacia in homine, & quæ cito euaneſcunt, nec ſtabilia ſunt aut diuturna, licet ad tempus ſpectatu grata ac peramœna. In eodẽ ſignificatu adhibentur cõcionibus foliũ, herba, omniſque nitor & herbeſcẽs viriditas tum fœnum, 1.Cor.3. ſtipula, ac pleraq; alia quæ citò langueſcunt, nec diu ſubſiſtunt. Pauli locus explicatus. Sic Paulus doctrinam inanem, fucatam, adulterinam, infrugiferam, ſuperſtitioſam, noxiam, damnoſam, ligno, fœno & ſtipulis comparat. Qui enim huiuſmodi doctrina minus ſalutari imbuti ſunt, nec ſolido fundamento innituntur, primum omnium ingruente tentationum procella labaſcunt, corruunt, nec prorſus in aduerſitate ſubſiſtunt, vt nec arida nutrimẽta ac fomites contra ignis vim. Cæterùm floris nitor ſpectabilis in Scriptura paſſim accommodatur rebus caducis, fragilibus momenta-

neis, ruinoſis. Sic Iob, *Homo natus de muliere repletur multis miſeriis qui quaſi flos egreditur*, hoc eſt, ſe expandit, ſe dilatat, ſed
Pſal.102. conteritur, *& fugit velut vmbra*. Cui illud dauidis affine eſt, *Homo ſicut fœnũ, dies eius ſicut flos agri ſic efflorebit*. Quibus verbis indicat rem mox perituram quamlibet ſpecioſa ſit, aſpectúque amabili & gratioſa. Quo autẽ ſua cuique fragilitas identi-
Cap 40. dem ob oculos verſetur, atque ex aduerſo verbi Dei vis & effi-
Eccl.14. cacia Eſaiæ elata voce exclamandũ præcipitur. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Dei ſufflauit in eo*. Verè fœnum eſt populus, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, *Verbum Domini manet in æternum*. Quo palam facit omnem pompam, faſtum, ſtrepitũ, ſplendorem, magnificentiam, denique quidquid in homine excellens eſt, & magnificum, ſeu externa ſeu interna ſpectes, ſcilicet, prudentiam, ac ſcientiæ coniunctam ſapientiam, & ſi quid aliud humanæ menti inſitum eſt, flatu Dei euaneſcere. Quapropter nemo rebus tam caducis & momentaneis inniti debet, aut illis fidere, ſibique inaniter harum rerum poſſeſſione blandiri, ſed fulcire ſe verbo Dei quod ſtabile eſt, firmum, diuturnum, & mentes hominum ſolida ac ſalutari doctrina imbuit.
1.Pet.1. Reuocant nos ad æternas has opes Petrus & Iacobus Apoſtoli,
Iacob.1. ac ſectanda præcipiunt non fluxa, non temporariã, non euanida quæ tanquam floſculi ad Aquilonis flatum, aut Solis ardo-
Solida ſpectanda. rem emoriuntur, ſed cœleſtia, ad quæ, Chriſto duce, eiuſque verbo perduci nos cõtingit. Plures ſunt eius generis apud Prophetas Metaphoræ, atque ex foliis floribuſque deſumptæ ſimilitudines. quarum commemoratione ob oculos ponit mortalium res fragiles & caducas, prorſuſque inſtabiles, quibus tantopere intumeſcunt homines. Sic Eſaias faſtum ac ſuperbiã
Cap.28. Ephraim, quorum nomine deſignat omnes iiſdem vitiis obnoxios, foliis ac floribus mox euaneſcentibus, ac defluis cõparat. Sic enim illis interitum minatur. *Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim & flori deciduo. Pedibus cõculeatur corona ſuperbiæ ebriorũ Ephraim, & erit flos deciduus exultationis eius, & ſicut fructus temporaneus & præcox*. Vt enim nec fructus nec præcocia poma diu ſubſiſtunt, ita nec illorum fœlicitas diuturnam proſperita-
Cap.1. tem eſt habitura. Nahũ quoque propheta declarat eadem ſimilitudine nihil tam ſpecioſum ac ſpectabile, nihil tam blandum & amabile, quod Deus non concutiat ac conterat, vbi exarſerit in nefarios atque improbos ira illius, ſic vt flores & germina elatorum hominum diſcutiantur hoc eſt, omnis illorum pompa, & ſplendor ad nihilum redigatur, quod iis verbis indicatur, *Infirmatus eſt Baſan & Carmelus, & flos Libani elanguit*, hoc eſt

virtus,

virtus, robur, potentia ruinoſa eſt, omnis nitor, decor, ſpecies, venuſtas deflorèſcit ac deformata eſt. Floribus ſuccedunt fructus, & ſemina, de quibus quoniam ſimilitudines deſumuntur, hoc obiter indicandum. Semen duobus modis vt & fructũ, video vſurpatũ in ſacris literis, pro tribu atq; illuſtri familia vel proſapia, pro ſobole ac totius poſteritatis propagine, pro ſucceſſione hæreditaria, pro ſtirpe, genere, cognatione, quæ omnia pollicetur Deus in humanæ vitæ decurſu opcatum fœlicemque ſucceſſum habitura, vbi qui mandatis eius obſequitur atque morum integritati inſiſtit. Quod indicat Dauid in Pſalmis, cũ inquit, *Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Semen illius in benedictione erit, & iuſti hæreditabunt terram. Semen verò ſeu generatio impiorum peribit,* Sic Elephas, vnus diſceptantium cum Iob, commendat Dei caſtigationem, eaque ſic eruditi hominem pronunciat, vt totũ ſe cõmittat eius arbitrio, eiuſque volũtati ſe ſubiiciat, quod ſciat ſe caſtigari vel ad emẽdationẽ, vel vt exploretur illius cõſtãtia: quã ratione cõſequitur homo, vt omnia illi proſperè ſuccedãt, & accedat opima benedictio. *Spectabis,* inquit *multiplex ſemẽ tuũ & progeniem tuam,* hoc eſt, proles, nepotes, & poſteros. *& herbam terræ numeroſam. Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo,* hoc eſt, generoſi hominis more & magnificè te efferri continget comitante magna procerum multitudine. Rurſus quoniam ſemen herbis ac arboribus ineſt, atque id ſimilem ſpeciem producit, ſeſeque ex alia in aliam ſtirpem propagat, Prophetæ quoque iſto in concionibus illuſtrandis vtuntur. Deſignat autem ſemen ſucceſſum, vberem prouentum, annonam fructiferam, benedictionem, beneficentiam, vberrimos fructus. Ita cùm Deus apud Eſaiam pollicetur fœlicitatem ac rerum omnium affluẽtiam qui illi fidunt, illiúſque mandatis inſiſtunt, *Dabitur,* inquit, *pluuia ſemine tuo vbicunque ſeminaueris in terra, & panis frugũ terræ erit vberrimus & pinguis. Paſcetur in poſſeſſione tua agnus ſpatiosè, & tauri tui & pulli aſinorum qui operantur vel colunt terram, commiſtum ſmigma,* hoc eſt, hordeum purumque pabulum *comedent, ſicut in area ventilatum eſt.* hoc eſt, ventilabro vannoque accuratè expurgatum à paleis. Quibus verbis deſignat rem familiarẽ ampliſſimè augendam, omniaque ex voto atque animi ſentẽtia ſucceſſura. De fructu par eſt ratio. nam & herbarum arborumque fructus in Bibliis deſignat vbertatem rerum, abundantiam, fertilitatem, beatitudinem, proſperum ſucceſſum, opera bona & mala, inopiam, annonæ charitatem & penuriã, iuſtitiam, vitæque integritatem, impietatem, nequitiã,

Semen in Bibliis quid deſignet.

Pſalm.36.

Cap.5.

Semẽ ſtirpium.

Cap.30. Eſaiæ locus excuſſus.

Cap.10. mores improbos: quæ etiam frumenti ac frugum nomine deſignantur. Sic Oſeas cum ad optimam frugem, ad decus, probitatem, iuſtitiã exhortetur homines ſuæ ſalutis oblitos, qui rebus improbis aſſueſcere cœperũt. *Seminate verbis,* inquit, *iuſtitiã, & metite in ore miſericordiæ,* hoc eſt, Miſericordia, clementia, bonitas vobis cordi ſit, & in ore verſetur, *innouate vobis nouale dum tempus inquirendi Dominum.* Quo ſuadet immutandũ vitæ inſtitutum, quo poſſint vitam, mores, ſtudium approbare Domino Deo. *Etenim hactenus,* vt Propheta inquit, *araſtis, impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comedistis frugem mendacij.* Qua Metaphora indicat nihil illos aliud quàm fraudes, ſycophantias, perfidiam, impoſturas, dolos machinari, quibus innocẽtes opprimũt. Quocirca monet vt excuſſis atque extirpatis vitioſis fruticibus ac zizaniis in exculto nouali puræ mentis, probitatẽ, mãſuetudinẽ, iuſtitiã, humanitatẽ inſeiãt. Quod etiam apud Hieremiã accuratè Dominus præcepit. *Nouate vobis nouale, &*

Cap.4. *nolite ſerere ſuper ſpinas*, hoc eſt, reddite corda veſtra exculta optima ſemẽte integritatis iuſtitiæ, innocẽtiæ, bonitatis, extirpatis ſpinis ac sẽtibus nequitiæ. Hac enim ratione omnia proſperrimè homini ſuccedũt. Quod Deus apud Eſaiã palã teſtatur inſigni cõſolatione, qua pij hominis mentẽ in ſpẽ ac fiduciam erigit conſequẽdæ ſalutis. Sic enim ſecuritatem rebus & afflictis ac deſperatis denunciat: *Dicite iuſto, quoniã bene illi erit,*

Cap.3. *quoniam fructum adinuentionum ſeu manuum ſuarum comedet.* Quo illũ cõmonefacit vt ſecuro ſit animo, bene ſperet, optimã ſpẽ cõcipiat: quoniam ingruẽte calamitate & afflictione famis aut belli, fruetur ſecurè rebus quas ſua manu, ſuoque labore à Deo optimo maximo ſit conſequutus. *Impio verò,* vt idẽ ait, *ma-*

Fructus pro hærede. *lè erit, quoniã ſecundùm opera manuum eius rependitur illi.* Cæterùm fructus pro ſobole etiam & poſteritate ſumitur ac libero-

Pſal.126. rũ propagine. Quod munus Dauid Deo acceptũ refert, cum inquit, *Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris.* Quo indi-

Pſal.131. cat populũ propagationẽ Dei donũ eſſe. Rurſus cum Deus ſub Dauidis nomine Chriſti regnũ fore ſempiternũ pollicetur, *Iurauit Dominus Dauid veritatẽ, & nõ fruſtrabitur eũ, de fructu vẽtris tui ponã ſuper ſedem ſuam. Illuc producã* & germinare faciam *cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo. Inimicos eius induam confuſione. Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea,* vel diadema meum. Quibus verbis amplificat fortitudinem, decus, magnificentiam imperij, quod longè latèque ſit propagandum, & ſub Dauidis typo Chriſti Seruatoris regnum ſpirituale, eiúſque Eccleſiam, hoc eſt cœtum fidelium, nunquam extinctum aut oppreſſum iri, nec vlla vnquam vetuſtate, vlla

vlla temporum iniuria abolendum: quamlibet ſæuiant inimici, quantumuis doctrinæ Euangelicæ inſultent, illamque lucem extinctam cupiant, atque omnes machinas ad illam opprimendam admoueant. Quò ſpectat illud Chriſti de inconcuſſa fide, & inexpugnabili ſolidaque profeſſione nominis eius, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

Quiſquis enim tam immobili ac tam firmo fundamento nititur, non eſt quòd metuat ſe ab illo poſſe dimoueri aut diuelli. Quòd Chriſtus etiam aliâs teſtatus eſt, ſimilitudine adducta ex viro prudente ac ſagaci, qui ædificium ſuum conſtruit non in fluida arena aut fundo paluſtri & vliginoſo, ſed in ſolido ſaxo, aut firma rupe, ne ingruentes tempeſtates, fulmina, tonitrua, imbres, venti, flumina & concurſus aquarum totam molem conuulſam diſſipent ac diſcutiant. Qua ſimilitudine deſignat illum qui fidem ſolidam ac viuidam, non vmbratilem amplexus eſt, eamque factis exprimit, in concuſſo infractóque animo ſubſiſtere aduerſus imminentes tempeſtates quę nullis non momentis homini Chriſtiano impendent. Quam ſecuritatem Dauid etiam illi pollicetur qui Deo confidit, illiuſque præſidio totum ſe committit, atque omnem ſuam ſpem ac fiduciam in Dei miſericordia per fidem collocat. Hac enim ratione fit vt ab omni quantumuis exitioſa peſte & periculis tutus ſit, & ſecurè ſubſiſtat, ſeu illa noctu, hoc eſt, tacitè & latenter ingruant, vel interdiu, hoc eſt, palam & aperto Marte graſſentur. Quòd Altiſſimus, cui fidit, vmbra alarum ſuarum illum muniat, ſuaque protectione tutum præſtet.

Matt. 16.
Matth. 7.
Fiducia in Deum.
Pſal. 91.

FINIS.

Ordo Capitum.

CAP. I. *AMpliſſimos reges ac ſacratiſſimos vates, herbarum cognitione exactè fuiſſe imbutos, aſſumptæ ab iis tot Metaphoræ ac parabolæ declarant, quæ hîc ſpectandæ exhibentur.* fol 1
2. *De conditione & natura mandragoræ, quam à Lya ſorore eblandita eſt Rachel.* 4
3 *De Manna cœlitùs delapſa, tum ea quæ Medicis in vſu eſt.* 9
4 *De lactuca ſylueſtri.* 12
5 *De olea, Oleaſtro, Oliua, oleo.* 14
6 *De Rhamno, aculeato frutice.* 17
7 *De Cucurbita ſylueſtri vulgo Colloquintida.* 19
8 *De Salice.* 20
9 *De Saliunca.* 21
10 *De herba Borith, quæ Medicis veteribus Struthion vocatur, Mauritanis, Arabibúſque ſcriptoribus cognita, cui affinis recentioribus vocata Saponaria, & herba fullonia, quòd vt ſmigma eluendis maculis adhiberi ſoleat.* 23
11 *De Cocco vermiculo Conchylio, Murice, Oſtro, ac colore purpureo.* 25
12 *De Paliuro aculeata ſtirpe, cui ſanguinarij comparantur atque inſidioſi, quique ad inferenda damna prompti ſunt.* 27
13 *De Gith quæ Græcè Melanthion, vulgo à nigrore Nigella dicitur, Nardus ob odoris ſuauitatem, tum aliis ſtirpibus deſumpta comparatio.* 29
14 *De Lentiſco, quæ Græcè Schinos dicitur, & Ilice.* 33
15 *De Hyacintho, veſtéque hyacinthina, vel à violæ colore*

colore Ianthina. 35
16 *De Carice, ſcirpo, iunco, paluſtri, papyro.* 37
17 *De Abſynthio.* 40
18 *De Carduis, Spinis, Vepribus, Tribulis, Rubis, Lappis, Sentibus, & quibus hæ ſtirpes in Scriptura accommodari ſolent, & quid deſignent.* 42
19 *De Ficu, Carica, Groſſo.* 44
20 *De palma arbore eiúſque fructu; & quid in ſcriptura ſacra illis deſignetur.* 46
21 *De Hebeno & aliis quibuſdam exoticis quorum in ſcriptura ſit mentio.* 47
22 *De Terebintho.* 49
23 *De Myrica ſiue Tamarice, & Erice, quæ vulgo à ſolitudine & loco arido Heyde vocatur, ex qua Belgæ extergendis pauimentis ſcopas conficiunt.* 42
24 *De Reſina.* 53
25 *De vite ſeu vinea, cuius partes atque appendices, ſarmenta, palmites, malleoli, pampini, clauiculi, vel capreoli, vua, racemus, botrus, acinus vinaceus, ſeu acinorum granum. Et quàm appoſitè horum pleraque Concionibus ac vaticiniis adhibentur.* 55
26 *De Hyſſopo.* 59
27 *De Arundine, quæ Græcis Calamus, eiúſque differentiis: de lino, ſtipula, quiſquiliis, & pleriſque aliis, ex quibus ſimilitudines deſumuntur.* 60
28 *De Cucumere & pleriſque aliis herbis, quarum in Bibliis ſit mentio.* 65
29 *De Iunipero.* 66
30 *De Labruſca.* ibid.
31 *De Mentha, Ruta, Anetho, Cumino, quæ Chriſtus parabolis adhibet in inſectanda Phariſæorum auaritia, & fucata religionis ſanctimonia.* 67

32 *De*

32 *De Sinapis vi & natura, cui fides & Dei verbum comparantur.* 68
33 *De hedera, quæ arboribus ac parietibus tenaci amplexu adhæret.* 69
34 *De More arbore & fructu eius.* 71
35 *De Sycomoro & caprificu.* 72
36 *De malo punico.* 74
37 *De citreo ac malo medico, limonibus & Aurangis.* 76
38 *De Croco.* 77
39 *De Myrrho quæ apud omnes nationes nomen retinet, & de Mylto ſylueſtri.* 78
40 *De Pino.* 81
41 *De Buxo errore vulgari Palma dicta.* 82
42 *De Nuce.* 85
43 *De Pomis in genere, è quibus ſacri vates ſimilitudines deſumunt.* 86
44 *De Quercu, & aliis glandiferis arboribus.* 88
45 *De roſa & ex illa deſumptis Metaphoris.* 89
46 *De zizania & Lolio, aliiſque herbis frugibus inimicis.* 91
47 *De Libanotide Coronaria, quæ vulgo Roſmarinus dicitur.* 97
48 *De Amygdalo arbore, cuius paſſim in ſacris Bibliis fit mentio, & de qua deſumitur inſignis Metaphora ſeu collatio à Salomone Eccleſ. cap.* 12. 93
49 *De Platano eiúſque natura, à qua ſimilitudinem deſumunt ſacri ſcriptores.* 101
50 *Ex frutice, virgulto, ſurculo, termite, malleolo, palmite, germine, gemma, qui & oculus in arboribus, ac pleriſque aliis deſumptæ ſimilitudines, quibus Prophetæ vaticinia illuſtrant.* 106

INDEX

INDEX RERVM
ET MATERIARVM.

A

ex AARONIS Hiſtoria documentum. 100.
Abietis deſcriptio. 82
ex Abſynthio ſimile. 40
Acrifolium. 33
Adulterio comparatur idololatria. 26
ex Adulterio prognati infauſti. 14
Allegoriæ ex Myrthete. 80
Aloe. 48
Aloe lignum. ibid.
Amarorem pulmentis qua ratione farina eximat. 19
Ambitio ruinæ obnoxia. 105
Amygdala amara vulpi noxia & quare. 95
Amygdala amara quid præſtent. ibid.
Amygdala zelandis non denegata. 94
Amygdali Metaphora. 98
Amygdalina nux vitæ Chriſtianæ ſymbolum. 100
Amygdalinum gummi. 95
Amos locus, Verùm abduxit me Dominus Deus,&c. explicatus. 73
Amos locus, Oſtendit mihi Dominus Deus vnicũ pomorum æſtruorum,&c. explicatus. 87
Apocalypſeos locus, Receſſerunt animo tuo deſiderata poma,&c. explicatus. ibid.
Apoſtemata maturat arundinis radix. 60
Aqua nucum qua virtute. 86
Aquæ Luſtralis origo. 93
Aquæ roſmarini vis. ibid.
Arboris mali Punici deſcriptio. 74
A rebus odoratis ſimile. 17
Arundine mobilior, prouerbium. 60
Arundines radix eſculẽta. 60
Aſylum homicidarum Galaad. 54

B

BAccho hedera ſacra, & cur. 69
Baptiſmi effectus. 12
in Belgas vuidos prouerbium. 19
Buxeus color. 83
Buxi natura. ibid.
de Buxo rei geſtæ narratio. ibidem.

C

CAltha flos luteus. 78
Canna paluſtris. 60
Carex graminoſa fruticatio. 37

Carice

Carice. 44
Cerebrum vitiatæ imaginationis cauſa. 43
Chriſti doctrina quid menti præſtet. 62
Chriſti de Ioanne præconium. 60
de Chriſto prophetia. 56
Cichorium hepati ſalubre. 13
Citriis lignum Sethim. 79
Cynorhodus odoratus. 89
Color Buxeus. 83
Colorum nomina ex Croco. 78
Conceptum fingit imaginatio. 99
ex Croco colorum nomina. 78
Cucurbita. 70
Cumini vires & natura. 29

D

Dauidis locus, Adhuc puſillum & nō erit peccator, &c. explicatus. 104
Dauidis ſelectiſſimæ ſimilitudines de ſalutati hominum pabulo. 2
Dauidis locus, Deus repuliſti nos, &c. illuſtratus. 41
Dauidis locus, antequam ſpinæ veſtræ, &c. explicatus. 18
Dæmon ſe in monſtra transformat. 44
Deſcriptio arboris mali punici. 74
Diſcrimen inter verbum Dei, & nugas hominum. 64
Diſſenteriæ granata acida apta. 75
Doctrina Chriſti quid menti præſtet. 62

E

EBoris natura & ex eo ſimile. 48
Eccleſiaſtici capit. 12. explicatum. 97
Eccleſiaſtici locus, Ego quaſi Cedrus exaltata ſum, &c. explicatus. 90
Effectus par verbo Dei & ſinapi. 68
Effectus Baptiſmi. 12
Effectus herbarum varij. 2
Elephanti rubro colore efferantur. 72
Eryca, heyde. 52
Eſaiæ locus, Areſcent aquæ à mari, &c. explicatus. 39
Eſaiæ locus, Ecce ſeruus meus quem elegi, explicatus. 61
Eſaiæ locus, Nobiles eius erunt abſque regno, &c. explicatus. 43
Eſaiæ locus, Lateres cecidecerunt, & collapſi ſunt, &c. explicatus. 73
Eſaiæ & Oſeæ locus, Oſtendam vobis quid facturus ſim vineæ meæ, &c. explicatus. 42
Eſaiæ Metaphora, Lætabitur deſerta & inuia, explicata. 39
Eſaiæ locus, Nunc ergo vade, ſcribe hāc prophetiam ſuper Buxū, &c. explicatus 84
Eſaiæ locus Egredietur virga de radice Ieſſe, &c. explicatus. 108
Eſaiæ Metaphora de regis Babylonis ſæuitia, explicata. 104
Eſaiæ locus, Omnes principes nationum dicent, explicatus.

plicatus. 105
Eſaiæ Metaphora de Meſſe, explicata. 58
Eſaiæ locus, Multiplicabitur quæ dereliɛta erat, &c. explicatus. 50
Eſaiæ locus, de Virgulto aut ſurculo explicatus. 108
Ezechielis caput 16. paraphraſticè enarratum. 36
Ezechielis locus, Factum eſt verbum Domini ad me, &c. explicatus. 103
Ezechielis locus, Mater tua quaſi vinea, &c. phyſicus. 113

F

FIcus fructus duplices profert. 44
Ficus inuſitatæ magnitudinis oblatæ Carolo quinto, Cæſari in Zelandia. ibid.
Fiducia in Deũ quo deſignetur. 17
ex Flore Metaphora. 116
Fructus pro hætede ſumitur. 118
Fructus ſtirpium quid deſignet. 117
Frutex quid. 106
in Futiles prouerbium. 90

G

GAlaad Leuitarum ſtatio & homicidarum Aſylum. 54
Gemma in vite quid. 107
Gemmare quid. ibid.
Germen quid. ibid.
Groſſi. 44
Gummi Amygdalinum. 95
Gutta. 48

H

HArpocrates ſilẽtij Deus. 142. 91
Hebenus. 48
Hedera vino obſiſtit. 70
Hedera Baccho ſacra & cur. 69
Hederæ natura. 68
Heide, erica. 52
Helias profugus. 66
Herbarum effectus varij. 2
Herbarum cultores olim fuerunt etiam reges, & qui. 1
Heſter oleo Myrtino vſa. 78
Hyacinthus gemma. 35
Hyacinthus herba. ibid.
Hieremiæ locus, Peccatũ Iudæ ſcriptum, &c. explicatus. 84
Hieremiæ locus, Maledictus qui confidit in homine, &c. explicatus. 16. 52
Hieremiæ locus, Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli, &c. explicatus. 54
Hieremiæ locus, Nunquid Dominus non eſt in Sion, explicatus. 53
Hieremiæ locus, & ſi fures ædes tuas inuaſiſſent, explicatus. 58
Hieremiæ loca diuerſa explicantur. 40
Hieremiæ cap. 8. & 48. explicatum. 58
Hieremiæ caput ſecundum explicatum. 23
Hyſſopi effectus. 59
Hordei natura & vires. 29
Hortatio vt quiſque ſuũ miniſterium exequatur. 66

I

IDololatria adulterio comparatur. 26
Imaginatio Conceptum fugit. 99
Impiorum ſucceſſus pios aliquando vrit. 105
in Improbos prouerbium. 12
Iobi locus capite octauo de humanæ vitæ curſu,&c.explicatur. 38
Iobi locus, Scio enim quòd redemptor, &c. explicatus. 85
Iunci maritimi. 37
Iunco ſcirpus affinis. ibid.

L

LAcedæmoniorum inſtitutum de ſilentio. 91
Lachryma ex vitis ſarmentis. 87
Lactuca Hebræis in vſu & quæ. 13
Lactuca ſilueſtris vera quæ. ibid.
Laurus Victoriæ ſacra. 69
Leuitarum ſtatio Galaad. 45
Lignum Aloes. 48
Loca diuerſa Eſaiæ explicata. 32
Locus ſapientiæ, Cùm ætas noſtra,&c.explicatus. 89
Locus Pauli de fœno & ſtipulis explicatus. 115
Locus Ezechielis, Factum eſt verbum Domini ad me,&c. explicatus. 103
Locus Pauli, Si enim primitiæ,&c. explicatus. 114
Locus Salomonis, Memento Creatoris tui,&c, allegoricus explicatus. 96
Locus Moſi de vite Sodomorum, &c. explicatus. 57
Locus Pauli, de oleaſtri in Oleam inſitione explicatus. 32.& 114
Locus Pauli,Qui cum eſſet in forma Dei, &c. explicatus. 108.
Lolio victitare prouerbium. 92
Lolium frugibus noxium 91

M

ex MAchabæorum libris Hiſtoria. 72
Magnates celſis arboribus comparantur. 102
Mala Citrea. 76
Malleoli & palmites quid. 107
Malum medicum. 76
Mandragoræ duæ ſpecies, & quæ. 40
de Mandragoræ pomo Hiſtoria. 7
Mandragoræ pomum blandimentum amoris. 5
Manna adulterina quæ. 11
à Matura ficu ſimile. 45
Melanthiũ adulterinum. 41
Metaphora ex ramis. 113
Metaphoræ ex flore. 115
Milij natura & vires. 30
Myrrha 48
de Myrrheto Zachariæ viſio quid deſignet. 80
Myrrhetũ & ex eo allegoria. ibid.
Myrthi deſcriptio. 78
Myrrhus ſylueſtris. 81
Mora quando edenda. 71
Morbi regij remedium. 94

N

NAtura & vires Cumini, Hordei, tritici, milij

&

& viciorum. 29. 30.
Natura Terebinthi. 49
Nuces viridæ conditæ. 86
Nucis etymologia. 85
Nucis arboris deſcriptio. ibid.
Nucum aqua qua virtute. 86
Nuſquam tuta fides. 28
Nux amygdalina quæ Chriſtianæ ſymbolum. 100
Nux aduerſitatis & proſperitatis ſymbolum. 86

O

ex OLea ſimilitudines. 15
Oliuarum vſus. ibid.
Oratio ſacrificium Chriſtianum. 113
Origo aquæ conſecratæ. 93
Oſeæ locus, ipſi reſpiciunt ad deos extraneos, &c. explicatus 57
Oſeæ locus, Tāquam vuas in deſerto, &c. explicatus. 45

P

PAlma elata quid. 46
Palma victoriç index. ibid.
Palma Chriſti herba. 101
Palmites & malleoli quid. 107
Palmites quid deſignent. 112
ex Papyro ſcipiones. 38
Papyrus frutex. 38
Phaſe quare inſtitutum. 12
Phœnix herba. 91
Platani vis & natura. 101
Platani vmbra delectatus Xerxes. 102
Poma præcocia quæ. 86
Poma ſerotina quæ. ibid.
Potio conſolidans ruina opſos. 15

Prophetæ omnium rerum cognitione fuerunt inſtructi. 3
Prouerbium in impios. 112
Prouerbium Plauti de Nuce. 86
Prouerbium in ſcirpo nodum quærere. 37
Pſeudomyrtus. 81

Q

QViſquiliæ & alia reiectamenta quid ſignificent. 62

R

ex RAdice ſtirpiū deſumptæ ſimilitudines. 119
ex Ramis Metaphora. 113
Reges olim fuerunt herbarū cultores, & qui. 1
Reſina quid. 53
Reſina terebinthina. 41
Reſinæ multæ ſpecies. 53
Ricinus herba. 101
Rodopharmacum. 89
Roſa cur menſæ affigatur. 90
Roſa ſilentij ſymbolum. 91
Roſarum differentia. 89
Roſæ vires. ibid.
Ruina oppreſſi quomodo tractandi. 15
Ruſcus. 81

S

SAcramenta in quem vſum exhibita. 12
Sacra prophanis potiora. 3
Semen ſtirpium quid deſignet. 117.

Semen in Bibliis quid deſignet. ibid.
Sycomori deſcriptio. 72
Simile à vexillo erecto. 56
Simile à fructuantibus arboribus. 20
Simile à ſinapis cataplaſmate. 67
Simile à ſinapis vi ignita. 68
Simile à tritico & paleis. 64
Solida ſpectanda. 116
Solomon Herbarum fuit ſtudioſus. 2
Spectra qui ſibi obſeruari fingunt. 42
Spina dorſi carinæ nauis aſſimilis. 98
Spruyte. 110
Stacte. 48
Styrax. ibid.
Surculare quid 106
Surculus quid. ibid.

T

Termes quid. 107
Typha paluſtris quid. 60
Thus. 48
Tritici natura & vires. 30
Tyranni deſcriptio. 118

V

Verbo Dei, & ſinapi par effectus. 68
Viciorum natura & vires. 30
Victoria Laurus ſacra. 69
Virgultum quid. 106

X

Xerxes delectatus vmbra Platani. 102

Z

Zachariæ viſio quid deſignet. 80
Zedechias in Babylonem abductus. 9
Zizaniorum nomine quid deſignetur. 91

FINIS.

DE GEMMIS

ALIQVOT, IIS PRÆSERTIM, quarum D. Ioannes Apoſtolus in ſua Apocalypſi meminit. De aliis quoque, quarum vſus hoc æui apud omnes percrebuit, Libri duo: Theologis non minùs vtiles, quàm Philoſophis, & omnino felicioribus ingeniis periucundi, è non vulgaribus vtriuſque philoſophiæ adytis deprompti.

Authore FRANCISCO RVEO,
Doctore Medico Inſulano.

LIBRI PRIMI CAPITA.

1. *Lapidum & Gemmarum generationis cauſſa.*
2. *Quid ſint & unde vim ſortiantur.*
   Gemmarum proprietates occulta.
3. *De ratione & cauſis virium in Gemmis.*

LIBRI SECVNDI PARS prima de Gemmis XIII. in D. Ioan. Apocalypſi memoratis.

1. *De Iaſpidis differentiis & viribus.*
2. *De Sapphiro.*
3. *De Carchedonio.*
4. *De Smaragdo.*
5. *De Sardonyche.*
6. *De Sardio.*
7. *De Chryſolytho.*
8. *De Beryllo.*
9. *De Topazio.*
10. *De Chryſopraſo.*
11. *De Amethiſto.*
12. *De Hyacintho.*
13. *De Margaritis.*

PARS II. DE CÆTERIS aliquot Gemmis & lapidibus.

14. *De Carbunculis.*
15. *De Adamante.*
16. *De Achate.*
17. *De Alectorio.*
18. *De Torcoide.*
19. *De Corallio.*
20. *De Corneolo.*
21. *De Cyaneo.*
22. *De Chelidonio.*
23. *De Ætite.*
24. *De Magnete.*
25. *De Hamatite.*
26. *De Succino.*
27. *De fictitiarum à veris Gemmis differentia.*

His ſubiicitur

Paſchaſij Balduini Canonici Phalempinenſis ac Franc. Rueum Epiſtola erudita, qua ſuper his duobus Buei libris iudicium continetur primùm: deinde de Hebraica Gemmarum nominibus, déque earum admiratione, uſu, abuſu & viribus tractatur.

DE GEMMARVM ORTV, LIBER PRIMVS.

De lapidum & Gemmarum generationis cauſis diuerſis.

CAPVT I.

Non perſpicuorũ lapillorũ cauſſæ.

Pellucidarum Gemmarum cauſæ.

VNumquenque lapidem ex altero maximè duorum elementorum, terra ſcilicet vel aqua, conſtari omnes rerum naturalium peritos, tam in confeſſo eſt atque naturali rationi peruium, vt nullus, ni vel Leberide cæcior, addubitauit. Porrò qui lapides non perſpicui ſunt, ex terrea craſſioréque quadam ſubſtantia, humido tenaci perfuſa, generationis materiam mutuati ſunt. Qui verò pellucidi viſuntur, ex aqua præſertim conſiſtunt, cui ſubtilis quædam terrea nec obſcura materies immixta eſt, vt & in cryſtallo ac beryllo glaciei ſpeciem planè referentibus videre eſt. Quanquam & hæc intelligi velim, non quòd duo reliqua rerum principia, ignem dico ac aërem, ab illorum mixtura ſeparem. Apud principes namque philoſophos complures conuenit, omne mixtum ex quatuor elementis conſtare. Verùm enimuerò ita quæ diximus accipienda ſunt, vt alterum illorum, terra nimirũ vel aqua, in quouis lapide præcellere intelligas, etiam ſi aliter Plotinus ſentire videri poſſit, de quo alibi fuſiùs egimus.

Lapillorũ cauſa efficiens duplex.

Quod autem ad effectricem vocatã cauſam attinet, duplicem eam vtriuſque philoſophiæ principes numerarunt: altera namque ſuprema, altera verò inferior. Princeps cauſa eſt Deus ipſe Optimus Maximus, rerum omniũ creator & ſeruator, in quo, cum quo, & per quem ſunt omnia, & ſine quo (diuo Ioanne Apoſtolo teſte) nihil factum eſt. Quem & Ariſtoteles Ens entium, ſupremáque vocabat intelligentiam, aſſerens omne opus naturæ opus eſſe intelligentiæ. Illum itaque Deum vt omnium rerũ creatorem ita ſingulorum primariam & ſimpliciter neceſſariã cauſam, vt etiam lapillorum gemmarumque, Chriſtiani

omnes

omnes norunt. Quandoquidē ſapientis eſt oraculum: *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul*: quod equidem bifariam interpretatum inuenio. Quibuſdam quòd dicitur ſimu l, non ad inſtās referentibus, verū ad inſtans propoſiti diuini, vt ſcilicet ſit ſēſus, quòd Dominus Deus decreuit ab æterno omnia creare. Ita enim librū D. Auguſtino relatum, qui de mirabilibus ſacræ ſcripturæ inſcribitur, habere reperio. Simul itaque Deus vniuerſos lapides ſingulaſque Gemmas creauit, dum videlicet vnica ſoláque ſua voluntate multiformem quarumuis ſpecierum & indiuiduorum diuerſitatem fieri voluit: in quá voluntate vnica ſimpliciſſimâque ſingula ſimul fecit, quæ ab eorum ortus principio per tempus diſpenſare non deſiſtit. Quamuis & hîc accedere poſſit germanior forſan intellectus, cui philoſophi complures & non obſcuri, ipſa quoque ratio ſubſcribunt: ſcilicet quòd Deus omnia ſimul creauit, dum omnium formarum ac rerum futurarum rudimentum, principium ac ſeminarium quoddam materiæ primæ, ante generum, ſpecierū atque indiuiduorum diſcretionem, infundit. Illa ſiquidem materies, diuiſionis adhuc & productionis expers moles erat quædam informis, omnium tamen formarum ſeminio ab ipſo creatore perfuſa: vnde tandem aliquando, & iis mediis quibus ſupremus opifex ab æterno præſcit & vult, perfecta rerum productio & fœtura extimularetur. Ideoque & hi admittunt omnia quidem ſimul eſſe creata, non autem ſimul eſſe facta. Confirmat & id ſententiæ diuus ille Auguſtinus ſuper Geneſim, adſerens, quòd quæ à natura generantur, ſecundùm rationes ſeminales in materia conſiſtentes, producuntur: quod & multo copioſius diſſeruit tertio de Trinitate capit. 9. vt ſcilicet inaudias materiam in ſe habere, & quaſi fouere cunctarum formarum rationes ſeminales ſibi à primæua conſtitutione ingenitas inſitaſve: ex quibus tandem, agentis actionem, pro modo, expertis, educantur extimulentúrque formæ naturales, elementorum commixtionem eſſentialiter conſequentes, vt & hinc quæ in potentia materiæ tantummodo inerant verè, & (vt dicunt) in actum ab agentis actione producantur. Verùm de his alibi fuſius. Nunc verò hæc de principe illa cauſſa & Gemmarum plaſmatore ſufficiant. Quæ tametſi cunctis ſat eſſe queant: quia tamen pulchrum, decorum atque vtile eſt homini haud vſquequaque indocto, noſſe quibus ſecundis mediiſque cauſſis, vnde cuncta de quibus diſceptatur, originem capeſſunt, non pigebit hoc loci aliarum quoque inferiorum cauſarum commeminiſſe. hoc namque pacto fiet vt abſolutior de his noſtra ſit traditio. Quamquam enim

Simul creata omnia, quomodo.

Cauſæ inferiores ſecundæ, vel mediæ.

Deus omnium ſit cauſſa immediata,quædam tamẽ ſolus,& citra alicuius coagentis admiſſionem, efficit, ideoque (vt aiunt Theologi) eorum cauſſa eſt tota. Nonnunquam,ſua liberaliſſima bonitate, cooperantes alias ſecum adſciſcit affouetque cauſſas, & hoc ptopter connexionem vniuerſi : tamen vt nulla alteri aduerſetur. *Proinde* (vt inquit Bonauentura libro ſecundo, quæſtione ſecunda, circa finem) *quia diuina voluntas non cognoſcitur, nec ipſa ab actione excludit operationem cauſſæ creatæ : nec etiam ab earum cognitione humanam capacitatem arcet. Ideoque bonum & perutile eſt, ſeſe exercere in cognitione cauſarum creatarum.* Ante hunc item multis ſeculis Pindatus aſſeruit, quod quicquid intra ſe terra occultat,& vltra cœlũ poſitum eſt, homo contemplatur. Nec id infructuoſum putes: quoniam, diuo Paulo autore, inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Verùm vnde digreſſi ſumus, pedẽ referre libet. Prætermiſſis itaque nunc ſuperioribus cauſſis, in ſequentium duorum capitum gratiam, non vulgarium philoſophorum placita narraturi dicimus, quod à primario illo omnium principio, inferior humiliorque Gemmarum cauſa dici poteſt, facultas cæleſtis orbis moti, ab ipſo Deo transfuſa,pro ipſius orbis diuerſarum partium varia poſitione,quam aſtrorum periti aſpectum appellant. Porrò quid ſit cœli orbium, planetarum, ſyderúmve aſpectus, ſitus ſiue configuratio, non eſt huius inſtituti : quamobrem Mathematices peritis relinquo. Hoc vnum præfatus quòd pro variorum aſpectuum ratione & materiei multiiuga præparatione diuerſas in ſubiecta hæc corpora cœlum creditur transfundere virtutes. Qua de re philoſophi illi propinquiores ſenſibileſque cauſas ſcrutati, cœlo ipſi extenſo vim illam mineralem lapidificam tribuendam cenſuerunt, mediatè vel immediatè, vt dicunt, hoc eſt intercurrente alia cauſſa, vel non. Mediatè quidem quod tametſi corpora cœlica loca non rarò mutent, apparet tamen ſedes eas lapidificas facultatem illam, ſemel ac efficaciſſimo cœli conatu conceptam tam contumaciter retinere, vt lapides per multum æuum gignendo, iam dictæ potentiæ fidem propalam teſtentur.

Adamantes ſibi ſimiles parere.

Hinc fieri arbitror quiddam mirabile & ſilentio minimè premendum. Relatum mihi iam pridem eſt à domina quadam fide digna, quod Domina Heuerenſis è Luxemburgorum illuſtri genere oriunda, duos habeat ſeruetque hæreditarios Adamantes, qui alios crebrò, tanto naturæ miraculo producant, vt eos quicunque ſtatis temporibus intueantur,

ου∫ζυγ

συζῶν, id eſt congenerem ſibi prolem eniti, palam iudicent, cuius cauſſam, ſi quidem in naturæ tam raro opere nobis philoſophari licebit, putauerim eſſe, quod vis illa cœleſtis parentibus tenaciter inſinuata (quam adamantificam quis nominauerit) aërem circumfuſum in aquam primum congruámque ſubſtantiam, demùm in Adamantem gemmam durauerit transformaueritque. Quòd ne iuſto plus admiretur quiſpiam; auctor eſt Teophraſtus eſſe lapides qui pariant: nimirum quod virtus illa cœleſtis tenaci materiæ, vti præſtruximus, ſemel transfuſa ſubiectæ contumaciùs cohæret ſubſtantiæ: quæ videlicet quò vehementiorem cœli actionem experta eſt, eò pertinacius hanc retinere intelligitur.

Vicina autem & coniuncta ſeu inſtrumentalis lapidum cauſſa duplex annumeratur. Vel enim calidum quoddam eſt, (ſi elementis corpora ſubſtantialiter fieri ſtatuamus:) aut caliditas, (ſi ſolas in mixtis qualitates aſſeruari ſentiamus) in materia terrea perſiſtens, & humidum tenax per terreæ molis tenuiſſimas quaſque partes diducens, digerenſque: hac ratione ſingulorum elementorum, terræ præſertim & aquæ portiones tam aptæ & ad amuſſim confundens atque conglutinans, ſed & ab omni excrementoſa fæce deſpumans, vt pro lapidis Gemmæve forma producenda materiam ipſam rectè præparet. Aut demum ea cauſa frigidum quoddam eſt, ſiue frigiditas, in aquea ſubſtantia terreſtris & ſiccæ materiæ actionem perpeſſa conſiſtens, ſua conſtrictione (frigidi namque eſt conſtringere) omnem ſuperabundantem humorem adeo exprimens, vt etiam impendiò induret, adeóque tantum eius relinquat, quantum ad decentem partium connexionem ſit neceſſarium, vt & hinc immutandæ formæ materia diſponatur excolaturque.. Qua de re non diffitentur philoſophi illi, quòd quamuis lapilli hi à frigido coaluerint, à calido tamem, citra alterius humoris appulſum, liquari contumaciter recuſant: quod videlicet tanta in illis humidi ſicciq́ue naturalis commixtio, germanitas & neceſſitudo vt ſuo omni ex parte cõtrario affici renuant: nec non niſi familiaris qualitatis illo affecti, ad externæ qualitatis actionem conniueant. Quamquam non deeſſe compertum habeamus qui duo tantùm elementa recipiant, ac frigidum vt à natura, ita ab omni actione ſecludant, qui debile calidum Gemmarum cauſam conſtituunt, de quibus aliâ s:

Inſtrumẽtalis Gẽmarum cauſa.

Quid ſint, & vnde vim ſortiantur, Gemmarum proprietates occultæ.

CAPVT II.

AVtor eſt Galenus in ſimplicium pharmacorum libro, quod Gemmæ vires habeant partim ſecundùm ſubſtantiæ totius proprietatem, partim ſecundùm qualitates effectrices, hoc eſt manifeſtas: quas cum potentiis hic emanantibus ea medicinæ pars, quam Græci, φαρμακευτικὴν, Latini medicatiuam appellant, in primis contemplatur: cuius conſiderationem præſens inſtitutum non amplectitur. Portò ſubſtantiæ totius proprietatem philoſophi vocant occultam, quod ſubſtantia virium, quibus ſtupenda illa munia abſoluuntur, humanæ rationis fugiat captum: vt ne ſummis quidem viris illatum aliquam penitus aſſequi contigerit aliter quàm multo vſu. Nimirum quod omnis proprietatis vera ex methodo cognitio colligenda ſit, ab eius cauſis proximis euidentibúſque, quæ bifariam diſcriminatur: vel enim ex mixtionis modo, vel ab ipſius formæ ſpecificæ ratione. Porrò commixtionis modus miſcibilium, mixtura & conglutinatione perficitur, quæ exactè peruestigari humana diligentia nequeat, vel eo maximè nomine quod infinita ſit illorum commiſcendorum proportio. Eius verò quæ ſpeciem adfert formæ rationem, vel adeo imperſcrutabilem intelligere eſt, quòd ipſam prodire autumant, partim quidem (vt præſtruximus) ex potentia materiæ, formarum rudimentis ſeu ſeminiis à primæua conſtitutione perfuſæ. Partim autẽ (vt magnæ philoſophorũ illuſtrium turbæ placet) ab ideis in mẽte diuina cõſiſtentibus (quas diuus Auguſtinus primordiales vocat) id eſt, ab ipſo Deo, hinc ab anima mundi (ſi Platonicis cõſentimus) & aliis inferioris ordinis cælicis corporibus, in elementa primum influẽtibus: deinde & per ea media ad formam iampridem inſeminatam & ceu inchoatam (tamquam ſcilicet mentis alicuius & voluntatis diuinæ miniſtris) diſponentibus: cuius præparationis abſolutam conſiderationem, humana etiam quatumuis diligens aut ſublimis ſagacitas non aſſequatur. Cùm itaque reconditarum illarum facultatum cauſæ humano ſenſu nequeant prehendi, nemini dubium eſſe ſuſpicor, quin omnibus peruium, quod nulla illarum proprietatum rationabili hoc eſt, per rationem humanam deducto inuentoque experimento, ſed caſuali duntaxat

Cui virtus occulta dicatur.

Quæ proprietatis cauſſæ.

taxat euentu comperta exploratáque dici poſſit : vel omnino aliquo reuelationis modo , vti per ſomnia nonnunquam legimus contigiſſe. Quo modo ſcitum eſt ſylueſtris roſæ radicem aduerſus canis rabidi morſum , aquæ pauorem omniſque potus metum & graue faſtidium adferentem,præſtare,matre ſcilicet, cuius filius in Lacetania Hiſpaniæ finitima belligerans, morſus periclitabatur,per ſomnũ (viſa in fruteto illius radice ſibi ſuauiter applaudente)præmonita:quam & deinde qua potuit diligentia filio miſit,ex lacte potandam, filium obſecrans vt religioni parens matri obſecundaret biberetque. Quo vnico ſimplicique remedio, miles ille præter omnem expectationem ſeruatus, occaſionem præbuit cognoſcendæ eius radicis occultæ contra illum affectum facultatis. Eſt igitur mixti latens occultáve proprietas,facultas quædam per ea,vnde ipſum eſſentialiter conſiſtit , inſita : perque priuatas operationes, multo vſu periculóve ſolo, vel aliqua reuelatione, citra rationem cognita. Quòd demum mixtionis ac conglutinationis meminimus , illud obiter lucidioris doctrinæ gratia his quoque connectere libet (forſitan enim tantæ diuerſitatis occaſionẽ ſciſciteris ac libenter audias) quòd tam diſcrepãtis mixturæ & coaptationis cauſſam philoſophi ſunt arbitrati eſſe quandam cœleſtem ſubiectæ materiæ partes, varias licet pro ſua virtute permiſcentem : adeóque vel vario huius permixtionis tenore , eam materiam ad nouam formam decenter apparentem,in quam tandem ad amuſſim diſpoſitam & excultam mirificæ illæ trãsfunduntur virtutes, formas cõſequentes ſpecificas. Porrò hac dicendi conſequutione eò tandem deuenimus, vnde earum quæ in Gemmis ſunt proprietatum facultatumque reconditarum cauſæ , quas antè præſtruximus , nobis ſeſe vltrò ac præter expectationem diligentiùs perſcrutandæ, ac in conſpectu reuocandæ,inſinuent. Celebris eſt itaque philoſophorum ſententia,quòd omnis cauſarum turba ab vna eademque principe pendet,ducitur atque conſeruatur , ad quam & propter quam , ceu ad communem omnium finem , cauſſæ omnes ſua munia tanquam communi quodam & inſito conſenſu dirigunt : deinde & omnia fieri deſuper à ſummo bono,hoc eſt, Deo ipſo:eademque & optima & ordinatiſſima. Proinde non irent inficias , Gemmas & earum virtutes à Domino Deo eſſe,eumque etiam ſolum cunctorum cauſſam dici poſſe veram , alias autem cauſſas impropriè & ceu per analogiam nominari non diffiterentur. Veruntamen quamquam philoſophis illis cognitum id & optimè perſpectum eſſet,nihilo tamen magis cõquieuit mira infatigabiliſque illorum auiditas

Quid mixti reconditа proprietas.

Omnium cauſarum vnica princeps.

ditas diſcendi, & in ſuis operibus creatorem admirandi contemplandique deſiderium. Quinimò inſito quodam cœleſti ardore vigoreque ad propinquiores rerum cauſſas ſeu videlicet primæ illi ac veræ vtcunque inſtrumentarias animorum ſuorum penè diuinam atque perſpicaciſſimam ſublimitatem intenderunt. Hinc itaque, cum bono, mentem, hoc eſt, primam ſapientiam, quam & boni verbum illorum quidam nominant, & cum mente, intellectum, totum vtrumque mundum (intelligibilem dico & ſenſibilem) ſtatuere ſunt opinati. Quum verò bonum ipſum, mentem & intellectum vnum quid eſſe, ac vnica ſimpliciſſimaque ſubſtantia perſiſtere adſtruunt, vnicum eſſe rerum omnium & ſingularum principium profitentur, ſemper omnibus adſtans, cuncta fouens, viuificans, excitans, complens & roborans, de quo ſacer ille Orpheus ita cecinit:

Cuncta fouens atque ipſe ferens ſuper omnia ſeſe.

Hinc & diuinus ipſe Plato diuino Sole colluſtratus ita in Sophiſta ait: *Animalia cuncta mortalia plantaſque & quacunque terra ex ſeminibus radicibuſve naſcuntur, & quacunque inanimata in terra conſiſtunt, ſiue liquefieri poſſint, ſiue non, nunquid ab alio quodã opifice fabricata quàm à Deo facta eſſe, cum prius non fuiſſent, dicimus? An multorum doctrinam ſermoneſque ſectabimur dicentium iſta, natura ipſa, gigni à cauſſa quadam fortuita ſine mēte hac agente: vel cum ratione potius ſcientiaque diuina, qua ab ipſo Deo ſit orta?* Nos enimuerò Chriſtiana fide ac veritate edocti, primum hoc rerum omnium principium, ſingulari ſubſtantia, & tribus perſonis, conformi, ſimpliciſſimaque voluntate, vnitate, maieſtate, æqualitate, ac omnipotentia comprehendimus & veneramur, Patremque vocamus, quem illi bonum ſimpliciter, Filium & verbum patris nos, mentem, primamque ſapientiam, illi. Spiritum quoque ſanctum nos appellamus, quem illorum iuniores boni intellectum & amorem nuncupant, vel animam cuncta viuificantem & animantem alij. De quo Plotinus libro de intellectu cap.2. ita infit: *Quiſnam eſt potiſſimum qui tradit animi ſapientiam? hic profectò neceſſario eſt intellectus* (inquam) *qui non alias quidem intellectus ſit, alias verò expers intelligentia: ſed verus potius intellectus, qui hanc ob cauſam ſeipſo ſit pulcher. Sed nunquid hoc velut primo, nobis eſt quieſcendum, an potiùs ſuper mentem quoque progrediendum? nempe mens ipſa nobis in altum progredientibus prior occurrit quàm principium omniũ primum, quaſi in ipſius boni veſtibulo conſtituta, omnia in ſeipſo nuncians & ſignificans, velut quadam ipſius boni figura.* Deinde & eiuſdem libri cap.3. *Eadem quoque* (inquit) *transferens ad*

Egregia de Deo Plotini ſententia.

vniuer

vniuerſum, in ea ſimiliter perueniet ad intellectum, cognoſcens eum effectorem reuerà totiuſque artificem. Hactenus Plotinus. Porrò in intellectu mundum quendam intelligilem haberi voluerunt, hoc eſt omnium rerum, idearum plenitudinem, ſed & in mente omnium iuxta & ſingularum creandarum, gignendarum ac producendarum, id eſt, futurarum rerum ideas, æterna ſimplici congeneaque ſubſtantia, ſolis relatiuis rationibus ab inuicem diſpeſcitas, perſiſtere, intellexerunt. Eaſdemque ideas principes eſſe rerum omnium cauſſas arbitrati ſunt, ab eiſque ceu quoſdam actus pendere & eſſe animas omnes intellectuales, intelligentias, corpora, cœleſtia, & quicquid in inferiori hoc mundo eſt vſpiam. Proinde proximam creati mundi cauſſam, item & cunctarum proprietatum, menti & intellectui, hoc eſt verbo Dei & Spiritui ſancto detulerunt: quamquam ne ipſum quidem bonum ab hac creatione ſepararint, vt ex locis iamiam citatis & aliis non raris philoſophorum authoritatibus patere liquidò poteſt: quemadmodum ſacras etiam literas legere eſt Deo Patri per verbum & in Spiritu ſancto, tanquam vni principio mundi creationem tribuere, *Qui feciſti* (inquit Sapientia) *omnia verbo tuo*: & Pſaltes, *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Verùm enimuero omnibus exploratum velim, Ideas illas in mente diuina nihil eſſe ab ipſa Dei ſubſtantia & præſcientia, id eſt, omnium præcognitione & voluntate æterna diſcretum. Quem, inquam, Deum certum eſt non tantùm ſingulorum generum, verùm etiam ſpecierum ac indiuiduorum omnium exactiſſimâ propriiſſimamque & conſtituere & ab æterno præſcire ſubſtantiam, compoſitionem, formam ac vires tum proprias tum communes, & ſi quid præterea illis inſit. Vt & hinc accipias diuinas illas Ideas cuiuſuis ſpeciei ac indiuidui principes eſſe cauſſas: non modò quod ſint, verùm etiam cuiuſque earum poteſtatis tam communis quàm propriæ. Cui & id mihi pulchrè arridere videtur quod pleriſque philoſophis placere inuenio: nempe quòd virtutibus certis, id eſt, certam ſtabilemque rationem habentibus, non fortuitis, ſed efficacibus, potentibus, indeficientibus nihil fruſtra in vanúmque ex ſeſe mouentibus, moueantur vires in rerum omnium natura conſiſtentes, ſed de his in alio noſtro opere fuſiùs ac ſynceriùs diis fauentibus differemus. Porrò à mente ipſa & intellectu illorum plurimi volunt effuſam creatámve animam vnam intellectualem, vniuerſo orbi communem, quam idcirco mundi animam vocant. Eandémque ſub mente illa mundi regina rectricéve, toti mundo præeſſe, atque per eum totum diffundi: vt ſcilicet tanquam primæ illæ cauſſæ miniſtrans,

Ideæ quid ſint.

Diuinæ Ideæ, id eſt, Deus ipſe omnium rerũ cauſſa princeps.

De anima mundi ſecundum philoſophos pleroſque.

niſtrans, cuncta per eam & ſub eius imperio moueret, cogeret, foueret, moderaret, efficeret, primariæ illius cauſæ, Dei videlicet, ipſius præcepto parens obſecūdánſque. Quapropter & in animam illam mentem impreſſiſſe ſenſerunt rerum omnium primarias principeſque rationes ſeminales tantùm ab Ideis diuinis nobilitate diſſitas, quantum ignobiliori ſubiecto ad obſequium infuſæ hærent. Quas forſitan intellexerit quiſpiam rationem eſſe omnium producendarum rerum, ac mediorum, quibus Deus ipſe eas producere ac proferre voluerit conſtitueritque cum facultate qua media illa promouere ipſa poſſit anima: ſi tamen ſimilis quædam anima pro alioqui Chriſtiano admitti debeat. Verùm Philoſophorū quorundam placita narramus, non approbamus. Illam præterea animam ſentiunt per omnia in omnibus diffundi, & omnia menti obedientem, eique miniſtrantem promouere ac vegetare, vt & hinc non abs re dici poſſit inſtrumentum primum eorum quæ Deus ordinato communíque euentu, hoc eſt, ſecundùm naturam efficit: qua de re hanc animam à mente & intellectu primam vitam nuncuparunt. Cui quoque mentem, ſubſtantiam, ac rationem, intellectum verò vt eſſet intellectualis, impertiuiſſe in litteris fecerunt. Eam denique per omnia flatum ſpirare vitalem ſpiritalemque prodiderunt, dum ſuo ſcilicet ſpiritu per omnia penetrans omnia videt, tangit ſentitque, & id quidem modo quodam ſuo, noſtris ſenſibus longè impari, incognito & multis nominibus diſcriminato. quo denique vnico flatu ſpiritúque actu lucido, vi calido & omnis generationis fomite; ceu ſcilicet interioris vitæ quadam propagine, atque veriùs tanquā diuinæ virtutis vehiculo ſemper vbique pullulare animam illam vniuerſalem mundi exiſtimarunt: cum & forſitan intellexerunt ſub Deo ipſo, principium eſſe intrinſecum, quo formarum in materia rationes ſeminales ad ſui ſcaturiginem promotionemque moueantur ac emergant. Sed hæc miſſa fiāt. Diſcaueo namque longiùs me fortaſſis euagatum vela ventis præmaturè cōcedere. Iam itaque quæ diximus paucis perſtringentes addamus, Deum Opt.* Max. * Omnipotentem, ſummum denique bonum, ac liberaliſſima ſua bonitate, rebus cunctis pro ſola ſua voluntate, harmoniam, concentum ordinemque, & à ſe & ad ſeſe præſtituiſſe: quem ſtabilem ac inconcuſſum eatenus eſſe vult, quatenus aliter non diſponere decreuit. Harmonico præterea illo conſenſu, ſibi omnium creatori miniſtrare voluit: primum quidem (quòd ad hunc materialem inferioremque mundum ſpectat,) ſecundùm philoſophos illos, ipſam mundi animam ac eius ſpiritum: deinde cœlum

Spiritus mundi philoſophis.

Cuncta & à Deo & ad Deum ex ordine conſtituta ſunt.

* Sapientiſſimum.

* Clemētia pluri-ma.

lum ipſum extenſum orbibus, figuris, aſtris maximis, planetis, ſtellis & luminibus conſiſtens. Illam itaque animam, hoc quoque cœlum, principij cauſſæque ſub cœlo formatarum generatarumque rerum & transfuſarum proprietatum rationem quandam iniiſſe ideo philoſophi illi putarunt, quòd ad mundi diſpenſationem, tametſi non ex neceſſitate, vberrima tamen Dei bonitate, quadantenus admittuntur. Quod & Auicenna ipſe in ſuis Metaphyſicis ſenſiſſe videtur: *Quacumque ſtellarum & orbium. Ab iis enim ipſa etiam elementa, nonnunquam & artes quædam, ſimiliter & res artificioſæ accidentalis ſaltem vel externæ cauſſæ quandam ſibi denominationem vendicant.* Placet itaque philoſophis illis formam & ex ea vim occultam omnis mixtis eſſe, primum quidem ab Ideis illis diuinis, id eſt, à Deo ipſo omnium creatore & plaſmatore, miniſtrantibus ei anima mundi (ſi Platonicis conſentimus adſerimuſve,) deinde & ipſis orbibus cœliciſque corporibus, planetis, ſyderibus, figuris, luminibus, & ſi quid præterea cœlo extenſo ſimilis rationis inſit: poſt hæc & elementorum temperaturis cœlicis influxibus affectis, cauſſis inquã præparantibus, & materiam ad nouam formam coaptantibus. Habent itaque (iuxta philoſophorum illorum ſenſum) virtutes illæ reconditæ ſuam originẽ ab expreſſis ſpecificis determinatiſque formis, à cœlo tamen materiali per vires præparatorias, in archetypo per Ideas ac formas exemplares. quæ omnes cauſſæ ad cuiuſuis rei generationem abſolutam (quod ad communem ordinatamque Dei conſtitutionem pertinet) conuenire illis videntur. Vnde tandem id eſſe verum commonſtretur, quòd iamiam dicebamus, quod Deus ſcilicet rebus omnibus pro libera ſua voluntate, altiſſima ac præſtabiliſſima bonitate, harmoniam, concentum & ordinem à ſe & ad ſeſe quandam inſtituit, indeque rerum omnium cum prima cauſſa, Deo ipſo, ſympathia, connexio, correſpondentia conſenſuſve. Diuinum de ſingulis decretum natura ſequens, non inepte ſtatuatur: hoc eſt, vt omnes vires creaturis rebuſque artificioſis inſitas, à Deo ipſo (qui omnium eſt actus primus, & actionis omnis principium creaturis impermiſcibile) miniſtrantibus eis iam dictis cauſſis, quæ ideo ſecundæ vocantur, pendere ac eſſe intelligas. Quo tamen pro libera & omnipotenti ſua voluntate (omiſſis quãdoque iis quorum meminimus mediis ac miniſtris) immediatè ex ſeipſo ea facit, quę vult, quibus quoque miraculis nomen eſt. Cæterùm ex his luce meridiana clariùs parere mihi perſuaſi, diuerſos in rebus effectus pendere non ſolùm à materiæ varia alteratione ſeu præparatione,

Proprietatum occultarum cauſæ vnde ſint.

Effectuum varietas eſt etiam ex materiæ præparatione, primùm à cœlo.

tione,ſed à diuerſo cœli afflatu,maximè autem à diſcriminatis formis: diſcrimine, inquam, non ſolùm ſpeciem conſequente, ſed & cuiuis indiuiduo proprio,tametſi materię apparatum rebus gignendis ac perficiẽdis ac non obſcuri eſſe momenti certum ſit. Qua ratione videre eſt indiuidua eiuſdem etiam ſpeciei, alia aliis etiam eſſe clariora, vel viribus ignobiliora pro videlicet ſymmetria,puritate vel confuſione eorum ſubſtantiæ. Nemini namque rerum naturalium gnato dubium eſſe ſuſpicor,cœlicos influxus impediri poſſe vel omnino minui propter ineptitudinem materiarum, in quas ſuas exercerent potentias. Cui & illud ſubſcribit Virgilianum:

Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo,
Seminibus quantum non noxia corpora tardant.

Democriti egregia ſententia. Cui etiam pulchrè & id Platonicum aſtipulatur, ſecundùm merita materiæ infunduntur vires cœleſtes. Proinde ex cunctis his diuinioribus meditatis,multis nominibus claret Democriti illius extollenda multùm ſententia, qua diis, id eſt, diuinis virtutibus omnia eſſe plena, conſtanter aſſeuerabat. Is quidem cœleſtium vires cum inferioris huius mundi generum, ſpecierum ac indiuiduorum naturis ac proprietatibus conferens, ſed & eorum cum ſuperioribus, maximè verò cum bono ipſo connexionem perpendens, à ſummo ipſo bono ſingula & eſſe, & propriorum muniorum exercendorũ poteſtatem adipiſci doctus, in iis ipſis Dei vires adeóque Deum ipſum clarere cernebat. Quas virtutes nonnulli diuinas illices vel idcircò appellarunt, quòd contemplantium animos ad Deum alliciant, tum inſignem opificem, vel quòd potentiæ illæ diuinæ omnem in omnibus promoueant functionem, quod & Ouid. præſenſiſſe videtur hoc carmine.

Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacra ſemina mentis habet.

Porrò, neſcioquo tandem ſuggerente Mercurio, à propoſito ſcopo dilapſus quodammodo forſitan videbor:præſtat itaque eò recurrere vnde diſceſſi. Inchoatam tamen iam dudum hanc diſputationem in medium communéque theatrum adductam prius libet abſoluere. Quædam enim digitulo tantùm tetigimus,quæ dilucidiori enodatione egere fortaſſis videbuntur, quam ſic accipiat velim. Vulgata multum eſt Ariſtotelis ſententia quod neceſſe ſit mundum hunc contiguum eſſe ſuperiori

perioribus lationibus,hoc eſt cælo extenſo, vt inde vis omnis illius gubernetur, vt & hinc plurimis creditum conſpiciã quòd cælum omnium gignendorum ſit cauſa effectiua. Quapropter vt pro philoſophorum celeberrimorũ tantum non diuinis meditatis rem hanc omnem explicemus, operæ pretium facturus videbor, ſi his quoque adiiciam duplex philoſophis ſublimioribus eſſe cælum, primarium videlicet & princeps, cælum cælorum,quod & ſpirituale à quibuſdam nuncupatur: idemque illis eſſe intelligitur atque anima illa mundi, quæ aſcita ſibi quadam ſimplici plurimum,ſed congenea conſentaneáve ſubſtantia,ſpiritus euadit per omnia diffuſibilis,omniũ poſt Deum ipſum & ab eo functionum primarium miniſterium. Neque deſunt qui ſynceriùs exiſtimant cælum illud eſſe in mente diuina ceu omnium rerum prototypum: quanquam & intelligentias quaſdam eſſe creatas cælo extenſo mouendo atque dirigendo non inficientur. Quod & diuus ille Auguſtinus ſentire videtur ſuper Geneſim,dicens,quòd Deus ſic mundum ordinauit,vt ſpiritum omni creaturæ præficeret. Cælum duplex.

Cui etiam ſubſcribere videtur Bonauentura lib. 2. Sent. diſtinct.14.Art.3. his verbis: *Sicut congruum eſt Angelos deputari ad miniſterium hominum,ſic etiam congruum eſt ipſos deputari ad motum & regimẽ cælorum,cum in hoc miniſtrent homini viatori,& diuinæ ſubſeruiant maieſtati. Et hæc poſitio eſt magiſtrorum tam in theologia quàm in philoſophia: quia concors pietati & fidei rationi plurimum eſſe videtur.*Hæc ille.Alterũ cælum velut prioris vmbram quandam & inſtrumentum ſtatuunt, & in eo ſphæras ſitu diſponi pro earũ excellentia,naturis & viribus ſenſerunt. Quas omnes & viciſſim ſingulas ad primam communemque mundi illam animam, verius autem ad ſpiritualem illam intelligentiam, & hinc ad Deum ipſum, ineffabili quodam ac obſequentiſſimo conſenſu conſpirare ſunt arbitrati.Item ſigna,planetas, ſydera, & quicquid præterea in cælo hoc extenſo conſtitutum eſt, vti ſuperioribus ſeruire, ita inferioribus & ſubmiſſis potentias ſuas transfundere, vt & hinc ſub terra quædam quaſi cælica gigni cernere ſit: dum videlicet corpora illa cæleſtia propriis lumine radiis ac viribus,id eſt,afflatibus,materiam formarum auidiſſimam diſpumant contemperantque, in ea ſeminariam introducendæ formæ rationem ad ſui propagationem extimulant, atque ad formæ ſuſceptionem plaſmatori ritè præparant.Sicuti namque hæc illa,virtute præcellunt, nobilitate ac ſitu: ita & in inferiora vires ſuas,ipſa transfundere ſuperiora præſtabilioráque vniuerſi ordo poſcere videtur,& benignitas creatoris voluiſſe perſpicitur. Nimirum vt qua ratione Cælum alterum.

tione eſt mouens aliquod non mobile, ſimiliter & alterans ſit quoddam non alterabile, iiſdem dico qualitatibus. Neque enim quòd varios afflant influxus, eſt (vt plerique putarunt) quod qualitatis diuerſæ participes ſint, ſed quòd illa viribus à creatore donata ſint multiugis. Cum nãque inſtituta ſint incorruptibilia illa cœleſtia vt vigerent, tegant & ſub creatore tueantur, adſerantque infima hæc multimodæ tranſmutationi obnoxia, æquum fuit vt multiformes eis impartirentur virtutes, quibus ſcilicet iuuent extimulentque ſubiectæ naturæ vim: non profectò vt ſibi ſimile quicquam produceant, ſed vt Deo pareãt atque ſubminiſtrent. Quod reuera præſtare cœlica corpora Philoſophi putarunt cùm vi luminis, tùm virtutibus propriis ſpeciem totam conſequentibus, per radios lumenque in inferiora hæc demiſſis Dum ſcilicet cœlicorum corporum radi ad terram (quæ ſeu punctum ac centrum ad cœli ambitum & capacitatem exiſtimatur) tranſmiſſi aſſumpta etiamnum forſitan quadam tenuiori & ſibi cõſentanea elementorum, per quæ penetrant, ſubſtantia, arctantur: proindéque denſiores effecti & potentiores, materiam ritè & ad portionem æquant coaptantque, & præinfuſas in eam ſeminales rationes ad actũ inuitant, donec ad formam tandem materia illa ad amuſſim, hoc eſt, pro diuinæ ideæ ratione diſpònatur, vt & hinc non paucis ſenſualibus philoſophis (vti præſcripſimus) viſum ſit atque receptum cœlum illud extenſum cunctorũ quæ hoc in inferiori mundo generantur, cauſam eſſe effectricem: quod tam rationi profectò alienum eſt, quàm ſi inſtrumentum, non autem artificis intelligentiam, operis alicuius formã artificialem efficere putarent. Quamobrem vt cœlica illa corpora miniſtratoriæ, vel ſi mauis inſtrumentariæ cauſſæ ſpeciem quandam à Deo iniiſſe eorum quæ ſtata naturæ conſuetudine produceuntur, primoribus illis & ferè diuinis Philoſophis iudicentur, nunquam tamen veræ, hoc eſt, creatricis aut plaſmatricis cauſæ rationem illis conceſſerint.

Cæterùm pro Chriſtiana noſtra veráque philoſophia hoc loci non pigebit ſubnectere verba diui illius Auguſtini, ſummi profectò & diuini philoſophi & Doctoris nomen meriti, quibus Deum formarum omnium ſpecificarum & proprietatum ſingularum autorem eſſe & cauſam veram principemque propalam teſtatur. *Inuiſibiliũ* (inquit) *ſeminum creator, ipſe creator eſt omniũ rerum, quoniã quæcunque naſcendo ad oculos noſtros exeunt ex occultis ſeminibus accipiunt progrediẽdi primordia, & incremẽta debita magnitudinis, diſtinctionemque formarũ ab originalibus tãquã regulis ſumũt.* Et mox ſubdit: *itaque Apoſtolus Paulus diſcernens*

nens interitus Deum creantem atque formantẽ, ab operibus creaturæ qua admouetur extrinſecus, & de agricultura ſimilitudinẽ aſſumens ait : Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementũ dedit. Hactenus Auguſtinus. Atqui pro huius capitis ſuprema manu ſubnectendũ duximus, quòd proprietatis effectus bifariã diſcriminatur: aut namque vtilis eſt, aut nocuus. Vtilis cenſetur quo hominis quidpiam inuitatur adfertúrve emolumenti, vt (verbi graria) eius functiones aut vires conſeruet, vegetet, roboret, reparet, abſoluat, & ab internecione vindicet. Vel etiam ad meliorem faciliorem que vitam quicquam adferat vtilitatis. Nocuus autem huic ex diametro contrariis iudicatur. Deinde vtilis inutiliſve dicitur proprietas vel toti corpori, vel priuatim cuidam parti. Toti ſiquidem corpori venenato, ſingulis item ſigillatim eius particulis, theriaca ex vſu eſt, ſpeciatim verò Hyacinthus, Granatus, Margaritæ, Aurum, cor ſedeſque virtutum. Corallium autẽ & Achates ſtomachum & ventrem ſolantur, & à noxiis cauſſis aſſerunt. Simili modo Napelli vis deleteria toti iuxta ac ſingulis quibuſque partibus inimica cognoſcitur. Cæterùm proprietatum quæ ab aduerſis defendunt, quædam hoc moliuntur noxium, ad ſe primum quidem conuellendo, deinde immutando. Qua ratione Amethyſtus vmbilico admotus vini vaporem cum primis allicit, & Scammonium bilem reuellit. Alia verò quod flagitioſum eſt deturbant, ac tandem propellunt, veluti iam dictæ theriacæ cum aliis medicamentis aduerſus venena valentiſſimis contingit quod & Smaragdo, lapidi Cyaneo & aliis nonnullis familiare eſſe perpetuo euentu conſpicitur. Alia denique præſentẽ eſſe vel imminere cauſam aduerſam certo indicio commonſtrant, vti Electro atque Adamanti coram toxico madere contingit & Torcois vel findi vel omninò ruinam aut maculam quandã efferre dicitur appetente periculo. Eorum rurſus quæ viribus occultis nituntur, quædam ad actionẽ corporis extimulatione egent, quemadmodum pleraque pharmaca in actum (vt phyſicis vulgatum ſermonem vſurpemus) reduci neceſſum eſt, priuſquam ad opus proprium emergant. Alia verò citra omnem à corpore immutationem propria munia exercent, quibus exercendis ſola debita applicatione opus eſt, quòd ſcilicet vires ſuas actu, vel habitu ſaltem ſolam accidentalem potentiam conſtituente nacta ſunt: ideóque ſola egent conuenienti ad obiectum admotione. Vtque impediens nullum adſit. Qua de cauſa Corallium etiamſi ſtomacho diutiùs adhæreat, nihil à corpore detrimenti admittit: pariter nec Sapphirus anthracem ſanando vires vel tantillo perdit, quanquàm & id ei quidam falsò adſcribant.

Proprietatis vtilis effectus.

De ratione & cauſſis virium in Gemmis.

CAPVT III.

COgnationem certè non obſcuram ea quæ huic capiti inſerenda ſunt, cum iis quæ nouiſſimè diſſeruimus, habere videntur, vtriaſque enim capitis idem ferè obiectum, eadem penè ratio, idem propemodum argumentum, vt & hic quoque bonā eorum quæ præſtruximus partem abiectam intelligi velim: quam & adieciſſem profectò niſi proxilitatis nimiæ *καὶ ταυτολογίας*, id eſt, repetionis accerſi metus fuiſſet. Inſtitutum itaque adgreſſi dicimus præclaras multum in Gemmis excelle.e virtutes. Ideóque & in magna illas antiquitus fuiſſe maieſtate tam conſpicuum eſt, vt eum nihilo conſultius facturum exiſtimē, qui illarum dignitatem multis encomiis commēdare niteretur, quàm qui Solis lumē leuiculo quopiá fulgore clarius efficere, aut luxuriātibus aliquot (longè tamē imparibus) pictorum more coloribus illud aſſequi conetur. Sed enim tantarum virtutum tamque verè ſtupendorū muniorum cauſas perſequi non omnibus ex æquo facilè fuerit. Qua de re, paucis libet de illarū potentiarum ratione quædam recenſere, non floccipendenda fuerunt enim qui Gēmas viuere, & à ſua anima ſpeciales ad: óque ferè diuinas functiones exercere crediderunt, quorum iudicium receptū hactenus non eſt. Aliter Alexander ille Græcus ſenſit, namque quod illarum proprietates elementis vnde conſtituuntur referuntur acceptæ, nimirum quòd hæ in mixto alia edant opera quàm extra ipſum, in quo qualitatem elementalem, id eſt, innatum temperamentum, tanquam inſtrumentū ad opus moueri ratus eſt. Cuius ſententia, etiam ſi pleriſque placeat, multis tamen non mediocribus philoſophis vel ideò abſurditatis expoſtulatur, quòd inſtrumentariæ tantùm cauſæ recordatus, eff-ctricem, quæ princeps eſt, prætermiſiſſe videri poteſt quā peruestigare præſentis eſt negotij. Hermes autem ille Triſmegiſtus Cœlum Gemmis occultas proprietares trāſfundere perhibet, è quo gignendorum ſeu producendorum omnium facultates tam ſingulares, quam vulgares in hæc inferiora tranſmitti non dubitaui aſſeuerare, duplici (vt inquit) modo. Aut videlicet nobiliter & ex amuſſi, quoties materia in quam cœlum vim ſuam exercet, eius orbis ac luminis quandam ſpeciem ſeu cognationem refert, ad quam ſcilicet quo propiùs acceſſerit gignendus lapillus, in hunc feliciùs ac abundātiùs pro-

Alexandri Græci opinio.

Hermetis de Gemmarum viribus ſenſus.

pter

pter materiæ ſymmetriam, connexionem, atque conſenſum, cœlum fuiſſe operatum intelligatur. Sed & ideo multa admiratione dignas Gemmis eſſe proprietates inditas aſſerit, quòd lumine & perſpicuitate cœlo quadantenus patentiores demonſtratæ, eius actionem perfectiùs admiſerunt conceperuntque. Vnde ſcilicet tandem hominis ſpiritus effecti ſpecificis pateant Gēmarum proprietatibus, qua ratione Topazium, Carbūculū, Adamantem, occultis gratiarum proprietatibus præditas eſſe cōfirmant viri non pauci nec incelebres, vt non deuoratis tantū, ſed & etiā geſtatis ſuas exercere liceat cœlicas potentias, primum quidem in hominis ſpiritus, demū in humores & ſolidiores eius partes, quibus à peſte ac venenis defendatur. Sed enim à cælo hoc ipſum, quicquid recondita vi poſſunt, Gemmas accepiſſe, vel hoc argumento confirmant, quòd magnos parua mole mirificoſque promant effectus. Nulli namque elemento conceſſum volunt paruo corpore plurimùm ſubitò præſtare, vti nec ignē puſillum magnam vnico impetu lignorum cōgeriem vrere, vel aquæ pauxillum terræ plurimum perfundere. Quæ verò cælica vi nituntur, ex haud multa materia (ſeu ſcilicet vim eam in non magnoperè reluctantia obiecta, facili opera, diffundant) admiratione etiamnum dignas ſuas functiones abſoluunt. Nimirùm quòd cōtrariis aduerſantibúſve cauſis nō agunt & à validiſſima cælesti potentia in actionem extimulātur. Quo modo (vt phyſiologis quibuſdā non vulgaribus placet) Corallium, Carchedonius, Chryſolithuſque Gemmæ, ab Ioue præſertim ac Venere id ſunt adeptæ virtutis quo ab atræ bilis melancholiæve ſymptomatis vel ferentem adſerere valeant. Deinde & Mercurio Achaten ſacram perhibent, ideóque & facundiam inuitare, & homini contra venena amuletum eſſe teſtantur. Aduerſus quæ etiam è Creta collectam dictamnum à Phœbo (qui Pythonem transfixiſſe fingitur) id eſt, à Sole omnis vitæ & propaginis fomite mutuatam eſſe profitentur facultatem. Sed & herba Pentaphyllon cælica vi palam prædita creditur non venenatis modo auxiliari potens, ſed vnico folio diariam febrem ſi bis in dies ſingulos ſumatur: ternis, tertio quoque recurrentem: quatuor autem foliis quartanam febrem pellere atque conficere poſſe laudata. Nec iniuria profectò, cū nempe febres hæ variis pugnent tum naturis tum intemperantiis, haud facile fuerit (ſi me non omnia fallant) explicare quā ob cauſam naturalem, vnico ſimpliciſſimóque hoc remedio, Pentaphyllo ſcilicet, tā diſſimilis rationis affectus abigi queāt, ſi non virtutem hanc cælum ipſum illi impendiſſe cauſeris. Quid prætereà Phœbo ſacræ Pæoniæ, à comitiali morbo vel

Remedia in febrim.

portantem vindicare poſſe præter cœlum,conceſſerit naturalis ſenſualiſque philoſophus? Neque enim pauca reperias medicamenta quæ ſimilis caliditatis, ſiccitatis ac modicæ adſtrictionis conformes promant qualitates, quarum ratione tametſi germanas edant operationes manifeſtas,aduerſus tamen illum affectũ tam præſtabilia eſſe minimè experiaris. Sed hæc quorſum? nempe vt mirum non ſit, quòd philoſophi illi arbitrati ſint,cœlum Gemmis occultas profundere potentias: cùm præſertim ſimiles poteſtates in obſcurioris ſubſtantiæ herbas palam ſit illud inſinuare creditum. Quid præterea? Nonne à veteribus obſeruatum eſt quarundam arborum, Oleæ inquam, Populi albæ, & Salicis folia ſolſtitiali tempore conuerti: fieri etiam vt ipſo brumali die frondes quædam reuireſcant? Vt & hæc Marcus Varro ſtupenda diſcrimina nominarit, quibus videlicet anni tempus diſcernatur, & ex foliorum verſura ſolſtitium,ex recens autem erumpente quarundam herbarum virore brumalis dies internoſcatur. Quæ ne iuſtè quis miretur,non pigebit & hîc quoque contexere quæ M. Cicero ex Stoicorum placitis refert. *Probatum eſt*(inquit) *à Stoicis in ipſa bruma muſculorum iecuſcula augeri, pulegium aridum florere brumali die, item inflatas rumpi veſiculas,& ſemina malorũ quæ in iis mediis incluſa ſunt,in contrarias partes ſe vertere.Oſtreis & cõchiliis contingere*

Cõcluſio. *vt cum Luna pariter creſcãt & decreſcant.* Vnde manifeſtum eſſe puto (vti etiam præſtruximus) quod & philoſophis diligenter probatum receptumque inuenio,quòd rebus ſupernis vis quædam inſita eſt vehemens, quæ maxima ex parte cum inferioribus conuenit:indéque ſympathia quædam & ceu conſenſus emergit, quo animantium motus tacitíque concentus cœlicis corporibus(in rebus quæ ſtata natura fiunt)concordare videntur. Quo nomine hæc quoque inferiora cœlicis ſuis numinibus adſcripta reperio,Apollini namque Aries,Leo,Gallus,Crocodilus, Catharus, à Chæremone Porphyrióque tribuuntur. Ex arboribus verò Palma, Lotus, Laurus Soli feruntur acceptæ. Nimirum quòd coram intuearis. Loti folia prius quàm Sol emergat contrahi,& eo exorto ſenſim explicari. Mitto quæ de Heliotropio, & aliis non raris herbis, vt literis proditum eſt, ita re ipſa quiuis non negligens explorator proprio obtutu cernere poteſt.

Lotus hæc herba Nili eſt, non arbor.

Porrò de lapidibus multa,nec tamen diſſimilia à Philoſophis Ægyptiis ac Magis perhibentur,qui quoſdam lapillos ſyderum imagines planè repræſentare adſtruunt, quos & ideò ab iis virtutes in ſeſe concepiſſe crediderunt, & experimento comprobaſſe teſtati ſunt.Quid namque philoſopho naturali mirũ exiſtimare

ſtimare ſimilitudinem Gemmarumque cum cœlo cognationem maiorem, efficere vt eius viribus obnoxiùs pateant, atque hinc valentiores emergant, cum maximè ſimilitudo & extimulata tandem germanitas materiei aptam præparationem, & cœlo obnoxium conſenſum non obſcurè ſubindicet. A cunctis ſiquidem phyſiologis receptum eſt quod agentium actus fiunt in patiente diſpoſito (libet enim eorum vulgatam multum ſententiam ad verbum referre) quodque ſingulæ ſimilitudines ſeſe natiuo quodam affectu appetunt. Verùm ne hæc quidem abſurda iudicauerit, qui monimentorum magicorũ aſtrologicorumque non inuitus meminerit, hi quippe in rebus ſimilitudinem non mediocre ad effectus naturales habere robur certa veluti hypotheſi ſtatuere. Sed vt magica omittamus, quibus vel ſolo nomine multi terrẽtur, aſtrologicum aliquod adferemus exemplum. Inter omnes aſtrorum peritiores conuenit (quibus etiam Medicorum non vulgarium bona pars facto periculo ſubſcribit) Leonis imaginem aduerſus calculum amuletum eſſe: ſi tamen ſtato tempore, hoc eſt, Sole Leonis primum gradum occupante in auro ſculpta, à collo portetur. Cuius rationem nemo, crediderim, aliam facilè attulerit ſaltem naturalem, quàm conſenſum appetitumque quendam rerum cœleſtium cum congenea figuratione, in conuenienti materia ab iſta ſaltem harmonia mutuatum procuratũque. Propter quẽ virtus illa cœli, quæ conſtituto illius configurationis tempore pollebat, à iam dicta parilitate, & materiæ, id eſt, auri, ad menſuram præparatione, in aurum iam dicta imagine figuratũ allicitur, transfunditur, commeat: quæ proximum, geſtantis ſcilicet, corpus ſua vi afficit, qua à calculo ipſum tueantur. Veruntamen nolim intelligas, philoſophos illos, vel etiã me ſentire virtutem hãc eſſe imagini, ſed auro tali effigie figurato & efformato transfuſam, vt ſcilicet ſubaudias illos exiſtimare quòd præparatio, qua per ſculpturam dictæ imagini fabricandæ neceſſariam, aurum cœlicis radiis & influxibus concipiendis abundè diſponitur, efficit vt materia hæc patentior reddatur cœlicis afflatibus admittendis, & (vt ait M. Vitruuius lib. 1. de Architect. cap. 6.) de latentibus cæli rationibus, artificioſis rerũ inuentionibus, diuinitatis exprimere veritatem rerum peritus vix poſſe credatur, de quibus fuſius ſupra diſſeruimus. Sed enim ne philoſophorum illorum placita abſurdiora putes, quàm vt humanam apparentemque ſaltem aliquam non habeant rationem. Maximè autem quo feliciora, ſublimioraque ingenia oblectemus (non vero quod ita eſſe ſtatuamus) annotanda in primis & hic nobis videtur Platonis illius celeberri-

re, vnde rationis eius ſeminalis virtus ad opus pridem à creatore inſeminatum exſuſcitetur. Præſtat Chimericam illam animam, Chriſtanis incognitam, philoſophis in hanc perſuaſionem ductis relinquere, & attendere iis quæ ratio diuinis oraculis ſubnixa ſuadet, & quotidiana naturæ conſuetudo commonſtrat. Naturam autem ſic operari videmus, vt cæli lumen non deſit, & rationum ſeminalium elementis, id eſt, in ipſa materia, latentium per id excitetur fœcunditas. Quemadmodum quippe prudens agricola terram ſementémque, ſic ſua arte ac diligentia præparat quò ſpeciem rei cuius in ſemine rudimentum aliquod à natura deliteſcere ſcit, cœlum omnibus numeris felicius abſoluat: ita & ſolertiſſimam prouidiſſimámque naturam, vel hominem artificioſum aurum lapillumve ſic aptare poſſe putant, vt quæ in iis per creationem cœpta eſt virtus, vel inſita, per naturam, vel artem eius quam proximè æmulam, ad perfectionem tandem extimuletur. Proindéque nulli iam mirum ſit, quòd philoſophi illi ſenſerunt, cœlum & artem ſeſe inuicem non rarò iuuare cœlicis concipiendis viribus, & materiis decenter apparandis, cœleſtium motiones & ſitus obſeruare docuerint, vel ideo ſaltem, quòd hæc ad materiam pertineāt, aliter vel aliter aptandā. Nempe quòd elemēta pro illorū motu, poſitione, propinquitate aut diſtantia qualitates euariant, quas non pauci rerum naturalium proximas effectricéſque cauſſas exiſtimant, vel ſaltem in hoc ſuperioribus miniſtrare quòd pro eorum mixtura & temperamento formam quamdam edant quæ ad ſpecificam quamplurimum diſponat. Vt & id ſit euidens quod ſuperiore capite prætexuimus, Deum ordinem quemdam conſtituiſſe omnium rerum, & à ſe ad ſe. Quem Deū credi nō abs re poteſt, ſupra ea quæ ab vniuerſali rerum naturalium confluxu quæque ſpecies & quoduis indiuiduum recepit, proprietatē quamdam humano captui, non ratione, ſed ſolo experimento peruiam, ad hominis vſum, liberaliſſima ſua pietate infudiſſe atque impartiuiſſe. Vt & vtilitatem inde homo capeſſeret, & tanti tamque reconditi operis admiratione illectus, ad Dei & Domini ſui omnium creatoris contemplationem amoremque raperetur conuolaretque. Hîc namque ordo vniuerſi, & hæc rerum proprietatumque admiranda varietas, dum ab intellectu diligentiùs auidiuſque introſpicitur, illuminatis tandem mentis oculis, principium ſuum, quod eſt bonum ipſum, id eſt, Deum, refert, incomprehenſam ſublimitatem, ac maieſtatem ſimpliciſſimam, ſapientiſſimam, potentiſſimam, benigniſſimamque virtutem atque bonitatem eſſe. Sed inſtitutum

Cur proprietates occultæ rebus à Deo inditæ ſunt.

tandem abſoluamus, forſitan enim longiùs palati diſceſſimus. Itaque tametſi Triſmegiſtus ille non abſurdè videri poſſit ſenſiſſe, quòd cœlum lapillis vires abditas impertiatur, proximæ tamen earum cauſſæ non meminit, quam inter Philoſophos conuenit in materia conſiſtere, & inde ſuas promere functiones. Qua ratione patet, cœlum ipſum materiale, ac extenſum non eſſe principem proximámque, vel ſi mauis, coniunctam cauſſam earum, quæ in Gemmis latent potentiarum. Quamobrem cum ſuperiùs oſtenderimus, reconditarum virium cauſſas à nulla fieri complexionali qualitate: ſed nec ab aliquo elemento, aut forma elementorum temperiem primariè atque eſſentialiter conſequente, voluit Albertus ille Magnus cum numeroſa non mediocris literaturæ ac iudicij virorum turba, quòd ſpecies, ſeu ſubſtantialis Gemmarum forma ſit deliteſcentium, quæ ex iis experimur, facultatum cauſſa effectrix, atque immediata. Quamquam nec illi fortè negarint ſubſtantiali illi formæ vim aliquam adiici cœleſtem, quæ vel ſeipſa, nonnunquam autem Gemmarum adiuta temperaturis elementaribus præcipuæ illi cauſæ ſuffragetur. His autem non de nihilo ſubtexendum videtur, quòd quæ gemmæ natura puriſſimæ naſcuntur, & ab omni ſorde defecatæ, nullum artis præparationem ambiunt, niſi vt ritè corpori admoueantur & nihil obſtet. Quæ verò terra aut cruſta obductæ, pretioſum intro condunt theſaurum & gratam pulchritudinem, mangonium officio, abiecta cruſta, & virtutibus & illecebris diffundendis idoneæ redduntur. Neque etiam tibi perſuaſum velim Gemmas æqualiter ſuis functionibus corpora quæuis etiam humana efficere. Quandoquidem pro corporum cum cœlicis orbibus & afflatibus, vnde vim lapilli mutuati ſunt non modicam, maiori vel minori conſenſu, aut eorum corporum conueniente, vel aduerſante temperamento & innata proprietate, efficaciùs, aut ſegniùs Gemmas operari contingit.

Alberti Magni de proprietatum eſſentiali cauſa ſenſus.

Non in quæuis corpora Gemmas æqualiter operari.

Da

DE GEMMIS XIII. QVARVM D. Ioannes in Apocalyſi meminit.

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

HActis inſtituti noſtri fundamentis, ab ipſo ſecundi huius libri limine prætexendum videtur, quòd D. ille Ioannes Apoſtolus *Apocalypſeos*, id eſt, Reuelationis libri cap. penult. dum ciuitatis ſanctæ Hieruſalem de cælo deſcendentis, ac Dei claritate illuſtris ſtructuram deſcriberet, tredecim Gemmarum non ſine magno ſacramento (quod ne in aliena meſſe metamus, in præſentiarum prætermittimus) commeminit. Quas non pigebit, ex ordine eo loci ſeruato, hîc quoque recenſere. Neque enim video qua meliori ratione Dominus omnium Deus nobis commonſtrauerit, diuinas quaſdam Gemmis ineſſe naturas & proprietates, quàm iis ipſis cæli muros, hoc eſt, eius virtutes, vel (ſi mauis) Chriſti Ieſu cum duodecim eius Apoſtolis, Eccleſiæ videlicet capitis & columnarum amplitudinem, maieſtatem, cumulatam denique nobilitatem & inuincibilem virtutem per Gemmas deſignando. Súnt itaque omnes ea: Iaſpis, Sapphirus, Carchedonius, Smaragdus, Sardonyx, Sardius, Chryſolithus, Berillus, Topazius, Chryſopraſus, Hyacinthus, Amethyſtus: nouiſſimas verò fecit Margaritas. De ſingulis autem his hoc libro primum ordine diſſerere conſilij eſt.

De Iaſpidis ſpeciebus & viribus.

CAPVT I.

IAſpides plura ab auctoribus enumerantur faſtigia. Ea tamen quæ apud Indos nata Grammatias, aliis Polygrammos vocata eſt: quæque virens, Smaragdo quadantenus ſimilis pellucet (vt & hinc ſola ſubſtantiæ craſſitie ab hoc deſciſcere ferè videri poſſit) ſupremam obtinuit maieſtatem. Ab hac verò diuerſa multum Cypria viſitur, colore glauco, ſubſtantia pingui, Gallis Iapſis alba dicta. Perſica æri ſimilis, Ærizuſa nominata, conſpicitur. Thermadontiaca autem Iaſpis, cærulearum optima eſt. Cappadox ex purpureo cæruleum refert in materia opaca, ideoque non fulget Phrygia ruboris nonnihil

nihil admiſit, Thraica Indicæ æmula, Chalcidica turbulenta ac variæ multum ſubſtantiæ, omnium minimè iucunda. Cunctarum vulgò præſtantiſſima eſt, quæ purpuræ quippiam complectitur. Secundum habet locum quæ roſeum quiddam nacta eſt. Tertiam obtinet dignitatem, quæ Smaragdum: quartam, quæ Autumnale matutinum ſerenumque cœlum imitatur. Eſt & quædam Iaſpiachates ceu Iaſpidem & Achaten quoque complexa, vires vtrarumque perſtringere credita. Sunt & aliæ (auctore Vincentio) peregrinæ Iaſpidis ſpecies ex Thetel enumeratæ. *Nam inuenitur* (ait) *in Iaſpide ſcutam habens in collo, & cuſpidem in manu, & ſub pedibus ſerpentem, qui habeat contra omnes inimicos virtutem. Item & alius in quo ſit homo habens faſciculum herba in collo, cuius virtus ſit omnes diſcernendi morbos ac ſanguinem reſtringendi: quem Galenum in digito geſtaſſe referunt. Deinde & cruce ſignatū viridē reperire eſt, ne quis ſubgmergatur, efficacem.* Hactenus ille. Hîc itaque ferè indigitauimus optimam principemque Iaſpidem, virentem illam & Indam, quæ (quod præ cæteris amuletum eſſe credatur) Polygrammos nuncupata exiſtimatur, quæ tamen celeberrima aſſeritur, ſi ex viridi purpureum quiddam complexa, alba præcingatur linea. Vncius vndecim magnam vidiſſe Plinius teſtatur, indeque arte conſculptam Neronis thoracatam effigiem. Porrò quod ad vires attinet, omnes pro ſingulari aduerſus perniciſſima quæque venena amuleto toto Oriente deferri, idem Plinius in ſcriptis reliquit. Verumenimuerò eam quæ Grammatias dicitur, alba inſignem linea præferunt, quæ ſi geminata candidam efferat crucem, à nonnullis firmiter prædicatur ferentem adeò contra aquæ iniurias adſerere, vt & hunc à ſubmerſione vindicare. Gal. medicinæ vſui illas eſſe confirmat, quòd ſuo adhæſu ſtomachum firment, quem ventriculi os eſſe idem auctor dixit; illiuſque rei ſe periculum feciſſe profitetur, torque videlicet ex Iaſpide à collo ita ſuſpenſo vt ſtomacho è directo reſponderet. Affirmatque ſibi coram exploratum eſſe ſculpturæ expertes nihilominus prodeſſe, quàm ſi dracone radiato figuratæ fuiſſent: quales Nechepſus rex inſculpi inſtituit, vt idem Gal. refert. Adde quod Iaſpis mulieribus menſes cohibet, drachmæ pondere deuoratus ſanguinem ſudoremque compeſcit, hydropem & febres arcet, oculorum aciem ſuo virore reficit, Venereorū petulantem appetentiam retundit: partum proprietate quadam occultiori moderari creditur. Sunt qui ab aduerſis caſibus geſtantem liberare, phantaſma pellere, conceptioni aduerſari, & oculos ab omni ſorde purgare Iaſpidem dicant.

Thetel.

Iaſpis quę optima.

Iaſpidis vires.

De Sapphiro. CAP II.

IOui Phœboque antiquitus ſacram ſapphirum in duo partiuntur præcipua diſcrimina. Sunt namque quæ Orientales ſeu Indæ, ſunt & quæ Podiæ, à loco ſcilicet ſuæ generationis, appellantur. Inuenio quoque illam & Syrtitem, ab inuentionis loco vocari Quamquam non eam putauerim eſſe, cuius Plinius meminit libro 37.hiſt.natural.cap 10 his verbis: *Syrtitæ* (inquit) *in littore Syrtium,iam quidē & in Lucania inueniuntur,è melleo colore refulgentes,intus autem ſtellas continent languidas.* Tametſi namque nomine & originis loco conuenire videantur, color tamen huius Syrtitis, è melleo croco refulgens, manifeſtiùs reclamat quàm vt à quoquam ſuſpicari decēat hanc Syrtitem eſſe ſapphirum. Sapphiri namque cœleſti colore conſpicui ſunt. Porò earum quæ apud Medos reperiuntur, ſupremam ſibi maieſtatem vendicarunt, quæ sereniſſimi vernique cœli colorem efferentes, cæruleæ conſpiciuntur, & ceu transfuſas nubeculas (immixta etiamnum leui quadam purpura) repræſentant: vt videlicet ſulphuris primum accenſi colorem referant, aureis inſuper punctis colluceant ſcintillentque, ita tamen vt viſus aciem materiei craſſitie retundant, vt & admorarum rerum imaginem ſpeculi inſtar minimè reddant. Sunt itaque hæ optimæ ſapphiri. Multæ tamen aliæ viſuntur quæ quo magis ab his vel ſubſtantia vel colore deſciuerint, eo viliores cenſebuntur. Inter quas tãquam ſubcandicantes quaſdam nubeculas oſtentant, præferuntur, vt ab optimis primùm ſibi locum occupauerint. Supremam olim Sapphirum auctoritatem habuiſſe, vt apud diuos gratiam ipſa perhibet antiquitas. Tam quippe Diis, Phœbo maximè gratam hanc Gemmam cauſantur, vt tum præcipuè ſua huic ſacra placuiſſe creditum ſit, cum inter hæc Sapphirum (tamquam videlicet concordiæ ſignaculum) etiamſi non citra faſtum ſuperſtitionemque, oſtentarent. Qua de cauſſa Pontificibus in primis, deinde etiam regibus, ſummis denique viris, præ cæteris dignam, ob propemodum diuinas illius facultates philoſophi iudicarunt. Venereos compeſcere affectus creditur, ideoque caſtis præcipuo vſui eſſe perhibetur: deinde animi in Deum propenſionem, deuotionem, pietatem, conſtantiam, pacis ambitionem, deorum munera opimaque (quod ad hanc vitam ſpectat) beneficia inuitare conciliareque fertur: vt vel hinc eccleſiaſticis præſulibus omnium maximè dignam rude etiam vulgus profiteatur. Addunt & contra iracundiam, & inuidiam, fraudes

&

Sapphiri differētiæ & nomina.

Sapphiri deſcriptio.

Sapphiri vires.

Superſtitioſè credita.

& triſtitiam pellere. Adeò ſcilicet contra effrenes animi mores efficax eſt credita. Verùm hæc ad animam pertinent.

Corporis præterea incrementum molliri, ſolidas principeſque fouere & aſſeruare partes, cordis oculorumque vires reficere, horum excreſcentias & puſtulas inhibere, ruptas quoque membranas cogere Galenus & Dioſcorides auctores ſunt. Addunt & aduerſus ſcorpionum ictus & inteſtinas exulcerationes bibi, venenis etiam peſtiferis reſiſtere & contra veneficia omnia, adde etiam & incantamenta præſidio eſſe, febrientes cordis venis pulſantibus admota iuuare, ſudorem arcere, ſanguinem continere, carbunculis abſceſſibuſque calidis, peſtiferis præſertim, mirum in modum aduerſari tradunt. Commentitium puto quod à pleriſque dicitur Sapphirum Carbunculo extincto viribus deſtitui. Sunt & qui falsò iactent ſenſiſſe Dioſcoriodem quòd Sapphirus araneam in pyxide repoſitam occidat, ſi diutius ſupra animantem pendula admoueatur.

Mitto præterea quæ de hoc lapillo ſuperſtitioſorum Magorum præſtigioſa vanitas nugatur.

De Carchedonio.

CAPVT III.

Carchedonium è Carbunculorum eſſe generibus Plinius inter Latinos Philoſophos locupletiſſimus teſtatur. Quãquam & hic præmonitum te velim, fere omnia tam Græca quàm Latina Apocalypſis exemplaria Calcedonium habere: cùm tamen de hoc nomine vocato lapide nihil apud auctores claſſicos inuenerim: de Carchedonio autem multa. Vt & hinc non ab re putem ſcriptorum incuria vtraque exemplaria iam olim vitiata eſſe, quæ præſtruere viſum eſt ne ſacri textus veritatem ac dignitatem neglexiſſe videretur. Porrò Carchedonios putant imbre diuino generari. Luna plena maximè reperitur. In Naſamoniis montibus naſcitur, deinde & apud Thebas in Ægypto: verùm quàm prædicti obſcuriores ac magis fragiles, venenoſi & morientis carbonis haud abſimiles. Neque etiam deſunt viri non incelebres qui iuxta Baſileam Argentinamque claras multum & inſignes Germaniæ ciuitates quoſdam Carchedonios reperiri adſtruant. Prætereà auctor eſt Symphorianus Campegius in Lotharingia quoque Carchedonios oriri miræ magnitudinis, & ſi ferro percutiantur ſonoros, quos & vi præditos, ſcribit aduerſus raucedinem, vocemque clarificare. Ego verò abſolutiſſimo Carchedonio cum

Carchedonij generatio.

Carchedonij deſcriptio.

Lotharin

Lotharingo collato, hunc non putauerim (tanti viri pace di-ctum ſit) eſſe verùm Carchedonium. Quandoquidem opti-mus colore conſpicitur medio inter Berryllum & Hyacinthum. accedente etiam leuicula quadam & ſubardenre purpura, vt & proinde facilis ſit ſuſpicio coiiſſe Berillum cum Hyacintho. Ideoque Carbunculis pallidior & ſubobſcurior viſitur, quam-quam & Sole vel igne acrior excitetur. Dicunt etiam Carche-donios vmbra purpureos oſtendere, ſub dio verò flammeos videri & ſoli expoſitos ſcintillare. Qui autem à Lotharingis paſſim circumferuntur, rubri ſemper æqualiter conſpiciuntur, tantùm abeſt vt prædictos gratia & proprietatibus aſſequan-tur. Quamobrem ſpurium potius Lotharingum Carchedo-nium eſſe iudicauerim, vel omninò ignobiliorum eius quam-dam ſpeciem. Præterea cõmune omnibus Carchedoniis inue-nio, quòd ceram ſignandam ſuo contactu ita quidem lique-faciant, vt eius adhærentem partem conuellant Carchedonij (vt in omni Gemmarum genere) Maſculi acriùs, fœminæ lan-guidius fulgent. Scalpturæ contumaces eſſe Carchedonios in-uenio. Cæterùm facultates eis tribuunt non obſcuras contra Cacodæmones, & atræ bilis ſymptomata, hoc eſt triſtitiam ti-moremque. Neque deſunt qui victoriam ei promittere au-deant qui illum ſecum geſtauerit. Fertur & feſtucas calfactus trahere. Præcipuæ autem dignitatis ſunt mares qui ſtellas in-tus ardenteis oſtendant, vel cœleſti hoc ſchemate diuinas ferè eius vires atteſtante.

Mas & fœmina. Carchedonij vires.

De Smaragdo.

CAPVT IV.

Viridium Gemmarum iucundiſſima primaque habita Sma-ragdus. Nullus namque color oculis æquè placuit, quòd horum acies virore maximè demulceatur, vt & ea propter viridaria viſus & animi recreandorum gratia petantur. Ideo-que fit vt nullis lumina noſtra lapillis quàm Smaragdis plus oblectamenti cõſequantur. Nihil quippe cum herbis de viridi-tate meliori ratione certauerit, cum etiam quarundam virorem non rarò Smaragdus ſuperet. Porrò optima apud Scythas in al-tiſſimis montibus ac in metallis aureis naſcitur, vnde non ſine magno diſcrimine ac negotio ſolet adipiſci. Gryphis alitibus ferociſſimis in iis auro nidificantibus, in illas tutantibus ab Ari-maſpis vnico in fronte media oculo inſignitis, viris armatis eò auri & Smaragdorum cupiditate nimia conſuetis occidere. Cæ-terùm quantum reliquas virentes Gemmas Smaragdi ſuperant,

Smaragdi geneſis.

Arimaſpi.

Scythicæ cum ſubſtãtiæ puritate, tum viriditatis illecebra reliquas ſui generis ſpecies antecellũt. Secundã verò ſibi dignitatẽ Bactrianæ vendicant, ab his autem Ægyptiæ. Quamquam & in Britannia maiore (quam nunc Angliam vocant) reperiri non ignobiles, auctor eſt Albertus Magnus. Poſt generoſiſſimas itaque quæque pro ſui puritate & viroris conſtanti pertinacia, ſuperior aut inferior æſtimanda fuerit. Porrò præclariſſima Smaragdus virenti iucunditate amœniſſima prata proximè repræſentat, ſolaque præ omnibus aliis intuitum vbertim explet, & multo labore hebetatam oculorum aciem reficit: vt vel hinc apud ſculptores maximam inierit gratiam. Quinetiam è longinquo ſeſe efferunt Smaragdi, quod vicinum circumfuſumve aërem ſuo inficiant tinctu. Tametſi vero duodecim eius enumerantur omnia faſtigia, principis tamen & abſolutiſſimæ deſcriptionem hîc adnotaſſe ſat nobis fuerit: ea ſiquidem cognita reliquas pro ſuis meritis meriti ac æſtimare haud difficile fuerit. Selectiſſima itaque Smaragdus ea eſt quæ viridiſſima, lucidiſſima ac puriſſima exiſtens, ſuo quidem virore oculos conſtanter explet, ſatiatve: ita vicinum aërem proprio tinctu inficiens, vt neque Soli neque vmbris ſeu lucernis cedat: quin potiùs perpetuo contumacique virenti fulgore ſemper irradiat, ſui ſemper præbet conſpectum, ſubſtantia pertinaci ac duriſſima. Porrò Smaragdornm quæ planæ ac læues ſunt, ſpeculi ſpeciem referunt, & imagines rerum admotarum ſupinæ repræſentant. Ideoque in ſcriptis eſt, Neronem gladiatorum certamina Smaragdo cõſpexiſſe. Vires huic adſcribunt præſtantiſſimas aduerſus venena omnia: vt & hinc octo granorum hordei pondere in polline deuorata, venenatos à morte vindicare potens iampridem explorata ſit. Affirmans etiam ſerpentis oculos diffluere, ſi optimam Smaragdum diutius intueantur. Comitiali præterea morbo vel à collo pendulam vel annulo geſtatam, ceu amuletum generoſum prodeſſe, Hemitritæumque ſanare confirmant. Iam verò apud omnes conuenit lapidem hunc rerum venerearum impatientem eſſe Vt etiam Albertus ille Magnus adſeuerare non dubitarit, Regi Hungariæ cum vxore rem habenti, Smaragdum quam annulo portabat, in tres diuulſum fuiſſe partes. Proinde palàm eſſe creditum comperio, ad caſtitatem non mediocrem hunc lapillum habere proprietatem. Addunt denique & ipſum memoriam fouere, viſum recreare, opes augere. Mitto quæ de lapillo hoc ſuperſtitioſorum magorum nugaciſſima impoſtura mentitur. Porrò qui non vſque adeò virent, vino & oleo abluti (auctore Plinio) emendantur.

Optimæ probatio.

Smaragdi vires.

De Sardonyche.

CAPVT V.

SArdonychas olim Romanis in magno fuiſſe pretio autor eſt Demoſtratus. Porrò numeroſa ſpecie viſuntur, quarum India parens eſt, celeberrimæ habentur. Poſt has Arabicis laudem detulerunt, circuli præclaro candore, nec tamen nimis gracili, verùm in vmbonibus nirido. Optimæ autem iudicantur, quæ colore conſtant veluti carnibus humanis vngue interfuſo (qualem audio vulgus incarnatum vocare) vtroque ſecius colore vtcumque pellucido atque languido, ceu ſcilicet quis rubricam viſu tranſmittere intelligat affuſo etiamnum colore vteunque glauco. Itaque Indicæ præſtāt. Colorum quoque varietate ſuā oſtendunt dignitatem, vt vix in alia Gemma depingenda naturæ diuina ſagacitas magis reluceat. Ex his namque generoſiores, radice tanquam à baſi quadam nigrirante (quam quis non iniuria, è nigro ad cœruleam deſciſcere crediderit) Onychas primum quadantenus repræſentant: hinc imitante Sardium ſubrubente zona præcinguntur, à qua deinde linea alba in gyri modum ambiuntur. Tandem verò lata atque diuerſa intercapedine in ampliorem, nec minus artificioſum, ac candidum circulum meant. Poſtrema omnibus iis zonis, veluti baſis quædam altera ſubſternitur, quæ vt Arabibus nigerrima eſt, ita Indis cerea, vel cornea conſpicitur, quaſi videlicet in candido pingui vnguis humanus transfundi, accedente etiam ſubobſcura quadam nubecula, exiſtimetur. Ideoque nemini mirum eſſe debeat, ſi quis Sardonychas ex Sardij, Sarde & Onychis coitu fieri ſuſpicetur, cum Sardonychas palàm ſit trium illarum Gemmarum referre colores ac ſubſtantias. Præferuntur quibus candidæ, vel purpureæ zonæ ſeſe ex ordine, citra alterius rei intermixtionem, recipiant, & albicantes circuli, immixta leui purpura, cœleſtis arcus anhelationem quandam referunt. Melleæ verò & fœculentæ reiiciuntur, cum iis etiam quibus circulus aliquis ſeſe quidem diffundit, non autem recipit. Aduerſus venerea pollere, & animi faſtum, item nocuos effectus arcere creditur.

Onychæ delineatio.

Probatio.

Potentiæ Onychũ.

De Sardio. CAPVT VI.

SArdium à Plinio Sardam vocari inuenio, tametſi non deſint viri non incelebres qui ab hac Sardium multum

S ſ diſcriminari

diſcriminari iudicent, quòd videlicet hic ruber, illa verò alba viſitur. Forſitan vocum vicinitas Plinio impoſuit, fuit autem

Sardij; delineatio. Sardius apud antiquos non infimi nominis: nunc autem nullus aut minimus eius vſus. Porrò colore conſpicitur rubro, verùm ſubobſcuro, vt ſi quis imaginetur tetram rubicam pellucere quidem, ſed ſubobſcura offundi nubecula. Adeoque is ſui ge-

Probatio. neris optimus cenſetur, & quò latiùs ab hac perfectione reliqui abibunt, hoc minus nobiles iudicabuntur. Timorem pel-

Virtutes. lere, audaciam præſtare, à veneficiis maleficiiſque geſtantem adſerere, ſanguinem è naribus fluentem compeſcere, animo

Onychiũ. lætitiam, ingenio quoque acumen inuitare, perhibetur. præ tereà retundere iniurias creditur: vt vel hinc Sardonychas innocuas eſſe confirment, quòd Sardium complectuntur. Sardij item mares acrius fulgent, ideoque præſtantiores habentur, quod & aliis ferè Gemmis commune eſt.

De Chryſolitho.

CAPVT VII.

Chryſolithi ſpecies & geneſis. CHryſolithos multiplici diſcrimine partiuntur, quarum ignobiliores Arabicæ dicuntur, quòd vario colore ac turbulento cōſpectu ſunt. Reperio etiam & Chryſolithos in Germania naſci, in iugis ſcilicet Myſinacis & locis conterminis, ſplendore tamen ad candidum languido, quàm aliæ magis

Optimæ deſcriptio. fragiles. Selectiſſimarum India nutrix quæ quadantenus cœruleæ ſunt, marinæ aquæ virorem ita præ ſe ferentes, vt aurum in collatione quadam veluti argenti facie cogant albica-

Facultates. re. Primò patribus reſpirationis adeoque aſtmaticis Chryſolithum conferre tradunt. Aduerſus puſillanimitatem, & contra melancholicos metus ſtultitiamque pro amuleto defert. Dæmonas prauos pellere, ſapientiam, animi quoque conſtantiam promouere creditur. Nocturnis item pauoribus, & moleſtiis interſomniis aduerſari crebrò ſum expertus. Addit & Thetel Iudæus Philoſophus Chryſolithos reperiri inſignitas fœmina, vna manu auem, altera vero piſcem continente: mercatoribus vtiles quòd ſtultitiam pellant, inuitent autem ſolertiam, qua illi ſuis negotiis bene abſoluendis maximè egent. Quanquam & id ſuam abundè redoleat vanitatem.

De

De Beryllo.

CAPVT VIII.

BEryllorum India parens eſt, ita vt rarò alibi oriantur. Eſt autem Beryllus vna ex virentibus lucidiſque Gemmis. Probatiſſimæ ſunt quæ limpidi maris virorem proximè referunt. Ab his Chryſoberylli paulò languidiores, fulgore in aurũ vergente, laudantur. Sculpuntur ſingulæ forma ſexangula, quo color alioqui hebes & languidus angulorum excitetur repercuſſu, vix namque aliter politæ fulgent. Porrò quamuis decem eius faciant genera, ſat tamen nobis eſſe putamus principem indicaſſe, vel hoc præſertim nomine quòd hac cognita, facile cuius fuerit reliquas ſpecies ad iam indigitatæ Berylli faciem metiri. Oculis humentibus, ructibus, ſuſpiriis, iecineris quoque malis, illius ex aqua dilutum (infuſionem noſtri Seplaſiarij vocant) non mediocriter auxiliatur. Inuenio & hanc Gemmam aduerſus hoſtium iniurias, & contra ſegnitiem pollere, ingenio prodeſſe & coniugatos.

Berylli probatio.

Vires.

De Topazio.

CAPVT IX.

QVæ de Topazij intentione varia adferuntur, tanquam à noſtro inſtituto aliena (quòd & in ſingulis ferè capitibus obſeruare adnitimur) omittimus. Porrò Topazium Gemmarum ampliſſimum tradit Plinius, vt etiam Arſinoæ Philadelphi vxori ſtatuam præbuerit quatuor cubitorum in delubro aureo ſacram. Duplex eius differentia eſt, priorem Praſoiden, id eſt, porraceam, alteram autem Chryſopteton: rectiùs autem Chryſopterin (hoc eſt ad filicis herbæ virorem inclinantem) nuncupant. Neque enim à voce Græca *Pteròn* Latinis alam ſignificante aut pennam, verum à voce *Pteris* filicem herbam indicante, Chryſopterin deriuari putauerim: eſt namque filicis viror quàm porri dilutior Vt ſit Chryſopteros, vel ſi mauis Chryſopteris Topazius aureo colore, transfuſa inſuper blanda quadã viriditate ad glaucum accedente. Qualem Topazium mihi æſtate ſuperiore commoſtratam fuiſſe

Duplex Topazij genus.

reminiſcor, ſubſtantia quidem non mediocriter tenui,multum autem pellucida,colore tamen ex flauo in pallidum languido, immixto etiamnum aqueo quodam virore, adeoque filicis foliorum viriditatem repræſentate. Solæ autem hæ præcellentium Gemmarum limam admittunt vſque atteruntur Topazij laus non vulgaris profectò, quandoquidem vires ei aduerſus ſanguinis eruptiones tribuuntur, ideoque vulneri admota ſanguinem è veſtigio compeſcere, iracundiam præterea ac venerea cohibere creditur. Nec deſunt qui facto periculo audeant affirmare, quòd manus Topazium habens, ab aqua bullienre citra iacturam eripi poſſit, vt quæ aquæ feruorem vſque adeò temperet, vt ab ea omnem bullam mox pellat & calorem nocuum. Mirum verò quòd vires pro Lunæ augmento, aut decremento euariet, vt & hinc lunaticos iuuare perhibeatur. Sunt qui hunc lapillum ſtultitiam pellere, delitium auertere à momentanea morte ferentem vindicare, & phrenitidi obnoxiis amuletum eſſe prodant.

Facultates.

De Chryſopraſo.

CAPVT X.

Chryſopraſum & Chryſopraſium Plinius ſcribere videtur. nam lib. 37. c. 8. Topazij genera diſcriminatim narraturus in hunc modum ſcribit: *Duo eius genera faciunt. Praſo dem atque Chryſopteron ſimilem Chryſopraſi*. Nec ita multò poſt ſubdit: *Vilioris turba eſt Praſius, cuius alterum genus ſanguineus punctis abhorret. Tertium virgulis tribus diſtinctum eſt candidum.* Præfertur his Chryſopraſius porri ſuccum & ipſa referente, ſed hæc paululum declinans à Topaſio in aurum. Eiuſdem verò lib. c. 5 Beryllorũ diſcrimina deſcripturus, *Vicinum* (inquit) *genus huic eſt pallidius, & à quibuſdam proprij generis exiſtimatur, vocaturque Chryſopraſius* Item & eius lib c. 11. *Colos* (inquit) *appellauit Chryſolithum aureus, Chryſopraſum herbaceus*. Puto tamen vel ſcriptorum, vel typographorum oſcitantia Chryſopraſo, & *praſius* pro *praſus* ſubſtitutam eſſe, vel hac ratione quòd vtranque aſſerit porri ſuccum referre, cui Chryſopraſi & praſi voces longè melius reſpondent: ſicuti & ibidem his pro is, & Chryſopterin pro Chryſopteron reponendum cenſeo, vt ſcilicet in hunc modum Pliniana lectio caſtigetur. Et duo eius genera faciunt Praſoidem atque Chryſopterin ſimilem Chryſo

Chryſopraſo, & demum vilioris turbæ eſt Praſus (niſi tamen praſius vocem adiectiuum quoddam eſſe cenſeas) cuius alterum genus ſanguineis punctis abhorret. Tertium virgulis tribus diſtinctum eſt candidum. Præfertur his Chryſopraſus porri ſuccum & ipſa referente. Palam enim eſt Plinium eo loci Chryſopraſum tribus Praſi generibus conferre, eundemque præſtantiorem haberi velle. Sed hæc miſſa. Emendatur Pliniana lectio li. 37. c. 8.

Chryſopraſus itaque lapis porri viriditate ad aurum inclinante conſpicitur: ideoque herbaceum coloré imitatur. Optimus itaque eſt qui aureis guttis conſpergitur. Mirum quod lumini tam importunum ſcribunt quidam, vt genuinum decorem per ſolas tenebras oſtentet. Vires ei tribuunt contra ſacram auri ſitim. Cordis vires reficere, & oculorum imbecillitatem finire creditur. Deſcriptio. Virtutes.

De Amethyſto.

CAPVT XI.

PRæcipua inter violaceas Gemmas Amethyſto laus & autoritas: eius autem plura enumerantur faſtigia. Porrò Indicæ ſupremam ſibi vendicárunt maieſtatem: poſt has verò Arabicæ, Armeniacæ, Ægyptiæ & quæ in Galaria reperiuntur. Infimæ omnium quæ in Thaſo aut Cypro gignuntur. Singulæ tamen violas vtcunque referunt, fulgent quoque, ſculpturæ, vt ſi quæ aliæ faciles. Abſolutiſſimam purpuram Indicæ repræſentant, inter quas eæ quidem præcellunt quæ veluti ex carbunculo irradiantis in murice roſei cuiuſdam nitoris iucundam anhelationem effundunt. Quarum, quæ blando quodam aſpectu tanquam ignitam eiaculantur ſcintillam, generoſiſſimæ atque efficaciſſimæ putantur. Neque etiam hîc adnotare pigebit quòd accedunt quidem Amethyſti omnes ad vini ruborem, verùm eo non adepto in violaceum finiuntur, vt purpuræ videlicet fulgor vſque adeò igneus non ſit: ſed vt vini colorem euariet. Quamquam inueniam & Amethyſtos quoſdam ad Hiacynthos deficere, alios verò ad vinum magis: nullæ tamen vinoſi coloris expertes omnino laudantur. Quæ verò ad cryſtallum ceu ſubalbida quadam ac leui purpura deſciſcunt, cunctis ignobiliores habentur. Veneris gemmam coloris luxus & illecebra vocari fecit. Ariſtoteles autor eſt amethyſtum vmbilico admotum Delineatio. Probatio.

vini vaporem primum ad ſe trahere, deinde eum diſcutere: proindéque à crapula & ebrietate ferentem vindicare. homini præterea contra topica amuletum eſſe comperio. Addunt & alij malas illum arcere cogitationes, & præcox fœlixque ingenium efficere. Ad hæc vigilantem & principibus gratum reddere eum à quo portetur. Sunt qui grandinem auertere & omnia proſpera inuitare illum tradant. Mitto hîc quæ de hoc lapillo ſuperſtitioſi impoſtores credulis nimiùm auribus inſuſurrant, tanquam videlicet Chriſtiano inſtituto indigna, qualia ferè ſunt etiam quædam ex iis, quæ partim paulò ante, partim etiam & in aliis huius libri capitibus, è certis tamen autoribus, retulimus, cuius te vel ideo monitum cupimus, ne qua egregio illi cenſori, aut alij ſimilis farraginis homini calumniandi anſa relicta videatur. quæ ea venia à nobis prodi eſſe iudicauimus, qua ab aliis prodita fuiſſe vidimus, quanquam omnino prætergreſſi ſimus quæ præſtigioſam illam Magiam plus redolere cernebantur, quàm Chriſtianam eruditionem deceret admittere.

De Hyacintho.

CAPVT XII.

Delineatio. HYacinthus à ſui nominis flore nomen habet: eius namque colorem quàm proximè repræſentat Eſt itaque Hyacinthus colore quidem fuluo, ab Amethyſto (Plinio teſte) differens quòd quæ in hoc emicat viola, in illo dilutior conſpicitur, vt quis ſcilicet ab Amethyſto ad aurum immixta etiam leui quadam, ſed ſubobſcura purpura, deciſcere dixerit Hyacinthum. Genera. Triplicem eius inuenio differentiam. eſt enim qui ad rubrum plus inclinat, ignique purpuraſcit magis, cui nonnulli primam adiudicarunt authoritatem. Eſt & alius, è fuluo croceum repræſentans, quique igne obſcurior redditur. Tertium è fuluo ad cœruleum non ingratam præ ſe fert anhelationem, inde ſapphirini nomen habet, cum alij ſupremam maieſtatem adiudicant, vel hoc nomine quod Hyacinthi Sapphirique naturas complecti, ex vtriuſque tinctura videatur. Hic præ omnibus aliis aëra ſentire perhibetur, ſereno ſcilicet cœlo ceu gratulabundus, impenſiùs ſuperbiens, nubilo autem aut omnino obſcuro iniucundior, humiliorque apparens. Probatio. Probantur qui nec obſcuriores nec clariores

ſunt,

ſunt, quique igni admoti vtcunque purpuraſcunt. Mirum quod temporum conſtitutionibus quique affici videantur vt cœlo placido pelluceant: ingrato verò tanquam eius iniurias ægrè ferentes, triſti aſpectu compareant, vt vel hinc cœleſtis illum eſſe naturæ, non abs re quis aſſeueret. Probatiſſimus quiſque frigidiſſimus ore ſentitur, & ſculpturæ contumax vix tandem cedit. Porrò quod ad facultates ſpectat, pertinaci frigiditate corpora denſare atque reficere, ſomnum conciliare, virtutes, cordis præſertim tueri, à populatim ſæuiente peſte, cùm manifeſta ſua qualitate, tum recondita quadam proprietate geſtantem adſerere, creditur. Ideóque pro amuleto collo ſuſpenditur è regione cordis, vt cutem contingat. Nec deſunt qui Hyacinthũ cõfirment diuitias augere, & animi alacritatẽ efficere; prætereà & à fulguribus portantem defendere. Proprietas.

De Margaritis.

CAPVT XIII.

OMnibus certè notiores ſunt Margaritæ, quàm vt earum delineatione opus eſſe ſuſpicer. Porrò quod ad earum originem attinet, varia eſt autorum ſententia, cuius tamen diuerſitatem diſſimili eãrum geneſi acceptum tulerim, non autem illorum, aut ignauiæ aut oſcitantiæ, nec enim video cur cuiquam mirum videri debeat, ſi pro diuerſa cœli conſtitutione illarũ generatio variet. Quid nãque prohibet aliter naſci eas quæ ab Erythræo mari, quæve à Taprobane & Toidis, vel etiam ab Arabiæ petuntur littoribus? ſecus autẽ quę è Paria viciniſque Auſtrinis vel etiã Occiduis Septẽtrionalibuſque Oceanis ab edoctis vrinariis ſolertiſſima petuntur arte. Proinde Plinium rerum naturalium peritiſſimũ nullus inſcitiæ aut negligentiæ inſimulãdum cẽſeo, quod de Margaritarum natalitiis aliter ſcripſerit quam Auſtrinarum, Occiduarumque nuper inuentarum regionum luſtratores literis prodidere, quorum monimenta prætereo ne prolixior fiam. Sat namque nobis in præſentiarum fuerit apud omnes conuenire, Conchas pro ſua ætate ac magnitudine maiores, pro roris verò (appetente genitali tẽpore) cõcepti puritate vel obſcuritate generoſiores vel ignobiliores eniti. Qua ratione vberiorem has cum cœlica natura, quã cum æquorea cõſenſum & cognationẽ obtinuiſſe manifeſtum puto. Flaueſcere deinde has vel igne, vel omninò ſenecta, atque etiam craſſeſcere, læ- Geneſis margaritarum.

uorémque ſenſim deponere omnibus in confeſſo eſt. Inuenio præterea & concham præuiſa manu apprehenſura, ſeſe continuò comprimere, vtpotè ſuas operituram diuitias, gnaram ſcilicet quòd harum cauſa impetatur, inimicam quoque manum ſi forte cõprehenderit, amputare: iuſtiſſima (vel Plinio autore) tantæ temeritatis, luxus & auaritiæ pœna. Eſt & præterea apud Vogeſum in Lotharingia montem amnis Margaritarum ferax: verùm non vſque adeò ſplendidæ ſunt. Mirum tamẽ quòd quæ per geneſim gratia in eis deſideratur per columbas reſarcitur: quæ ſcilicet deuoratas puriores tandem eas cum fæcibus reddunt reſtituuntque. Præferuntur quæ cãdidiſſimæ, lucidiſſimæ, rotundiſſimæ, leuiſſimæ & minimi ponderis ſunt, maximè autem ſi natura perforatæ ſint Porrò præcipua margaritis laus eſt, quòd ſiccitate innata corporis redundantias abſumunt: vt vel hinc vires, ſpiritus, cor & principes corporis partes recreẽt. Ideoque contra cardiacos & melãcholicos affectus plurimùm celebrantur, magnoque vſu commendantur. Adde quòd à vulgaribus peſtiferiſque morbis defendunt, & diarrhœis magnoperè conferunt, hac tamen ratione, vt vel in polline vel alio quouis modio inſumantur. Oculorum præterea abundantem humorem finire, ideoque & viſui prodeſſe, oculis ſcilicet quàm tenuiſſimo earum puluere immiſſo, traduntur. Neque enim ſolo geſtatu quidpiam illis poſſe reperio, quàm inexplebili humano luxui arridere.

De Carbunculis.

CAPVT XIV.

POſteaquam de tredecim illis, quarum ſacra Apocalypſis meminit, Gemmis, ſermoni coronidem impoſuimus, pro noſtri abſolutione inſtituti, de aliis qui nunc paſſim in vſu ſunt lapillis operæ pretium fuerit diſſerere, à precioſiſſimiſque Carbunculis ordiri. Carbunculos itaque (ab igniti carbonis colore ita vocatos) inter ardentes igneaſque Gemmas ſupremam ſibi vindicaſſe maieſtatem, apud omnes conuenit. Porrò in numeroſas diuaricantur ſpecies: ſunt namque Garamantici, Indici, Æthiopici, Alabaudici nominantur, ſinguli ſcilicet à ſuæ generationis loco. Perſuaſum autem habeo præſenti huic noſtro argumento abundè facturum me ſatis, ſi Carbunculorum quatuor genera explicauero. Itaque veriſſimo generoſiſſimoque, imò & Imperatoribus digniſſimo propriè

propriè vocato Carbunculo, Balagium, Rubinum, ac Granatum Gemmas vulgatiſſimas annumerabimus: hæ ſiquidem inter ardentes ignem à certiſſimo Carbunculo propriùs repræſentant. Porrò ſelectiſſimorum carbunculorum multiplicem inuenio differentiam. Quidam enim colore vehementer igneo in modum ardentis prunæ tranſlucent, ita tamen vt extremus earum igniculus in Amethyſti violam deſinere videatur, ſed & per tenebras lumen diffundunt nō iniucundum: ſunt & alij qui pinnato fulgore pellucent. Alij alba præcincti venula, qui coloris præſtantia atque illecebra nullis aliis cedant, quibus etiam familiare eſſe perhibent inter ignitas prunas ceu mortuos languidoſque comparere: ſuperεffuſa autem aqua, carbonibus extinctis, è veſtigio priori gratia ceu rediuiuo colore gloriabundos reſplendere: tanto naturæ miraculo, vt hinc Carbunculi genus hoc præcipuum nonnulli reputent. Hunc Carbunculum Apyrotum nuncupari comperio, quod ignem non videatur ſentire. Demum & hunc ſequitur qui Sandraſtos quibuſdam, aliis Garamantites vocatus eſt. Hic ex India vel Arabia, qua meridiem ſpectat, petitus ſuperiorum ſplendore atque igneo colore nobilis, aureas inſuper guttas continent velut ſtellantes: intrò quidem ſemper, numquam tamen in facie conſpectas, hoc etiam ordine diſſeminatas, vt Hyades cum guttarum numero tum ſerie iudicari valeant. Ideoque & hoc Carbunculi genus viri quidam non incelebres cæteros albis (quod aiunt) equis præire confirmant quòd præ aliis longè vberiùs cœleſtes complectatur virtutes, ſyderumque concepiſſe ſimilitudinem videatur. Qua de re & Chaldæis ſacrum quibuſdam æſtimatum eſt. Gemmarum omnium chariſſimæ ſunt Carbunculi, vt eadem ſit earum cum reliquis comparatio quæ auri ad metalla quæuis analogia. Iucundiores tamen exiſtimantur quæ Amethyſtizontes dicuntur: quarum ſcilicet extremus igniculus in violam deſinit ac purpuræ quamdam effert anhelationem. Porrò in omni Carbunculorum genere, mares fœminis excitatiùs fulgent, fœminæ autem ceu pinguiores craſſiùs nitent. Quòd autem ad vires attinet, Carbunculi ſingulis quibus Gemmæ omnes aliæ præditæ ſunt virtutibus commendantur, vt vel hinc omnium nobiliſſimi ſint habiti. Soli ſiquidem eiaculato igne fulgoremve rutilo ſolem imitari vel hoc ſchemate palam conſpiciuntur. Vt & hinc præ cæteris Phœbo dicati creditum ſit, quem cunctis ſyderibus tamquam regem præeſſe adſtruunt Philoſophi. Ideoque & ſolum hunc lapillum ſuam in reliquos poſſe figuram imprimere, cum tamen

Apyrotus.

Carbunculi vires.

alius nullus in idem præſtando ſit, Ariſtoteles autor eſt.

Balagij delineatio. Cæterùm Carbunculis proximam ſibi gratiam dignitatémque Balagius coloris iucunditate & illecebra fecit. Lapis quidem colore rubro & prælucido, ſed qui ſuperaffuſo ſublanguido quodam fulgore ciameſinum vulgò dictum colorem quadantenus referat. Sequitur deinde Rubinus lapis ita vocatus, laudatus maximè ſi per tenebras in ſpeciem blandæ

Rubini deſcriptio. cuiuſdam ſcintillæ micare videatur & ſimpliciſſima conſiſtat ſubſtantia. Illis denique Granati ſuccedunt longè obſcuriore

Granati delineatio. ac minus grato colore, tamquam videlicet opaca quadam vmbra vel nubecula Rubinum offundi iudices Lapis, certè non rarus, proinde & hoc æui in minimo pretio habitus Por-

Probatio. rò harum Gemmarum vt quæque magis minuſve ad verum Carbunculum accedit, commendatior aut ignobilior & clarioribus aut obſcurioribus proprietatibus donata cenſetur.

Rubini vis. Balagio itaque ſimiles ac Carbunculo facultates, ſed imbecilliores tribuunt. Rubinum aduerſus peſtilentem aëiem pro in-

Granati vis. ſigni amuleto portant & contra terrentia ſomnia. Granatum prætereà melancholiæ aduerſari & cor reficere credunt. Adulterantur autem omnes vitro rubore infecto: ſed & elanguidos foliis bracteiſque quibuſdam rubicundiſſimis ſubſtratis excitatiores reddunt, vt non ſit facilè à ſpuriis veras ſecernere. Scalpturæ veriſſimæ contumaces ſunt. Adulteratæ cote deprehenduntur, quòd fragiliore ac molliore ſint compareantque materia, ſed & centroſa ſcobe dignoſcunt, vt nonnunquam etiam puſtulis argenteis intus nitentibus.

De Adamante.

CAPVT XV.

Adamantis deſcriptio & genera. MAximam in rebus humanis ſibi gloriam aſciuit Adamas, multo quidem æuo ſolis Regibus & iis paucis agnitus. Nunc autem tum creber, vt omnibus benè in deliciis ſit, & luxu. Eſt autem generoſiſſimus Adamas colore ferrò candenti haud abſimilis. Fatiſcit hircino ſanguine, maximè ſi aliquot ante dies hircus petroſelino, ſilere montano & vino ſit educatus: plumbo item diſſolui reperio.

Porrò in ſex Adamantem partiuntur genera. Indicus non in auro naſcitur, ſed quadam cum Cryſtallo cognatione, candore placido tranſlucet. Huic proximus eſt Arabicus, minor tantùm, nec alibi quàm in ſynceriſſimo auro generatus.

Incudibus

Incudibus & ferreis malleis vterque deprehenditur: ita nam- Probatio.
que iis vterque reſiſtit, vt indomitus citra omnem iacturam, à ferro & incude ſeſe explicet. Quinimò puſilla tametſi mole, ignibus etiam vaſtiſſimis iniectus medius pertinax atque illæſus ita permanet, vt nullam prorſus ignis actionem admiſiſſe (etiamſi multos dies ibi perſeueret) palam oſtendat, vnde & indomitam antiquis vocari Gemmam inuenire eſt. Eſt & alius Adamas Centros nominatus, milio magnitudine reſpondens. Alius deinde Macedonicus cucumeris ſemen æquans. Hunc ſequitur Cyprius in ſulphureum deſciſcens, qui licet à prioribus fulgoris languore deficiat, præcipui tamen in medicina vſus eſt Plinio. Poſtremus verò Siderites ferreo fulget nitore. Hunc ab antiqua peritum minera paſſim dici audito, atque ideò ab inerti vulgò reliquis præferri. Sic vulgus ignauum ſuo ducitur ſenſu, vt crebrò vtiliſſima quæque pro optimis reponat. Hîc namque ſiderites ictibus cedit & malleis, adeò videlicet ab Adamantis natura palam degenerans, vt vel hunc ſolam apud eos nominis gratiam vſurpaſſe credatur qui rebus externis contenti ad omnem veritatem oſcitare con- Mira Adamantis ad hircini ſanguinis vim diſſenſio.
ſueuere. Neque pigebit etiam ſecundò recenſere, non ſine magno naturæ miraculo fieri, vt vis illa Adamantis indomita, qua ſcilicet ſuarum partium integram contra ferri ignisque [illegible]iurias connexionem pertinaciter tuetur, ab hirci ſanguine ca[illegible]o quidem & recenti ita afficiatur, vt tandem conniueat & [illegible]i patiatur. Indéque ſepoſito omni ſuperbo, quo antea [illegible]ba-rur, faſtu, malleis & incudibus cedat, vt ſeſe in minimas etiam partes frangi, mangonum vſui, permittat, qui iis poſtea fragmentis nullam duritiem non ſuperant. Porrò maxima Adamantis quantitas auellanæ nucis magnitudinem & formã æquare perhibetur. Generoſiſſimus itaque & ſelectiſſimus iudi- Probatio.
cabitur Adamas, qui iam narrata deſcriptáque inuicta natura præditus, cryſtallo paulo obſcurior, ferrum candens nitore refert, cœruleóque quodam interfuſo ſplendore, ita quidem refulget, vt flammeum ſolaremque quemdam radium tranſmittere videatur: quaſi ſcilicet vario tranſlucentique ſuo fulgore quandam cœleſtis arcus anhelationem repræſentet. Porrò vi- Proprietates.
res Adamanti ferè diuinas tribuunt Philoſophi, efficaciores tamen in auro, quamquam quibuſdam placere inueniam ferreã quandam tenuiſſimam bracteam ſuſterni debere. Contra venena & incantamenta amuletum eſſe præſentaneum teſtantur, qui Adamantum præſente toxico madere confirmant. Ideóque peſtiferis cauſis reſiſtere creditur: negantque ferentem faſcinari poſſe, adeò ſcilicet cacodæmonib. inuiſus eſſe perhibetur.

Inſaniam

Inſaniam, metus quoque vanos, ac terrentia inter ſomnia arcere fertur. Gemma reconciliationis prædicatur quòd hoſtilem demulceat furorem, & viri cum vxore neceſſitudinem foueat. Ab incubis & ſuccubis eum adſerunt qui adamantem portat. Vanum omnino & præſtigij quamdam præ ſe ferens imaginem eorum nugamentum puto, qui adamantem dicunt vxoris inſciæ ac dormientis capiti ſuppoſitum ſtatim prodere ſit pudica, néc ne. Vel hac ratione quòd ipſa à mariti conſortio quaſi fugibunda ſtatim excidat, ſi quidem fideli toro iniuriam impudica fecerit. Adamante ſcilicet marito caſtóque toto indignam mulierculam hoc ſchemate palam oſtendente.

Diſſidium. Huic lapillo natura rerum omnium parens tale cum Magnete diſſidium ingenuit, vt illo præſente omnem vim tractricem à Magnete direptam planè conſpicias. Quin magis tractum ab hoc ferrum feroci quadam vi ab admoto Adamante reuelli cernere eſt. Vt & hinc multis viſum eſſe ſuſpicer Adamantem aliis Gemmis iunctum ipſarum ad ſe virtutem omnem trahere, quod non crediderim. Cæterùm nunc reconditas illas veréque admirandas proprietates ad dæmonum impoſturas demandabimus quòd earum cauſam naturalem nemo (vt puto) adferat exactam, vti cenſori noſtro ac ſimilibus viris parum circumſpectis, nihilque ſuæ ignorantiæ condere volentibus forſitan videtur? Abſit non ab hoc tantùm vno, ſed & à quouis alio verè docto & piè Chriſtiano. Quinimò ea propter in Dei & Domini noſtri omnium creatoris propenſiorem admirationem feramur, eiuſque magnificentiam ardentiori ſtudio ac neceſſitudine efferamus.

De Achate. CAP. XVI.

Maximum tempus auctoritatem ademit Achatæ, non quòd viribus minùs quàm antiquitùs polleat, ſed quòd copioſior ſit: qua enim occaſione ſolet in rebus humanis elationem faſtumque raritas adferre: eadem etiam multitudo, & crebrior familiaritas contemptum parere conſueuit. Plinius auctor Pyrrhum Epirotarum regem Achaten habuiſſe, nouem Muſis cum Apolline citharam manu tenente inſignem: nulla arte, ſed ſola naturæ ſolertia ac virtute, ſponte maculis ita diſcurrentibus, vt Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia.

Porrò tam eſt vulgaris Achates vt delineationem eius & genera ſcribere omninò ſuperuacaneum arbitrer. Probatiſſimæ verò ſunt perſpicuæ, quæque leoninæ pelli ſimiles ſunt, vel etiam

etiam nigræ albis interſectæ lineis. Mercurio ſacram Achaten rudis nimirùm antiquitas credidit, eam præſertim quę apud Indos nata eſt, vbi vario colore, guttis etiā phœniceis conſperſa viſitur. Cæterùm omnem Achatem venenis, peſtiferis, araneorum atque ſcorpionum ictibus, aduerſari, prudentiam ac facundiam præſtare, ab aduerſa fortuna tutari, viſum fouere, cor recreare, ſitim ore contentam arcere adſtruunt. Nec deſunt qui tum maximè efficacem ſcribunt, cum ſetis leoninis inuoluta defertur, quod quàm à vanitate quoque abſit, iudex eſto. Probatio. Virtutes.

De Alectorio.

CAPVT XVII.

Alectorius lapis in ventriculo capi reperitur, obſcuri cryſtalli ſimilis & colore & ſubſtantia, niſi quòd paulò craſſior apparet, non excedens fabæ magnitudinem. Probatur quæ intus velut ſtagnantem ingeſti cibi micam modicam nec viſque adeò obſcuram oſtentat. Sunt quoque qui audeant affirmare caponem in quo Alectorius ſit abſolutus, bibere numquam: ideóque ſtrenuis militibus ex vſu eſſe creditur. Proinde Milonem Crotonienſem eius Gemmæ in ore contentæ præſidio, nullo vnquam certamine ſuperatum prædicant. Porrò alectorio vires tribuunt non incelebres contra pericula quæuis. Præterea Venerem ciere, homini conſtantiam, mulieribus virorum gratiam conciliare, ferenti quoque facundiam præſtare, potens creditur. Sed & ſitim ac cordis æſtum arcere ore incluſa experimento non rarò conſtat. Geneſis & delineatio. Probatio. Virtutes.

De Torcoide.

CAPVT XVIII.

Torcoidem tam in magno pretio eſſe ferè apud omnes conſpicuum eſt, vt multi ſuo tunc demum luxui aliqua ex parte ſatisfactum putent, cum præclaram quandā nacti fuerint. Genera & delineatio.

Duo itaque ſunt eius faſtigia, à ſuæ ſcilicet propagationis loco nuncupata. Inferior ſiquidem Hiſpanica: altera Indica ſeu Orientalis nuncupatur. Vtraque tamen conſimili, craſſa & minimè perſpicua ſubſtantia. Porrò Hiſpanica colore vtcúque virente, ſubobſcuro adeóque ingrato conſpicitur: ideóque reſpuitur ceu viliſſima. Indica autem ex herbaceo, cyaneo quodam lacteſcente nitore gratiam gignit non vulgarem. Colorem igitur præbet ceu in cœruleum ex viridi, lacteum quiddam perfuſum imagineris. Rarò citra rimam venulámve

Probatio. reperta. Probatiſſima tamen eſt quæ ſimpliciſſima,& perſimili ſubſtantia, puriſſimóque & citra omnem labem colore ſuam commendat iucunditatem. Mirum quod de diuinis eius virtutibus cauſſantur. Noui reuera virum quemdam Inſulanum, mihi quidem multa neceſſitudine deuinctum, qui dum viueret Torcoidem in deliciis habebat, annulóque aureo perperuò geſtabat. Is cum forte, ex ſæua ægritudine in fata concederet eundem quoque retinuerat. Tumque naturæ quodam veluti miraculo contigit, vt Torcois illa, quæ ſuperſtite etiamnum ſuo domino cum numeroſis ſui generis myriadibus de pulchritudine ac integra puritate certare potuiſſet, tamquam heri ſui necem lugens, longè tum obſcurior adpareret, adeóque continuò rimam per medium portaceam efferret, vt & hinc tum maximam ſuæ maieſtatis partem depoſuiſſe videretur. Proinde de ea mihi aliquando comparanda auiditatem abegi. Ego namque cùm ob periucundas lapilli illecebras, tum ob ingentes vires quibus idem vir, facto periculo, Gemmam eam pollere conſtanter aſſeuerare ſolebat: eam ſi quando liceret, quauis etiam ratione comparare conſtitueram. Sed enim meus me fefellerit error, nam dum in auctione ventri expoſitam, eandem illam litura & vitiis conſperſam contemno, hanc alter ciuis vili coemptam è veſtigio mihi oſtendit. At cum illam ego priſtina, ceu poſtliminio rediuiua ſinceritate & maieſtate (renouato domino) perſpicio, occœpi mecum vehementer mirari, inopinatum naturæ ac admiratione digniſſimum portentum, deinde & è re nata, meam damnare infelicitatem. Vel hoc euentu coram edoctus diuina quadam lapillum illum facultate donatum eſſe. Porrò oſtendendis prodigiis illuſtris plurimum eſt Torcois, vt & vix credibili virtute ferentem ab imminenti periculo (tanquam videlicet innato contra aduerſa quæque quodam amuleto medicamentóque) fortiter vindicare celebretur. Addc quòd cor & oculos recreare, & hilaritatem proſperitatemque adſciſcere creditur.

Vires.

De Corallio.

CAPVT XIX.

Geneſis. Corallium & Lithodendrum appellari inuenio, quòd arboreus lapis appareat. In mari mollius primum creſcit, inde verò duratur. Cumque ſub aqua quidem vireat, ſtatim atque hanc ſuperarit, rubeſcit. Adſtruunt candidas illud intra aquam proferre

proferre baccas, quæ extra eam in ſanguineas degenerent: eaſque & forma & magnitudine ad hæc, & colore corna ſatiua repræſentare. Mirum quòd tactum lapideſcit ſi viuit, proinde reſtibus primum reuellunt, aut ferramento acri præcidunt: qua de re Curalliũ Theophraſtus, à radendo, Græcæ voci alludens, illud appellauit. Porrò arboreum eſſe Corallium vel ipſius rami palam oſtenderint. Diuerſam præterea à ferro ignito naturam Corallium exhibet: illud namque vt aqua, ita & hoc molliore aëre illico duratur. Commendatiſſimum eſt quod rubicundiſſimum, vel albiſſimum, æquabili vſquequaque concremẽto, forma fruticis, ac terenti facilè cedens. Quòd autẽ in lapidis exactam duriciem coiit, ſcrupuloſum, inane, lacunoſumque eſt, damnatur. In magna antiquitùs, apud Indos præſertim, fuiſſe auctoritate Corallium in literis comperio. Hi namque pro eo ſuos olim conſueuiſſe vniones permutare traduntur Nunc autem quòd crebrius eſt, in magno adeò non eſt pretio. Dæmonas infenſos arcere perhibetur. Vt & hinc ſuſpicandum ſit prudentem vetuſtatem. Corallio per diuerſas formas (non ſine licet faſtu quodam aut illecebra nunc vſurpetur) effigiato, & ex ordine infilato, preces Maricanas docuiſſe numerare. Magnus illius in medicina vſus percrebuit. Quandoquidem refrigerat ſiccatque mediocriter. Ideóque ſanguinis reiectionibus prodeſt. Album verò Corallium à collo ſuſpenſum vt ſtomachum vel pectus contingat, è naribus conſuetum fluere ſanguinem raró compeſcuiſſe vidimus. Cor præterea & ventriculum, vel ingeſtum, vel extra, vt adhæreat admotum, roborat. Surculus eius pro amuletis infantulorum collis appendunt: fulminibus & marinis æſtibus tempeſtatibuſque reſiſtere æſtimatur. Proinde Ioui Phœbóque ſacrum putatum eſt. Religioſum præterea geſtamen eſſe amoliendis periculis comperio, vt decore ac religione gaudeat. Adhæc & contra veſicæ tormina & calculi mala, in puluere vſtos ſurculos & ex aqua potos auxiliari fertur: item & lienem abſumi, ſi id medicamentum ſæpius potetur. Oculis deinde prodeſſe, vlcerum caua explere, cicatrices tenuare, denique & ſurculos ex vino potos vel ex aqua (ſi febris vrgeat) ſomnum conciliare Plinius auctor eſt. Nec deſunt qui affirment illius pollinem eroſis dentibus infartum, ægros dentes radicitus eruere demum & gingiuas firmare. Commentitium omninò puto quòd Coralli puluere fruges euadant vberiores. Quamquam & Coralli puluerem inueniam amaras aquas dulces efficere.

Probatio.

Vires.

De Corneolo.

CAPVT XX.

Delineatio. Probatio. Vires.

COrneolus Gemma eſt vulgaris minij colore, ſublanguido tamen, ſeu videlicet in humanam carnem perſpicuitas perfuſa ſit. Rheno frequentiſſima eſt. Probatur, quæ puriſſima iuxta ac nitidiſſima conſiſtit ſubſtantia, colore carneo tranſlucido. Sanguinem propalam cohibet, liuentes dentes ſuo polline emendat, omnem ab eis detergens ſordem. Iracundum animum placare creditur.

De Cyaneo Græcis, Cœruleo Latinis, vulgaribus autem Lazuli vocato lapide.

CAPVT XXI.

MAgnam profectò auctoribus peperit obſcuritatẽ, legentibus verò perplexionẽ, cœrulei ſeu Cyanei nominis diuerſa ſignificatio: aliis ſcilicet ſub hac voce cœruleam arenam cum Cyanea Gemma confundentibus: aliis autem ſolam eadẽ dictione metallicam arenam complectentibus. Plinius namque naturalis Hiſtoriæ lib. 33. cap. vlt. ita infit: *Cæruleum arena eſt, huius tria genera fuere antiquitus: Ægyptium quod maximè probatur: Scythicum, hoc diluitur facilè, cumque teritur in quatuor colores mutatur, candidiorem, nigriorem, craſſiorem, tenuioremve. Præfertur huic etiamnum Cyprium. Acceſſit his Puteolanum & Hiſpanienſe, arena ibi confici cœpta.* Dioſcorides item lib. 5. cap. 97. ſic habet ad verbum, *Cærulei origo ex ærariis metallis eſt. In Cypro copioſus ex arena literali, ſecundùm quoſdam ſub cauatos ſpecus maris inuenitur, quod & magis probatur.* Galenus verò ſimplicium pharmacorum lib. 9. inter metalla Cœruleum reponit. Deinde Paulus Ægineta de Cœruleo, Dioſcoridis ſententiam penè ad verbum refert: quam etiam Plinius, eo quo diximus capite, imitatus palam oſtendit non de Gemma ſermonem ſe facere, ſed de metallico Cœruleo: quod ærosa quadam ſubſtantia, non tamen lapidea, conſiſtere ad oculum videre eſt: vt vel hinc in confeſſo eſſe debeat, iis locis auctores illos Dioſcoridem, Galenum Paulumque (dico) non de Cœruleo, lapide Cyaneâve Gemma diſſeruiſſe, verùm de metallico illo Cœruleo quo ad generoſas imagines pictores vti conſueuere, Galli azurum vocant. Sed enim Plinius idem ille lib. 37. quẽ Gemmis dicauit, ita habet. *Reddetur & per ſe Cyanos accommodato paulo antè Iaſpidis nomine colore Cæruleo.*

Optima

Optima Scythica, dein Cypria poſtremò Ægyptia. Adulteratur maximè tinctura, idque in gloria regu Ægypti adſcribitur, qui primus eam tinxit. Diuiditur autē hæc in marē fœminãque. Ineſt aliquãdo & au-eus puluis, non qualis in Sapphirinis; Sapphirus enim & aureis maculis & punctis collucet, Cœrulea & Sapphiri raróque cum purpura. Optima apud Medos, nuſquā tamē pellucida. Quibus verbis ſtatim ab ipſo limine videtur Plinius vtrunque confundere. Cœruleū ſcilicet metalli cum Gemma cœrùlea. Primū quidem vel hoc maximè, quòd Scythicæ, Cypriæ & Ægyptiæ rationem habuerit, quemadmodum etiam ſuperiore lib. 33. de arenoſo Cyaneo ſingulariter agens Cyanei Ægyptij, Scythici & Cyprij meminit. Hinc reuera non mediocrē hos locos video impoſuiſſe difficultatē viris etiā doctiſſimis; aliis videlicet de vtriuſque confusè Plinium intelligentibus, aliis de ſolo arenoſo cœruleo hos torquentibus ſermones, autorum inſimulantibus damnantibuſque tanquam hanc inter Gemmas arenam malè collocarit. Inter quos Hermolaus ille Barbarus, vir alioqui peritiſſimus ac de re medica & Plinio optimè meritus (pace tanti viri, pro veritate tamen, dixerim) neſcio qua iudicij adumbratione perculſus, non veretur Plinium negligentiæ calumniari. Mihi verò (abſit omnis arrogantia) Pliniana lectio rectiùs conſultiuſque hoc loco, ideſt, lib. 37. cap. 9. caſtiganda videtur, & in hunc modum ſuo autori reponenda. Reddetur & per ſe Cyanos nomine, accommodato paulò ante Iaſpidi colore cœruleo. Vt his ſcilicet verbis & Iaſpidi & Cyaneæ Gemmæ ſubſtantias conuenire quidem, ſed colore alterum ab altero diſcriminari declaret oſtendatque, vt & quis ex Iaſpide Cyaneum lapillum ementiri poſſe intelligat ſi illi colorem cœruleum addat. Cui & id optimè adſtipulatur quod mox ſubtexuit: *Adulteratur.* (inquit) *maximè tinctura.* Quòd demum hoc loci Plinius non de cœrulea arena diſſerat manifeſtant hæc eius ſubiecta verba: *Ineſt aliquãdo & aureus puluis, cum iis quæ ſequuntur quæque ſupra retulimus.* Nam & ea non arroſæ illi arenæ, ſed Cyaneæ (vulgato nomine Lazuli vocatæ) Gemmæ ita ad amuſſim conſentanea eſſe conſtat, vt nemini dubium (meo tamen iudicio) eſſe debeat, Plinium hoc loci de ſola Cyanea Gēma agere, neque etiam facilè credendum fuerit tam celebrem autorem, ac rerum naturalium tam indefeſſum, acrem ac peritum indagatorem ſcriptoremque, vulgariſſimam hanc Gemmam latuiſſe. Neque etiam vel leuiter ſuſpicandum puto quòd agnitæ nuſquam meminerit, cùm præſertim diligentiſſimum ſeſe naturæ mirabilium perſcrutorem, præconem, promulgatoremque ſemper exhibuerit. Sed neque huic noſtræ opinioni refra-

Caſtigatur Pliniana lectio lib. 37. cap. 9.

gatur quòd iam citatis locis Ægyptij,Scythici,Cypriique Cœrulei meminerit. Quid namque impedit vtramque, cœruleam arenam dico ac Gemmam Cyaneam, tribus iam indigetatis locis oriri? Sed enim lib.33 cap.vlt. Ægyptium maximè probari ſcribit ſecundo loco Cyprium, nouiſſimo verò Scythicum reponit: quibus acceſſiſſe adnotauit & Puteolanum & Hiſpanienſe. Vbi verò de Cyanea Gemma(quæ ei Cyanos per ſe vocatur)hoc eſt lib.37.cap.9.ſcribit,omnibus Scythicam præferri dicit. Dein Cypriam commēdat,nouiſſimam autem Ægyptiam æſtimat. Ecce quàm hîc vltimam facit, illic primam efferr, vt & hinc non de iiſdem Plinium diuerſis his locis ſcribentem intelligere debeas. Quinimò Sapphirum hunc capite cum Cyaneo lapillo poſtea complexus,ita infit: *Cœrulea & Sapphiri rarò*(vbi etiam coniunctionem *quo* ſemouendam puto) *cum purpura,&c.* His ergo certè rationibus eò ſum adductus,vt Pliniũ illis locis non de arena Cyanea aut Gemma tantùm,ſed lib.33. de arenoſo Cœruleo,lib. autem 37.de Cyanea Gemma capiendum exiſtimem. Quis enim(obſecro) tam inerti,aut in Pliniũ, alioqui grauiſſimum autorem,tam infenſo ingenio fuerit,vt ea quæ Cyaneæ Gemmæ(emendata licet lectione) Plinius propalam tribuit, atroſæ illi arenæ quadrare inaudiat: quam nemo lapidea ſubſtantia vel puluere aureo gloriari rectè quidem dixerit? Potiùs itaque Lazuli vulgò nuncupatæ Gemmæ conſentire hæc profectò videbuntur:cùm ea ſubſtantia ſit lapidea, Iaſpidi ſcilicet germana, aureumque puluerem coram oſtentet. Qua de re ſubinde vehementer mirari ſubiit, hoc loco Plinij ſenſum tot, tamque celeberrimos authores Plinianæ lectionis etiam ſtudioſiſſimos hactenus(quod legerim)ita fuiſſe,vt vtrũque confuderint, magno humanæ conditionis detrimento:dum nempe apud omnes ferè ſeplaſiarios arena pro Gemma in medicādis corporibus quàm ineptiſſimè vſurpatur. Sed hæc quorſum? eò nempe vt melioris doctrinæ gratiâ omnem de medio tolleremus implicationem,& aliquam Pliniano ſenſui adferremus reſtitueremúſue lucem. Eſt itaque Cyanos Cœruleáve Gemma lapillus ſubſtantia quidem Iaſpidi haud abſimilis, colore Cœruleo. Probatur aureo puluere conſperſa Vnde & ſtellarum lapidem dici inuenio,quòd ſtellis ſimiliter lumini expoſitus aureo puluere ſcintillet. Præfertur quæ Cœruleum ſui nominis præſtantiſſimum(quem noſtri Azurum vocant)colorem aſſequitur, conſimili vndequaque ſubſtantia & concremento. Lapis eſt ſculpturæ non vſque adeò contumax. Vidi ego ex eo Cantharidem tam affabrem tamque graphicè conflatam, vt eminus veram iudicarem: puluere nimirum aureo tam appoſitè

Deſcriptio. Probatio. (margin)

ſitè, quod in animante fuluum natura fecit, imitante, vt eum lapillum ad id muneris procreatum quiuis ſanæ mentis non immeritò iudicaſſet.

Porrò quod ad vires attinet. Aduerſus melancholicos affectus eius pollen toties ablutus dum eius dilutum peregrinum nullum præ ſe ferat ſaporem efficaciſſimè ingeri, literis & experientia confirmatur. Melancholicum enim humorem per inferna deponit; non lotus verò, cum infernis ſuperiora, non citra magnum laborem, commouet. Nec deſunt qui pueris à collo geſtatum nocturnos arcere pauores teſtentur. Oculorum aciem reficit atque demulcet. Collo appenſus prægnantes ab aborſu adſerere perhibetur. Volunt autem appetente partu ſemoueri. Proprietates.

De Chelidonio.

CAPVT XXII.

CHelidonius, vel Chelidonia (vtroque enim genere dicitur) lapillus eſt paruus, perſpicuus minimè è iuuencularũ Hirundinum ventre exſectus. Menſe Auguſto, Luna creſcente, reperiuntur optimi, magnáque ex parte bini, aliquando autem ſinguli, in earum ſcilicet ventriculis aut iecuſculis. Dicuntur namque (autore Plinio) matres excluſis pullis hunc dare lapillum deuorandum. Inuenio & hîc quoque ſolertiſſimæ naturæ non ſupprimendum miraculum, nempe quòd illarum pulli per coniuncta roſtra in ſeſe reconditas has Gemmas prodant. Dicunt etiam & has debere erui priuſquam primigenius pullus terram contingat. Quanquam ne hoc quidem ſua vanitate carere putem. Hanc bifariam diſcriminari tradit Plinius, aut enim eſt rufa, aut nigra, vel potiùs ex pullo nigricans, hirundinũ vel pauonum colore, miniméque pellucet, ſed aſpectu ingrata viſitur. Sunt & earum aliquæ, parte quidem vna nigricantes, altera verò purpuraſcentes nigris intercurrentibus maculis. Probatiſſimas eſſe comperio quæ ſubſtantia puriſſima ac ſimpliciſſima, & aureis guttis inſigniuntur. Porrò ſingulæ tametſi inculcæ ſint & puſillæ, magnis tamen virtutibus præditæ adſtruuntur, vt & de ipſis rectè id occini poſſit: Generationis locus. Differentiæ. Probatio. Vires.

Regnat in exiguo precellens corpore virtus.

Rufam ſiquidem ſub ala ſiniſtra geſtatam lunaticos, hoc eſt, comitiales, inſanos, & languidos ſanare perhibent. Præterea & facundiam, & apud homines gratiam, promouere confirmant. Nigricantem verò ſimiliter portatam teſtantur reges & principes conciliare, & cœpta negotia pro animi ſenten-

tia abſoluere, omniumque gratiam inuitare. Eius verò ex aqua dilutum, oculòrum aciem reficere dicunt. Neque ſuperſtitione vacare putem quòd rufam in panno lineo mundo, nigram autem in croceo tantum inuolutas ſuis præſtare poteſtatibus nugantur, cui & id accedit quòd parentibus præſentibus erutis vires effluant.

Contra Amſtelredamum. Hîc magna mihi profectò inceſſit admiratio de viri cuiuſdam de literis alioqui bene meriti, non leui oſcitantia, qui in ſcholiis ſuis in Marbodeum vbi agit de Chelidonia autorem citaturus quò Chelidoniam Gemmam oculis oſtenderet proficere, Plinium adduxit lib 8.c.27 & lib.25.c.8. 12. quibus in locis non de Gemma, ſed de eius nominis herba palam eſt Pliniũ differuiſſe Siquidẽ, vt rem per capita ex ordine recenſeamus, ita habet dicti iam c.27. titulus: *Quæ animantia quas herbas oſtenderint cerui, lacerti, &c.* Demũ in contextu de Chelidonia agens ita infit: *Chelidoniam viſui ſaluberrimã hirundines monſtrauere, vexatis pullorum oculis illa medentes.* Deinde lib. 25. vbi conſtat Plinium de herbarum viribus diſceptationem ex profeſſo inſtituiſſe cap 8. ſic habet: *Animalia quoque inuenere herbas, in primis Chelidoniam: hac enim hirundines oculis pullorum in nido reſtituunt viſum, vt quidam volunt erutis etiam oculis.* Capite denique eiuſdem lib. 2 poſteaquam Centaurium vtranque, maiorem ſcilicet & minorem oculos iuuare tradidit, ita ſubnectit: *Jam Chelidonia ſupradictis omnibus mirè prodeſt.* Ex quibus luce meridiana clarius eſſe conſtat Plinij locos hos ab Amſtelredamo noſtro citatos non poſſe ad Chelidoniam Gemmam torqueri, verùm de ſimilis nomenclaturæ herba tantum debere intelligi. Quæ ideò annotauimus ne quis eius autoritate falſus, in ſimilem errorem impingat.

De Ætite.

CAPVT XXIII.

Genera. ÆTitæ quatuor genera refert Plinius, vulgato tamen nomine ſinguli, Aquilæ lapides vocantur. Vidi ego cine-

Probatio. reo colore Ætiten, alterum albo, tertium pullo. Sonitu dignoſcuntur ſi quatiantur: tum enim in ſeſe conceptum lapillum manifeſtè produnt. Lapis eſt corrice duro, ſcabro & minimè

Delineatio. læui. Sunt qui aquilam in nido marem & fœminam habere

Virtutes. aſtruunt, negantque illam ſine eis oua parere: ideóque ſolis iis quæ è nidis eius alitis erutæ fuerint vim medicã concedunt.

Nihil

Nihil igne hic lapis deperdere creditur. Porrò Ætites grauidis, quæ ob vteri imbecillitatem fœtum ægrè continent, brachio ſiniſtro alligatur magno eatū vſui, parturientibus autē brachio dextero admoueri debet: fœminis item alligata citra dolorem (notatu dignum) fœtum dicitur extrahere. Nec deſunt qui hanc velint ſtatim à partu auferri, ne vterus ſequax partum vitiet. Mirum quòd furem prodere fertur ſi quis in pane conditum offerat, neque enim manſum, vel etiam cur ea decoctum quicquam, furem deuorare poſſe confirmant. Tritum & cerato exceptum comitiales ſtrenuè iuuare comperio. Mitto quæ de hoc lapide præſtigioſi illi ac toto cœlo aberrantes magis nugantur: neque enim vxorum furta deprehendere, vel futura præſagire hunc citra incantamenta poſſe crediderim. Quò ego quæ de furis proditione prænoraui, referrem, ſi non autorum ridicula & non digna fide grauitas & fides reclamaret.

De Magnete.

CAPVT XXIV.

NAtura, vt ſaxis vocem hominis obloquentem, immò & Echo reſonantem dediſſe videri poteſt: ita & Magneti ſenſum manuſque tribuiſſe quodammodo non ineptè exiſtimetur. Ferri namque indomita propemodum pugnaciſſimaque natura trahenti illi exemplo cedit, vtque propius acceſſit ab eo continetur & quodam veluti cōplexu cohæret Sunt qui ab inuentore, ita vocato in India paſtore nomenclaturæ illius rationem adferant: quibuſdam autem Siderites, aliis Herculeus nominatur. Hic tametſi in Ida primùm repertus ſit, paſſim tamen apud Hiſpanos & in aliis quoque locis naſcitur. Qui verò à Troade petitur, qui & albus pumici haud abſimilis comparet, fœmineus eſt, & non vſque adeò efficacis potentiæ, ideóque reſpuitur. Æthiopicis laus & præcipua commendatio, iis præſertim qui ad cœruleum magis inclinant, quales maximè in Æthiopia Zimiri regione arenoſa reperiri inuenio. Æthiopici argumentum eſt, quòd Magnetem quoque alium trahit. In metallis ferreis oritur. Hunc Germani atque Itali habent, ferrugineo tamen ſeu pullo magis colore: qui qua parte cœruleum propinquiùs refert, acriùs trahit. Autor eſt tamen Diogenianus, probatiſſimum Magnetem argenti adeò ſimilem eſſe, vt incautos facilè fallat, quem & ad maleficia præſtantiorem eſſe teſtatur. Porrò omnibus præfertur qui maximè trahit, & qui vſtus Hæmatiten ferè repræſentat. Quod autem ad vires attinet,

Nomina. Geneſis. Probatio. Virtutes.

attinet. Potus triobolorum pondere ex ſucco fœniculi hydropicis aquam detrahit: ferro item intoxicato vulneratis præſenti remedio ſubuenit, oculorum medicamẽtis imponitur præterea & ad epiphoras: adulta verò crematus tritusque ſanat. Cõmentitium puro quod de Magnete quidam nugantur. Nempe quòd in ſomnis ignorantis fœminæ capiti ſubditus, adulteram lecto deturbat, fidelem verò probamque vxorem ad mariti amplexus etiam dormientem, prolectet. Vanum inſuper nec è republica eſſe iudico, quod quidam Magnetem furibus ſuo fumo atque nidore vſui eſſe narrant: quaſi ſcilicet ad furta lapis natus ſit. Hîc ſubit vehementer mirari, admiratione non vulgari dignã huius lapidis tractricem virtutem, qua videlicet ferrum non ſolum quod contingit coram, trahere, verum etiã & ſuo contactu ſimiles in id transferre vires trahentes, vnde & aliud quodcunque congeneum ferrum conuellere poſſit, vt viderim non rarò plures acus hac ratione ſeſe ſuſpendere, tanquã ſcilicet mutuis ſeſe manibus inuicem cõprehendiſſent. Quinimò non deſunt qui facto periculo affirmare audeant ferrum à Magnete in libra poſito tractũ nihil Magneti ponderis adiicere, ceu nempe ferri grauitas vi lapidis abſorbeatur. Porro tractricẽ hanc virtutẽ ab vrſa cœleſti Magnetem mutuatum eſſe coniectant, argumento quòd acus hoc affricta libere in ſolaribus horologiis pendens ad vrſam ſaltem minorem ferè moueatur, Magnetis potentiis acum ſequacẽ trahentibus: vrſa verò vtrumque acum & lapilli in ea virtutem, ceu ſibi affinem congeneamve, conuellente atque alliciente, eademque vi ſidus hoc appetẽte. Quod ſi ita eſt, facultas illa Magneti cum ab initio perfuſa eſt, tum perpetuo vrſæ radiis & influxu vegetatur. Proinde ſi quis eorum quæ de lapilli huius trahente poteſtate diximus, rationem expetat, nõ inſcitè reſponderi poſſit virtutis eius cauſam eſſe cùm lapilli ſpecificam formã, tùm eius germanitatem cum ferri natura, & eorum quidem vtriuſque conſenſum cum vrſa illa cœleſti, cui & obnoxior ſit lapillus ipſo ferro. Quibus & id adſtipulari video, quòd ſolum ferrum Magnetis viribus parere palam conſpiciatur, eaſque cõtumaciùs retinere perpẽdatur. Ad hæc, quòd (autore Plinio) vulnera aſperiora fiunt ferro, Magnete cõtacto.

Theamedes lapis. Diſcordia.

Porrò huic lapidi contrariam inuenio Theamedẽ Gemmã, omne à ſe ferrũ reſpuentem profligantemque. Eſt & Plinio genus aliquod Magnetis, vitri liquorem alliciens. Lapillo item illi cum alio diſcordia eſt non obſura: is ſiquidem alio illitus tractricem omnem facultatem perdere fertur. Diſſidet etiam cum Adamante, qui & iuxta poſitus illum trahere non ſinit, quinimo conuulſum iam ferrum admotus illico reuellit. An autem

vires hæ occultæ mirificæque Cacodæmonum imposturis adſcribi debeant: an potiùs inde auidiùs admirandus atque laudandus Dominus omnium creator Deus, ac per ea quæ in hoc lapide facta ſunt, ſempiterna eius virtus & diuinitas magis coſgnoſcenda, & in mirabilibus ſuis operibus benedicenda, tuum eſto iudicium Lector.

De Hæmatite.

CAPVT XXV.

QVando ſuperiore capite Hæmatitis meminimus, non abs re quædam & hîc de eo recenſere operæpretium videtur. Duo itaque Hæmatitis genera Plinius facit: alterum à Magnete cognominatum, ſanguineo exterius colore, ideóque tritus is ſanguinem refert, ferrum tamen Magnetis modo minimè trahit. Hunc pro vero Magnete à non paucis pharmacopolis damnoſo errore venūdari vidimus. Alterum autem Hæmatiten dicit idem Plinius venis rudentibus diſcerni, hoc eſt, ab optimo deſciuiſſe iudicari: ita enim Plinium intelligo. Hîc ſiquidē Dioſcoridi probatiſſimus eſt, non qui intermiſtas habet venas rubentes, ſed qui puro colore (vt eius verbis vtar) niger eſt, durus, in ſe æqualis, & nulla infectus ſorde, nullóque zonarum excurſu. Itaque duæ nobis præcipuæ hæmatitis ſpecies relinquuntur: altera exterius rubens, interius autem nigricans, vt Magnetis colorem quadamtenus imitari videatur: altera verò omni ex parte nigra. Quamquam nec me fugiat alia etiam à Plinio numerari illius faſtigia, verùm duo hæc noſtro inſtituto ſuffecerint. Neque enim de ſingulis Gemmis, ſed de ſelectiſſimis vulgatiſſimiſque differendum ſuſcepimus. Porrò quod ad vires attinet, oculis cruore ſuffuſis mirè prodeſt, muliebre profluuium ſiſtit, & cum mali punici ſucco iis qui ſanguinem reiiciunt confert. Veſicæ prætereà vtilis eſt & ſerpentium ictibus. Ex lacte oculos à lachrymis vindicat. Imò & ipſos procidentes ingenita vi continet cohibétque. Calfactoriæ & extenuatoriæ eſt facultatis.

Genera. Probatio. Virtutes.

De Succino.

CAPVT XXVI.

VAriæ multùm de Succini ortu autorum ſententiæ ſunt. Prætermiſſis tamen de eius origine & natura opinio-

nibus diuerſis,ſed & de eo ridiculis Poëtarum fabulis, in India atque Germania Plinius tradit naſci defluente medulla arboris è pinearum genere:quemadmodum è Cetao, gummi, & ex Picea, reſina redditur. Erumpere námque humoris abundantia, ſuccoſumque primum eſſe, dein verò vel rigore vel tempore autumni denſari atque durari confirmant,& intumeſcentibus tandem marinis æſtibus rapi, ac in littora nonnunquam tranſportari aduerſa. Indeque ſuccino nomen, quod pini arboris ſuccus eſſe credatur, argumento quod attritum pineum refert odorem,accenſumque tedæ modo nidore flagret. At liquidum primo ſtillare indicio quidem ſunt quædam intus tranſlucentia. Porrò ſuccinorum tria eſſe præcipua genera litteris proditum eſt. Primum, quod melleo colore conſpicitur: ſecundum,quod Phalernum vinum: tertium quod candidum refert,quod & odore præſtantiſſimum eſt.Præferunt quidam Phalernum, fuluum ſcilicet ac tranſlucens conſimili vndequaque ſubſtantia & concremento, ea tamen lege vt non nimio ardore flagret, ſed leuem tantùm ignis oſtentet anhelationem, non autem igneum fulgorem adſequatur. Apud multos autem album odoris illecebra commendat. Rude quidem primum & auſterum legitur, tandem verò adipe lactentis ſuis incoquitur, deinde expolitur. Porrò quod ad ſuccini virtutes ſpectat, infantibus pro amuleto ligari, lymphationibus prodeſſe,ac lotij difficultatibus,inuenio. Præterea in polline exhibitum albos menſes, ſtomachi fluxiones, ventriſque profluuia ſiſtere,cerebro didicimus experimento. Cor & cerebrum vel odoris præſtantia propalam recreat. Ex melle teritur ad oculorum finiendas humiditates. Attritum & calfactum feſtucas, quiſquilias & leuiſſima quæque allicit & trahit, præter Ocimi tamen ſurculos, quos authore Plutarcho, reiicit repellitque, vna etiam cum iis quæcunque oleo perfuſa fuerint. Succinum ſeplaſiariorum officinis *charabe* barbara Arabum voce dicitur.Hoc genere & Lyngurium vel(vt aliis placet)Lincurium contineri, coloris, ſubſtantiæ & proprietatum congenea germanitas,multis perſuaſit: forſitan enim fuerit ſecundi generis,hoc eſt,Phalerni ruborem referentis, ſpecies quædam ardentior. Fabuloſum omnino eſſe ſuſpicio eſt, quod pleriſque Gemmarum perſcrutatoribus videtur, Lyncurium ex Lyncis animalis vrina arena mox à deiectu contecta, Solis deinde ardore concreta ac durata conſiſtere.

Genera.

Probatio.

Vires.

Lyngurius.

De fictitiarum à veris Gemmis differentia & dignoſcendi ratione. CAP. X X V I I. *& vltimum.*

NOn mediocrem fidei ac maieſtatis partem Gemmis ademit de republica peſſimè meritorum hominum pertinax auaritia & luxus. Quandoquidem inde factum eſt, vt tam ſubtili dolo ferè omnis generis Gemmæ adulterentur, vt à fictis veras dignoſcere vix ſit aliquis modus. Sunt quippe qui ex veris, ac vilioribus, alterius generis lapillos ementiuntur: vti iam vſus percrebruit multo contumacique igne Sapphiro Adamantem fingere, & tanta arte imitari, vt multis hic fucus non rarò impoſturam faciat: vocántque album Sapphirum. Quibus longè pernicioſiores ſunt, qui nitro, vitro, ac aliis viliſſimis materiis, adiecto coloris mendacio, optimas ita æmulātur, vt ſua nequitia naturæ opus, ſagaciſſimámque & inuincibilem artem, tantùm non aſſequantur, qui vtinam à republica amandarentur: ſuis nāque id genus fallaciis tam huic quàm auctoribus, qui ſolerti ſtudio & diligentia de verarum Gemmarum natura & viribus doctiſſimè diſſeruerunt, ita quidem imponunt, vt dum qui ementitas decepti, prò Germanis emerunt, eaſque iis non eſſe prædiras facultatibus deprehendunt, quibus philoſophi naturales donatas eſſe confirmarunt, & Gemmas, & de ipſis definientes auctores, vel vilitatis vel mendacij atque temeritatis damnent, vel etiam plerumque malè audiant qui certiſſimas abſolutiſſimaſque commēdant. Vt itaque impoſtorum vitari queant ſceleſtiſſimi fuci, paucis Gemmarum probandarum rationem perſequi libet, vbi primum te monuerimus & has multo æuo ſeneſcere, proindeque & gratiam & vires ſenſim multis ſeculis deponere. Pellucentes igitur lapilli ſereno ac matutino cœlo: omnino autem in horam quartam probari debent. Re namque compertum eſt iis horis ac aëris conſtitutione penitùs longè introſpici poſſe quicquid vitij habeant. Porrò & pondere internoſci comperio, quamquam & hîc diuerſas multùm authorum eſſe ſententias animaduertam, nonnullis enim placet generoſas grauiores eſſe: aliis contrà ſentientibus, eas ſcilicet leuiſſimas minimique ponderis eſſe, quod & facto periculo deprehendi, nec id citra rationem fuerit: vel hoc præſertim nomine, quòd fictitias cum ab ignobiliori adeoque & minùs efficaci gente, tum ex longè obſcuriori ac magis terreſtri ſubſtantia fieri palàm ſit, quibus etiam Plinius adſtipulatur lib. 37. cap. vlt. *Experimenta* (inquit) *pluribus modis conſtant. Primum pondere grauiores ſentiuntur.*

Gemmas tandē ſeneſcere.

Hora probādis Gemmis opportuna.

Pondus. Generoſæ minoris ponderis.

Poſt hac corpore: fictitiis puſtulæ in profundo apparent, ſcabritia in cute & capillamento, fulgoris inconſtantia, &c. Quibus coram oſtendere videntur, quòd à falſis intelligat veras pondere ſuperari. Cui & id ſuffragatur, quoque Margaritas præferri, quæ minùs graues ſunt. Examinantur denique & corpore. Emeptitiis quippe bullæ in profundo comparent, quas & ſcabra cute & capillamentis, ſtaminum tenuiſſimorum inſtar intercuſantibus, conſpicias: fulgore item inconſtante atque iniucundo, nitore videlicet priuſquam aciem complectatur elanguido. Certiſſimatum ſiquidem ſplendor colórve non in facie tantùm (vt in adulterinis) & per omne corpus, quibuſuis etiam forma & ſitu gratiſſimæ iucundiſſimæque viſuntur, ceu ſcilicet ad ſui decoris ſpectaculum blanda quadam oculos alliciant comitate: quò namque diutius inſpiciuntur, hoc magis delectant, ac gratia non inefficaci obtutus explent. Laudatæ item limam non capiunt: vt vel hoc ſolo veras à falſis diſpeſcere mangonum magna pars norit. Sunt tamẽ qui Smaragdum & Topazium excipiant. Deinde & ignibus propinquæ non ſpuriæ, illæſæ euadunt: excepto tamen Chryſolectro ignium rapaciſſimo. Adhæc duriores maximè commendantur, nimirum quòd lapidi propria ſit durities. Quòd autem ad optimarum delectũ pertinet, æqualibus cauas vel extuberantes poſtponunt. Oblongas quadratis prætulit antiquitas: verùm nunc anteponunt quadratas, vt quibus anguloſis minima olim fuerit auctoritas, nunc verſa vice clarior ſit gratia. Illas ſequuntur quæ lenticulæ forma, deinde quæ triangulæ. Omnium verò nouiſſimæ æſtimantur rotundæ, quamuis forſitan omnibus præferri deberent, ſi figuræ rationem ſpectes.

Pulæ emeptitias oſtẽdunt. Fulgoris incõſtantia. Argumẽtum à lima. Experimentum ab igne. Laudatorum electio.

Noſtris verò his lucubratiunculis ad vmbilicum tandem perductis, poſtremò te quoque beneuole lector admonere viſum eſt, nil tibi mirum eſſe debere, quod Gemmas quandoque maſculino, aliquando autem fœminino genere ſcripſerim, nimirum cùm vtroque genere, ac promiſcuè illas collocari apud claſſicos auctores crebrò legere ſit. Cuius quidem rei vel vnicus mihi teſtis & auctor eſt idoneus Galenus ille Medicorum ab Hippocrate abundè princeps libro 9. ſimplicium pharmacorum.

Epilogus.

FINIS.

Clariſſimo, ac eruditiſſimo viro F ranciſco Rueo Medico, Inſulis artem Apollinean i profitenti, frater Paſchaſius Balduinus, Canoni icus Phalempinenſis S. P. D.

Hac Epiſtola ſuper his duobus Ruei li bris iudicium continetur primùm: deinde de Hebraicu Gemmai um nominibus, déque earum admiratione, vſu, abuſu, & viri bus tractatur.

PErlecto libello, quem de viribus ac natura Gemmarum nuper elaboraſti, non potui tib i non gratulari, optime Franciſce, hoc à re argumenti genus eſſe tractatum, ac illuſtratum, tum quòd ruam profeſſionem i non dedeceret eiuſmodi ſtudiorum inquiſitio, tum quòd ne s quibus potiſſimum ſacris operam nauare opus eſt, permol eſta animi anxietudine atque labore leuaueris. Ea enim noi i nihil ad ſacra pertinere nullus, reor, inficias ibit, cum tam ſe dulò ac ſeriò illis interſerantur, ac ordine diſponantur. Atqu e peuitius iſta exquirere, quia per varia prophanorum ſcripta diſperguntur, atque ea mente ab eis explanantur vt ad te.r.p orale commodum proficiant, per otium nobis non conceditt r. Sed & Pontificiis decretis plus nimio eiſdem incumbere vetamur, cogimur quoque præſcriptis diuinis ſacras euolu ere litteras. *Scrutamini ſcripturas*, inquit ipſe ſacroſanctorun i oraculorum conditor, *quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere*, &c. Quòd verò Ioannis *Apocalypſeos*, locum tibi potiſ ſimum delegeris, ibique traditum ordinem tenueris, ac deince ps cæterarum Gemmarum quæ celebriores habentur, non c miſeris elucidationem, maximè probo. Certiſſimum enim ac ſolidiſſimum locum qui in diuinis literis habetur,& qui tuo co ngrueret inſtituto, ſelegiſti, vtpote cuius interpres & auctor idem eſſet de quo ambigere nefarium ſit. Illa autem nom enclatio, quæ in Exodi libro digeritur cap.28. incertior ob va tiam interpretum tranſlationem, & diuerſas ſcriptorum opin iones habetur. Si voces Hebraicæ perinde compertæ eſſent a tque Græcæ, nulla eligendi ratio, niſi fortè quia hæ ad facer dotium ornamentorum ſplendorem, illæ autem ad ciuitatis diuinæ cultum & ornatum pertinent. Nunc quia Hebraicus ſermo pauciſſimis fuit agnitus qui externarum linguarum ha buere peritiam, tum ob vetuſtatem, tum ob ſolitariam Hebræ orum vitam qui ab aliis gentibus ſegregati, earum commerciis rarius vterentur. Græcus autem tam nobis familiaris, vt in quotidianum vſum noſtrum

Hebraica nomina Gemmarum.

noſtrum tranſierit, meritò quod ſic vſitatū habetur, præ altero tibi in explanationis materiam ſumpſiſti, ne ambiguis fundamentis iactis totum quod ſuperſtrueretur vacillaret. Hebræi ſiquidem maximè huius ætatis, tāta caligine in horum noritia cæcutiunt, vt pluſquam talpas exoculatos credere fas ſit: niſi fortè quorundam lapillorum Hebraica vox in externam linguā deriuata antiqua veritatis veſtigia etiam cæteris nationibus reliquerit, ac inde à primis auis ad nos vſque permanarit illorum incolumis nomenclatura. Quorum præter Sapphirum qui ipſis vniuocè quoque dicitur, & Iaſpidem Iaſphe nominatum, nullum crediderim hac ratione cognitam: tametſi etiam in Iaſpide aliud interpretes nonnulli ſentiant, eundem in Beryllum vertentes, cæterorum nomina ad linguam noſtram tranſlata variant, aliis alia ſuſpicantibus. Vnde non ſatis compertum habetur an idem Diuus Ioannes ſactis illis Gemmis antiquitus per Moſen proditis alludere, vel conuenire voluerit, quandoquidem in nominum deſcriptione cum interpretibus antiquis non plurimum diſſentit, hoc eſt, tantùm in Carbunculo, Achate, Ligurio & Onychino, quarū vice Chalcedonium ſiue Carchedonium, Sardonychen, Hyacinthum & Chryſopraſum, conſtituit, vt non ſatis liquidum ſit de interpretum fide, cùm iam omnis illorū verſio in dubium à nonnullis vocata ſit. Arbitror tamen illum non eoſdem lapidos adiicere voluiſſe cum onychis, qui apud Moſen inter duodecim Gēmas memoratur nullam mentionem fecerit, quem plerique omnes in eo nomine ab Hebraica voce ſcholam trāſlatum vocitant: niſi fortè Sardonychen idem Ioannes pro illo ſtatuerit quod Ioſephus facere videtur. Cuius onychini lapilli in tuo opuſculo vix recordatus es, cùm tamen præ cæteris in veteri inſtrumento eius mentio frequentius repetatur. Arbitror id conſultò tibi accidiſſe, quod malignioris ſit naturæ, nec inter celebriores Gemmas ſupputetur, neque tantæ ſit dignitatis & vſus vt curæ tibi fuerit illum enucleatiùs explicare. Quod idem in Lyncurio, quem noſtrates Theologi aut Phyſiologi Ligurium appellitāt, efficere viſus es, niſi quòd ſuccini naturam demonſtrans eius aliquantulùm memineris. Porrò cæterorum qui ſacris libris cōtinentur, quos tamen Apocalypſis non habet, gaudeo te non fuiſſe oblitū, quatenus non minus è re Theologica fuerit hos noſcere quàm illos. Carbunculum & Achaten Exodus liber cap. 28. atque Ezechiel nobis exhibent, Adamas quoque ab eodē Ezechiele cap. 3. & Zacharia vſurpatur, quamuis hoc potius interpreti Latino quàm veritati tribuerim. Neque enim Hebraicus ſermo permittit Gemmam omnium nobiliſſimam

Sapphirus. Iaſpis. Probatio.

liſſimam intelligi:cùm dutities indicem tantùm,nō præ ſignis eminentia petatur,vt etiam ſit è ſiliçe illic memorato. Intellexerim itaque pro illo aliquod ſaxi genus : quod etiamnum Græcus interpres oſtendit,in petram eam vocē vertendo. Sunt qui in Exodo ac Ezechiele loco Iaſpidis Adamantē collocent, tanta eſt Hebræorū oculis offuſa caligo. Nec non ſunt alij qui pro vitro,quod Iob c.28. ab interprete poſitum eſt,vocem Hebraicam Zecucith, in adamantem vertendam autumenti. Idipſum pene in omnibus Gemmis reliquis vſuuenit Hebræis vt ſubinde nouā vel aliam pro alia excogitent:ſic ſunt cæci errorū magiſtri, quibus illæ diræ à ſacro Pſalte profuſæ imputantur *Obſcurentur*,inquit,*oculi eorum ne videant*. Eſt quoque eodē cap Iob vocabulum,quod in corallium trahunt cùm nuſquam in ſacris habeatur : id autē eſt pro quo,excelſa,traduxit interpres Latinus, minus conſideratè vocem Hebraicam pro altera ſumens. Inuenimus quoque alteram vocem , in eminentia, in eodem cap. verſam,quam etiam volunt eſſe cuiuſdam Gemmę ſymbolū,Gabis ea dictio ſcribitur. Hæc autē dixerim vt tuum conſiliū approbem,qui diui Ioannis Gemmis explanandis, reliquas etiā vſu & dignitate celebriores non omittēdas cenſueris,in queis eas quæ ſparſim in diuinis literis leguntur,tametſi clarū non ſit quæ ſint,veriſimile fuerit contineri. Non obnuerim tamen illud primum ſeculum,quo ſacræ conditæ ſunt ſcripturæ, hoc eſt, Moſis ætate , non vſque adeò fuiſſe edoctum vt omnium Gemmarum pernouerit naturas & vires,cum inficiari nō queamus illud tunc primū omnem ruditatē exuiſſe, & perſpicuum ſit ab ætate Plinij non parum immutatam eſſe earum Gemmarum æſtimationē, & quibuſdam non parum precij acceſſiſſe , cum eo tempore primū vel ſecūdum dignitatis locum obtinerent vniones,nunc autem vix quartum ſortiantur H-S. ideſt,ſeſtertiū centies vna Cleopatræ Ægypti reginę Margarita,quæ ſumma non minus æſtimatur ducentis & triginta quatuor millibus trecētis quoque & ſeptuaginta quinque ducatis. Potuerunt itaque eo rudi ſeculo Adamantes & nonnulli alij lapilli primæ nunc indicaturæ fuiſſe ignoti:& qui maximè tunc dignitatis fuere , temporis acceſſione,nobilioribus cedere cœperunt Ecce quò me protraxit tuus de Gemmis lapillis operoſus labor. Cernis quis tandem Epiſtolæ finis erit , ſi cuncta examuſſatim pergam edicere quæ fœcundū hoc tuū argumentum patere poſſit,ſi myſticas à ſingulis Gemmis ſignificationes eruere parem:ſi duodecim fundamenta his lapillis ornata,portasque ſingulis Margaritas extructas, Theologorum more,ad morum fabricā & ſacramentorum expreſſionē trahere velim.

Virtutes.

Gabis.

Gēmarū admiratio.

Gēmarū pretium.

Quem

Quem hæc contemplatio, atque tam decori habitaculi adumbratio, ad vitæ puriorís ſplendorem nõ pertrahat? quis prauos mores ad rectitudinis lineam huius ciuitatis tam ſpecioſæ deſiderio non corrigat? quis tam obeſæ mentis & hebetis ingenij, qui non ex iis perpendat, quanta munditie præpollere debeant ciuitatem tantis ornatam miraculis ingredi cupientes, cùm nihil coinquinatũ, vt palam diuus ipſe Ioannes aſſerit, in illam recipiendum ſit? Iam paulíſper non pigebit animũ attendere in eos qui horum lapillorum geſtaminibus gaudent onerari, vel vt ſe ad exercitia ſpiritulia inde promoueant, quod in illis mirificis veſtibus quas ſacerdoti magno apparatas legimus, factũ credimus: vel vt eorum fulgoribus ſeſe venditent apud vulgus ignobile glorioſam, quampiam ex his captitantes, & quiddam diuinum ſibi arrogantes, quod Tyrio regi impingit propheta Ezechiel, quem in medio ignitorũ lapidum ambulaſſe ſugillat: de quo paulò ante dixerat, *Eò quod eleuatum cor tuum quaſi cor Dei.* Et pòſt, *Omnis lapis pretioſus operimẽtũ tuum.* Eiuſmodi homines quis nõ fateatur degeneris eſſe animi, qui propriis ornatibus priuati, hoc eſt, virtutibus denudati, exoticos & externos cultus aſciſcunt, tiaras, digitalia, cingulos, & quid non frequentiſſimis lapillis infarciunt? perinde ac ſi illos vertendi eſſent, animi natiua ornamẽta faſtidientes. His hominibus ſi vel mentis mica ineſſet, cura diuerſa, ea nimirũ quæ omne factitium & cõmentitium aſpernatur, in primis appeteretur, quas honeſtos mores illis ipſis lapillis deſignatos induere ſatagerunt. Excellens quidẽ naturæ opus & non exiguum miraculum eſt Gemmarum natura & vis, ſi ſpectetur materiæ temperamentum & quædã lucis cum elemẽtari craſſitie copulatio, & eo præcellentius quo durabilius: & tam eſt mirabile, vt ipſa natura ſuam totam vim in earum opificium collegiſſe ac effudiſſe videatur. Quamobrẽ has geſtaturis, quia ſummopere intuentium oculos alliciunt, expedit, vt cuiuſdã inſignioris operis ſymbolum aut ſignum adſumant, quò mens haud in paucis naturæ gradibus illas antecellẽs vegetior, & ad ſuæ operationis promptitudinem accommodatior reddatur: & ad æternam beatitatem, ad quã benignus cõditor illã deſtinauit, compendioſius perueniat. Hoc præcipuũ horũ lapillorũ munus crediderim, quod ſi defuerit, indignum prorſus celſitudini humanæ geſtamẽ poterit iudicari; nec vnde corpus quod corrumpitur ornatũ aucupatur, inde maius diſpendiũ animus cœleſtibus natus incurrat, ne nimiò lapillorum fulgoris addictus, lapideus etiã ipſe animus euadat, ac proinde à ſua conditione decidat: nec ab iis honoris ſubſidiũ quærat, quibus ipſe opinionem honoris elargitur. Hac ratione

Cõtra luxum in Gemmis geſtandis.

Admiraſio earum rurſus, & geſtatio licita quæ.

ratione agnoſcant Reges & Põtifices,& quicunque horum geſtiunt adiacenti luce glorioſiores apparere eorundẽ vires,illaſque ad animi vegetationẽ transferãt,vt in Sapphiro ſit caſtitas & cœleſtiũ amor,in Carbunculo ardens charitas,in Adamante iuſtitiæ cõſtantia,in Smaragdo facilis humanitas,& in cæteris ſimile aliquid quod menti virtutẽ tribuat, nec quid dã ſimiaticum referant hoc eſt, ne ſicut ſimia in purpura faſtum quẽdam oſtentent & ſe ridendos præbeant. Nolim tamẽ ſalubres Gemmatũ vires attenuare , corporibus humanis oppidò quàm profuturas,ſi cõmoda illis applicentur. Quas vires & proprietates vt reliquarum rerum,corpori humano cõducibiles,fuerit phyſicorum veſtigare:illa verò ſigna quæ mẽtem moueant,Theologorum:vt in eadẽ re tractent medica phyſici,& diuina Theologi , atque ſic vnumquodque membrum in myſtico Chriſti corpore,ſuo munere dignè perfungatur. Vides optime Franciſce, tui libelli lectione me nõ parum fuiſſe delectatum,qui tot verbis gaudium teſtatũ reliquerim, & affectus hos velut oſtro percitus vel potiùs numine afflatus ediderim , ne prorſus perditum laborem tuum autumes.Nam ſi eiuſmodi fructus neutiquam ſequantur,fruſtra fuerat à ſacris tuum argumentum petiiſſe : quandoquidem luce clarius eſt in his Gemmas eſſe memoratas non vt corpori decorando ſeruirent, ſed animi virtutibus vel conquirendis vel conſeruandis proficerent:ſed neque alioqui plurimum decuiſſet eundem libellum cuius *ieurourgounton*,dicare,quibus ſacra tractare ſemper incumbit : ſed neque me cenſorẽ ſtatui oportuiſſet, cuius vires tantæ rei expediendæ impares ſunt. Non pauca etenim è philoſophorũ adytis , nonnulla è Theologorum placitis in medium deduxiſti de quibus certum ferre iudicium difficile fuerit, quando nec ſummus Philoſophus poſſit omnibus his ſufficere , & Theologus interdum conniuebit,nonnunquã diſſimulabit,modò nihil ſit oraculis cœleſtibus ac eccleſiaſtis dogmatibus repugnans. Eiuſmodi ſentimentorum nonnunquam narratorem, non aſſertorem ſuſpicio , quòd habeas non infimos auctores quibus acceptum feras quod expromis,& quibus te tuearis , cùm liberum ſit in pleriſque vtramque partem fouere. De quibus nunc eſſet longiùs quicquam diſſerere,præſertim cùm probè calleas quid intus habeam. Relinquo ſua Aſtrologis apoteleſmata, Theologorum turbam non modò refragantem , ſed manibus pedibuſque illò adrepentem interim diſſimulo,de quibus nihil mihi libet nunc ſcribere , quando prolixior ipſe fuerim quàm putaueram,præſertim tibi occupatiſſimo , cuius ſeria interpellare , piaculi quiddam refert. Vale.

Vires naturales.

FINIS.

BIBL. NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Alardus Rueus etiamnum puer, Patris obſeruantiſſimi libellum Lectori commendat hoc Elegiaco.

Qui legis inuiſi conuiuia cruda Thyeſtæ,
Diſcerptúmque vagis curribus Hippolytum.
OEdipodémque oculis captum : ſtructámque venenis
Medeam, regum belláque ficta legis :
Qui legis Harpyias, Centauros, Gorgonas, Hydram,
Quid niſi monſtra, precor, prodigioſa vides?
Talia quæ cruciant animum malè ſana faceſſant,
Quæque virum ſapiant perlege ſcripta Patris :
Hic vim gemmarum tractat quæ cognita longè
Illarum vincit commoditate decus.

Eiuſdem ad patrem integerrimum Epigramma.

Ecce pater, volitant totum tua ſcripta per orbem,
Docta per æternos ſcripta legenda dies :
Nempe tuo exemplo me noſtrum nomen in auras
Spargere vis : tutum nunc pandis iter.

BIBL. ... ROMA VITTORIO EMANUELE